

R. P. IOANNIS

MARTINON

E SOCIETATE IESV,

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM

OPVS POSTHVMVM.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

QVIBVS

VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CLARE, BREVITER, ET ACCVRATE EXPLICATVR.

AVTHORE R. P. IOANNE MARTINON
Societatis IESV, in Collegio Burdigalensi Sacræ Theologiæ Professore.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

TOMI TERTII, PARS PRIMA.

Opus posthumum.





AVGVSTORITI PICTONVM,
Apud IOANNEM FLEVRIAV, Regis, Cleri, Academiæ, & Centumviralis Curiæ Typographum, è regione B. Mariæ Majoris.

M. DC. LXIII.

Cum Approbatione & Priuilegio.



TRACTATVS PRIMVS.

DE FIDE.




NSTITVENTIBVS nobis cum D. Thoma 2.2. explicationem tradere virtutum Theologicarum, & Cardinalium in particulari; multa priùs de virtutibus supernaturalibus in genere dicenda essent, nisi in præcedenti tractatu de gratia, sufficienter exposita fuissent. Nunc igitur de singulis in specie dicendum superest: ac primò de Fide, quæ prima Theologicarum, cæterarumque basis & fundamentum est, vt significat Apost. 1. Cor. 13. & Hebr. 11. Cuius vniuersam considerationem S. Thomas nouem capitibus comprehendit. Et primò quidem disputat de objecto. Secundò de actu. Tertiò de habitu. Quartò de subjecto. Quintò de causa. Sextò de effectibus. Septimò de connexis. Octauò de vitijs oppositis. Nonò de præceptis. Huius autem ordinis instituendi ratio esse potest, quia ex Arist. 2. de anima, habitus naturâ suâ ordinantur ad actus: & actus ad obiecta referuntur; ac sine illis cognosci nequeunt: non contrà. Quare secundum cognitionem obiecta priora sunt actibus, & actus sunt priores habitibus: contingit etiam frequenter vt obiecta sint nobis notiora, quàm actus; & actus, quàm agendi facultates: quemadmodum in sensibus & sensibilibus patet. Nam sensibilia sunt notiora, quàm sentiendi actus: & actus, quàm potentiæ. Quod & in hac materia verum est. Quoniam autem Fides accidens quoddam est; inquirendum fuit vlterius quod sit illius subiectum. Et quia scientia perfecta cognitionem causarum requirit, cùm scire sit rem per causam cognoscere, vt definit Philosophus 1. Poster. c. 2. cæterarum quoque causarum

cognitio adjicienda fuit. Adhæc, quia similium & connexorum comparatio, & contrariorum oppositio, non parum rem illustrat; contraria enim contrarijs opposita magis elucescunt, & contrariorum eadem est disciplina; post primariam & absolutam fidei considerationem, de connexis, deque vitijs illi oppositis agendum fuit. Ac demum, quia doctrina virtutum moralis est, & ad praxim refertur; non sufficit naturam fidei speculatiuè declarare; sed videndum superest quæ sit illius exercendæ obligatio. Hæc igitur omnia eodem ordine, freti diuino auxilio, exponemus: methodoque & doctrinæ D. Thomæ, quoad fieri poterit, adhærebimus.

Dicemus itaque primò, quodnam sit obiectum materiale, & formale fidei? Secundò, sitne complexum, vel incomplexum? Tertiò, sitne ita necessariò verum, vt fidei subesse falsum nullo modo queat? Quartò, poßitne esse aliquid scitum, aut visum? Quintò, an, & quomodo obiectum fidei Christianæ sit euidenter credibile? Sextò, vtrum obiectum fidei successu temporis creuerit? Septimò, de regulis quibus obiectum fidei proponitur infallibiliter; & primò de Scriptura. Octauò, de Traditionibus & de consensu Patrum. Nonò, de summo Pontifice, Concilijs, & Ecclesia. Decimò, de actu fidei interno, deque illius neceßitate ex præcepto, vel aliunde. Vndecimò, de actu eius externo, seu de confeßione fidei, illiusque obligatione. Duodecimò, de habitu fidei Theologicæ. Decimo-tertiò, de effectibus fidei, & donis cum ea connexis. Decimo-quartò, de infidelitate, & varijs eius speciebus. De ijsdem disputant Scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. & duabus sequentibus, & interpretes D. Thomæ ad 2. 2. primis sexdecim quæstionibus.






DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto Fidei.



E argumento nobis proposito in hac disputatione agit S. Doctor 2. 2. q. 1. a. 1. vbi docet, obiectum formale fidei, hoc est, id per quod fides cognoscit, & propter quod assentitur, non esse aliud, quàm veritatem primam. Non enim fides, de qua loquimur, Theologica scilicet, assentitur alicui, nisi quia est à Deo reuelatum: vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Materiale verò, id est, ea quibus fides assentitur, non solùm esse ipsum Deum: sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensum fidei non cadunt, nisi secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum; prout scilicet per aliquos diuinitatis effectus, homo adiuuatur ad tendendum in diuinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei est quodammodo

veritas prima, in quantum nihil cadit sub fidem, nisi in ordine ad Deum; Sicut obiectum medicinæ est sanitas; quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Huc vsque D. Thom. in corp. art. citati, qui ad idem confirmandum in argumento *Sed contra*, adducit testimonium S. Dionysij cap. 7. de diuin. nom. affirmantis fidem esse circa simplicem, & semper existentem veritatem, quæ non est alia, quàm veritas prima.



SECTIO I.

De varijs fidei acceptionibus: & quo sensu in præsenti tractatu sermo de illa sit?



FIDES hîc sumitur pro habitu, vel actu supernaturali intellectus, quo veritatibus à Deo reuelatis, propter ipsius reuelationem & auctoritatem, certo quidem, sed ineuidenter assentimur. Quo sensu Apostolus Rom. 10. v. 17. *Ergo fides*, inquit, *ex auditu: auditus autem per verbum Christi*. Et Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*: & v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quòd inquirentibus se, remunerator sit.* Eandémque fidem v. 1. sic describit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum* (Græcè ὑπόστασις, id est, basis, & fundamentum spei: Ideo enim speramus bona supernaturalia, quia per fidem certò tenemus illa nobis esse à Deo promissa) *argumentum non apparentium*: vel, vt in textu Græco est, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, id est, conuictio, & certissima persuasio earum rerum quæ non videntur, neque clarè apparent; creduntur tamen, quia à Deo reuelatæ sunt. Quibus verbis fidei certitudo, & obscuritas designatur. Certitudo quidem, voce ἔλεγχος, id est, conuictio: obscuritas verò, per id quod additur, οὐ βλεπομένων, id est, non visorum, seu non clarè apparentium. De eadem paulò ante, in fine capitis præcedentis dixerat idem Apostolus, *Iustus autem meus ex fide viuit*. Et 1. Cor. 13. v. vlt. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.*

1. Descriptio fidei ex Apostolo.

2. Porro actus, vel habitus intellectus, quo veritatibus à Deo reuelatis, certò, quamvis ineuidenter, propter ipsius testimonium & auctoritatem assentimur, duplex esse potest. Naturalis scilicet, & supernaturalis. Nam propositis fidei articulis, possumus viribus naturalibus apprehendere eorum terminos, & significationem. Possumus etiam cognoscere miracula, vel alia motiua, quibus sufficienter credibile fit Deum reuelâsse. Et aliunde, lumine ipso naturali euidens est, vel saltem credibile, Deum esse summè veracem, qui nec falli possit, nec fallere: adeóque ipsius testimonium fide certissima dignum esse. Quare intellectus potest in eo statu constitui, vt sit completè, & proximè potens ad eliciendum assensum fidei naturalis circa veritates à Deo reuelatas, & propositas sufficienter. Ex huiusmodi autem assensu sequitur habitus naturalis, & proportionatus, fidei acquisitæ, qui per actus paritur, & intenditur: vt patet experientiâ. Nam in Iudæis, & hæreticis, culpabiliter infidelibus, non est fides supernaturalis, neque actualis, neque habitualis. Carent enim habituali, propter peccatum infidelitatis. Carent etiam actuali, quia non credunt cum plena & vniuersali submissione ad diuinum testimonium sufficienter propositum. Et tamen Iudæi & hæretici credunt multa fidei mysteria, quæ certò tenent esse sufficienter à Deo reuelata. Ergo credunt actu tantùm naturali: ac proinde datur actus fidei naturalis circa res à Deo reuelatas: qui perinde ac alij naturales actus intellectus, producit & intendit habitum sibi proportionatum.

Potest dari actus fidei naturalis.

3. Verumtamen actus ille naturalis neque satis congruit maiestati mysteriorum fidei, quæ plerumque supernaturalia sunt: neque excellentiæ diuinæ reuelationis, cuius auctoritas est eminentissima: neque fini, ad quem fides dirigitur, qui est visio Dei, & beatitudo supernaturalis, ad quam per actus proportionatos, & supernaturales par est tendere: neque attingit gradum illum perfectionis moralis, pietatis, reuerentiæ, firmitatis, & submissionis plenæ & vniuersalis ad diuinum testimonium sufficienter propositum. Quare præter actum naturalem, datur alius supernaturalis, longè altioris entitatis, & maioris perfectionis moralis; quem intellectus solis viribus naturalibus attingere non potest, sed ad illum producendum eget auxilio Dei speciali, eleuante potentiam naturalem: iuxta illud Tridentini Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium duo requirit. Primò, inspirationem Spiritus sancti, quâ scilicet illustratus intellectus multò meliùs percipiat motiua fidei supernaturalia, quàm solis viribus naturalibus apprehenderet: & voluntas piè afficiatur, moueatúrque ad volendum credere. Secundò, adiutorium eiusdem Spiritus sancti, concurrentis altiori, & speciali modo, supra naturæ debitum, ad exercitium actus fidei. Et huic actui respondet habitus proportionatus, & supernaturalis in entitate, qui non producitur per actus, sed à Deo infunditur: idque vel sine vllo actu præuio, aut dispositione; vt fit in paruulis per baptismum: vel præuio aliquo actu fidei; vt fit in adultis, qui sine aliqua dispositione, & propriâ cooperatione non iustificantur. Hunc habitum & actum supernaturalem intelligimus nomine fidei Theologicæ, qui etiam solus valet ad iustificationem, & ad finem supernaturalem, Theo-

Datur alius excellentior, & supernaturalis.

Et habitus illi respondens.

logiæ, & religioni Christianæ propositum. Fides enim naturalis, quæ aliter humana, & acquisita dici solet, non transcendit ordinem naturalem.

4. *De illo Scriptura loquitur.* De hoc igitur actu & habitu supernaturali in præsenti tractatu sermo est. De eodemque loquuntur Scripturæ testimonia initiò relata: loquuntur enim de fide iustificante, & ad salutem æternam conducente: vt patet ex illis Apostoli verbis Hebræor. 10. v. 38. *Iustus autem meus ex fide viuit.* Et cap. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Quam fidem esse actum, vel habitum intellectus, docet ibidem Apostolus, cùm addit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est; & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Credere enim Deum esse, & fore remuneratorem, est actus intellectus. Et v. 3. de eâdem fide sic ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, id est, mundum omnipotenti Dei verbo & imperio creatum fuisse. Et Rom. 4. v. 20. & 21. de fide Abrahæ, quæ reputata est illi ad iustitiam, sic loquitur: *Confortatus est fide, plenissimè sciens, quia qui promisit, potens est & facere.* Intelligere autem, & scire, ad intellectum sine dubio pertinent. Ac denique de eadem fide affirmat 1. Cor. 13. nos per eam cognoscere Deum ex parte, id est, non eâ perfectione, & plenitudine, quâ cognoscemus in patria per visionem beatificam. Et 2. Cor. 5. dicit, nos per fidem ambulare, non per speciem: id est, non per ipsam diuinæ pulchritudinis contemplationem intuitiuam, sed per obscuram cognitionem, & ænigmaticam.

Docétque eum pertinere ad intellectum.

5. *Et esse supernaturalem.* Eandem verò esse supernaturalem, id est, vires naturæ superantem, docet idem Apostolus pluribus locis Epist. ad Rom. & ad Galat. ostendens necessitatem gratiæ Christi ad fidem, & iustificationem. Et Ephes. 2. *Gratiâ enim saluati estis per fidem. Et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur.* *Et esse obscurũ, ac certũ.* Esse verò assensum obscurum significat Hebr. 11. v. 1. cùm ait fidem esse argumentum non apparentium. Et 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Propter quod etiam dicit. 2. Cor. 10. intellectum captiuari per fidem in obsequium Christi: quia propter reuerentiam, debitam eius testimonio, assentitur rebus obscuris, & creditu difficilibus. Quòd verò nihilominus assentiatur firmiter, & sine dubitatione, patet ex eodem Apostolo, cum ait Hebr. 11. v. 1. Fidem esse argumentum, Græcè ἔλεγχος, id est, conuictionem, & certam persuasionem. Et Rom. 4. v. 19. *Non infirmatus est fide*, Abraham pater credentium, *nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide, &c. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam.* *Et inniti verbo Dei, seu testimonio diuino.* Ac denique, quòd fides innitatur verbo Dei, & propter reuerentiam testimonij diuini, moueatur ad assentiendum veritatibus à Deo reuelatis, docet idem magnus fidei prædicator, Rom. 10. cùm ait fidem esse ex auditu: auditum autem per verbum Christi. Et 1. Thessal. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et 1. Cor. 2. *Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, confirmantis scilicet, per signa & prodigia, se testificatum esse id, quod velut ab illo dictum proponimus. Et 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Eâdemque de causa dicuntur fideles *credere Deo*, Rom. 4. v. 3. & Gen. 15. v. 6. Propter hoc etiam censent aliqui vocari *fidem Dei*, Marci 11. Sed ibi potiùs dicitur phrasi Hebraïca, *Habete fidem Dei*: pro, *Habete fidem magnam*, & Heroïcam, ad quam Christus Apostolos ibi hortabatur. Simili modo, quo montes Dei, & cedri Dei, vocantur in Scriptura montes altissimi, & cedri procerissimæ. Eodémque sensu intelligendum puto, illud de Christo dictum, Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei*, id est, in oratione ingi & valde feruenti. Vtuntur enim Hebræi frequenter hâc loquendi formulâ, ad exprimendum gradum superlatiuum, quo carent: & Euangelistæ, quamvis aliâ linguâ scripserint, excepto Mathæo, habent interdum Hebraismos: vt obseruant eius linguæ periti.

6. *Fides interdum sumitur pro obiecto.* Aliter interdum sumitur fides in Scriptura, & Patribus, Primò, pro fidei prædictæ obiecto. Vt Apoc. 2. v. 13. *Non negasti fidem meam*: & in Symbolo Athanasij, vbi de præcipuis Trinitatis & Incarnationis veritatibus explicatis, sic dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, saluus esse non poterit.* Quod autem creditur, obiectum fidei est. *Et pro dictamine conscientiæ.* Secundò, pro conscientia, & iudicio practico de agendis: vt Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: id est, vt series textus indicat, Quod non est ex iudicio statuente licitum esse id quod agitur, peccatum est. *Et pro fidelitate.* Tertiò, pro fidelitate, quæ est virtus voluntatis præbens constantiam in seruandis promissis, & conuentionibus. Cui virtuti primò impositum fuisse nomen fidei, dictamque fidem, quia per eam fit quod dicitur, docent S. August. Epist. 19. cap. 2. in fine, & Isidorus in Ethymologico. Sic autem planè sumitur Leuit. 6. v. 2. Vbi sic dicitur: *Anima quæ negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat.* Et Rom. 3. v. 3. *Numquid incredulitas illorum* (Iudæorum scilicet) *fidem Dei euacuauit?* id est, fidelitatem circa promissa Abrahæ facta. Et 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem*, id est, fidelitatem ex voto debitam, *irritam fecerunt.* Eodem sensu Matth. 25. v. 21. & 1. Cor. 4. v. 2. vocatur seruus fidelis, & dispensator fidelis, ille qui satisfacit obligationi bene ministrandi, & dispensandi, tacitè vel expressè susceptæ, in eo munere acceptando. Nam in quocumque officio acceptando, inest, aut inesse debet moralis obligatio, & pactum saltem implicitum, bene illud exercendi. *Et pro veracitate.* Quartò sumitur etiam pro veracitate: vt Ieremiæ 7. v. 28. *Periit fides, & ablata est de ore eorum.* Et Apoc. 1. v. 5. Christus appellatur testis fidelis, id est, verax. *Et pro fiducia.* Quintò, pro fiducia, Iacob. 1. v. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Et Matth. 8. v. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Vbi sermo est de Apostolis naufragium timentibus. Timor autem opponitur fiduciæ, vt docet S. Thomas in 3.

dist. 26. quæst. 1. art. 3. ad 5. Addit sextò Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. ar. 1. sumi etiam pro cognitione patriæ, id est, pro clara Dei visione, Rom. 1. v. 17. *Iustitia Dei in eo*, scilicet in Euangelio, *reuelatur ex fide in fidem*. Sed fallitur, quia potiùs Apostolus vbique fidem viæ opponit visioni patriæ. Huius verò loci sensus est, Iustitiam Dei, quâ nos iustificat, reuelari ex fide veteris Testamenti, in fidem noui, quæ clarior & perfectior est: vel ex fide in fidem magis ac magis crescentem. Sumitur denique 1. Cor. 12. v. 9. pro vno ex donis illis; quæ vocantur gratiæ gratis datæ. Quod cum Suare Prolegom. 3. de Gratia cap. 5. interpretor de speciali energia explicandi, & persuadendi res fidei: vel de priuatis reuelationibus, quæ aliquibus fiunt ad aliorum vtilitatem. Omitto alias fidei acceptiones apud Philosophos, & Scriptores prophanos, quas longum esset, & inutile recensere. Quæ verò iam commemoratæ fuerunt & expositæ, apud Scriptores sacros vsitatæ, prodesse poterunt varijs locis Scripturæ interpretandis.

Et pro gratijs gratis datis.

SECTIO II.

Errores Hæreticorum circa fidem propriè dictam indicantur, & breuiter refutantur.

7. Quid fidei nomine intelligant hæretici?

HÆretici huius temporis, auctore Caluino lib. 3. Instit. cap. 2. & Luthero varijs locis, dicunt fidem propriè dictam, esse firmam, certámque cognitionem, & fiduciam diuinæ misericordiæ nos acceptantis in filios, nobísque peccata remittentis propter Christum. Nobis, inquam, in particulari, determinatè, & absolutè. Nam verè fidelis non est, *nisi qui solidâ persuasione Deum sibi propitium, beneuolúmque patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui diuinæ erga se beneuolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit*: inquit Caluinus cap. citato, num. 16. Hanc autem fidem per Spiritum sanctum mentibus nostris ingenerari asserunt, & eâ solâ nos iustificari. Esse item inamissibilem: quia semel habita, à nullo perditur. Esse denique propriam Electorum, saltem adultorum, conuertibiliter: quia omnes Electi illam habent: & quotquot illam habent, electi sunt, & efficaciter prædestinati ad vitam æternam. Neque tamen negat Caluinus fidem versari circa alias veritates à Deo reuelatas. Dicit enim num. 30. generale fidei obiectum esse Dei veritatem: & fidem habere respectum ad omnes verbi Dei partes. Sed addit fidem non consistere sine prædicta cognitione & fiducia diuinæ misericordiæ, quæ propriè fidem facit, quæque Dei filios à reprobis discernit, & fideles ab incredulis. Nam fidelis, inquit, non est dicendus, qui credit Deum & iustè præcipere quidquid præcipit, & verè minari, &c. nisi ad gratuitam promissionem modo suprà dicto perueniat.

Tripliciter illam accipiũt.

Ad eludenda verò Scripturæ testimonia, quæ his erroribus opponuntur, notant hæretici, fidei nomen tripliciter accipi in Scriptura. Primò, pro fide historica, quæ est assensus intellectus, quo credimus verum esse quidquid à Deo reuelatum est: iuxta illud Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, &c. Secundò, pro fide miraculorum: id est, vt loco suprà cit. Caluinus exponit, pro dono patrandi miracula: iuxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*. Tertiò, pro fide promissionum: quæ scilicet versatur circa Dei promissiones de remissione peccatorum, & adoptione gratuita per Christum. Et hæc iterum duplex est. Vna generalis, quæ versatur circa promissiones generales, spectatas generaliter: vt quòd Deus omnibus credentibus & baptizatis salutem promiserit, Marc. vltimo, v. 16. Altera specialis: quâ vnusquisque sibi applicans Dei promissionem, credit & confidit, peccata sibi esse remissa, séque indubitanter esse Dei filium, & infallibiliter saluandum. Et hanc vltimam vocant fidem iustificantem, volúntque solam propriè fidei nomen mereri, & esse propriam electorum: alias verò posse reprobis conuenire. Possunt enim reprobi credere vera esse quæ Deus reuelauit: quod & ipsi dæmones credunt, & contremiscunt. Possunt habere donum miraculorum, iuxta illud Matth. 7. *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus*, &c. Possunt versari circa Dei promissiones generales, imò & aliquo gustu verbi Dei affici, inquit, Caluinus, & quandam persuasionem ac fiduciam de propria salute concipere, similem fidei iustificanti electorum, quæque ab illa discerni vix possit, & multos fallat. At non habent internam illam certitudinem, & fiduciam, Spiritus sancti ope mentibus electorum reuelatam, & cordibus obsignatam.

Contra hos errores fundamentales hæresum huius temporis varijs locis disputandum erit. Nunc breuiter dico primò, fidem illam specialem, communem omnibus electis, quam solam fidei nomine propriè dici volunt, commentitiam esse. Nam vera fides diuina nititur verbo Dei, & illud habet pro obiecto, vt Caluinus fatetur cap. citato, num. 30. & 31. At illa certa persuasio, & fiducia absoluta de propria cuiusque salute, non nititur verbo Dei, neque illud habet pro obiecto. Non enim Deus reuelauit, hunc & illum esse iustum, & saluandum infallibiliter. Quare huiusmodi persuasio indubitata, & fiducia absoluta Nouatorum, non vera fides diuina, sed humana præsumptio est. 8.

Fides specialis hæreticorum impugnatur.

Respondent Deum reuelasse generaliter omnes credentes in Christum esse iustos, & habere vitam æternam: Rom. 3. v. 22. & Ioan. 3. v. 16. Sub his autem propositionibus generalibus continentur hic & ille credentes. Ergo illi, nitentes verbo Dei, credere possunt ac confidere se esse iustos, & habituros infallibiliter vitam æternam.

Sed contrà: Propositiones illæ generales, sunt tacitè conditionatæ, & intelligendæ de credentibus sicut oportet, & habentibus alias conditiones necessarias ad salutem consequendam. Non enim quisquis quomodocumque credit in Christum, iustus est, & saluandus infallibiliter. Alioquin omnes hæretici, cuiuscumque Sectæ essent iusti, & saluandi infallibiliter, quia 9.

credunt in Christum. Et Christus ipse Matth.11. v.21. sic affirmat: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Quemadmodum etiam id, quod Christus generaliter asserit Luc. 11. v.10. *Omnis qui petit, accipit:* debet intelligi, si petat sicut oportet: alioqui enim multi petunt qui non accipiunt: iuxta illud Iacob. 4. v.3. *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Et quod ait Ioan. cap. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, intelligendum est, si digne manducet, & sicut oportet. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, 1. Cor. 11. Iam verò, vnde habent hæretici certò & infallibiliter quòd hic & ille credat sicut oportet? id est, credat verâ fide diuinâ; & cum omnibus conditionibus requisitis, vt sit saluus infallibiliter: quod tamen necessarium est, vt vi illarum propositionum generalium absolutè inferant se esse iustos, & saluandos infallibiliter. Sic enim esset illis argumentandum: Omnis qui credit in Christum sicut oportet, & habet omnes alias conditiones ad vitam æternam consequendam necessarias, est iustus, & habebit infallibiliter vitam æternam. At ego credo sicut oportet, &c. Ergo sum iustus, & habebo vitam æternam infallibiliter. Quarum propositionum maior quidem est de fide diuina, & innixa verbo Dei; Minor autem neque euidenter continetur sub illa maiori propositione reuelata, neque aliunde constat certò, & infallibiliter, nisi Deus specialiter id de aliquo reuelauerit: sed habetur solùm persuasione humanâ, & fallibili, circa quam multi re ipsa falluntur, vt fatentur hæretici, & experientiâ notum est. Quare conclusio, quæ sequitur partem debiliorem, non est fides diuina, sed humana persuasio, & malè præsumpta certitudo diuina. Ideóque meritò Trident. Sess. 6. can.15. & 16. contra illam præsumptionem sic pronuntiat: *Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum, teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit. Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se, certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.*

Caluinus suprà, num. 7. in fine.

10. Vnica fides commẽdatur in Script.

Dico 2. Scripturam diuinam apertè tribuere vni & eidem fidei, verè diuinæ ac supernaturali, quòd sit historica, id est, valeat ad assentiendum veritatibus à Deo reuelatis: quòd sit fides miraculorum, id est, valeat ad patranda miracula, præsertim quando magna, & viua est, strenuéque operans per charitatem: & quòd versetur circa promissiones diuinas, valeátque ad iustificandum: Ita vt illa distinctio hæreticorum de triplici, aut quadruplici fide, si loquantur de fide verè diuina, sit commentitia, & Scripturæ aduersa. Id patet ex Apostolo ad Hebr. vbi postquam cap. 10. v. vltimo dixit, *Iustus autem meus ex fide viuit*, quod sine dubio de fide iustificante intelligendum est; subiungit de eadem fide cap. 11. v. 1. & sequentibus, *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, &c. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum*, &c. Quibus verbis Paulus, nisi valde ambiguè loquatur, & æquiuocè (quod absit) tribuit eidem fidei, à se initiò definitæ, quòd per eam viuamus, & placeamus Deo; quòd per eam intelligamus aptata esse sæcula verbo Dei; quódque per eam Sancti obturauerint ora leonum, extinxerint impetum ignis, &c. ac denique repromissiones adepti sint: Quorum primum pertinet ad fidem iustificantem. Secundum ad historicam. Tertium ad fidem miraculorum. Quartum ad fidem promissionum. Quare hæc omnia ad eandem fidem pertinent. *Vnus ergo Dominus, vna fides, vnum Baptisma*, Eph. 4. v. 5.

11. Fides miraculorum, & historica non differt à fide promissionum.

Idem videre est 1. Cor. 13. vbi Apostolus v. 2. sic ait: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Eidemque fidei tribuit v. 12. quòd per eam cognoscamus ex parte, & videamus per speculum, & in ænigmate, Deum scilicet, & alia, quæ ab ipso credenda proponuntur. Ac denique quòd eadem sit, quæ inseruit ad iustificationem, docet ibidem, cùm addit v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* Itaque, ex doctrina Apostoli, vna, eadémque est fides, quæ valet, si magna est, ad montes transferendos, & ad alia miracula patranda: quâve cognoscimus, quæ à Deo reuelata sunt: & quâ denique iustificamur ex parte, aut disponimur ad iustificationem, & regenerationem spiritalem, quæ per fidem inchoatur, & per spem, & charitatem perficitur. Nec obest quòd non omnes, qui fidem habent, operantur miracula. Nam ad hoc opus est fide magis intensa, & viuida, quâ hîc, & nunc in particulari, cùm se offert occasio patrandi miraculum, credatur firmiter fore vt Deus illud operetur, si expediat ad ipsius gloriam, & si petatur sicut oportet. Adde quòd ordinariè requiritur eximia vitæ Sanctitas in eo, cuius operâ Deus vtitur ad patranda miracula: quam vitæ sanctitatem paucissimi assequuntur. Fides tamen necessaria ad facienda miracula, non est alia quoad substantiam, quàm illa, quâ certò credimus Deum esse omnipotentem, & fidelem: posséque, si velit, operari quod petimus, quamvis difficile, & naturæ viribus impossibile: iuxta illud Christi Matth. 9. *Creditis quia hoc possum facere vobis?* id est, creditis me posse miraculosè sanitatem vobis restituere? Illisque affirmantibus se id credere, annuit Christus eorum petitioni, & subiunxit, *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Interdum verò huic actui fidei generali, & absoluto circa Dei omnipotentiam, additur alius ex speciali reuelatione, quòd hîc, & nunc Deus sit editurus miraculum, quod petimus. Et hic quoque ad fidem Theologicam pertinet, quæ, vt alibi ostendemus, versatur circa quascunque Dei reuelationes sufficienter propositas, siue priuatas, siue publicas. Sed iste actus fidei non est necessarius ad obtinendum miraculum: imò



R. P. IOANNIS MARTINON

E SOCIETATE IESV,

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM

OPVS POSTHVMVM.


DISPVTATIONES THEOLOGICÆ QVIBVS VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CLARE, BREVITER, ET ACCVRATE EXPLICATVR.

AVTHORE R. P. IOANNE MARTINON
Societatis IESV, in Collegio Burdigalensi Sacræ Theologiæ Professore.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

TOMI TERTII, PARS PRIMA.

Opus posthumum.







AVGVSTORITI PICTONVM,
Apud IOANNEM FLEVRIAV, Regis, Cleri, Academiæ, & Centumviralis Curiæ Typographum, è regione B. Mariæ Majoris.

M. DC. LXIII.

Cum Approbatione & Priuilegio.



TRACTATVS PRIMVS.

DE FIDE.



NSTITVENTIBVS *nobis cum D. Thoma 2. 2. explicationem tradere virtutum Theologicarum, & Cardinalium in particulari, multa priùs de virtutibus supernaturalibus in genere dicenda essent, nisi in præcedenti tractatu de gratia, sufficienter exposita fuissent. Nunc igitur de singulis in specie dicendum superest: ac primò de Fide, quæ prima Theologicarum, cæterarumque basis & fundamentum est, vt significat Apost. 1. Cor. 13. & Hebr. 11. Cuius vniuersam considerationem S. Thomas nouem capitibus comprehendit. Et primò quidem disputat de objecto. Secundò de actu. Tertiò de habitu. Quartò de subjecto. Quintò de causa. Sextò de effectibus. Septimò de connexis. Octauò de vitijs oppositis. Nonò de præceptis. Huius autem ordinis instituendi ratio esse potest, quia ex Arist. 2. de anima, habitus naturâ suâ ordinantur ad actus: & actus ad obiecta referuntur; ac sine illis cognosci nequeunt: non contrà. Quare secundum cognitionem obiecta priora sunt actibus, & actus sunt priores habitibus: contingit etiam frequenter vt obiecta sint nobis notiora, quàm actus; & actus, quàm agendi facultates: quemadmodum in sensibus & sensibilibus patet. Nam sensibilia sunt notiora, quàm sentiendi actus: & actus, quàm potentiæ. Quod & in hac materia verum est. Quoniam autem Fides accidens quoddam est; inquirendum fuit vlteriùs quod sit illius subiectum. Et quia scientia perfecta cognitionem causarum requirit, cùm scire sit rem per causam cognoscere, vt definit Philosophus 1. Poster. c. 2. cæterarum quoque causarum*

cognitio adjicienda fuit. Adhæc, quia similium & connexorum comparatio, & contrariorum oppositio, non parum rem illustrat; contraria enim contrarijs opposita magis elucescunt, & contrariorum eadem est disciplina; post primariam & absolutam fidei considerationem, de connexis, deque vitijs illi oppositis agendum fuit. Ac demum, quia doctrina virtutum moralis est, & ad praxim refertur; non sufficit naturam fidei speculatiuè declarare; sed videndum superest quæ sit illius exercendæ obligatio. Hæc igitur omnia eodem ordine, freti diuino auxilio, exponemus: methodoque & doctrinæ D. Thomæ, quoad fieri poterit, adhærebimus.

Dicemus itaque primò, quodnam sit obiectum materiale, & formale fidei? Secundò, sitne complexum, vel incomplexum? Tertiò, sitne ita necessariò verum, vt fidei subesse falsum nullo modo queat? Quartò, possitne esse aliquid scitum, aut visum? Quintò, an, & quomodo objectum fidei Christianæ sit euidenter credibile? Sextò, vtrum obiectum fidei successu temporis creuerit? Septimò, de regulis quibus obiectum fidei proponitur infallibiliter; & primò de Scriptura. Octauò, de Traditionibus & de consensu Patrum. Nonò, de summo Pontifice, Concilijs, & Ecclesia. Decimò, de actu fidei interno, deque illius necessitate ex præcepto, vel aliunde. Vndecimò, de actu eius externo, seu de confessione fidei, illiusque obligatione. Duodecimò, de habitu fidei Theologicæ. Decimo-tertiò, de effectibus fidei, & donis cum ea connexis. Decimo-quartò, de infidelitate, & varijs eius speciebus. De ijsdem disputant Scholastici cum Magistro in 3. dist. 23. & duabus sequentibus, & interpretes D. Thomæ ad 2. 2. primis sexdecim quæstionibus.






DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto Fidei.



DE argumento nobis proposito in hac disputatione agit S. Doctor 2. 2. q. 1. a. 1. vbi docet, obiectum formale fidei, hoc est, id per quod fides cognoscit, & propter quod assentitur, non esse aliud, quàm veritatem primam. Non enim fides, de qua loquimur, Theologica scilicet, assentitur alicui, nisi quià est à Deo reuelatum: vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Materiale verò, id est, ea quibus fides assentitur, non solùm esse ipsum Deum: sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensum fidei non cadunt, nisi secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum; provt scilicet per aliquos diuinitatis effectus, homo adiuuatur ad tendendum in diuinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei est quodammodo

veritas prima, in quantum nihil cadit sub fidem, nisi in ordine ad Deum; Sicut obiectum medicinæ est sanitas; quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Huc vsque D. Thom. in corp. art. citati, qui ad idem confirmandum in argumento *Sed contra*, adducit testimonium S. Dionysij cap. 7. de diuin. nom. affirmantis fidem esse circa simplicem, & semper existentem veritatem, quæ non est alia, quàm veritas prima.



SECTIO I.

De varijs fidei acceptionibus: & quo sensu in præsenti tractatu sermo de illa sit?



FIDES hîc sumitur pro habitu, vel actu supernaturali intellectus, quo veritatibus à Deo reuelatis, propter ipsius reuelationem & auctoritatem, certò quidem, sed ineuidenter assentimur. Quo sensu Apostolus Rom. 10. v. 17. *Ergo fides*, inquit, *ex auditu: auditus autem per verbum Christi*. Et Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*: & v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quòd inquirentibus se, remunerator sit.* Eandémque fidem v. 1. sic describit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum* (Græcè ὑπόστασις, id est, basis, & fundamentum spei: Ideo enim speramus bona supernaturalia, quia per fidem certò tenemus illa nobis esse à Deo promissa) *argumentum non apparentium*: vel, vt in textu Græco est, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, id est, conuictio, & certissima persuasio earum rerum quæ non videntur, neque clarè apparent; creduntur tamen, quia à Deo reuelatæ sunt. Quibus verbis fidei certitudo, & obscuritas designatur. Certitudo quidem, voce ἔλεγχος, id est, conuictio: obscuritas verò, per id quod additur, οὐ βλεπομένων, id est, non visorum, seu non clarè apparentium. De eadem paulò ante, in fine capitis præcedentis dixerat idem Apostolus, *Iustus autem meus ex fide viuit.* Et 1. Cor. 13. v. vlt. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.*

1. Descriptio fidei ex Apostolo.

2. Porro actus, vel habitus intellectus, quo veritatibus à Deo reuelatis, certò, quamvis ineuidenter, propter ipsius testimonium & auctoritatem assentimur, duplex esse potest. Naturalis scilicet, & supernaturalis. Nam propositis fidei articulis, possumus viribus naturalibus apprehendere eorum terminos, & significationem. Possumus etiam cognoscere miracula, vel alia motiua, quibus sufficienter credibile fit Deum reuelâsse. Et aliunde, lumine ipso naturali euidens est, vel saltem credibile, Deum esse summè veracem, qui nec falli possit, nec fallere: adeóque ipsius testimonium fide certissima dignum esse. Quare intellectus potest in eo statu constitui, vt sit completè, & proximè potens ad eliciendum assensum fidei naturalis circa veritates à Deo reuelatas, & propositas sufficienter. Ex huiusmodi autem assensu sequitur habitus naturalis, & proportionatus, fidei acquisitæ, qui per actus paritur, & intenditur: vt patet experientiâ. Nam in Iudæis, & hæreticis, culpabiliter infidelibus, non est fides supernaturalis, neque actualis, neque habitualis. Carent enim habituali, propter peccatum infidelitatis. Carent etiam actuali, quia non credunt cum plena & vniuersali submissione ad diuinum testimonium sufficienter propositum. Et tamen Iudæi & hæretici credunt multa fidei mysteria, quæ certò tenent esse sufficienter à Deo reuelata. Ergo credunt actu tantùm naturali: ac proinde datur actus fidei naturalis circa res à Deo reuelatas: qui perinde ac alij naturales actus intellectus, producit & intendit habitum sibi proportionatum.

Potest dari actus fidei naturalis.

Verumtamen actus ille naturalis neque satis congruit maiestati mysteriorum fidei, quæ plerumque supernaturalia sunt: neque excellentiæ diuinæ reuelationis, cuius auctoritas est eminentissima: neque fini, ad quem fides dirigitur, qui est visio Dei, & beatitudo supernaturalis, ad quam per actus proportionatos, & supernaturales par est tendere: neque attingit gradum illum perfectionis moralis, pietatis, reuerentiæ, firmitatis, & submissionis plenæ & vniuersalis ad diuinum testimonium sufficienter propositum. Quare præter actum naturalem, datur alius supernaturalis, longè altioris entitatis, & maioris perfectionis moralis; quem intellectus solis viribus naturalibus attingere non potest, sed ad illum producendum eget auxilio Dei speciali, eleuante potentiam naturalem: iuxta illud Tridentini Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium duo requirit. Primò, inspirationem Spiritus sancti, quâ scilicet illustratus intellectus multò melius percipiat motiua fidei supernaturalia, quàm solis viribus naturalibus apprehenderet: & voluntas piè afficiatur, moueatúrque ad volendum credere. Secundò, adiutorium eiusdem Spiritus sancti, concurrentis altiori, & speciali modo, supra naturæ debitum, ad exercitium actus fidei. Et huic actui respondet habitus proportionatus, & supernaturalis in entitate, qui non producitur per actus, sed à Deo infunditur: idque vel sine vllo actu præuio, aut dispositione; vt fit in paruulis per baptismum: vel præuio aliquo actu fidei; vt fit in adultis, qui sine aliqua dispositione, & propria cooperatione non iustificantur. Hunc habitum & actum supernaturalem intelligimus nomine fidei Theologicæ, qui etiam solus valet ad iustificationem, & ad finem supernaturalem, Theo-

3. Datur alius excellentior, & supernaturalis.

Et habitus illi respondens.

logiæ, & religioni Christianæ propositum. Fides enim naturalis, quæ aliter humana, & acquisita dici solet, non transcendit ordinem naturalem.

De illo Scriptura loquitur.

4. De hoc igitur actu & habitu supernaturali in præsenti tractatu sermo est. De eodemque loquuntur Scripturæ testimonia initiò relata: loquuntur enim de fide iustificante, & ad salutem æternam conducente: vt patet ex illis Apostoli verbis Hebræor. 10. v. 38. *Iustus autem meus ex fide viuit.* Et cap. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* Quam fidem esse actum, vel habitum intellectus, docet ibidem Apostolus, cùm addit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est: & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Credere enim Deum esse, & fore remuneratorem, est actus intellectus. Et v. 3. de eâdem fide sic ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, id est, mundum omnipotenti Dei verbo & imperio creatum fuisse. Et Rom. 4. v. 20. & 21. de fide Abrahæ, quæ reputata est illi ad iustitiam, sic loquitur: *Confortatus est fide, plenissimè sciens, quia qui promisit, potens est & facere.* Intelligere autem, & scire, ad intellectum sine dubio pertinent. Ac denique de eadem fide affirmat 1. Cor. 13. nos per eam cognoscere Deum ex parte, id est, non eâ perfectione, & plenitudine, quâ cognoscemus in patria per visionem beatificam. Et 2. Cor. 5. dicit, nos per fidem ambulare, non per speciem: id est, non per ipsam diuinæ pulchritudinis contemplationem intuitiuam, sed per obscuram cognitionem, & ænigmaticam.

Docétque eum pertinere ad intellectum.

Et esse supernaturalem.

5. Eandem verò esse supernaturalem, id est, vires naturæ superantem, docet idem Apostolus pluribus locis Epist. ad Rom. & ad Galat. ostendens necessitatem gratiæ Christi ad fidem, & iustificationem. Et Ephes. 2. *Gratiâ enim saluati estis per fidem. Et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Esse verò assensum obscurum significat Hebr. 11. v. 1. cùm ait fidem esse argumentum non apparentium. Et 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Propter quod etiam dicit. 2. Cor. 10. intellectum captiuari per fidem in obsequium Christi: quia propter reuerentiam, debitam eius testimonio, assentitur rebus obscuris, & creditu difficilibus. Quòd verò nihilominus assentiatur firmiter, & sine dubitatione, patet ex eodem Apostolo, cum ait Hebr. 11. v. 1. Fidem esse argumentum, Græcè ἔλεγχον, id est, conuictionem, & certam persuasionem. Et Rom. 4. v. 19. *Non infirmatus est fide*, Abraham pater credentium, *nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei, non hæsitauit diffidentiâ, sed confortatus est fide, &c. Ideo & reputatum est illi ad iustitiam.* Ac denique, quòd fides innitatur verbo Dei, & propter reuerentiam testimonij diuini, moueatur ad assentiendum veritatibus à Deo reuelatis, docet idem magnus fidei prædicator, Rom. 10. cùm ait fidem esse ex auditu: auditum autem per verbum Christi. Et 1. Thessal. 2. *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et 1. Cor. 2. *Vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, confirmantis scilicet, per signa & prodigia, se testificatum esse id, quod velut ab illo dictum proponimus. Et 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Eâdemque de causa dicuntur fideles *credere Deo*, Rom. 4. v. 3. & Gen. 15. v. 6. Propter hoc etiam censent aliqui vocari *fidem Dei*, Marci 11. Sed ibi potiùs dicitur phrasi Hebraïca, *Habete fidem Dei*: pro, *Habete fidem magnam*, & Heroïcam, ad quam Christus Apostolos ibi hortabatur. Simili modo, quo montes Dei, & cedri Dei, vocantur in Scriptura montes altissimi, & cedri procerissimæ. Eodémque sensu intelligendum puto, illud de Christo dictum, Luc. 6. v. 12. *Erat pernoctans in oratione Dei*, id est, in oratione ingi & valde feruenti. Vtuntur enim Hebræi frequenter hâc loquendi formulâ, ad exprimendum gradum superlatiuum, quo carent: & Euangelistæ, quamvis aliâ linguâ scripserint, excepto Mathæo, habent interdum Hebraïsmos: vt obseruant eius linguæ periti.

Et esse obscurum ac certum.

Et inniti verbo Dei, seu testimonio diuino.

Aliter interdum sumitur fides in Scriptura, & Patribus, Primò, pro fidei prædictæ obiecto. Vt Apoc. 2. v. 13. *Non negasti fidem meam*: & in Symbolo Athanasij, vbi de præcipuis Trinitatis & Incarnationis veritatibus explicatis, sic dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, saluus esse non poterit.* Quod autem creditur, obiectum fidei est. Secundò, pro conscientia, & iudicio practico de agendis: vt Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: id est, vt series textus indicat, Quod non est ex iudicio statuente licitum esse id quod agitur, peccatum est. Tertiò, pro fidelitate, quæ est virtus voluntatis præbens constantiam in seruandis promissis, & conuentionibus. Cui virtuti primò impositum fuisse nomen fidei, dictamque fidem, quia per eam fit quod dicitur, docent S. August. Epist. 19. cap. 2. in fine, & Isidorus in Ethymologico. Sic autem planè sumitur Leuit. 6. v. 2. Vbi sic dicitur: *Anima quæ negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat.* Et Rom. 3. v. 3. *Numquid incredulitas illorum* (Iudæorum scilicet) *fidem Dei euacuauit?* id est, fidelitatem circa promissa Abrahæ facta. Et 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem*, id est, fidelitatem ex voto debitam, *irritam fecerunt.* Eodem sensu Matth. 25. v. 21. & 1. Cor. 4. v. 2. vocatur seruus fidelis, & dispensator fidelis, ille qui satisfacit obligationi bene ministrandi, & dispensandi, tacitè vel expressè susceptæ, in eo munere acceptando. Nam in quocumque officio acceptando, inest, aut inesse debet moralis obligatio, & pactum saltem implicitum, bene illud exercendi. Quartò sumitur etiam pro veracitate: vt Ieremiæ 7. v. 28. *Periit fides, & ablata est de ore eorum.* Et Apoc. 1. v. 5. Christus appellatur testis fidelis, id est, verax. Quintò, pro fiducia, Iacob. 1. v. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Et Matth. 8. v. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Vbi sermo est de Apostolis naufragium timentibus. Timor autem opponitur fiduciæ, vt docet S. Thomas in 3. 6.

Fides interdum sumitur pro obiecto.

Et pro dictamine conscientiæ.

Et pro fidelitate.

Et pro veracitate.

Et pro fiducia.

dist. 26. quæst. 1. art. 3. ad 5. Addit sextò Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. ar. 1. sumi etiam pro cognitione patriæ, id est, pro clara Dei visione, Rom. 1. v. 17. *Iustitia Dei in eo*, scilicet in Euangelio, *reuelatur ex fide in fidem*. Sed fallitur, quia potiùs Apostolus vbique fidem viæ opponit visioni patriæ. Huius verò loci sensus est, Iustitiam Dei, quâ nos iustificat, reuelari ex fide veteris Testamenti, in fidem noui, quæ clarior & perfectior est: vel ex fide in fidem magis ac magis crescentem. Sumitur denique 1. Cor. 12. v. 9. pro vno ex donis illis; quæ vocantur gratiæ gratis datæ. Quod cum Suare Prolegom. 3. de Gratia cap. 5. interpretor de speciali energia explicandi, & persuadendi res fidei: vel de priuatis reuelationibus, quæ aliquibus fiunt ad aliorum vtilitatem. Omitto alias fidei acceptiones apud Philosophos, & Scriptores prophanos, quas longum esset, & inutile recensere. Quæ verò iam commemoratæ fuerunt & expositæ, apud Scriptores sacros vsitatæ, prodesse poterunt varijs locis Scripturæ interpretandis.

Et pro gratijs gratis datis.

SECTIO II.

Errores Hæreticorum circa fidem propriè dictam indicantur, & breuiter refutantur.

7. Quid fidei nomine intelligant hæretici?

Hæretici huius temporis, auctore Caluino lib. 3. Instit. cap. 2. & Luthero varijs locis, dicunt fidem propriè dictam, esse firmam, certámque cognitionem, & fiduciam diuinæ misericordiæ nos acceptantis in filios, nobisque peccata remittentis propter Christum. Nobis, inquam, in particulari, determinatè, & absolutè. Nam verè fidelis non est, *nisi qui solidâ persuasione Deum sibi propitium, beneuolumque patrem esse persuasus, de eius benignitate omnia sibi pollicetur: nisi qui diuina erga se beneuolentia promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit*: inquit Caluinus cap. citato, num. 16. Hanc autem fidem per Spiritum sanctum mentibus nostris ingenerari asserunt, & eâ solâ nos iustificari. Esse item inamissibilem: quia semel habita, à nullo perditur. Esse denique propriam Electorum, saltem adultorum, conuertibiliter: quia omnes Electi illam habent: & quotquot illam habent, electi sunt, & efficaciter prædestinati ad vitam æternam. Neque tamen negat Caluinus fidem versari circa alias veritates à Deo reuelatas. Dicit enim num. 30. generale fidei obiectum esse Dei veritatem: & fidem habere respectum ad omnes verbi Dei partes. Sed addit fidem non consistere sine prædicta cognitione & fiducia diuinæ misericordiæ, quæ propriè fidem facit, quæque Dei filios à reprobis discernit, & fideles ab incredulis. Nam fidelis, inquit, non est dicendus, qui credit Deum & iustè præcipere quidquid præcipit, & verè minari, &c. nisi ad gratuitam promissionem modo suprà dicto perueniat.

Tripliciter illam accipiūt.

Ad eludenda verò Scripturæ testimonia, quæ his erroribus opponuntur, notant hæretici, fidei nomen tripliciter accipi in Scriptura. Primò, pro fide historica, quæ est assensus intellectus, quo credimus verum esse quidquid à Deo reuelatum est: iuxta illud Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, &c. Secundò, pro fide miraculorum: id est, vt loco suprà cit. Caluinus exponit, pro dono patrandi miracula: iuxta illud 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*. Tertiò, pro fide promissionum: quæ scilicet versatur circa Dei promissiones de remissione peccatorum, & adoptione gratuita per Christum. Et hæc iterum duplex est. Vna generalis, quæ versatur circa promissiones generales, spectatas generaliter: vt quòd Deus omnibus credentibus & baptizatis salutem promiserit, Marc. vltimo, v. 16. Altera specialis: quâ vnusquisque sibi applicans Dei promissionem, credit & confidit, peccata sibi esse remissa, séque indubitanter esse Dei filium, & infallibiliter saluandum. Et hanc vltimam vocant fidem iustificantem, voluntque solam propriè fidei nomen mereri, & esse propriam electorum: alias verò posse reprobis conuenire. Possunt enim reprobi credere vera esse quæ Deus reuelauit: quod & ipsi dæmones credunt, & contremiscunt. Possunt habere donum miraculorum, iuxta illud Matth. 7. *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus*, &c. Possunt versari circa Dei promissiones generales, imò & aliquo gustu verbi Dei affici, inquit Caluinus, & quandam persuasionem ac fiduciam de propria salute concipere, similem fidei iustificanti electorum, quæque ab illa discerni vix possit, & multos fallat. At non habent internam illam certitudinem, & fiduciam, Spiritus sancti ope mentibus electorum reuelatam, & cordibus obsignatam.

Contra hos errores fundamentales hæresum huius temporis varijs locis disputandum erit. Nunc breuiter dico primò, fidem illam specialem, communem omnibus electis, quam solam fidei nomine propriè dici volunt, commentitiam esse. Nam vera fides diuina nititur verbo Dei, & illud habet pro obiecto, vt Caluinus fatetur cap. citato, num. 30. & 31. At illa certa persuasio, & fiducia absoluta de propria cuiusque salute, non nititur verbo Dei, neque illud habet pro obiecto. Non enim Deus reuelauit, hunc & illum esse iustum, & saluandum infallibiliter. Quare huiusmodi persuasio indubitata, & fiducia absoluta Nouatorum, non vera fides diuina, sed humana præsumptio est. 8.

Fides specialis hæreticorum impugnatur.

Respondent Deum reuelasse generaliter omnes credentes in Christum esse iustos, & habere vitam æternam: Rom. 3. v. 22. & Ioan. 3. v. 16. Sub his autem propositionibus generalibus continentur hic & ille credentes. Ergo illi, nitentes verbo Dei, credere possunt ac confidere se esse iustos, & habituros infallibiliter vitam æternam.

Sed contrà: Propositiones illæ generales, sunt tacitè conditionatæ, & intelligendæ de credentibus sicut oportet, & habentibus alias conditiones necessarias ad salutem consequendam. Non enim quisquis quomodocumque credit in Christum, iustus est, & saluandus infallibiliter. Alioquin omnes hæretici, cuiuscumque Sectæ essent iusti, & saluandi infallibiliter, quia 9.

credunt in Christum. Et Christus ipse Matth. 11. v. 21. sic affirmat: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quemadmodum etiam id, quod Christus generaliter asserit Luc. 11. v. 10. *Omnis qui petit, accipit:* debet intelligi, si petat sicut oportet: alioqui enim multi petunt qui non accipiunt: iuxta illud Iacob. 4. v. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis.* Et quod ait Ioan. cap. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, intelligendum est, si digne manducet, & sicut oportet. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, 1. Cor. 11. Iam verò, vnde habent hæretici certò & infallibiliter quòd hic & ille credat sicut oportet? id est, credat verâ fide diuinâ; & cum omnibus conditionibus requisitis, vt sit saluus infallibiliter: quod tamen necessarium est, vt vi illarum propositionum generalium absolutè inferant se esse iustos, & saluandos infallibiliter. Sic enim esset illis argumentandum: Omnis qui credit in Christum sicut oportet, & habet omnes alias conditiones ad vitam æternam consequendam necessarias, est iustus, & habebit infallibiliter vitam æternam. At ego credo sicut oportet, &c. Ergo sum iustus, & habebo vitam æternam infallibiliter. Quarum propositionum maior quidem est de fide diuina, & innixa verbo Dei; Minor autem neque euidenter continetur sub illa maiori propositione reuelata, neque aliunde constat certò, & infallibiliter, nisi Deus specialiter id de aliquo reuelauerit: sed habetur solùm persuasione humanâ, & fallibili, circa quam multi re ipsa falluntur, vt fatentur hæretici, & experientiâ notum est. Quare conclusio, quæ sequitur partem debiliorem, non est fides diuina, sed humana persuasio, & malè præsumpta certitudo diuina. Ideòque meritò Trident. Sess. 6. can. 15. & 16. contra illam præsumptionem sic pronuntiat: *Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum, teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit. Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se, certò habiturum, absoluta & infallibili certitudine, dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.*

Caluinus suprà, num. 7. in fine.

10. Vnica fides commẽdatur in Script.

Dico 2. Scripturam diuinam apertè tribuere vni & eidem fidei, verè diuinæ ac supernaturali, quòd sit historica, id est, valeat ad assentiendum veritatibus à Deo reuelatis: quòd sit fides miraculorum, id est, valeat ad patranda miracula, præsertim quando magna, & viua est, strenuèque operans per charitatem: & quòd versetur circa promissiones diuinas, valeàtque ad iustificandum: Ita vt illa distinctio hæreticorum de triplici, aut quadruplici fide, si loquantur de fide verè diuina, sit commentitia, & Scripturæ aduersa. Id patet ex Apostolo ad Hebr. vbi postquam cap. 10. v. vltimo dixit, *Iustus autem meus ex fide viuit*, quod sine dubio de fide iustificante intelligendum est; subiungit de eadem fide cap. 11. v. 1. & sequentibus, *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, &c. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*, &c. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum*, &c. Quibus verbis Paulus, nisi valde ambiguè loquatur, & æquiuocè (quod absit) tribuit eidem fidei, à se initiò definitæ, quòd per eam viuamus, & placeamus Deo; quòd per eam intelligamus aptata esse sæcula verbo Dei; quòdque per eam Sancti obturauerint ora leonum, extinxerint impetum ignis, &c. ac denique repromissiones adepti sint: Quorum primum pertinet ad fidem iustificantem. Secundum ad historicam. Tertium ad fidem miraculorum. Quartum ad fidem promissionum. Quare hæc omnia ad eandem fidem pertinent. *Vnus ergo Dominus, vna fides, vnum Baptisma*, Eph. 4. v. 5.

11. Fides miraculorum, & historica non differt à fide promissionum.

Idem videre est 1. Cor. 13. vbi Apostolus v. 2. sic ait: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Eidemque fidei tribuit v. 12. quòd per eam cognoscamus ex parte, & videamus per speculum, & in ænigmate, Deum scilicet, & alia, quæ ab ipso credenda proponuntur. Ac denique quòd eadem sit, quæ inseruit ad iustificationem, docet ibidem, cùm addit v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* Itaque, ex doctrina Apostoli, vna, eadémque est fides, quæ valet, si magna est, ad montes transferendos, & ad alia miracula patranda: quâve cognoscimus, quæ à Deo reuelata sunt: & quâ denique iustificamur ex parte, aut disponimur ad iustificationem, & regenerationem spiritalem, quæ per fidem inchoatur, & per spem, & charitatem perficitur. Nec obest quòd non omnes, qui fidem habent, operantur miracula. Nam ad hoc opus est fide magis intensa, & viuida, quâ hîc, & nunc in particulari, cùm se offert occasio patrandi miraculum, credatur firmiter fore vt Deus illud operetur, si expediat ad ipsius gloriam, & si petatur sicut oportet. Adde quod ordinariè requiritur eximia vitæ Sanctitas in eo, cuius operâ Deus vtitur ad patranda miracula: quam vitæ sanctitatem paucissimi assequuntur. Fides tamen necessaria ad facienda miracula, non est alia quoad substantiam, quàm illa, quâ certò credimus Deum esse omnipotentem, & fidelem: posséque, si velit, operari quod petimus, quamvis difficile, & naturæ viribus impossibile: iuxta illud Christi Matth. 9. *Creditis quia hoc possum facere vobis?* id est, creditis me posse miraculosè sanitatem vobis restituere? Illisque affirmantibus se id credere, annuit Christus eorum petitioni, & subiunxit, *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Interdum verò huic actui fidei generali, & absoluto circa Dei omnipotentiam, additur alius ex speciali reuelatione, quòd hîc, & nunc Deus sit editurus miraculum, quod petimus. Et hic quoque ad fidem Theologicam pertinet, quæ, vt alibi ostendemus, versatur circa quascunque Dei reuelationes sufficienter propositas, siue priuatas, siue publicas. Sed iste actus fidei non est necessarius ad obtinendum miraculum: imò

neque iudicium prudentiæ absolutum, quòd hîc, & nunc adsint omnia, ad miraculum impetrandum necessaria: id est, quòd hîc, & nunc expediat illud fieri ad Dei gloriam, & hominum vtilitatem, quódque à Dei fidelitate, & prouidentia certò expectandum sit. Sufficit enim fides illa generalis de omnipotentia, & bonitate Dei, in gradu quodam intenso & heroico: & assensus conditionatus quòd hîc, & nunc, edet miraculum, si expediat, & petatur sicut oportet.

12. Fides non est inamissibilis. Dico tertiò, commentitium esse, & Scripturæ aduersum, quod hæretici dicunt, fidem propriè dictam esse inamissibilem: esse propriam electorum: esse indubitatam, certámque diuinitùs, & absolutam persuasionem de iustitia propria cuiusque, déque salute consequenda infallibiliter: eam denique solam iustificare. Nam è contrariò Scriptura docet eos, qui fide stant (vera scilicet, & iustificante) posse cadere, ipsisque, ne cadant, timendum esse: imò etiam multos cecidisse, Rom. 11. v. 20. & sequentibus: Et circa fidem naufragauisse, 1. Timoth. 1. Et euacuatos esse à Christo, excidisséque à gratia, Galat. 1. Et postquam gustauerunt donum cæleste, participésque facti sunt Spiritus sancti, prolapsos esse: quos etiam dicit, esse impossibile, id est, valde difficile, renouari ad pœnitentiam, Hebr. 6. Et denique, nonnullos post agnitam viam iustitiæ, retrò esse conuersos, quibus contigit illud veri Prouerbij, *Canis reuersus ad vomitum: Et sus lota in volutabro luti.* 2. Petri 2. Docet etiam, & hortatur fideles, cum metu, & tremore operari salutem suam, Philip. 2. v. 12. satagere que; vt per bona opera certam suam vocationem, & electionem faciant, perseuerando vsque in finem, 2. Petr. 1. Atqui repugnat credere, & confidere indubitanter, & absolutè se fore saluos; & timere, ac tremere de opposito. Timere, inquam, & tremere, non quomodocumque, sed tanquam de euentu incerto, & cuius oppositum contingit in multis, pares nobiscum promissiones, aut reuelationes habentibus; vt patet ex alijs Scripturæ locis priùs citatis. Timere casum à fide Rom. 11. v. 20. tanquam euenturum, nisi diligenter, & sollicitè attendamus, & tanquam euenientem multis alijs, quoad reuelationes, aut promissiones diuinas paribus: Et tamen indubitanter credere, atque confidere casum esse impossibilem: Idque non ob aliud fundamentum, quàm propter communes, & generales Dei promissiones. Est quoque ineptum existimare Scripturam, locis citatis, nos hortari vt dubitemus de eo, quod fide diuina certum, & indubitatum est: timeamúsque vehementer, & cum tremore ne eueniat oppositum. Docet tertiò, fidem solam non sufficere ad iustificationem, Iacob. 2. v. 24. quam etiam tribuit charitati; alijsque caussis, Ioan. 14. v. 21. & cap. 20. v. 23. & 1. Ioan. 1. v. 9. & Ezechiel. 18. v. 21. & 22. & Luc. 7. v. 27. Imò fidem sine charitate nihil esse, nihilque valere seu prodesse ad vitam æternam, Galat. 5. v. 6. & 1. Cor. 13. v. 2. Plura contra hos errores hîc obiter perstrictos diximus in tract. de Gratia, & iustificat. disp. 41. Sect. 5. & disp. 42. Sect. 1. & 2. vbi etiam præcipuis hæreticorum obiectionibus satisfecimus.

SECTIO III.

Quodnam sit subiectum, & obiectum materiale fidei Theologicæ?

13. Subiectũ duplex. Nota primò, subiecti nomine hîc intelligi, non subiectum inhæsionis, quod sine dubio est intellectus respectu fidei; sed subiectum cognitionis, & attributionis seu prædicationis: siue, vt alij loquuntur, non subiectum in quo, sed de quo est cognitio, & circa quod versatur.

Subiectũ & obiectũ quomodo differant? Nota secundò, ex Durando in Prolog. quæst. 5. num. 6. subiectum cognitionis, & obiectum, propriè loquendo in eo differre, quòd subiectum propriè est id, de quo aliquid cognoscitur, quodque in propositione subjicitur prædicato. Obiectum verò est totum id, quod cognoscitur: quod præter subiectum comprehendit prædicatum, & copulam, & motiuum assentiendi, & quidquid aliud cadit sub cognitionem. Idem enim est cognosci, & objici cognitioni: idémque est objici cognitioni, & esse obiectum cognitionis. Quare quidquid cognoscitur, Obiectum est.

14. Multiplex eorum diuisio. Nota tertiò, subiectum, vel obiectum actus, vel habitus cognoscitiui (cuiusmodi est fides) aliud esse totale, aliud partiale: & hoc in principale, & minùs principale subdiuidi. Nomine autem subiecti principalis intelligi potest, vel illud, quod dignitate præcellit omnibus alijs subiectis partialibus eiusdem scientiæ aut alterius habitus: vel illud, quod ita se habet, vt

Subiectũ principale quid sit? cætera ad ipsius cognitionem referantur, neque aliter spectentur in scientia, ex propria illius intentione, & modo, quo tradi solet, nisi quatenus conducunt ad plenam, & perfectam eius notitiam. Quo pacto corpus naturale dicitur esse subiectum principale Physicæ: quia quæcumque alia in Physicâ considerantur, sunt vel species, vel partes, vel principia, & caussæ corporis naturalis, vel naturales eius proprietates, & affectiones: eatenúsque solùm spectantur à Physico, quatenus conferunt ad plenam, & exactam notitiam corporis naturalis. Eadémque de causa subiectum illud vocatur etiam totale per attributionem, & subiectum adæquatum, partim directum, siue in recto; partim indirectum, siue in obliquo, quatenus in omnibus scientiæ propositionibus, vel est subiectum directè, & per se; vel indirectè, quia si quid aliud est subiectum alicuius propositionis, refertur ad illius cognitionem.

15. Obiectũ materiale, & formale, quid sit? Vlteriùs, quia obiectum assensus est verum, saltem apparens: nunquam enim assentimur nisi ei quod verum apparet; Notandum est quædam esse obiecta, quæ per seipsa nobis apparent vera, ob proportionem & conformitatem, quam habent per se ipsa, cum lumine intellectuali: eiusmodi sunt hæ veritates, Omne totum est maius sua parte: Impossibile est idem simul esse, & non esse: non potest idem de eodem, & secundum omnia eadem, verè simul

affirmari & negari: & aliæ eiusdem generis, quæ idcirco vocantur *per se nota*. Alia verò, vt appareant vera, & assensum obtineant, egent luce aliena, & ratione aliqua, vel motiuo assentiendi: cuiusmodi sunt v. g. multæ propositiones Mathematicæ, quæ per se apparent incredibiles, neque assensum obtinent, nisi vi principiorum per se euidentium, ex quibus deducuntur. Eiusmodi sunt etiam pleraque fidei mysteria, vt Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis mortuorum, & similia, quibus non assentiremur, nisi Deus sua reuelatione, & signis sufficientibus, fecisset ea credibilia. Nam per se sola non apparent assensu digna. Hinc oritur alia diuisio obiecti in materiale, & formale. Materiale dicitur id, cui assentimur propter aliud: formale autem id, propter quod assentimur, seu quod est alteri ratio & motiuum assentiendi. Quæ diuisio locum tantùm habet in ijs, quæ per se nota non sunt. In alijs enim non distinguitur id quod cognoscitur, à motiuo cognoscendi: quippe quæ per se ipsa sola cognoscuntur, obtinentque assensum sine alio medio seu motiuo assentiendi.

16. *Quædam sunt per se reuelata, & alia per accidens.* Nota quartò, inter ea quæ diuinitus reuelata sunt, & ad credendum proposita, quædam esse reuelata per se, id est, ex primaria, & principali intentione Dei: vt sunt ea, quæ pertinent ad Deum cognoscendum, siue provt est vnus in seipso, siue etiam provt est trinus in personis, & principium, ac finis vltimus creaturarum, præcipuéque rationalium, ab illis colendus, & amandus, atque per certa media, ab ipso constituta, obtinendus. Et hæc dicuntur constituere corpus, & veluti substantiam obiecti fidei. Alia verò sunt reuelata per accidens, ac secundariò tantùm: & vel non nisi occasione alterius; vt scilicet humano modo, & cum ornatu quodam tradantur alia per se reuelata: vel de negotijs quibusdam particularibus, quæ neque ad Dei notitiam specialiter conducunt, neque per se spectant ad negotium salutis: cuiusmodi sunt permulta in Patriarcharum & Regum historijs, aliisque libris diuinis.

17. *Subiectū fidei totale quodnam sit?* His præsuppositis, Dico primò, subiectum totale fidei Theologicæ adæquatè sumptæ complecti illud omne, de quo Deus credibiliter aliquid reuelauit: quod præter Deum, alia multa continet. Probatur, quia illud omne est subiectum fidei Theologicæ, de quo aliquid prædicatur in quacunque propositione, quæ per fidem illam creditur. Atqui tale est id omne, de quo Deus credibiliter aliquid reuelauit: Ergo, &c. Ex quo patet non tantùm Deum, sed etiam creaturas, de quibus multa sunt diuinitùs reuelata, esse subiectum fidei Theologicæ. Quod mirum est à Paludano in 3. dist. 24. quæst. 1. conclus. 2. negari potuisse: cùm sole clariùs sit multa in Scripturis de Patriarchis, & alijs viris sanctis vtriusque Testamenti, de Beata Virgine, de Ecclesia, de Sacramentis, de virtutibus, & vitijs, plurimisque alijs rebus creatis fuisse à Deo reuelata.

18. *Subiectū eius principale.* Dico secundò, Deum esse principale subiectum fidei Theologicæ, atque etiam aliquo sensu totale per attributionem. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. & alij communiter. Ratio primæ partis est, quia illud est subiectum principale alicuius doctrinæ, quod alijs eius subiectis partialibus dignitate supereminet, & in præcipuis eius propositionibus habet rationem subiecti: Deus autem est huiusmodi respectu fidei; quippe qui dignitate supereminet omnibus alijs fidei subiectis, vt per se notum est: & in præcipuis fidei propositionibus subiecti locum tenet. Nam præcipuæ fidei propositiones, quæque primò, & principaliter ad credendum proponuntur, istæ sunt & similes: Deus est; Deus est vnus in essentia, & trinus in personis; Deus est primum principium, & finis vltimus rerum omnium; Deus prouidet rebus humanis; Deus est nostrum summum bonum, & beatitudo obiectiua; Deus est factus homo, Redemptor, Glorificator, Remunerator. Quare Deus est subiectum principale fidei Theologicæ.

Secunda pars eiusdem assertionis, quòd scilicet Deus aliquo sensu sit etiam subiectum totale per attributionem respectu fidei Theologicæ, intelligenda est quoad ea, quæ per se reuelata sunt, pertinéntque ad corpus, & veluti substantiam obiecti fidei: iuxta ea, quæ diximus num. 16. Cætera enim, quæ per accidens, & secundariò tantùm reuelata fuerunt, debent ab illis segregari ad constituendum subiectum attributionis, aliquo modo, & aliqua coordinatione vnum: ita scilicet, vt omnes illius partes, & omnes propositiones, quæ de illis formantur, sint aliquo modo connexæ inter se, & bene cohærentes. Sicut omnes propositiones, quæ aliquam scientiam totalem constituunt, debent inter se connecti, & bene cohærere. Quamvis autem illa connexio non reperiatur inter omnia quomodocunque reuelata, quæ non constituunt, nisi quoddam aggregatum per accidens ex rebus tam diuersis & dissitis, nulloque modo coordinatis inter se, neque moraliter vnitis ad vnum veluti corpus subiecti constituendum; simili quodam modo, quo omnia, quæ explicantur in Logica, vel sunt tres mentis operationes, vt dirigibiles, vel ad eas dirigendas referuntur: & omnia, quæ tractantur in Physica, ordinantur per se ad notitiam corporis naturalis, velut subiecti totalis per attributionem: & sic de alijs scientiarum subiectis: Optimè tamen cohærent inter se Deus vt vnus in essentia, & trinus in personis, atque etiam vt incarnatus, & vt principium, & finis creaturarum, præcipuéque intellectualium, colendus ab illis, & obtinendus per certa media ab ipso constituta: Inter quæ media Christus principem locum obtinet; secundum, alia gratiæ auxilia, & actus boni ope illorum eliciti, leges diuinæ, virtutes, & Sacramenta. Quare Deus sub eiusmodi considerationibus potest optimè constituere, & reipsa constituit subiectum principale fidei Theologicæ, atque etiam totale per attributionem, respectu eorum, quæ per se reuelata fuerunt. Nam cætera, quæ Deus prima intentione reuelauit, eò per se tendunt, vt Deus secundum prædictas considerationes, meliùs cognoscatur, & colatur à creaturis intellectualibus, ab ijsdemque velut vltimus finis tandem obtineatur. Omnia, inquam, alia, quæ fue-

19. *Et totale per attributionē.*

runt per se reuelata, eò quodammodo referuntur, vt meliùs intelligatur, quis, & qualis, & quantus sit Deus, siue vt vnus, siue vt trinus, siue vt incarnatus; & quo modo sit amandus, & colendus, quáve ratione, & quibus medijs ipsum tandem, vt finem vltimum nostrum, & verum summum bonum, consequi valeamus: Quare Deus est subiectum principale, & totale per attributionem fidei Theologicæ. Atque idem etiam est subiectum principale, & totale per attributionem Theologiæ strictè sumptæ, vt suo loco diximus: quippe quæ fidei inseruit ad ea omnia ordinatè, & accuratè explicanda, quæ ad corpus fidei pertinent.

Cætera verò, per accidens tantùm, & secundariò reuelata, licet ad Deum aliquo modo pertineant, saltem velut illius effectus vel ab eo permissæ; non tamen ad Deum, secundum prædictas considerationes manifestandum, magis, aut propiùs faciunt; quàm ea, quæ tractantur in Physica, vel in alijs scientijs naturalibus, de rebus creatis: & reflexiones, quæ ex illis fieri possunt ad Deum cognoscendum, non sunt minùs remotæ. Quare qui propter eas vellet Deum esse subiectum totale attributionis omnium huiusmodi reuelationum, & fidei Theologicæ circa illas versantis; deberet pari iure dicere Deum esse subiectum totale attributionis Physicæ, & Moralis Philosophiæ, omniumque scientiarum naturalium: quia nihil in illis est, quod æquè referri nequeat ad naturalem Dei cognitionem, atque ea quæ per accidens reuelantur de cane Tobiæ v. g. caudâ adblandiente; vel de incestu filiarum Loth, deque rebus domesticis, & priuatis actionibus aut publicis negotijs plurimorum, quorum res gestæ narrantur in Sacris literis.

20. Obiectũ eiusdem materiale & totale. Dico tertiò Deum, & ea, quæ de ipso per reuelationem diuinam, obscurè factam cognoscuntur, esse obiectum materiale principale fidei Theologicæ: Totale verò esse, id omne, quod obscurè, & credibiliter à Deo reuelatur. Probatur, quia illud omne est obiectum materiale fidei, quod subest eius obiecto formali: Formale autem obiectum fidei est diuina reuelatio credibiliter facta, vt ostendemus infra. Ergo quidquid subest reuelationi diuinæ credibili, id est, quidquid reuelatur à Deo credibiliter, est obiectum materiale fidei. Cùm autem plurima sint à Deo reuelata, de seipso, de Angelis, de hominibus, & alijs rebus creatis; præcipua sunt in Dei, & fidei ipsius intentione, quæ de Deo sunt reuelata: vt patet ex dictis de subiecto, & mox ampliùs declarabitur refellendo contrarias opiniones. Quare Deus, & ea, quæ de ipso per reuelationem diuinam credibiliter factam cognoscuntur, sunt obiectum principale materiale fidei Theologicæ. Deus, inquam, non modò prout est vnus & trinus; sed etiam prout Incarnatus, & prout est principium, & finis vltimus creaturarum, præcipuè rationalium, ab illis colendus, & amandus, pérque certa media consequendus: iuxta ea, quæ diximus in secunda conclusione de subiecto principali fidei. Quarum considerationum prima, & magis principalis, est consideratio Dei prout in se est vnus in essentia, & trinus in personis: aliæ verò sunt secundariæ, & minùs principales.

21. Quomodo Deus est obiectũ principale fidei? Vnde collige primò, falli aliquos recentiores affirmantes Deum esse obiectum principale fidei, non secundùm se spectatum, prout est vnus & trinus, & secundùm prædicata necessaria, tam essentialia, quàm notionalia; sed solùm prout est principium, & finis creaturarum intellectualium: Falluntur, inquam; quia prior consideratio Dei prout in se est, suprema est, & nobilissima, maximéque ad fidem pertinens, & ad intentionem Dei reuelantis. Longè enim maius est Deum esse id, quod in se ipso est; quàm esse principium, aut finem creaturarum, etiam intellectualium, secundum id, quod per has denominationes additur Deo secundum se spectato. Fides quoque id primò, & præcipuè spectat: Tum quia fides Theologica est communicatio quædam, & imitatio intelligentiæ diuinæ; Dei autem intellectus habet pro primario, & præcipuo obiecto Deum, vt in se est: Tum etiam, quia fides viæ respondet lumini gloriæ, ipsique accommodatur; Idem enim creditur, quod videbitur: At lumen gloriæ præcipuè tendit in Deum, vt Deus est: indéque nos maximè reddet Beatos. Tum denique, quia Deus non intendit solùm manifestare se hominibus per fidem, prout est principium & finis, aut saluator, glorificator, &c. sed præcipuè prout est Deus, infinitus, immensus, æternus, summè sapiens, summè bonus, summè potens: quâ etiam ratione est obiectum charitatis diuinæ, & dilectionis Dei propter se, quam Deus maximè intendit, & requirit à nobis, & cuius præceptum est primum, & maximum inter Dei præcepta; Quare etiam Deus prout est illius obiectum, id est, prout in se est, magis à fide respicitur, ex intentione Dei; quàm prout est obiectum spei, id est, prout est bonus nobis. Imò & ex intentione fidei; quippe quæ conuenienter respicit obiecta spei, & charitatis, quas dirigit. Adde quòd virtus quælibet magis propensa est in nobiliorem, & meliorem partem sui obiecti; quippe quæ circa illud versatur recto, & conuenienti ordine: Virtutes enim, & maximè supernaturales, ordinatissimæ & rectissimæ sunt. Quare fides magis præcipuè tendit in Deum secundum id, quod in se est; quam prout est principium, & finis creaturarum. Ideóque meritò D. Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 20. affirmat fidei vnum, & primum, ac maximum officium esse, vt in verum credatur Deum.

22. An sub sola ratione Deitatis? Collige secundò, malè quoque de obiecto principali fidei sentire nonnullos alios, qui cum Suare disp. 2. de fide, Sect. 1. num. 5. & 7. Valentia quæst. 1. de fide, puncto 1. Ægidio Con. disp. 9. de Actibus supernatur. lib. 1. restringunt obiectum principale fidei ad Deum secundum absolutam rationem Deitatis. Quo nomine non intelligunt totum esse diuinum necessarium, includendo etiam relationes personarum diuinarum, & excludendo tantùm relationes quasdam Deo contingentes, vt quòd sit Creator, Redemptor, Glorificator; quemadmodum nonnulli eos malè interpretantur:

sed intelligunt præcisè ipsam essentiam diuinam sub ratione essentiæ; vt perspicuè liquet ex verbis Suaris num. 7. Sect. cit. Quare iuxta sententiam horum Doctorum, Trinitas personarum, & Deus quatenus est principium, & finis creaturarum, maximéque rationalium, non pertinet ad principalem fidei intentionem. Quæ restrictio displicet; propterea quòd Apostolus Heb. 11. loquens de principali & primario fidei officio, sic ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se, remunerator sit.* Et D. Augustinus lib. 11. de Ciuit. cap. 2. dicit finem totius fidei esse, vt ad Deum perueniatur. Et S. Thomas 1. parte, quæst. 2. in præfat. asserit principalem intentionem sacræ doctrinæ esse, Dei cognitionem tradere: & non solùm secundùm quod in se est, quoad essentiam, & personas; sed etiam secundùm quod est principium rerum, & finis earum, & specialiter creaturæ rationalis. Eadem autem est intentio fidei, & sacræ doctrinæ, seu Theologiæ, quæ fidei seruit, & tota circa eius mysteria explicanda versatur. Deinde fides ex principali suo munere est fundamentum spei, & charitatis, & dux viæ, seu vitæ christianæ, ad quam rectè dirigendam principaliter tendit. Spes autem versatur primò & principaliter circa Deum, vt bonum nostrum est, & finis noster vltimus. Et viatorum principale officium est, non contemplari solùm, sed ire & tendere ad viæ terminum. Vita quoque christiana non consistit principaliter in sola Dei contemplatione prout in se est; sed & in multis officijs circa ipsum exercendis, quorum fundamentum est Deus, prout principium, & finis noster est. Nam quia Deus est primum principium nostri esse; debemus eum summè colere, & amare. Hinc etiam Ius habet præcipiendi, & exigendi à nobis quidquid vult. Quia verò est noster finis vltimus; debemus nos & nostra omnia ad ipsum referre, mediáque amplecti necessaria ad eum consequendum. Quare ad præcipuum munus fidei pertinet Deum cognoscere secundum illas rationes, quæ ad spei, & viæ, ac vitæ Christianæ statum principaliter pertinent. Fides enim debet illis esse accommodata, velut earum dux & fundamentum.

Respondetur negatiuè.

23\. Refellitur opinio contraria.

Nec vrget quod præcipuè opponit Suarez; Deum, secundum rationem Deitatis, esse primarium & essentiale obiectum beatitudinis, ac visionis Dei: Ergo & fidei: Tum quia fidei, visio succedit: tum etiam, quia fides, & visio habent idem obiectum primarium, variatâ tantùm ratione clari, & obscuri: Item, quidquid per fidem reuelatur, ad hoc ordinatur, vt Deus secundum se, & secundum absolutam rationem suam, perfectiùs cognoscatur, iuxta capacitatem præsentis status: Ergo Deus secundùm absolutam rationem Deitatis, est obiectum materiale præcipuum fidei Theologicæ. Respondeo enim ad primum, Deum non modò secundum Deitatem, sed & secundum Trinitatem, atque etiam prout est bonum nostrum, pertinere ad obiectum primarium, & essentiale beatitudinis: quâ postremâ ratione attingitur per possessionem, & fruitionem, spei viæ respondentem, tanquam primarium eius obiectum: Status autem essentialis gloriæ, respondet statui essentiali iustificationis viæ, qui constituitur habitibus fidei, spei, & charitatis. Ad secundum respondeo, non omnia reuelata eò tantùm referri: sed fidem per se, ac præcipuè vtramque Dei cognitionem intendere, qualis scilicet est in seipso, & qualis est respectu nostri, ad quam postremam considerationem multò plura fidei dogmata pertinent; vt videre est in Scriptura, & traditionibus, atque in ipsâ doctrina Theologica, cuius officium est mysteria fidei distinctiùs proponere. Et quidem D. Thom. postquam. 1. parte à quæst. 2. ad 45. exposuit quæ ad Deum pertinent, vt in se ipso est secundum Essentiam, & Trinitatem personarum; reliquum ferè Summæ Theologicæ impendit in cognitionem Dei, vt est principium & finis creaturarum, maximéque rationalium, ac mediorum, per quæ ad ipsum, vt finem vltimum tendendum est. Concludo itaque Deum secundum vtramque considerationem ad principale fidei obiectum pertinere.

Idem Suarez, eâdem disp. Sect. 2. num. 2. & 3. affirmat omne à Deo reuelabile, comprehendi sub obiecto materiali adæquato fidei. Quia quidquid potest fide diuinâ credi, est obiectum fidei Theologicæ: Sed omne à Deo reuelabile potest fide diuinâ credi: Ergo, &c. Verùm aliud est, posse comprehendi sub obiecto fidei. & aliud, reipsâ comprehendi: Aliud, inquam, est posse esse obiectum materiale fidei; & aliud, esse reipsa obiectum materiale fidei. Ad primum sufficit esse reuelabile, seu posse reuelari credibiliter. Ad secundum requiritur esse actu reuelatum: Sicut, vt aliquid sit obiectum visus, non sufficit posse esse coloratum, sed debet esse actu tale. Nos autem loquimur de obiecto fidei quod est; seu de eo quod est obiectum materiale fidei; non autem de eo, quod tantùm esse potest. Ad argumentum verò Suaris sic respondeo; Quidquid potest fide diuinâ credi, est obiectum fidei: distinguo: Quidquid potest proximè & completè, concedo: remotè tantùm, quia scilicet tantùm potest credibiliter reuelari: nego. Sed omne à Deo reuelabile potest fide diuinâ credi: distinguo: potentiâ proximâ, & completâ, nego: remotâ, vel proximâ, concedo: & nego consequentiam.

24\. Non omne reuelabile est obiectum fidei.

Porro licet non omnia reuelata æquè primò & principaliter ad fidem pertineant, vt suprà ostendimus; sunt tamen omnia æquè digna assensu fidei certissimo, qui fundatur in Dei reuelatione, & auctoritate sufficienter propositâ. Quæ quidquid reuelet, æqualis est, & æqualiter fide digna, postquam certò constat Deum reuelâsse: Credibilitas enim & certitudo fidei non petitur ex materia reuelata, quæ sæpissime contingens est; sed ex auctoritate Dei reuelantis, quæ in omnibus æqualis est, & æquè infallibilis, ac digna assensu propter se.

25\. Omnia reuelata sũt æquè digna fide.



SECTIO IV.

Quodnam sit obiectum formale fidei?

26. Obiectũ formale quid sit? NOmine obiecti formalis intelligo id, quod ex parte obiecti, & per modum obiecti, nos mouet ad præbendum assensum fidei rebus à Deo reuelatis: Ea enim est communis acceptio huius vocis apud Theologos, & Philosophos, vt obiectum formale significet motiuum assensus, id est, id quod est alteri obiecto motiuum assentiendi. Materiale verò, id cui est motiuum. Nec moror aliquos, qui contendunt obiectum formale debere potiùs dici id omne, quod formaliter, id est, secundum se, & secundum suam formam seu entitatem objicitur cognitioni, siue propter aliud tanquam motiuum cognoscatur, siue non: Licet enim aliquo sensu illud omne, quod formaliter, hoc est, secundum se objicitur, possit dici obiectum formale: specialiter tamen sic appellatur id, quod non tantùm secundum se objicitur; Verùm etiam est alteri motiuum, & ratio, ac veluti forma constituens in esse obiecti cognoscibilis.

Hoc præsupposito, respondeo tria esse, quæ nos mouent ad præbendum assensum fidei Theologicæ: videlicet testimonium Dei reuelantis; argumenta quibus Deus sufficienter credibile facit se reuelare; & veracitatem diuinam dignissimam cui credatur. Ex quibus tribus constituitur vnum integrum, & adæquatum obiectum formale fidei Theologicæ, quod sic breuiter describi potest: Est testimonium diuinum sufficienter propositum, vt diuinum

S. Thom. & credibile. Vel, vt loquitur S. Thom. quæst. 1. art. 1. Obiectum formale fidei nihil est aliud, quàm veritas prima: reuelans scilicet cum sufficienti credibilitate. Quod vt clariùs explicetur,

27. Testimonium Dei est in obiecto formali fidei. Dico primò, reuelationem diuinam, siue testimonium Dei asserentis id quod proponitur ad credendum, esse in motiuo formali fidei Theologicæ. Probatur primò ex Scriptura, quæ nos inducit ad credendum propter Dei testimonium, exigitque vt assentiamur veritatibus fidei, ideo quia Deus eas reuelauit. 1. Ioan. 5. v. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est:* id est, si propter hominum testimonium mouemur, vt credamus quæ ab illis dicuntur, illudque acceptamus tanquam dignum assensu: multò æquius est moueri nos testimonio Dei, quod est maioris auctoritatis, propter infinitam ipsius maiestatem, & veracitatem: Quod autem mouet ad credendum, est motiuum, & obiectum formale. Secundò Scriptura Ioan. 3. & 1. Thess. 2. & 1. Ioan. 5. & Hebr. 6. v. 18. alibique passim, ait credentes suscipere verbum Dei, accipere illius testimonium, credere verbo Dei, & significare ipso actu credendi, Deum esse veracem, firmissimumque habere solatium, eò quod Deus mentiri non possit. Nimirum quia verbo, seu testimonio, & veracitate diuinâ infallibili, mouentur vt credant. Et Gen. 15. v. 6. Rom. 4. v. 3. alijsque locis dicuntur fideles credere Deo: Credere autem alicui, idem est, ac moueri eius testimonio, & auctoritate ad assentiendum ei, quod dicit; siue assentiri propter ipsum. Ergo illius testimonium, & auctoritas est obiectum formale talis assensus: Nam illud est obiectum formale respectu assensus, quod est ratio, & motiuum, siue medium nos mouens ad assensum. Notandum verò est, prædicta Scripturæ testimonia absolutè prolata, debere accipi in sensu proprijssimo, & amplissimo, quantùm fieri potest, ac non temerè restringi: ita nimirum, vt fides vniuersaliter, & semper, atque in omni, & quolibet actu assentiatur propter verbum Dei: vt etiam affirmat D. Thomas verbis paulo post referendis num. 31. cui cæteri Theologi assentiuntur. Quomodo autem id verum sit de assensu etiam illo, quo credimus Deum esse, aut veracem esse; atque ita nec ille ab hac generali assertione excipi iure possit, dicemus Sectione sequenti.

Confirmatur, quia intellectus, vt patet experientiâ, nunquam assentitur, nisi ei, quod vel per se immediatè; vel per aliud, ipsi verum apparet: Vnde huic propositioni, *Astra sunt numero pari*, non possumus assentiri; quia neque per se; id est, ex solis eius terminis, aut rei significatæ apprehensione, apparet vera: neque intellectui occurrit aliquid aliud, propter quod vera esse videatur. Quando autem aliquid apparet verum per aliud; hoc illi est ratio assentiendi, seu motiuum, id est, medium mouens intellectum ad illius assensum. Et quoties aliquid non apparet per se verum, eget aliquo alio, tanquam motiuo, & medio impellente intellectum ad assensum: Atqui res fidei sunt plerúmque per se ignotæ, & non credibiles ex terminis solis, vt Trinitas, Incarnatio, Eucharistia, Resurrectio mortuorum: Et omnes quotquot sunt, prout creduntur fide diuinâ, non obtinent assensum propter se, sed propter Dei testimonium sufficienter propositum. Ergo Dei testimonium est illis motiuum, adeóque obiectum formale. 28.

Porro Dei testimonium, seu reuelatio nos mouens ad credendum, non est solùm interna Dei locutio, siue indicium, quo Deus iudicat interiùs, & dicit apud se per verbum mentis, id est, cognoscit assertiuè verum esse id, quod reuelat: sed addit aliquid externum, & creatum, per quod Deus patefacit id, quod reuelat Angelis, vel hominibus; siue interiùs solùm spiritaliter illis loquendo per inspirationes, & specierum impressionem, piasque motiones; siue etiam sensibiliter, & per externa signa testificando: vt rectè docet Ægidius Coninck disp. 9. dub. 4. concl. 2. num. 40. post Valent. quæst. 1. de fide, punct. 1. assert. 2. §. *Sed hinc oritur:* qui etiam nobiscum affirmant id totum habere rationem obiecti formalis respectu assensus fidei. Ratio Ægidij est, quia ad obiectum formale fidei requiritur vera Dei testificatio, quâ nobis aliquid reuelet, siue dicat, & testificetur: Atqui sola interna locutio, siue iudicium Dei apud se, nisi accedat aliqua externa operatio, quâ Dei conceptus possit nobis innotescere, nequit respectu nostri esse 29. Quid sit illud testimonium?

vera

vera testificatio, neque Deus per illam potest dici nobis aliquid dicere, & testificari. Ergo sine illo signo, vel operatione Dei externa, non potest esse obiectum formale fidei. Confirmatur, quia illud totum est obiectum formale fidei, quod est proprium motiuum credendi: sicut obiectum formale in scientia, vel in opinione, est id, quod est motiuum sciendi, vel opinandi. Atqui proprium motiuum credendi fide diuinâ, non est Deus vtcumque, sed vt dicens & testificans. Ergo vt sic, est obiectum formale fidei.

30. Veracitas diuina est etiam in formali obiecto.

Dico secundò, Dei veracitatem esse quoque in obiecto formali fidei, tanquam motiuum, propter quod assentimur ipsius testimonio. Ratio est, quia ideo alicui testificanti creditur, quia existimatur verè testificari. Alioqui enim ipsius testimonium non mouet ad credendum. Ergo veracitas testificantis est motiuum, seu ratio, cur credatur ipsius testimonio: sicut testificatio est motiuum, & ratio, cur credatur rés testificata. Quare veracitas in testificando est motiuum, & obiectum formale partiale in quocumque fidei assensu. Confirmatur, ex Scriptura, quæ idcirco à nobis exigit vt Deo credamus, quia Deus verax est, 1. Ioan. 5. v. 9. Et Ioan. 3. v. 33. *Qui accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est:* nimirum, quoniam ideo credit, quia putat Deum esse veracem, ipsoque suo actu credendi id significat. Idem etiam patet experientiâ: Neque enim aliter mouemur ad credendum fide diuina Deum esse trinum v. g. nisi quia Deus reuelauit, & quia Deus verax est. Ita vt fidei assensus æquiualeat huic discursui: Quidquid Deus reuelauit, est verum: sed Deus reuelauit se esse trinum. Ergo verum est, Deum esse trinum.

31. Probatur ex S. Thoma.

In hunc sensum interpretor quod ait S. Thom. quæst. 1. art. 1. in corp. *Sic igitur*, inquit, *in fide si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud, quàm veritas prima*, reuelans scilicet credibiliter. Non enim fides, de qua *loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo reuelatum. Vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio.* Hæc S. Thomas. Vbi diligenter aduertendum est quod ait, ***Fidem non assentiri alicui, nisi quia est à Deo reuelatum.*** His enim verbis manifestè contradicit illi qui diceret, fidem diuinam seu Theologicam (de qua loquitur) assentiri alicui (putà existentiæ diuinæ) non quia est à Deo reuelatum, sed propter aspectum creaturarum, aut aliquid aliud. Et art. 3. eiusdem quæst. in qua tractat ex professo de obiecto fidei, non minùs perspicuè affirmat veritatem diuinam reuelantem, esse motiuum generalissimum fidei, absque vlla exceptione; cum probat fidei falsum subesse non posse, quia *ratio formalis obiecti fidei est veritas prima: vnde nihil potest cadere sub fidem, nisi inquantum stat sub veritate prima, sub qua nullum falsum stare potest, sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate.* Quare sicut generalissimè verum est non posse fidei diuinæ falsum subesse: generalissimè pariter verum est non posse quicquam subesse fidei nisi sub prima veritate: iuxta doctrinam D. Thomæ. Nomine autem primæ veritatis intelligit supremam Dei veracitatem, & auctoritatem in testificando. Notandum enim veritatem quadrupliciter sumi. Primò, pro veritate in essendo; quæ cum ente conuertitur, & in eo consistit, quòd quælibet res sit talis essentialiter, qualis debet esse: Sicut bonitas entis consistit in eo quòd res sit tanta, seu tàm perfecta essentialiter, quàm debet esse. Secundò, sumitur pro veritate in cognoscendo: quæ est conformitas assensus, aut dissensus, cum obiecto. Tertiò, pro veritate in dicendo: quæ est conformitas locutionis externæ cum mente, seu iudicio interno, opposita mendacio: dicitúrque veracitas: quanquam potiùs veracitas significat virtutem voluntatis, & affectum dicendi verum, seu loquendi conformiter cum assensu interno. Quartò denique, sumitur pro complexo ex veritate in cognoscendo, & in dicendo: quâ scilicet quis & rectè iudicat de obiecto, & loquitur vt sentit. Vtrumque autem ad conciliandam testimonio auctoritatem, necessarium est. Vnde tàm illi, qui crebrò falluntur, malè concipiendo ea, quæ testificantur; quàm illi, qui alios fallunt mentiendo, id est, contra mentem loquendo, habentur fide indigni.

Cum igitur veracitas, & auctoritas testificantis, quæ mouet ad assentiendum ipsius testimonio, duo includat necessariò, in re ipsa, vel in credentis existimatione: primum, vt testificans non fallatur: secundum, vt non fallat, nec voluntariè alios decipiat: primum pertinet ad veritatem in cognoscendo, oppositam falsitati mentali. Secundum, ad veritatem in dicendo, oppositam mendacio. Item, primum pertinet ad sapientiam, & rectitudinem intellectus: secundum, ad bonitatem, & rectitudinem voluntatis. Ad sapientiam enim spectat, vt intellectus cognoscat rem sicuti est. Ad bonitatem, vt sincerè loquatur, & sine fraude, vel mendacio. Vtraque virtus in Deo summa est, qui pro sua sapientia, seu scientia infinita, cognoscit euidenter vnumquodque sicuti est: & pro summa bonitate mentiri non potest, neque fallere. Ac sicut est primum ens, & prima veritas in essendo, id est, summum, & perfectissimum ens, includens omnem essendi perfectionem possibilem in creaturis, & quidem infinitè eminentiùs: ita est prima veritas in cognoscendo, & prima veritas in dicendo, id est, summa & perfectissima, includens omnem perfectionem in genere cognitionis, & veracitatis, suâ infinitâ sapientiâ & bonitate. Ita vt neque alios fallere possit, quia summè bonus est: neque falli ipsemet; quia infinitè & perfectissimè sapiens & intelligens est. In quo differt ab hominibus, & Angelis, qui spectati naturaliter, falli possunt, & fallere. Hinc oritur obiectiuè summa fidei certitudo. Nam conditio testificantium, & diuersitas in eo genere, plurimùm facit ad diuersimodè assentiendum. Ex. g. homini, de cuius sapientia in iudicando, & bonitate, ac veracitate in loquendo, mihi certò constat, assentior sine dubitatione: alteri, de quo non certò constat, non assentior sine formidine; Deo verò certissimè assentimur, quia certissimum nobis est ipsum neque falli posse, neque fallere.

Confirmatur ratione.

32. Dico tertiò: vt certò assentiamur veritatibus

Argumẽtaquoque credibilitatis ad illud pertinent.

à Deo reuelatis propter ipsius testimonium, debet nobis certò constare Deum esse testificatum. Quare argumenta credibilitatis, quibus id nobis certò constat, sunt in obiecto formali fidei, tanquam motiuum assentiendi fide diuina. Prima pars est Suaris disp.3. Sect.12. num. 7. post D. Thomam, Scotum, Marsilium, Capreol. Caiet. & alios ibidem citatos. Ratio eiusdem auctoris est, quia, inquit, necessarium est, vt qui credit res à Deo reuelatas, quia Deus reuelauit, certò etiam teneat saltem æquali certitudine, Deum reuelasse. Neque enim potest firmiùs credere rem dictam, quia dicta est; quàm credat ipsam esse dictam: vt patet experientiâ, & ratione. Hoc enim est fundamentum illius: & non potest esse firmius ædificium, quàm fundamentum; nec conclusio, quam præmissæ propter quas præbetur illi assensus. Vnde si quis dubitat v. g. an Deus reuelauerit Verbum diuinum esse incarnatum; non potest esse certus, vi reuelationis, quòd verbum diuinum sit incarnatum. Non enim potest assentiri certò propter reuelationem ei, quod sibi proponitur tamquam à Deo reuelatum; si dubitat an re verâ Deus id reuelauerit.

33. Quomodo per ea constat Deum dixisse?

Dupliciter autem constare potest Deum reuelâsse. Primò euidenter, ita vt per se, vel per aliud, euidens sit Deum esse restificatum. Et hic modus est minùs consentaneus naturæ fidei: quippe obscuræ: Imò positâ euidentiâ alterius principij, quòd Deus, qui reuelat, non posset falli, neque fallere, fides stare non potest. Tunc enim scitur euidenter id, quod ex vtroque principio deducitur: non minùs quàm conclusio deducta euidenter ex præmissis euidentibus. Posterior modus est, si neque per se, neque per aliud, sit euidens Deum esse testificatum. Et tunc debet esse aliter cognoscibile; vel tanquam credibile, vel tanquam opinabile. Ad fidem autem, quæ est assensus certus & indubitatus, non sufficit esse opinabile; sed requiritur, vt sit credibile, id est, dignum assensu certo, quamvis ineuidenti. Non est autem facilè credendum, & pro certo habendum, Deum quidpiam testificatum esse: præsertim quia veritates fidei Christianæ pleræque sunt supra credulitatem, nisi diuino testimonio fiant credibiles. Quantóque magis sunt ipsæ difficiles: tantò æquiùs est, vt firmis & solidis argumentis credibile reddatur, Deum eas reuelâsse. Alioqui iure non æstimatur credibile, id quod ita suprà captum humanum est, vt per se incredibile appareat. Adde quòd generatim *qui credit citò, leuis est corde*, Ecclesiastici 19. v. 4. Et non desunt multi, cùm homines, tùm spiritus, qui possunt fingere Deum locutum esse: iuxta illud de falsis Prophetis, Hierem. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Quare neque tutum, neque conueniens est, vt sine certo argumento credatur Deum reuelâsse: cùm periculum sit, ne aliquid Deo tribuatur, quod ab illo alienum est. Ideóque Deus quotiescumque siue per se immediatè, siue per alios, obscurè reuelauit: adhibuit signa interna, vel externa, quæ sufficerent ad fidem faciendam. Et huiusmodi signa constituunt reuelationem in esse sufficientis; & credibilis: quia sine illis non est credibilis, neque sufficiens ad generandum assensum certum & indubitatum: per illa verò fit credibilis & sufficiens.

Vnde sequitur secunda pars conclusionis, quòd nimirum huiusmodi signa, siue argumenta credibilitatis, pertineant ad obiectum formale, id est, ad integrum motiuum credendi. 34. Probatur ratione. Etenim impossibile est assensum intellectus ferri in aliquid planè obscurum: quia quod planè obscurum est, planè ignotum est. Quare necessaria est in obiecto aliqua euidentia: vel simplex, si est obiectum scientiæ: vel euidentia credibilitatis, si est obiectum fidei: vel euidentia probabilitatis, si est obiectum opinionis. Quam euidentiam cognoscat intellectus, & ab ea moueatur ad præbendum assensum. Ideóque huiusmodi euidentia est in obiecto ratio motiua assentiendi: pertinétque ad substantiam obiecti, quod non sine illa, nec nisi per illam fit euidens & cognoscibile. Atqui reuelatio diuina, præcisè sumpta ab omnibus signis & argumentis credibilitatis, est planè obscura: fit autem euidenter credibilis, per argumenta & signa illa diuina. Ergo huiusmodi argumenta sunt de substantia obiecti cognitionis fidei, tanquam ratio formalis & motiuum talis assensus. Confirmatur, quia id per quod aliquid constituitur ex parte obiecti, in esse obiecti credibilis, est ratio formalis illius, vt obiecti credibilis. Atqui reuelatio constituitur in esse obiecti credibilis per argumenta credibilitatis, & illa sunt quæ obiectiuè mouent nos, vt credamus Deum reuelâsse. Ergo, &c. Tertiò, Idcirco testimonium seu reuelatio diuina est in substantia obiecti fidei, tanquam ratio formalis illius, quia fides non assentitur alicui, nisi quia Deus id reuelauit. Atqui Deum reuelâsse non cognoscitur nisi per argumenta credibilitatis, & sine illis non est credibile. Ergo argumenta credibilitatis sunt in substantia obiecti fidei, quâ creditur Deum reuelâsse, suntque ratio formalis id credendi. Confirmatur denique, quia non minùs est ignota reuelatio, sine ratione credibilitatis; quàm id quod reuelatum est, sine reuelatione. Quare si potest credi reuelatio, absque eo quòd cognoscatur per eundem actum ratio credibilitatis: non apparet cur pariter credi non possit id, quod reuelatum est, absque eo quòd cognoscatur per actum fidei Deum reuelâsse. Sicut ergo fides habet pro obiecto partiali reuelationem diuinam, tanquam rationem formalem credendi id, quod reuelatum est: ita & rationem credibilitatis, quâ fit credibile Deum reuelâsse, & sine qua non est credibile.

Huic doctrinæ fauet apertè S. Thomas quæst. 2. art. 1. ad 1. Vbi dicit fidem *habere inquisitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum: puta, quia sunt dicta à Deo, & miraculis confirmata.* Vbi nota S. Thomam vtramque inquisitionem ipsi fidei æquè tribuere: nempe inquisitionem diuinæ reuelationis, & confirmationis per miracula. Et quæst.1. art.4. ad 2. requirit in motiuo credendi euidentiam credibilitatis; cùm ait, ea, quæ creduntur, esse credenti visa sub communi ratione, seu consideratione credibilis: *Non enim crederet*, inquit, 35. Et auctoritate D. Thomæ.

nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi. Neque est indignum fide diuinâ, vt habeat pro parte obiecti miracula, & opera diuina, quæ ideo fiunt diuinitùs, vt credibile constituatur quòd Deus sit testificatus: iuxta illud Ioan. 10. v. 25. *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me:* Et v. 37. & 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: etsi mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et cap. 14. v. 11. & 12. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite.* Id autem, propter quod creditur, est motiuum credendi. Et Christus sine dubio loquitur de fide diuina, quam exigebat à Iudæis. Quare opera supernaturalia, facta in confirmationem testimonij diuini sunt motiua ad credendum ipsâ fide diuinâ. Per eadémque opera testatur Deus, & confirmat se loqui: iuxta illud Hebr. 2. v. 4. *Contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Et Marci vlt. v. vlt. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:* Illis videlicet, de quibus antè dixerat v. 18. *In nomine meo dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Ex quibus & similibus Scripturæ locis, intelligimus duplex esse testimonium Dei. Vnum verbale, consistens in eo quòd Deus dixerit simpliciter: alterum est testimonium operis, quod Deus adhibet ad attestandum, & confirmandum testimonium verbale, tanquam illo notius, & illustrius. Et hoc per se fide dignum est, valétque ad reddendum credibile testimonium verbale quoad esse, id est, ad certò persuadendum quòd Deus loquutus sit: quomodo scilicet fiunt v.g. multa, & illustria miracula, quæ euidenter credibile est non fieri ab alio, quàm à virtute diuina, ad confirmandum Deum dixisse; & doctrinam, quæ proponitur, esse à Deo, qui non potest attestari falsitati per opera illa supernaturalia.

Testimonium duplex: oris, & operis.

36. Cur & quomodo cognoscitur Deum esse veracem?

Dico quartò, vt fide diuinâ certò assentiamur rebus à Deo reuelatis, non sufficit certò cognoscere Deum reuelasse, nisi etiam certò cognoscamus Deum esse veracem, & pro sua infinita sapientia & bonitate non posse falli neque fallere in testificando. Duobus autem modis potest id nobis certò constare. Primò quidem, solo lumine naturali, per argumenta scilicet naturalia, quibus certò vel etiam euidenter cognoscimus Deum esse ens supremum, & perfectissimum in omni genere perfectionis: adeóque esse perfectissimè intelligentem, & veracem: ita vt neque falli possit, cognoscendo res aliter quàm sint: neque mentiri, asserendo res aliter quàm cognoscit. Et hic modus, licet vtcunque inseruire possit fidei supernaturali, vt ostendimus alibi, tomo 1. disput. 2. Sect. 2. Non tamen sufficit; sed opus est vt id cognoscatur lumine altiore, id est, per illustrationem & adiutorium Spiritus sancti, quo iuuatur intellectus ex parte principij ad perfectiùs cognoscendam, & apprehendendam maiestatem Dei reuelantis, dignissimam vt ei credatur multò magis quàm quibuscumque alijs quippiam affirmantibus: iuxta illud 1. Ioan. 5. v. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* Hac enim illustratione, & speciali adiutorio Spiritus sancti debere necessariò nos semper iuuari quotiescunque fide diuina credimus & sicut oportet ad salutem, certum est, & definitum à Tridentino Sess. 6. can. 3. longéque antea ab Arausicano can. 6. & 7. & à Mileuitano can. 4. Idemque adiutorium Spiritus sancti iuuat quoque nos ad meliùs percipiendam vim argumentorum credibilitatis, quæ Deus exhibet vt potenter persuadeat se reuelare vt Deum & summè veracem. Si enim argumenta illa sunt opera quædam externa, vt miracula: Deus ijsdem operibus mirabilibus, & Dei proprijs, quibus ostendit se reuelare, ostendit pariter se Deum esse, summè potentem, & summè perfectum; ideóque summè veracem, cuius supremæ auctoritati debemus nos planè submittere. Sin autem sunt illuminationes, inspirationes, & motiones solùm internæ: Deus per eas patefacit intellectui credibiliter se reuelare vt Deum, hoc est, vt ens supremæ auctoritatis & summæ veracitatis: Signa enim reuelationis sufficientia ad assensum fidei supernaturalis eliciendum, siue interna sint, siue externa, debent sufficienter ostendere supremam & diuinam auctoritatem testificari, tanquam effectus proprij entis supremi & perfectissimi, tam mirabiliter & potenter in mentem illabentis, vel exteriùs operantis. Quare eadem argumenta quæ credibiliter ostendunt testimonium illud esse diuinum, ostendunt quoque esse summæ auctoritatis, & summè credibile.

Supposito autem quòd nobis certò constet Deum reuelare, & esse perfectissimè veracem; certum pariter est eius reuelationem fide certissimâ dignam esse. Quare ex parte obiecti nihil amplius requiritur vt certus assensus illi præbeatur. Atque ita fides in id tandem resoluitur. Ita vt analysis seu resolutio fidei sit eiusmodi: Credo v.g. Deum esse trinum, quia Deus id reuelauit, & sufficientibus argumentis credibile fecit se reuelare. Deo autem reuelanti credo, quia Deus summè verax est, ita vt neque falli possit, neque fallere in cognoscendo, & reuelando. Et in hoc est quies. Nam per se notum est credendum esse taliter reuelanti: neque potest quisquam sanæ mentis de eo dubitare.

37. Quænam sit analysis fidei?

SECTIO V.

Respondetur argumentis primæ opinionis aduersæ.

38. Affirmant aliqui fidem immediatè assentiri rebus à Deo reuelatis.

Contra id quod diximus de formali obiecto fidei senserunt aliqui relati à Suare disputat. 3. de fide, Sect. 3. affirmantes, Fidem habitualem, per se immediatè assentiri veritatibus à Deo reuelatis, & non propter aliud quod sit illis motiuum, & obiectum formale: sicut

lumen intellectuale assentitur immediatè veritatibus naturalibus per se notis. Primum huius opinionis argumentum est, quia testimonium diuinum includit aliquid creatum, per quod Deus loquitur ad extra, & reuelat hominibus, vel Angelis: Ergo testimonium diuinum non est obiectum formale fidei, quæ est virtus Theologica, & in solo Deo fundari debet. Secundò, fide diuinâ credimus Deum esse: & non, quia ipse hoc dicit: tum quia ridiculum est credere aliquem esse, quia ipse dicit se esse: tum etiam quia dicere, inuoluit esse: Ergo qui cognoscit Deum dicere, cognoscit hoc ipso Deum esse: & qui assentitur Deum esse, quia Deus dicit, assentitur Deum esse, quia est; quod est idem per idem cognoscere. Hoc autem est absurdum, & inutile, adeóque indignum fide diuinâ & supernaturali. Tertiò, fide diuinâ credimus Deum reuelâsse mysteria fidei. Hoc autem non credimus propter aliam reuelationem: quia sic procederetur in infinitum. Ergo diuina reuelatio non est obiectum formale cuiuslibet assensus fidei. Quartò, credimus fide diuinâ Deum esse veracem. Hoc autem non credimus, quia ipse dixit, & quia ipse verax est: sic enim fieret circulus nugatorius, indignus fide diuinâ: crederem enim Deum esse veracem, quia verax est. Ergo diuina reuelatio & veracitas non est obiectum formale talis assensus fidei: Esto, reuelatio sit conditio, sine qua non assentiretur lumen fidei rebus à Deo reuelatis: sicut propinquitas inter agens & patiens, est conditio ad agendum: & debita distantia obiecti visibilis, est conditio ad videndum.

39. Impugnatur hæc opinio.

Sed contrà: primò, non omnes qui credunt, habent lumen habituale antequam credant. Nam adulti, qui per proprium actum fidei se disponunt ad infusionem habitus, priùs naturâ credunt, quàm recipiant habitum. Ergo illi non credunt per immediatam applicationem luminis fidei, siue habitus supernaturalis, ad rem reuelatam, propter se solùm cognitam. Secundò, si reuelatio diuina esset tantùm conditio, sine qua non: oporteret res fidei esse vel per seipsas, vel aliunde sufficienter credibiles habenti lumen fidei, id est, fidem habitualem: quod est manifestè falsum, & contra experientiam. Nam baptizatus in infantia, veniens ad adultam ætatem, tametsi habet fidem habitualem, non credit nisi moueatur Dei reuelatione sufficienter cognitâ, præsertim mysteria rationem superantia, Trinitatis, Incarnationis, & similia, quæ potiùs per se apparent incredibilia, nec aliunde habent vt credi possint, quàm à testimonio diuino sufficienter proposito. Quare cùm Dei testimonium constituat formaliter credibile id quod reuelatum est, & sine eo non sit credibile: consequens est vt sit formale obiectum, & non tantùm conditio sine qua non. Confirmatur, quia id per quod veluti medium cognitionis, seu motiuum cognoscendi, aliquid cognoscitur, est in substantia obiecti quod cognoscitur, quatenus cognitione illâ cognoscitur: quia non attingitur tali cognitione, nisi quatenus est cognoscibile per tale motiuum. Atqui testimonium Dei est huiusmodi, respectu eorum, quæ creduntur quia ab ipso dicta & reuelata, quatenus sic creduntur: Ergo, &c. Et sicut præmissæ sunt ratio formalis obiectiua assentiendi conclusioni, quæ non cognoscitur, nisi vt ex illis deducta: sic testimonium diuinum est ratio formalis assentiendi per fidem, ijs quibus non assentimur, nisi quia à Deo sunt reuelata, & per eius reuelationem fiunt credibilia. Tertiò, Opinio prædicta seipsam destruit. Tum quia quædam eius argumenta æquè probarent nequidem Dei testimonium, & veracitatem esse conditionem sine qua non: ne idem sibi ipsi præsupponatur, aut ne abeatur in infinitum: tum etiam quia, id quod se tenet ex parte obiecti; & tale est, vt sine ipso præcognito non possimus alteri assentiri; est medium & motiuum respectu illius: adeóque est obiectum formale. Idémque est esse tali modo conditionem sine qua non, & esse obiectum formale. Atqui reuelatio diuina, & veracitas, sunt huiusmodi: quippe quæ nisi præcognoscantur, non possumus assentiri rebus à Deo reuelatis, vt talibus: Ergo, &c.

Ad primum argumentum illius opinionis respondeo, non esse indignum fide diuinâ vt nitatur testimonio diuino tanquam formali obiecto: quippe quod totum, opus diuinum est, dignúmque assensu supernaturali. Neque propterea desinit fides esse virtus Theologica: quippe fundata in Deo testificante, vt motiuo formali: Etsi non in Deo per se solùm & præcisè spectato: quia vt sic non mouet ad credendum, sed vt testificans credibiliter. 40. Soluuntur eius argumenta.

Quomodo cognoscitur Deum esse, quia ipse dicit?

Ad secundum respondeo, non esse ridiculum, sed experientiâ notum, & frequenter vsitatum, assentiri aliquem esse, quia ipse dicit se esse, aut signo aliquo sufficienti id significat. Sic enim v.g. amicum in loco tenebricoso existentem, & non aliunde apparentem, cognoscimus esse, & adesse; quia ipse id affirmat. Sic Christus Discipulis sæpius affirmauit, *Ego sum*; & Tobias credidit Raphaëli testificanti se esse Angelum. Et quamvis in eo quod est Deum dicere, inuoluatur Deum esse: quia Deum dicere, idem est ac, Deum esse dicentem: & quando cognosco Deum dicere, tam cognosco expresè illo actu Deum esse, quàm cognosco expresè Deum esse dicentem, id est, existere dicentem: Nam in propositionibus de tertio adiacente contingente, copula prædicati cum subiecto significat existentiam; vt docent Dialectici: Vnde valet illatio à propositione de tertio adiacente contingente, ad propositionem de secundo; vt Petrus est albus: Ergo est. Paulus loquitur: Ergo est. Licet, inquam, qui cognoscit Deum dicere, cognoscat hoc ipso Deum esse; non tamen idem omnino cognoscitur in obiecto materiali, & formali: neque idem per idem omninò. Nam obiectum formale est, *Deus dicit*, siue, *est dicens*. Materiale autem, *Deus est*: & Deus noscitur esse, quia est dicens. Quod sufficit ad vitandam identitatem, & nugacitatem illationis. Nam hæ illationes non sunt nugatoriæ, Petrus est homo: Ergo est animal. Petrus est

loquens; vel aliter operans; Ergo est: licet id totum quod est in consequente, cognoscatur in antecedente; sed non solum. Considerandum verò est quod suprà diximus, τὸ Deum, dicere, & dicendo mouere sufficienter ad assensum fidei, non esse solummodo Deum loqui verbaliter, vt homines, cùm dicunt se adesse; sed per opera mirabilia, tanquam effectus supernaturales, & proprios, manifestare credibiliter se dicere. Sicut autem aliæ causæ, per se nobis ignotæ, solent innotescere per proprios effectus; ita Deus potest facilè per huiusmodi signa, & opera suæ omnipotentiæ, significare se esse, & reuelare id, quod proponit ad credendum; siue Deus ipse credendus proponatur, siue aliquid aliud. Neque inconueniens putandum est bis in tali actu credendi cognosci Deum esse, semel in formali, & iterum in materiali; sicut non est inconueniens bis cognosci Petrum esse animal in tali discursu, Petrus est homo, Ergo est animal. Nota etiam quòd licet priùs naturâ sit Deum esse, quàm dicere, quia dicere est aliquis Dei effectus; non tamen est priùs in nostra cognitione, quæ non semper naturæ ordinem sequitur, sed sæpe inuertit, & cognoscit id quod est naturâ priùs, ex posteriori; id est, causam ex effectu: sic quamvis priùs sit animal viuere, quàm habere pulsum venarum, aut halitum, qui sunt effectus vitæ; ex pulsu tamen vel halitu cognoscimus animal viuere.

41. *Et hoc per actũ fidei?*

Instabis, huiusmodi actum, quo cognosco Deum esse, quia ipse dicit; non esse actum fidei, sed alterius cognitionis experimentalis, ex aliquo effectu Dei proprio: Nam actus fidei nititur testimonio dicentis, vt testimonium est, & provt verax est; At actus, quo assentimur aliquem esse, quia ipse dicit, non nititur eius dicto, vt testimonio veraci, sed tantùm vt effectu vitali, ex quo intelligimus ipsum esse, & viuere; quod patet, quia licet dicens esset mendax, & nullius auctoritatis in dicendo; imò licet diceret se non esse, non minùs cognoscerem illum esse: Ergo hæc cognitio non est à testimonio veraci, vt tali, sed tantùm vt effectu; quemadmodum si nossem eum esse, quia ambulat. Respondeo, Dei testimonium mouere vtroque modo: licet enim satis prodat Deum esse, quà effectus eius est; tamen testimonium dicentis, veracis existimati, non desinit etiam mouere quà testimonium verax est: Idem enim potest cognosci ex multiplici motiuo, & vnum alteri non repugnat, neque impedit moralem illius motionem: tuncque magis cognoscitur extensiuè; id est, cognoscitur per plura motiua, aut per vnum pluribus æquiualens. Denique syllogismus iste bene concludit & probat vi formæ: Quicquid Deus reuelauit verum est: Deus autem reuelauit se esse: Ergo verum est Deum esse.

42. *Dupliciter cognoscitur Deum reuelasse.*

Ad tertium respondeo, dupliciter credi posse quòd Deus fidei mysteria reuelauerit. Primò, vt subiectum alteri reuelationi, quà Deus id expresè reuelauerit: vt Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et 2. Petri 1. v. vlt. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines:* & tunc creditur Deum reuelasse, propter hanc reuelationem quà Deus id asserit. Secundò id credi potest vt obiectum formale cuiusque mysterij, aut dogmatis reuelati: & tunc non creditur propter aliam reuelationem, sed propter opera diuina, quibus Deus credibile facit se reuelare, quæque constituunt reuelationem in esse credibilis.

43. *Quomodo creditur Deũ esse veracem quia ipse dixit?*

Ad quartum respondeo credi quidem posse fide diuina Deum esse veracem, quia Deus in sacris literis sæpius reuelauit se esse veracem: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, Roman. 3. v. 4. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur*, num. 23. v. 19. Et Hebr. 6. v. 18. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri; firmissimum solatium habeamus.* Et tunc credimus Deum esse veracem propter ipsius testimonium & veracitatem aliunde cognitam ratione priùs, saltem prioritate *à quo*, quàm propter illam assentiamur veracitati vt reuelatæ: nimirum per opera naturalia, vel etiam supernaturalia, ex quibus sicut euidenter cognoscimus Deum esse illorum auctorem, ita & summè perfectum esse, adeoque summè intelligentem, summè veracem, summè bonum, &c. cognoscimus inquam non solo lumine naturali, sed adiuncto, & iuuante ex parte principij, lumine supernaturali illustrationis Spiritus sancti, necessariæ ad credendum sicut oportet ad salutem, vt diximus num. 36. Quare non est nugatorius iste assensus aut circularis, quia non redit ad idem eodem modo cognitum; sed veracitas à Deo reuelata, quæ est obiectum materiale fidei, cognoscitur per reuelationem credibiliter factam, & per veracitatem euidenter notam ex operibus illis naturalibus & supernaturalibus: de quibus ait Apostolus Roman. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, pariterque summa sapientia, & veracitas fide dignissima: Esset quidem nugatorium credere alicui ignoto affirmanti se esse veracem, qui nullis alijs argumentis id probaret, nec alia esset iusta ratio quæ moueret ad id credendum; secus autem, si vir, cuius probitatem & grauitatem aliunde optimè noui, grauiter & sub iuramento affirmaret se tantopere à mendacio abhorrere, vt mori potiùs, quàm mentiri eligeret: tunc enim tali testimonio moueri deberem ad hoc credendum, non minùs quàm ad alia, de quibus testificatur. Et quidem quotidie in vtroque foro externo, Ecclesiastico & ciuili, creditur hominibus, qui aliunde probi existimantur, affirmantibus cum iuramento se verum dicere: quanto ergo maiori iure creditur Deo affirmanti se esse veracem, cuius infinita sapientia, & summa bonitas aliunde satis perspecta nobis est, & sufficienter cognoscitur per 44.
opera supernaturalia, quæ nobis exhibet vt suam supremam auctoritatem patefaciat?



SECTIO VI.

Soluitur alia obiectio contra argumenta credibilitatis.

45. Obiectio ex Scriptura. Contra id etiam quod diximus Sect. 4. num.32. & seqq. argumenta credibilitatis esse necessaria ad credendum reuelationem esse diuinam, Objicitur multos, teste Scriptura, credidisse sine alia ratione credibilitatis præter denuntiantis assertionem, vt Lydiam purpurariam, de qua Act. 16. narratur quòd Paulo prædicanti assenserit, nullâ factâ mentione signorum, aut miraculorum, & Samaritanos Ioan. 4. v. 41. credidisse Christum esse Saluatorem mundi, ideo solùm quia ipsum prædicantem audiuerant, & Zachariam Luc. 1. punitum fuisse, eò quòd Angelo simpliciter denuntianti non crediderit: Multi etiam quotidie credunt, & conuertuntur ad fidem sine signis, & miraculis; quæ si necessariò requirerentur, cùm Euangelium debeat vsque ad finem mundi prædicari infidelibus; dedisset Christus prædicatoribus potestatem semper confirmandi prædicationem per signa & miracula, quod non fecit. Denique Paulus Rom. 10. v. 17. ait fidem esse ex auditu, auditum autem per verbum Christi; nihilque aliud ad credendum requirit, nisi vt Euangelium audiatur annuntiatum ab ijs, qui mittuntur ad prædicandum: At si motiua requirerentur, non esset fides ex auditu tantùm, sed esset ex signis: Et Paulo dicendum fuisset, Quomodo credent, nisi signa videant? Quod etiam Christus reprehendit Ioan. 4. v. 48. sic dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Et Math. 12. v. 39. *Generatio mala, & adultera signum quærit, &c.* & cap. 24. monet Christus non esse credendum Pseudoprophetis, & Pseudochristis, signa licet magna, & prodigia exhibentibus.

Creditne Lydia sine argumentis credibilitatis? Respondeo primò, Lydiam, ante illam Pauli prædicationem, fuisse Dei cultricem; vt Lucas ibidem testatur. Secundò, sicut Lucas non exprimit quid Paulus dixerit, aut egerit; ita neque quòd Lydia ad solum eius verbum crediderit. Tertiò, Paulus non simpliciter, & nudè Christum prædicabat; sed testimonijs Prophetarum, & signis, & argumentis apud Dei cultores diffamatis, suam prædicationem confirmabat: vt patet ex Hebr. 2. v. 4. & 1. Cor. 2. v. 4. alijsque locis: & ipse, iam tot miraculis clarus, & diuinum quidpiam præ se ferens, apud æquos rerum æstimatores poterat ad mouendum sufficere. Quartò, motiua credendi non debent semper esse externa; neque semper necessaria sunt miracula: sed sufficiunt motiua interna, cùm scilicet Deus per suam inspirationem mirabiliter operatur interiùs, redditque sufficienter credibile id, quod proponitur ad credendum: tale autem motiuum saltem non defuit Lydiæ, de qua ibidem scribitur, *Cuius Dominus aperuit cor intendere ijs, quæ à Paulo dicebantur.*

46. Similiter, Christus toto biduo apud Samaritanos dedit illis motiua sufficientia interna, vel externa, vt antea dederat Samaritanæ, arcana illius detegendo, & mirabiliter illam instruendo. Quæ si ab Euangelista non commemorantur, mirum esse non debet: Cùm idem cap. 21. v. 25. affirmet non omnia Christi facta esse à se Scripta, ac ne ab vllo quidem scribi posse. Et Samaritani?

Et Zacharias? Zachariæ verò sufficiens ratio credibilitatis esse poterat, Angelus in talibus circunstantijs apparens, & rem facilem sæpiúsque iam factam, ipsique notam, partum scilicet sterilis, annuntians. Et tamen aliam obtinuit, quàm Moyses, Gedeon, & alij, sine vlla reprehensione, vel castigatione obtinuerunt. Quod si talis apparitio, & denuntiatio non satis erat ad fidem faciendam; credendum est cum illa externa locutione affuisse Zachariæ internam inspirationem, quæ faceret rem sufficienter credibilem, vt fit in omnibus alijs casibus similibus, quando exterior propositio reuelationis non fit per se sufficienter credibilis; vt Suar. rectè docet disp. 4. Sect. 5. n. 9. post Gabrielem in 3. dist. 24. art. 3. dub. 1. in fine.

47. Non desunt etiã nunc argumenta sufficientia. Qui autem quotidie credunt inter Christianos, aut conuertuntur inter infideles ad fidem verè supernaturalem, non carent signis sufficientibus, tum internis, tum externis: Nam præter quàm quòd à Deo illustrantur interiùs; quódque adhuc multis in locis non ratò patrantur miracula in confirmationem fidei Christianæ, quæ constantissimè plurimorum sermone vel scriptis vulgantur; manent adhuc & vigent antiqua miracula in mirabili Romani imperij, & Gentium conuersione ad fidem Christi, ferè omnibus facilè notâ; in templis & alijs monumentis antiquissimis in honorem Sanctorum, & mirabilium ab ipsis gestorum extructis; in perpetua Ecclesiæ duratione contra tot persecutionum & hæresum violentissimos impetus. Quin etiam Ecclesia ipsa tam diffusa, tam in fide consentiens, tot viris tam doctis, & tam Sanctis abundans, tam bene sentiens de Deo, & ad omne virtutum genus tantoperè excitans, opus quoddam diuinum est, & valde mirabile, sufficiénsque ad fundandam certitudinem reuelationis diuinæ, quam prætendit: Quod enim tam multis, & talibus placet, iure credibile existimatur. Hæc omnia possunt proponi infidelibus, quibus Euangelium primò annuntiatur, applicando illis miracula per Christum, & Apostolos, & per alios sanctos olim facta, & adhuc vigentia in hominum memoria, vt sol diu post occasum apparet in sua luce, quamvis procul diffusa; atque exhibendo illis externa signa, quibus Ecclesiæ splendor, & dignitas visibiliter elucet. Deus quoque multa sæpe, ac mirabilia, & planè diuina operatur per huiusmodi prædicatores, quando mittuntur legitimè; vt postremo sæculo de S. Franc. Xauerio, alijsque apud Indos, & Iaponas, notissimum est. Vbi etiam non defuit, neque adhuc deest constantia plurimorum martyrum ad miraculum vsque stupenda, quæ vel durissimum quemque mouere posset, nisi obstinatè veritati resisteret.

Dixi, *Si conuertantur ad fidem supernaturalem:* 48.

Non omnes qui conuertuntur, statim credunt fide supernaturali.

quia non omnes qui conuertuntur, statim conuertuntur ad fidem supernaturalem; sed aliquando priùs assentiuntur probabiliter tantùm, aut fide humana, propter rationes merè humanas, & motiua insufficientia: Qui si faciunt quod in se est, Deus opem afferet, iuuabitque vt habeant dispositionem sufficientem ad credendum supernaturaliter. Multi etiam inter Christianos, vt adolescentes, & rudes malè instructi, licet credere præsumantur (alioqui enim non admitterentur ad vsum Sacramentorum, & similia religionis Christianæ exercitia, quæ fidem præsupponunt vt legitimè fiant.) credunt tamen interdum fide merè humanâ, propter dictum Pastoris, vel parentum, aut per meram consuetudinem. Neque propterea vera sententia est mutanda; sed illi meliùs sunt instruendi, vt rectè aiunt Ægid. disp. 9. dub. 5. num. 79. & Suar. disp. 4. Sect. 2. num. 4. vbi affirmat, vt propositio obiecti fidei sit sufficiens, necessarium esse vt id, quod proponitur, fiat euidenter credibile tanquam dictum à Deo; ac subinde, vt certum, & infallibile. Et Sect. 5. num. 7. & 8. loquens de simplicibus, qui existimantur non posse mente assequi sufficientem credibilitatem, & reiectâ sententiâ (fortasse, inquit, probabili) dicente euidentiam probabilitatis necessariam non esse respectu singulorum credentium, sed respectu Ecclesiæ: concludit, nullum hominem præbere verum, & perfectum assensum fidei Christianæ, nisi priùs aliquo modo assequatur, vel participet hanc euidentiam credibilitatis; pro quo etiam Cumelem, Caietanum, & Arragonium citat: quibus adde D. Thomam quæst. 1. art. 4. ad 2. vbi dicit, ea quæ creduntur, *esse credenti visa sub communi ratione credibilis. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.* Certè Deus non vocat ad credendum leuiter, & sine sufficienti fundamento; sed rectè, & secundum rationem: neque enim naturam destruit per gratiam, sed per beneficia supernaturalia, perficit. Quamvis autem nonnulli sint exiguæ intelligentiæ, nec multùm possint naturaliter attingere: non quæritur hîc quid possint naturaliter tantùm; sed quid cum Dei singulari auxilio, & præueniente Spiritus sancti inspiratione, qui intellectum illustrat, & dirigit in præcipuas considerationes, atque attollit suo concursu ad credendum sicut oportet. Hoc tamen auxilium occultissimè suppeditatur, nec à quoquam clarè discernitur; neque nostrum est discernere infallibiliter num quis credat fide supernaturali, nec-ne? multique putantur credere, qui non credunt. Rudes autem, sicut non valent multum intelligentiâ ad motiua fidei expendenda; ita neque ad penetrandas difficultates fidei mysteriorum, quæ crassè tantùm illis sunt proponenda, sicut iacent in symbolo Apostolorum, cum explicatione eorum captui accommodata.

49. Quomodo fides ex auditu?

Denique ad locum Pauli citatum respondeo, per auditum non excludi confirmationem sermonis per argumenta, quibus fiat credibile sermonem esse diuinum, & vt talem esse acceptandum: neque enim Paulus loquitur de qualicumque auditu, sed de prudenter credibili, & persuasibili. Quomodo autem fieret persuasibilis, docet ipsemet dicens 1. Cor. 2. v. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis: vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Christus verò reprehendit tantùm eos, qui post signa, & motiua sufficientia, & post plurima miracula à se iam exhibita, quærebant vlteriora: vel Thomæ Apostoli similes, non credebant alijs referentibus esse facta, nisi & ipsi viderent: quod ad credendum non est necessarium: possunt enim signa aliorum testimonio sufficienter proponi, ita vt obligent ad credendum. Sine illis verò non fuisse obligatos Iudæos, vt in ipsum crederent, docet apertè Christus Ioan. 15. v. 24. *Si opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Non est verò credendum Pseudoprophetis, & Pseudochristis propter ficta miracula, quorum præstigiæ sæpe facilè deprehenduntur; & quamvis non deprehenderentur, non est deserenda Catholica doctrina, tot signis, & miraculis iam olim confirmata, donec ipsi plura, & maiora præstiterint; quod numquam eueniet; pauca enim falsa miracula, & non diu, exhibent, vt ex antiquis historijs liquet: Deo scilicet non permittente, ne fideles in errorem inuincibilem inducantur.

Cur reprehensi aliqui petentes signa?

50. Quas rationes excludant à fide SS. Patres?

Simili modo intelligendi sunt Dionysius, Iræneus, Basilius, Gregorius, Damasc. alijque Patres relati à Suare disp. 3. Sect. 1. num. 4. cùm aiunt fidem esse simplicem veritatis notionem, impersuasibili veritate certam: esse assensum ab omni curiositate dissitum, & nulla præuia inquisitione nitentem: neque habere meritum, vbi humana ratio præbet experimentum; & denique melius esse credere Deo, neque aliud inquirere ad scientiam, nisi Iesum filium Dei; quàm per quæstionum subtilitates in impietatem cadere: Hæc enim aiunt Sancti Patres de rationibus humanis, & persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis (vt loquitur Apostolus) per se solùm, & seclusa Dei auctoritate probantibus: quæ rationes non sufficiunt ad probanda fidei mysteria supernaturalia; At non de illis, quæ tantùm inseruiunt ad hoc vt constet de Dei auctoritate testificante, certúmque fiat Deum reuelasse id, quod proponitur tanquam ab illo reuelatum.

SECTIO VII.

Opiniones aliæ referuntur, & refelluntur.

51. Prima opinio contraria.

Contra id etiam quod diximus, argumenta credibilitatis esse in obiecto formali fidei, sentiunt permulti: Ac primò aliqui volunt eiusmodi argumenta esse tantùm conditionem sine qua non, per modum sufficientis propositionis obiecti; sed non esse de substantia, & ratione obiecti ipsius fidei, tanquam formale, & tanquam partem intrinsecam totius obiecti: Quemadmodum scilicet vt ob-

iectum visibile videatur, debet proponi; & vt agens agat, vtve subiectum patiatur, debent ambo esse propinqua, & sufficienter applicata; Quamvis hæc propositio & applicatio nil addat intrinsecum obiecto visibili, per modum partis obiecti, & rationis formalis; aut agenti, vel subiecto, per modum potentiæ actiuæ, vel passiuæ.

Argumēta credibilitatis non sunt tantùm conditio sine qua non.

Sed contrà; quia si ratio credibilitatis esset tantùm conditio per modum propositionis obiecti, oporteret obiectum esse aliunde credibile: Nam alioqui, si obiectum non est credibile sine illa, ac per illam constituitur credibile; ratio credibilitatis non est tantùm conditio, & propositio obiecti; sed est ratio constitutiua illius in esse obiecti credibilis; ac proinde est ratio formalis illius, vt talis: Atqui testimonium Dei verbale non est aliunde credibile; cùm sine ratione credibilitatis per miracula, vel alia argumenta, non sit credibile Deum dixisse, sed potiùs incredibile; per huiusmodi verò argumenta id constituitur credibile. Ergo, &c. Confirmatur, quia sicut se habet testimonium ad rem creditam propter testimonium; ita se habet ratio credibilitatis ad testimonium creditum propter ipsam: atqui res reuelata constituitur formaliter in esse obiecti credibilis per testimonium, vt fatentur aduersarij: Ergo & testimonium per rationem credibilitatis, propter quam creditur testimonium datum esse. Neque paria sunt exempla proposita in obiectione: Nam obiectum visibile est aliunde constitutum in esse visibili per lumen & colorem; & ignis aliunde est actiuus in stupam v. g. per internam virtutem, quam non accipit à propinquitate; stupa quoque est susceptiua effectus ignis, per propriam siccitatem, & aliam dispositionem: at testimonium verbale non est aliunde credibile quoad esse, sed per se potiùs incredibile, vt suprà ostendimus: id est, non est per se credibile v. g. Deum dixisse se esse trinum in personis & vnum in essentia; sed debet illud aliunde fieri credibile: quia per se non minùs est obscurum Deum dixisse se esse trinum, quàm Deum esse trinum reipsa.

52. Secundò, alij dicunt eiusmodi argumenta pertinere tantùm ad fidem acquisitam; vel nos solùm inducere vt prudenter iudicemus Deum dixisse, & applicemus liberè intellectum ad credendum, quantùm potest, fide supernaturali, quæ terminatur ad purum, & nudum testimonium; adeò vt argumenta credibilitatis non sint motiua fidei, sed motiua prudentiæ.

Non sunt tantùm motiua prudentiæ.

Sed contrà: quia testimonium, præcisum à ratione credibilitatis, non est de se credibile quoad esse: Ergo non potest terminare assensum fidei supernaturalis, qui non potest ferri ad obiectum non credibile. At si fides supernaturalis certò fertur & indubitanter in rem reuelatam; necesse est vt certò quoque feratur in ipsum testimonium, propter quod certò assentitur rei reuelatæ. Cumque per se non constet, testimonium datum esse; non potest per se solum gignere certitudinem assensus supernaturalis; neque fides habet in quo certo quiescat, nisi tendat vlterius in id, quo certò constat Deum esse testificatum.

Dices, sufficere quòd id constet per actum fidei acquisitæ: & testimonium esse sufficienter credibile intellectui, qui iam per actum fidei acquisitæ nouit esse euidenter credibile quòd Deus reuelauerit; ita vt positâ tali notitiâ in intellectu per actum naturalem fidei acquisitæ, possit idem intellectus assentiri testimonio diuino per actum fidei supernaturalis, absque eò quòd hic actus versetur circa rationem credibilatis, sed præcisè sistat in testimonio diuino; sicque concurrant duo actus quoties creditur fide supernaturali; naturalis vnus, quo videtur credibile esse quòd Deus reuelauerit, ob argumenta id credibile reddentia; quem actum vocant fidei acquisitæ; alter supernaturalis, qui sequitur actum fidei acquisitæ, quóve assentimur rei reuelatæ, propter testimonium Dei præcisè, non autem propter testimonij credibilitatem, quæ ad alium actum pertinet. Ita docet inter alios Ægid. Coninck disp. 9. de fide, dub. 5. num. 72. & 73 vbi proposito sibi hoc argumento: Omnis assensus intellectus videtur necessariò niti aut euidentiâ rei propositæ, aut medio aliunde sibi noto; Cùm igitur hæc propositio, *Deus hoc reuelauit*, sit ipsi in se obscura, intellectus non potest ei assentiri, nisi propter medium extrinsecum per se notum; Respondet Ægidius, illud assumptum solum modo esse verum, quando intellectus ad assensum determinatur ab obiecto; tunc enim eius assensus necessariò tandem debet resolui in aliquod obiectum formale per se notum; secus autem esse, quando determinatur ab ipsa voluntate, quæ, posito sufficienti fundamento, potest illum determinare vt obiectum aliquod firmiter apprehendat, eique assentiatur ea firmitate, & ratione, quâ ei per se assentiri non posset: hoc autem fundamentum sufficiens, dixit esse sufficientem rei credendæ propositionem, ita vt intellectus clarè videat hanc rem esse talem, quam meritò credat esse à Deo reuelatam; quo posito voluntas, ex pio erga Deum affectu, magno conatu impellit intellectum, vt vehementer apprehendat illius maiestatem, & auctoritatem, & firmissimè credat id, quod sibi tanquam à Deo reuelatum, tam euidenter proponitur. 53. Sufficiat ne illa cognosci per fidem acquisitā.

54. Probatur id non sufficiés.

Sed contrà; quia sicut ex rei veritate, & ex sententia eiusdem auctoris ibidem num. 62. habitus fidei supernaturalis nullo modo potest supplere defectum obiecti formalis, inclinando intellectum, vt sine vllo respectu ad reuelationem, immediatè credat aliquam propositionem fidei: ita neque voluntas potest supplere defectum obiecti formalis ex parte reuelationis, inclinando, aut determinando intellectum, vt credat firmiter Deum reuelâsse, sine respectu ad argumenta, quibus fit credibile Deum reuelâsse, & sine quibus non minùs est obscurum vel incredibile, quòd Deus dixerit, quàm ipsum mysterium fidei est obscurum vel incredibile sine reuelatione: Ratio à priori est; quia neque fides habitualis, neque voluntas, possint mouere intellectum, nisi ad obiectum proportionatum. Et hoc obiectum præsupponitur necessariò, tam ad actum intellectus,

quàm ad motionem habitus, aut voluntatis. Quod autem est planè obscurum, & nihil habet penitùs euidentiæ, non est obiectum proportionatum assensus. Ergo præsupponendum est in obiecto aliquid euidentiæ. Sed reuelatio non habet vllam euidentiam sine respectu ad argumenta credibilitatis. Quare non potest cognosci sine illis. Neque satis est quòd sit proportionata, & euidenter credibilis alicui alteri actui, fidei scilicet acquisitæ: vel sit nota ipsi intelligenti, per alium actum. Nam assensus supernaturalis non potest dari circa aliquid penitùs sibi obscurum. Quare obiectum, etiam respectu ipsius, & quatenus ab ipso attingitur, debet habere aliquid euidentiæ. Vnde pariter sequitur, ad certitudinem assensus supernaturalis non sufficere quòd certò constet, per actum fidei acquisitæ, Deum reuelâsse: sed debet ille actus habere in obiecto proprio fundamentum certitudinis, atque illud attingere: alioqui non habet, vnde firmiter adhæreat obiecto. Sequitur præterea, non sufficere, quòd testimonium sit credibile intellectui quomodocumque: sed debet esse illi credibile, vt tendenti per actum supernaturalem, & ratione talis actus. Quod fieri nequit sine respectu ad argumenta credibilitatis, quæ per talem actum cognoscantur, ac proinde sint obiectum illius.

55. *Altera probatio efficax.* Confirmatur, quia quando intellectus simul per duos actus cognoscit eandem propositionem: scientificè, per medium certum, & euidens: & probabiliter, per medium probabile: actus scientiæ non facit, vt propterea actus opinionis sit certus, & euidens: nimirum quia non attingit medium certum, & euidens, sed tantùm medium probabile. Et cùm aliquis ob testimonium diuinum credibile assentitur propositioni aliunde sibi euidenter notæ, vt Deum esse, parentes esse colendos, & similia, quæ naturali lumine sunt euidentia: actus naturalis simpliciter euidens, non facit vt actus fidei sit pariter euidens: sed illo licet existente in intellectu, actus fidei est tantùm certus: propterea quòd attingit medium certum tantùm, & credibile: non autem simplicem euidentiam obiecti. Sic ergo, non obstante actu naturali fidei acquisitæ, actus supernaturalis fidei non erit certus, nisi attingat medium, quod est fundamentum certitudinis, quo scilicet certò constat Deum reuelâsse. Quare vanæ sunt omnes euasiones propositæ. Adde quòd, iuxta illam sententiam, certitudo fidei diuinæ penderet omnino à certitudine fidei acquisitæ, nec esset illâ maior. Nam quòd certò credam aliquid ob Dei testimonium, pendet ab eo quod certò credam Deum dedisse tale testimonium. Neque possum esse magis certus de secundo propter primum, quàm sim certus de primo. Atqui primum est tantùm mihi certum certitudine fidei acquisitæ, per aduersarios: Ergo, &c. Adde item, quòd falluntur aduersarij, quando iudicium de credibilitate vocant actum fidei acquisitæ; si loquantur de credibilitate simpliciter & absolutè, id est, abstrahendo à fide naturali, vel supernaturali. Nam actus, quo iudicamus esse credibile simpliciter Deum dixisse, postquam tot argumentis id redditur credibile; non est actus fidei, quia non est obscurus: sed simpliciter euidens. Sicut enim est simpliciter euidens esse probabile id pro quo afferuntur rationes probabiles, & nulla pro contrario certa, vel euidens; sic euidens est esse credibile id, pro quo grauissima afferuntur argumenta, de quibus prudenter non potest dubitari: Cuiusmodi sunt argumenta credibilitatis ad fidem supernaturalem sufficientia. Dixi autem, *si loquantur de credibilitate simpliciter, abstrahendo a fide supernaturali.* Quia aliud est, aliquid esse credibile simpliciter: & aliud, esse credibile fide supernaturali, & infallibili. Primum est euidens simpliciter, propositis sufficienter argumentis credibilitatis. Secundum non est euidens: quia non est euidens, sed tantùm credibile, dari fidem supernaturalem. Concludo igitur contra hanc opinionem, argumenta credibilitatis non pertinere tantùm ad fidem acquisitam: neque esse tantùm motiua prudentiæ, quibus inducamur ad prudenter iudicandum, credendum esse: sed vlteriùs pertinere ad ipsam fidem diuinam, tanquam motiuum, & obiectum formale ipsiusmet actus supernaturalis fidei.

Tertiò, putant alij huiusmodi motiua determinare tantùm extrinsecè intellectum ad assensum fidei supernaturalis: ita vt non sint ratio formalis, & pars intrinseca totius obiecti. Quo pacto censent etiam notitiam conclusionis non attingere præmissas: sed intellectum ab illis tantùm determinari extrinsecè ad notitiam conclusionis præcisè & materialiter sumptæ. 56. *Sintne pars intrinseca obiecti?*

Probatur esse, & attingi per actum ipsum fidei. Sed hæc opinio ex iam proximè dictis satis refellitur. Quibus addo, non posse intellectum moueri, & determinari obiectiuè, nisi vt cognoscentem & intelligentem. Debet enim moueri vt intellectus, id est, vt vis intelligendi, & cognoscendi. Estque impossibile, vt intellectus moueatur, & trahatur ad assensum ex ratione, seu medio assentiendi, quod non nouit: quia solùm mouetur mediâ cognitione. Quando ergo intellectus assentitur reuelationi propter motiua; vel conclusioni propter præmissas: debet necessariò cognoscere motiua, vel præmissas, quibus mouetur, & determinatur ad illum assensum. Imò vlteriùs debet cognoscere connexionem illarum cum re, cui assentitur. Nam cognitio præmissarum, sine notitia illationis & bonæ consequentiæ, non determinat ad assensum conclusionis. Similitérque res reuelata non creditur, nisi propter connexionem cum reuelatione: & reuelatio facta esse non creditur, nisi ob connexionem cum argumentis credibilitatis. Neque sufficit dicere quòd intellectus cognoscat quidem motiuum, & præmissas, sed per alium actum. Nam reuelatio, aut conclusio, quæ per se solam planè obscura est, & incognoscibilis; non habet vnde cognoscatur, nisi vt connexa cum argumentis credibilitatis, aut cum præmissis, per quas redditur cognoscibilis. At connexio importat essentialiter extrema, quorum est, neque potest sine illis esse,

vel concipi: Ergo neque reuelatio cognosci potest per illum assensum, vt connexa cum argumentis credibilitatis; neque conclusio, vt connexa cum præmissis, & vt ex illis bene deducta; quin per eundem assensum cognoscantur argumenta credibilitatis, & præmissæ: ad quæ duo, connexio reuelationis & conclusionis dicit ordinem essentialiter. Quare hæc non determinant tantùm extrinsecè intellectum ad assensum: sed necessariò sunt in obiecto assensus, velut motiuum, & ratio formalis obiecti; siue id, per quod reuelatio, aut conclusio cognoscitur.

57. Lumen fidei habit. non sufficit sine motiuis.

Quartò, senserunt aliqui intellectum per lumen fidei infusæ assentiri reuelationi diuinæ per se immediatè, sine alio motiuo assentiendi. Intelligunt autem per lumen fidei, habitum fidei supernaturalis, vel auxilium se tenens ex parte potentiæ ad eliciendum actum fidei supernaturalis. Hæc opinio coincidit cum alia, superiùs relatâ, & reiectâ Sect. 5. Et primò refutatur argumentis ibi propositis. Quibus addo secundò, lumen fidei valere quidem ad assentiendum modo perfectiori, quàm intellectus se solo posset: attamen necessariò præsupponit obiectum cognoscibile, & constitutum in ratione credibilis per aliquid, à quo habeat euidentiam credibilitatis. At reuelatio non est credibilis sine motiuis: & experientia ostendit, quando ijs, qui fuerunt baptizati in infantia, proponuntur fidei reuelationes postquam ad ætatem adultam peruenerunt, opus esse motiuis, quibus inducantur ad firmiter assentiendum reuelationibus illis, vt diuinis: Neque satis esse lumen fidei habitualis acceptum in baptismo; nec auxilium diuinum cooperans habitui, quod non deest quando obiectum proponitur sufficienter. Non est autem par ratio habitus fidei supernaturalis, & luminis gloriæ, quod tantæ est efficaciæ, vt constituat intellectum potentem ad Deum per se & immediatè videndum clarè sicuti est. Nam habitus fidei non similiter valet ad reuelationem, & reuelata in seipsis cognoscenda. Alioquin omnes instructi habitu fidei, statim atque illis proponitur aliqua fidei propositio, ei assentirentur sine vllis motiuis: discernerentque per seipsas, reuelationes verè diuinas, à falsò præsumptis; & res reuelatas, à non reuelatis: quod est contra experientiam manifestam. De propositione autem, vel auctoritate Ecclesiæ, ad quam alij confugiunt, dicemus infrà Sect. 12.

SECTIO VIII.

Respondetur argumentis aduersariorum.

58. Argumenta quibus mouentur illi, qui dicunt rationes credibilitatis non includi in obiecto fidei supernaturalis, hæc præcipuè sunt. Primum, Rationes credibilitatis sunt aliquid humanum, vel multa humana inuoluunt, sine quibus à nobis non cognoscuntur: cuiusmodi sunt perceptio, & iudicium sensuum externorum, si miracula coràm exhibeantur: prudens inquisitio veritatis eorumdem miraculorum, si adhibeantur: historiæ, vel relatio verbalis aliorum, si miracula ad nos Scriptis tantùm, vel auditu perueniant; & similia: quæ cùm humana sint, non possunt esse obiectum formale, & fundamentum fidei supernaturalis.

Respondeo, rationem sufficientem credibilitatis non esse quid humanum, sed opus planè diuinum & supernaturale, & ostensionem spiritus ac virtutis diuinæ, vt ait Apostolus 1. Corinth. 2. v. 4. Et quidem non est dubium quin vera miracula sint opera supernaturalia. Quæ, si coràm fiunt, necessariò percipiuntur aliquo sensu externo, priusquàm intellectu inspiciantur, & prudenter examinentur. At hoc non magis fidem dedecet, quàm quòd testimonium Dei verbale necessariò priùs auditu sit percipiendum, quàm propter ipsum credatur aliquid. Et tamen *fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi*, Rom. 10. v. 17. Ipsa verò interior perceptio signorum, & cognitio sufficiens cum diligenti inquisitione veritatis, quæ fit per intellectum, quæque ad fidem proximè pertinet, non fit sine speciali ope diuina ad veritatem & vim signorum meliùs percipiendam, & condignè æstimandam: iuxta illud Trident. Sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit hominem sine praeueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere posse sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quare non est opus humanæ prudentiæ, sed diuinæ & supernaturalis, quando fit sicut oportet, ad credendum fide supernaturali.

Rationes credibilitatis non sunt aliquid humanum.

59. Hanc autem perceptionem internam signorum, & prudentem inquisitionem, præcedit aliqua sensus externi perceptio, quâ videntur miracula, vel alia signa: vel ex aliorum relatione audiuntur. Ad quam si nihil aliud requireretur, & si absque alia reflexione, visis miraculis, intellectus solùm perciperet idem obiectum; sicut percipit colorem aut sonum, simul atque sensu externo videtur, vel auditur: illa perceptio sensus externi non pertineret ad obiectum formale fidei, sed esset ipsa perceptio obiecti, & medium cognoscendi, se tenens ex parte potentiæ cognoscentis, non ex parte obiecti. Verùm quia (vt bene aduerterunt eruditi quidam recentiores) fides supernaturalis prudentissimè procedit, cauétque sibi à periculis illusionum, quæ interdum circa sensus contingunt, & à Dæmonum, hominumque fallacijs: idcirco non credit sine reflexione in ipsam perceptionem externam miraculorum, aut aliorum signorum: sed vt credat, necessarium est constare de fidelitate sensus, quo illa in seipsis percipiuntur; aut de fidelitate testium, quorum solâ relatione cognoscuntur. Quare fidelitas illa, vt nota, & perspecta, mouet ad credendum fide supernaturali: adeóque ingreditur obiectum illius formale. Quidquid enim mouet vt cognitum, ad assensum fidei supernaturalis, est illius motiuum, & obiectum formale. At hæc non sunt purè humana; sed sunt diuinæ prouidentiæ supernaturalis instrumenta, ad credendum modo hominibus accommodato necessaria: in quibus applicandis

Sensuum perceptio quomodo ad illas se habet?

Non est purè humana.

Deus ita nos iuuat, vt omne periculum falsitatis sufficienter remoueat. Nam v. g. si miracula videntur; tam clarè, tam apposité, tam constanter aut frequenter ea proponit, & cum alijs conditionibus ad fidelitatem sensuum necessarijs, vt deceptionis periculum prudenter timeri non possit. Ideóque Christus, vt certò probaret suam resurrectionem Apostolis, tam frequenter, & tam conspicuè videndum & palpandum se illis proponebat: eiusque certitudinem in experimentum sensuum resoluebat, dicens Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et Ioan. 20. *Infer digitum tuum huc, &c.* Et paulò post; *Quia vidisti me Thoma, credidisti:* id est, quia vidisti, & palpasti vulnera carni meæ inflicta, credidisti me resurrexisse. Credere autem resurrectionem Christi quia videbantur eius vulnera, est habuisse visionem illam, tam exactam, pro motiuo credendi. Neque reprehenditur Thomas à Christo, quia vi illius motiui crediderit: sed quia alijs præcedentibus satis efficacibus credere noluerat, & motiuum illud sibi non necessarium expectauerat.

Ne quidē cùm fit per relationem aliorum.

Relatio quoque miraculorum, sufficiens ad fidem supernaturalem, non est purè humana. Sique esset purè humana, non esset illi sufficiens argumentum credibilitatis, ac ne testimonium quidem aliquot testium, qui signa & miracula oculis conspexerunt. Licet enim eiusmodi testimonium sit dignum assensu fidei naturalis, quando aliqui fide digni asserunt quæ ipsimet viderunt: sitque turpe & vitiosæ incredulitatis nolle fidem habere alijs, in ijs, in quibus sibi quisque fidem haberi vult: non meretur tamen fidem diuinam, quandiu purè humanum est. At non est purè humanum testimonium illud, quod est verè sufficiens ad fidem supernaturalem. Nam multitudo, & quantitas, ac modus & qualitas testium, satis apertè indicat non potuisse illos conuenire in idem testimonium, nisi vis euidentiæ & miraculi eos compulisset. Miraculorum autem, & signorum virtus non solùm in seipsa conspicitur; sed etiam cognoscitur in effectu, & consequenti, vt sol apparet in luce procul diffusa, etiam diu postquam occubuit. Quódque tanta vel Scriptorum, vel aliorum testium multitudo, tam constanter, tam asseueranter, non propter vtilitatem, aut commoditatem, aut delectationem, sed veritatis vi compulsa prædicet miracula, & alia signa mirabilia, quæ alij non conspexerunt, ad confirmandas veritates sensui asperas, & rationi apparenter repugnantes: non est humanum opus, sed diuinum. Homines enim increduli naturâ suâ, & proni ad contradicendum, numquam adeò constanter, & firmiter, noua, & humanam facultatem excedentia asseuerarent, nisi veritatis virtute compellerentur ad ea profitenda. Neque periculum est falsitatis in eiusmodi fama: quia non quælibet fama est fallax, sed aliqua est adeò testata, vt fallere nequeat. Quòd si ad aliquos talis & tanta fama non peruenit: sed audiunt tantùm vnum, aut alterum testificantem: Deus supplet interiùs sua illustratione, id quod exteriùs deest ad credendum supernaturaliter. Neque enim via illa externa est tota & vnica ratio credendi.

Certitudo fidei non ideo minuitur.

60. Secundum argumentum: Summa fidei certitudo, quâ fides superat scientiam humanam, Doctore D. Thoma, quæst. 4. art. 8. in corpore, non potest inniti argumentis credibilitatis, quæ fallacia esse possunt. Nam miracula ipsa incerta sunt: cùm spiritus mali possint multa efficere, quæ videntur miracula; vt de Magis Ægypti patet Exod. 7. & 8. & de Pseudoprophetis prædixit Christus Matth. 24. v. 24. & de Simone Mago, Apollonio Thyaneo, pluribusque alijs testantur historiæ Ecclesiasticæ, & prophanæ.

Respondeo, de comparatione certitudinis inter fidem supernaturalem, & scientias humanas alibi disputandum esse. Interea dico, non posse credi certiùs veritatem à Deo reuelatam, quia reuelatam, quàm certò credatur Deum reuelasse: cúmque id non certò constet, nisi per argumenta credibilitatis: tota fidei certitudo in illa tandem resoluenda est ex parte obiecti. Ad eadémque certissimè cognoscenda Deus opem specialem suppeditat, & corroborat intellectum. Nec obest quòd possint interdum fingi miracula. Nam inter vera & falsa miracula sunt aliquæ differentiæ, per quas satis cum Dei ope, & speciali Spiritus sancti auxilio, discerni possunt. Primùm enim, vt rectè docet Suares disp. 4. Sect. 3. num. 9. consideranda est diuturnitas effectus, & perseuerantia, quæ magnum veritatis indicium est. Nam quæ ficta sunt, cito euanescunt. At, exempli gratiâ, suscitatorum à Christo vita, & vera resurrectio, longis & diuturnis experimentis comprobata fuit; cùm v. c. Lazarus, qui antea toto fere quatriduo mortuus iacuerat in monumento, fœtens & semi-putridus, repentè Christi voce & imperio suscitatus, postea cum Iudæis, & alijs innumeris, passim ac publicè per multos annos familiariter conuersatus est. Secundò, considerandi sunt effectus, per quos miraculum manifestatur. Eiusmodi sunt actiones vitæ in mortuo suscitato, visio in cæco illuminato, gressus constanter rectus in claudo sanato, &c. Tertiò, multitudo, & frequentia, ac varietas miraculorum, cum omnibus signis & experientijs veritatis, quas naturaliter in alijs rebus nobis familiaribus, & euidenter notis euidentiâ naturali habere solemus. Quæ multitudo plurimùm facit ad eorum veritatem ostendendam: quia in tanta multitudine facilè deprehenderetur illusio sensuum; quippe quæ multorum experientiæ subijcitur. Quartò, multiplex modus mirabilis operandi talia signa, per imperium, per orationem ad Deum verum, per adiurationem, per cordium manifestationem, &c. Quintò, finis talium operum; quòd per illa nihil mali intendatur, sed potiùs morum honestas, & vera Dei cognitio, dæmonisque expugnatio, vnde non est credibile fingi ab ipso dæmone. Sextò, à quibus fiant, putà ab hominibus summâ vitæ innocentiâ præditis, quales non sunt, qui vtuntur operâ dæmonum: sunt enim vitæ impuræ, & student proprijs commodis: quorum etiam aliqui,

Veritas miraculorum quomodo dignoscenda?

maiorem Dei potentiam agnoscere coacti, fuerunt ad Christum conuersi, & ad vitam sanctitate, & veris miraculis martyrioque insignem; vt de sancto Cypriano Antiocheno referunt Metaphrastes, & alij veteres quos citat Baronius in Martyrologio ad diem 26. Septembris. Et de Anastasio Persa refert idem Baronius ex antiquis Historicis, ad annum Christi 622. & 627. ex mago, & magi filio factum esse Monachum Sanctissimum, & Martyrem insignem, clarum etiam miraculis illustribus, quæ, velut indubitatæ fidei, in septima Synodo generali recensentur. Septimò, considerandum etiam est, solere Deum maiori virtute se opponere falsis miraculis; neque permittere dæmones pro libito grassari & illudere hominibus, atque illos inducere in errorem inuincibilem circa viam salutis. Ita enim Magi Pharaonis à Moyse citò victi sunt: & Simon Magus à D. Petro: & Antichristus ab Elia vincetur: & oracula antiqua ad Euangelij prædicationem siluerunt: & nunc etiam silent in orbe nouo: vel ad præsentiam reliquiarum martyrum; vt de Sancto Babyla testatur D. Chrysostomus, testis oculatus cum tota Antiochia.

Chrysost homil. de S. Babyla.

61. *Quanta sit credibilitas fidei Christianæ?*

Considerandum etiam est credibilitatem fidei Christianæ, contra quam fiunt pauca illa ficta miracula, non constare, vno tantùm genere miraculorum; sed tam multis, tam varijs, & tam magnis, vt nullum aliud dogma simile quicquam, vel æquale, ne apparenter quidem præferre possit. Pauca quidem & incerta miracula non sunt sufficiens argumentum ad credendum fide diuinâ. Sed quando multa fiunt, aut facta sunt, ingentia, frequentia, & diuturna, per inuocationem vnius Dei, in confirmationem doctrinæ, ipsius nomine propositæ: nullàque est alia vis aut potestas, quæ valeat illis miraculis resistere: argumentum maximum est illa esse à Deo: & quisque secum potest sic ratiocinari: Si vlla in vniuerso vis, aut potentia, quæ mundi & rerum humanarum curam gereret, esset maior, aut superior, quàm sit ea, à qua dogmata Christiana profluxerunt: certè vis illa dogmatibus Christianis, eorúmque professoribus, qui ea pro viribus disseminant, resisteret præstantiori, melioríque actione, nisi illa probaret. Atqui nulla vis & potentia reperta est, quæ tam præstanti actione Christianis dogmatibus resisteret, quàm hæc à professoribus suis confirmantur: Ergo, &c. Probatur minor: quia licet gentes plurimæ vi, & armis restiterint, imò totum Romanum imperium tota vi, aliquot sæculis se illis opposuerit: nunquam tamen oppositum confirmârunt tot miraculis, tam varijs, tam solidis, tam excedentibus vim omnium creaturarum. Hæc igitur omnia bene expensa dant euidentem credibilitatem miraculis, quibus fides Christiana innititur. Quanquam sola miracula non sunt omnia argumenta credibilitatis, vt alibi ostendemus, Disput. 5. Sect. 2. & quinque sequentibus.

62. Tertium argumentum: Huiusmodi argumenta credibilitatis, vel sciuntur euidenter esse vera; vel creduntur tantùm esse talia. Si primum: non sunt materia fidei, sed constituunt reuelatum euidens & scibile, posito quòd euidens sit Deum esse veracem. Si secundum: Ergo debent esse à Deo reuelata per aliam reuelationem, de qua iterum quæretur an cognoscatur per alia motiua; & sic in infinitum. Neque dici potest quòd sint sibi ipsis ratio cognoscendi. Quia nihil potest esse ratio cognoscendi sui ipsius, nisi sit in se euidens.

Quomodo miracula creduntur esse vera?

Respondeo, miracula & alia argumenta credibilitatis non cognosci euidenter esse vera miracula, id est, opera solius Dei, facta ad testandum ipsum reuelâsse: alioqui non esset fides, posito quòd etiam euidens sit Deum esse veracem; sed creduntur duntaxat esse talia, non ob aliam reuelationem, sed propter intrinsecam euidentiam credibilitatis, quam habent si bene expendantur, eo modo, quo iam diximus. Sicut autem quædam obiecta sunt per se euidentia simpliciter, id est, euidentiâ rei, seu euidentiâ veritatis: ita sunt quædam euidentia per se, euidentiâ credibilitatis, id est, euidenter credibilia, quamvis non euidenter vera: sicut aliqua sunt per se euidenter probabilia, quamvis non euidenter vera. Aliud enim est esse credibile aut probabile: & aliud, esse verum. Nam credibile absolutè, aut probabile, potest esse falsum. Ideóque tametsi constet euidenter de credibilitate, aut probabilitate: non ideo constat euidenter de veritate. Præterea aliud est, credibile absolutè: & aliud, credibile fide supernaturali. Primum est euidens: non secundum; cùm non sit euidens, sed tantùm credibile dari fidem supernaturalem. Ideóque miracula, & alia argumenta sufficientia non faciunt euidenter credibile fide supernaturali, cui falsum subesse non potest: sed simpliciter, euidenter credibile tanquam dictum à Deo.

63. *Cur fides requirit aliquid vltra testimoniū Dei?*

Quartum argumentum: Diuinum testimonium per se proximè, & ratione sui, est dignum fide: Ergo vltra diuinum testimonium non est aliud requirendum, sed in eo sistendum, velut in vnica & summa ratione certissimè assentiendi fide diuinâ: videlicet, quia Deus dixit, qui summè verax est.

Respondeo, testimonio diuino cognito vt tali, deberi per se proximè fidem summam, & certissimam: sed vt certissimè cognoscatur esse tale (quod omnino necessarium est, vt propter ipsum aliquid aliud certissimè teneatur) oportet vt vel per se certò innotescat; vel per aliud, quo certò constet non falsò prætendi diuinum testimonium. Non constat autem sine signis sufficientibus internis, vel externis. Quare opus est huiusmodi signis, & motiuis credendi, non humanis illis quidem, sed diuinis & supernaturalibus, ope diuina speciali altiùs & certiùs cognitis; tum per actum intellectus præuium actui libero voluntatis, quo mouet intellectum ad credendum; tum etiam per eumdem assensum supernaturalem, quo credimus rem reuelatam, propter reuelationem; & reuelationem, quoad esse, credimus propter motiua quibus credibile fit Deum reuelasse. Neque verum est quod ait Suares disp. 4. Sect. 6. num. 3. Iudicium de credibilitate non esse tam certum, quàm

quàm est assensus fidei diuinæ. Nam omninò necessarium est, vt saltem per assensum ipsum fidei supernaturalis assentiamur æquè certò reuelationem diuinam esse factam (quæ certitudo habetur per argumenta credibilitatis) atque assentimur rei reuelatæ propter reuelationem. Estque impossibile hoc esse certius, quàm illud; quia non potest esse firmius ædificium, quàm fundamentum, vt rectè idem Auctor ait, disp. 3. Sect. 12. num. 7. Denique non negamus diuinam testificationem esse obiectum formale fidei, sed propositam sufficienter, & de qua certò constet esse diuinam.

64. Quo sensu fides innitatur argumētis credibilitatis? Addunt aliqui eruditi recentiores, qui nobiscum in summa rei consentiunt; assensum fidei supernaturalem non ita inniti & commensurari notitiæ argumentorum credibilitatis; & eorum omnium, quæ vt obiecta mouent ad credendum testimonio diuino: sicut innititur & commensuratur assensus humanus notitiæ eorum, quæ mouent ad illum assensum. Quia assensus supernaturalis fidei est altior, purior, firmior & generosior eo, qui posset oriri præcisè ex efficacia obiectiua argumentorum, quæ mouent ad credendum. Ille autem excessus præstantiæ fidei supra efficaciam obiectiuam argumentorum, est ab operatione Spiritus sancti, & à deuotione mentis tactæ per illam operationem. Nam efficacia obiectiua argumentorum credibilitatis tam firmum & generosum assensum non posset exprimere ab intellectu sibi relicto. Qua de causa Concilia definiunt non posse nos sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, credere sicut oportet ad iustificationem, vt ait Trident. Sess. 6. can. 3. Et gratiam Dei esse necessariam vt nos corrigat ab infidelitate ad fidem, vt loquitur Arausic. can. 5. Et Christus affirmat neminem posse ad ipsum venire per fidem, nisi Pater eum traxerit, Ioan. 6. Atque hoc isti recentiores putant esse id, quod propriè intendunt auctores contrariæ sententiæ, qui negant hæc argumenta esse obiectum formale fidei. Eorum enim generale fundamentum est, quòd videatur incommodum, fidem diuinam inniti argumentis. Sed quamvis fides vtatur argumentis, non eis planè innititur. Hoc enim est non planè inniti, assensum fidei esse talem, vt efficacia obiectiua argumentorum non posset ab intellectu, suis viribus relicto, tam generosum & firmum assensum exprimere. Hæc illi.

Vera sententia, & contrariæ refutatio. Verùm auctores contrariæ sententiæ omninò plus intendunt, vt patet ex eorum argumentis suprà relatis. Nam eò tendunt, vt argumenta credibilitatis prorsus excludant ab obiecto assensus fidei supernaturalis, illáque ad summum relinquant vel assensui præuio, quem vocant iudicium prudentiæ; vel soli fidei acquisitæ & humanæ. Deinde si recentiores isti intelligunt excessum illum certitudinis fidei supernaturalis esse supra efficaciam obiectiuam argumentorum, comparatam ad intellectum, vt adiutum ope Spiritus sancti, & ad causam altioris ordinis, cuius concursu possint mouere efficaciùs: falluntur, & refutantur iisdem argumentis, quibus suprà ostendimus Sect. 6. neque habitum supernaturalem, neque voluntatem motam à Spiritu sancto, posse supplere defectum obiecti formalis. Quia non possunt mouere intellectum, nisi ad obiectum proportionatum assensui eliciendo: Et hoc obiectum præsupponitur tam ad assensum supernaturalem, quàm ad motionem habitus, aut voluntatis. Ac sicut non potest obiectum mouere ad assensum, si est penitùs obscurum, & destitutum omni euidentiâ: ita neque ad assensum certiorem assensu naturali, si non habet proportionem cum assensu tam certo. Sin autem intelligunt, id quod magis eorum verba significant, quodque vere ipsos intelligere arbitror; excessum illum certitudinis fidei supernaturalis non esse supra efficaciam argumentorum comparatorum ad intellectum vt adiutum ope Spiritus sancti; sed eius concursu & eleuatione fieri, vt meliùs expendantur, & percipiantur, quàm possent solis naturæ viribus, vnde firmior oritur assensus intellectus, quàm posset oriri naturaliter: Illud est æquè verum de testimonio ipso diuino, cuius maiestas, & reuerentia illi debita, multò meliùs percipitur ab intellectu Spiritus sancti ope adiuto: vnde magis & meliùs illi adhæret. Quare si propter hoc negandum esset, fidem supernaturalem inniti argumentis credibilitatis: negandum esset pariter inniti Dei testimonio. Quod longè abest à mente auctorum tam nostræ, quàm contrariæ sententiæ.

SECTIO IX.

Vtrum eodem actu cognoscantur obiectum formale, & materiale fidei?

Respondeo, priùs quidem actu distincto cognosci obiectum formale, & motiuum sufficiens ad credendum, quàm liberè exerceatur assensus fidei supernaturalis: sed tum rursus eodem assensu supernaturali attingi obiectum formale cum materiali. Ratio primæ partis est, quia vt aliquis actus liberè exerceatur, debet voluntas antecedenter, & in priori saltem naturæ, habere omnia ad agendum prærequisita, & constitui complетè potens ad illum exercendum, vel abstinendum ab illius exercitio, vt voluerit. Atqui vnum ex prærequisitis ad actum fidei liberè exercendum, & constituentibus potentiam completam ad vtrumlibet, est cognitio motiui sufficientis ad credendum, sine quo non potest credi: voluntas enim non fertur in incognitum, sed prærequirit cognitionem extremorum, vt circa ea liberè se exerceat, eligendo vnum præ alio. Quod enim est incognitum, quamdiu tale est, non est liberè eligibile: neque voluntas est completè potens ad eligendum, sine præuia cognitione eligibilium, ad quorum vnum præ alio se applicet, quia sic vult. Confirmatur, quia cognitio extremorum est illa quæ proximè librat voluntatem, constituitque in statu indifferentiæ. Et quemadmodum vt voluntas liberè amet, prærequiritur cognitio obiecti amabilis, ad quod amandum liberè se determinet, si velit; sic ad liberè credendum prærequiritur cognitio obiecti credibilis, quæ co- 65. Cognitio obiecti formalis præcedit actum liberum fidei.

gnitio constituit voluntatem proximè potentem, & indifferentem ad credendum, vel non credendum, vt voluerit.

66. Fides attingit simul materiale cum formali. Secunda pars responsi, quòd scilicet assensus fidei supernaturalis attingat simul obiectum formale cum materiali, probatur, quia quod non est cognoscibile, nisi vt connexum cum alio, non cognoscitur nisi vt connexum cum illo: & quidem eodem actu: quia connexum, vt connexum, non potest separari cognitione ab eo, cui connexum est: sicut neque vnio ab extremis, quæ inuoluit essentialiter. At obiectum materiale fidei non est cognoscibile (vel absolutè, vel saltem provt est obiectum fidei) nisi vt connexum cum formali: mysterium enim Trinitatis, v.g. non est credibile, nisi vt connexum cum reuelatione credibili. Ergo non creditur nisi vt connexum cum illa. Confirmatur, quia omnis assensus intellectus debet attingere aliquam euidentiam obiecti: cùm possibile non sit assentiri ei, quod est planè ineuidens: id est, quod neque est euidens simplici euidentiâ rei; neque euidentiâ credibilitatis, aut probabilitatis. Atqui obiectum fidei materiale, vt tale, non habet euidentiam credibilitatis in seipso, & à seipso; sed habet illam à reuelatione credibili: Ergo assensus fidei non potest illud attingere solum & præcisè spectatum; quia sic est prorsus ineuidens; sed vt connexum cum reuelatione credibili. Confirmatur secundò, quia sicut conclusio non potest cognosci vt conclusio est, id est, provt illata ex præmissis, & vi illationis, nisi eodem actu cognoscatur id, ex quo infertur: quia illatio non potest cognosci absque eo quòd cognoscantur extrema, quæ importat essentialiter: similitérque est impossibile cognosci connexionem, illationem, vnionem, & similia, quin eodem actu cognoscantur ea, quæ inuoluunt aut important essentialiter, provt talia sunt. Ita non minùs impossibile est cognosci rem reuelatam, quâ reuelatam, & quia reuelatam; id est, vt connexam cum reuelatione, & propter illam connexionem; absque eo quòd actu eodem attingatur reuelatio, cum qua connexa est, & à qua formaliter habet, vt sit credibilis & capax terminare assensum fidei. Confirmatur tertiò, quia sicut eodem actu amatur finis, quo medium propter finem amatur; quando scilicet amatur vt medium, id est, vt vtile ad finem consequendum: sic eodem actu, quo cognoscimus vnum propter aliud, cognoscimus illud aliud. Par enim est connexio obiectorum in vtroque; & motiuum cognoscendi non mouet, nisi cognitum: sicut finis, & motiuum volendi non mouet, nisi volitum.

67. Contraria sententia. Contrarium sentit Mœratius Disp. 5. de Fide, Sect. 2. affirmans reuelationem non cognosci eodem actu, quo res reuelata creditur. Quod primò ait constare experientiâ. Qui enim v.g. credit Deum esse trinum in personis; id tantùm credit, quod per assensum fidei iudicat: Sed iudicat tantùm Trinitatem personarum conuenire Deitati; & experientiâ patet non cogitari sæpe de reuelatione, quando credimus Deum esse trinum: Imò licet semper de illa cogitaremus; non minùs tamen essent diuersi actus, & diuersa iudicia circa reuelationem, & rem reuelatam; quàm sint diuersæ propositiones istæ vocales, Deus reuelauit se esse trinum, Ergo Deus est trinus.

Respondeo negando talem experientiam. Nullus enim verè assentitur, quin habeat aliquid, in quo veluti per se noto sistat vltimò. Alioqui vel tenderet in infinitum: vel assentiretur sine vlla euidentia obiecti. Ergo nemo verè credit Deum esse trinum sine tali aliquo vltimo per se noto. Hoc autem non est ipsa Trinitas, quæ per se est ignota, & incredibilis. Ergo assensus ille sistit in aliquo alio, nempe in reuelatione credibili, & quidem notâ necessariò eodem assensu, vt antea probauimus: neque enim possunt æquè separari cognitione, ac sermone vocali. Eandémque ob causam veracitas diuina debet cognosci eodem assensu fidei; & assensus conclusionis debet ferri in præmissas: quod malè negat paulò pòst auctor supra citatus. Quod autem eum induxit ad allegandam experientiam malè præsumptam, est, quòd sæpissimè, propter intelligendi consuetudinem, & facilitatem, non aduertimus nos intelligere id, quod tamen actu, & reipsâ intelligimus: sic enim dum legimus, non videmur cogitare de valore characterum; neque de regulis Syntaxeos, quando latinè loquimur expeditissimè; neque peritus Cytharœdus, de modo pulsandi; cum tamen certissimum sit hæc non fieri sine actuali cogitatione, & directione artis bene legendi, loquendi, pulsandi. Sic ergo assueti ad credendum, & facillimè credentes, non videntur cogitare de motiuis, de quibus tamen re ipsâ cogitant. Sunt etiam qui sibi videntur credere fide diuinâ, & non credunt: quia motiua supernaturalia, neque tunc, neque aliàs vnquam bene perceperunt: ideóque præter fidem humanam nihil habent. Nititur falsâ experientiâ.

Objicit secundò præcipuè: Si quæ ratio esset, cur formale debeat cognosci eodem actu, quo materiale: maximè, quia formale est motiuum cognoscendi materiale. At inde potiùs sequitur oppositum; quia quod mouet ac quodammodo allicit intellectum ad assensum aliquem exercendum, & non mouet ad hoc nisi cognoscatur, non pòtest esse ipse actus, qui exercetur: nec proinde id, quod per hunc actum cognoscitur, quatenus per hunc cognoscitur. Oportet enim id quod mouet, ac allicit ad eum exercendum, esse priùs illo actu. Et quia non mouet nisi cognoscatur, oportet esse priùs cognitum, quàm actus ille exerceatur. Et consequenter oportet esse cognitum per actum aliquem præcedentem. Addunt aliqui, implicare apertam contradictionem, formale seu motiuum cognosci eodem actu, quo materiale. Nam medium, quod cognitum ducit in alterius cognitionem, debet priùs naturâ cognosci, quàm aliud, in cuius cognitionem ducit. Sed formale, seu motiuum, est tale medium respectu materialis. Ergo debet priùs naturâ cognosci, quàm materiale. Si autem illud medium vt priùs cognitum, est medium ad aliud cognoscendum; eius cognitio est conditio ad eliciendam cognitionem alterius, priùs

68. Alterum eiusdem sententiæ argumentum.

naturâ prærequisita: Ergo ipsa non potest identificari cum cognitione alterius. Nam nulla res se ipsam præsupponere potest vt conditionem prærequisitam. Quando autem cognitio est indiuisibilis; antequam principium cognitiuum eam eliciat, debet esse vltimò dispositum ad eliciendum. Quare si ipsamet esset conditio ad seipsam prærequisita, deberet esse priùs in principio elicitiuo illius, quàm principium ipsam eliceret. Sic enim argumentor: Omnis actus intellectus præsupponit naturâ priùs, antequam producatur, quidquid necessarium est vt producatur. Ergo iste actus, de quo loquimur, præsupponit cognitionem medij. Ergo seipsum præsupponit antequam producatur; quia ipse idem est indiuisibiliter cognitio medij, & obiecti materialis cui medium est. Item, si vnum per aliud cognoscitur, cognitum tamen eodem actu; debent in illo actu esse duæ tendentiæ, & duo actus virtualiter, aut duæ rationes, quarum vna sit prior, & causa alterius. Siquidem medium vt cognitum, seu cognitio medij, est causa cognitionis obiecti materialis. At hoc apertè est impossibile in nostra sententia: cùm tendentia ad medium, vel ad connexum vt tale, tendat indiuisibiliter ad id, cui medium, vel cui connexum est: nec possit vna ratio, vel tendentia ab alia præscindi. Dicendum est igitur obiectum formale, seu motiuum, cognosci actu diuerso, & quidem præuio, saltem naturâ, tanquam conditione, & dispositione præparante intellectum ad assensum materialis. Intellectus enim, cognito formali, est dispositus & aptus ad cognoscendum materiale; sicut cognitis præmissis est dispositus, & sufficiens ad cognoscendam conclusionem. Acuitur enim intellectus, & quodammodo crescit lumen & vis intelligendi per huiusmodi prænotiones, quæ iuuant & disponunt ad notitiam aliorum; vt patet in ijs, qui speculationi rerum subtilium incumbunt, qui in dies fiunt acutiores ad quævis alia intelligenda.

69. Prioritas duplex: in quo, & à quo. Responsioni præmitto duplicem esse prioritatem, siue rei, siue rationis; & siue in esse, siue in cognosci. Vnam, *in quo*: alteram tantùm, *à quo*. Prior est, quando vnum est, aut potest esse, vel cognosci sine alio, quod in esse, vel in cognosci pendet ab ipso. Vt sol potest esse sine lumine, quod lumen in esse pendet à sole. Posterior est, quando vnum non potest esse, vel cognosci sine alio, quod tamen in esse, vel in cognosci, est, aut pendet ab ipso. Quo pacto Pater diuinus est prior filio, non naturâ vel dependentiâ, sed origine, licet numquam possit esse sine filio: & causa vt causans est prior effectu, quia effectus pendet à causa vt causante & influente: licet causa vt causans non possit esse ita se habens, neque intelligi, sine effectu.

Medium cognitionis quomodo priùs cognoscitur? Dico igitur primò, medium cognitionis seu motiuum formale, esse tantùm priùs in cognosci, prioritate à quo, idque non impedire quin simul semper & eodem actu cognoscatur cum materiali. Potest enim idem assensus cadere in vtrumque, & cadere in vnum propter aliud. Sicut idem actus voluntatis cadit in medium & in finem, quando vult medium propter finem, non aliunde volibile, aut non aliter volitum, quàm quia est vtile ad finem. In quo modo cognoscendi, & volendi, licet duo simul cognoscantur, & appetantur; cognoscuntur tamen, & amantur diuersimodè. Vnum enim cognoscitur, vel appetitur immediatè, & propter se: Alterum, propter illud. Vnum prædominatur, & ducit ad notitiam vel amorem alterius, & trahit alterum in cognitionem vel amorem, tanquam ratio, vel causa cur cognoscatur aut ametur: Alterum verò sequitur, & cognoscitur, vel amatur dependenter ab illo, cognito licet, vel amato per eundem actum. Hoc supposito, ad tria prima argumenta, quæ in idem recidunt, & verbis magis quàm sensu differunt, Respondeo generatim, medium seu motiuum assensus, cognitum eodem actu cum eo cui est medium, non præsupponi esse cognitum antequam exerceatur ille actus: neque vt sic esse conditionem ad illum eliciendum prærequisitam: sed tantùm esse id, quod in obiecto est principalius, & ratio aliud cognoscendi, tanquam mouens ad cognoscendum se, & aliud propter se. Ideóque dicitur cognosci priùs à quo: quia licet simul tempore vtrumque & eodem actu attingatur: vnum tamen attingitur propter aliud.

Deinde singillatim ad Maiorem primi argumenti, eiusque confirmationem, quæ sic habet: Id quod mouet tanquam cognitum ad assensum aliquem exercendum, non potest esse id, quod per hunc actum cognoscitur, quatenus per hunc cognoscitur: Oportet enim priùs cognosci id quod mouet, & non mouet nisi cognoscatur: Si autem priùs cognoscitur: Ergo actu distincto. Respondeo id quod mouet tantùm ex parte obiecti tanquam cognitum priùs à quo, id est, tanquam principalius in obiecto, & ratio cognoscendi aliud, posse cognosci eodem actu: & ex prioritate tantùm à quo inter obiecta, prout cadunt sub cognitionem cum aliqua dependentia, malè inferri diuersitatem cognitionum. Ad secundum Respondeo similiter, medium debere cognosci priùs à quo, id est, cognosci tanquam principalius: neque propterea eius cognitio est conditio priùs naturâ prærequisita ad eliciendam cognitionem alterius, quasi sint duæ cognitiones, quarum vna sit causa alterius: sed tantùm vna cognitio cadit in duo simul: & in vnum propter aliud, quod idcirco dicitur pendere ab illo in cognosci, & cognosci posteriùs à quo, id est, non propter se, sed propter illud. Ad hanc autem cognitionem eliciendam sufficit obiectum formale cum materiali proponi intellectui habenti aliunde vim cognoscendi materiale propter formale: Sicut ad videndum sufficit proponi colorem illuminatum visui. Neque est opus vt visio luminis præeat visioni coloris tanquam conditio prærequisita. Ex quo patet solutio tertij argumenti: Nego enim istum actum, de quo est sermo, præsupponere cognitionem medij, priùs quàm eliciatur. Ad quartum: Nego maiorem. Neque enim sunt hîc duæ tendentiæ, vel duæ cognitiones: neque est causalitas inter tendentias, vel cognitiones: sed est tantùm inter obiecta in cognosci, id est, in ordine ad cognitionem, & prout cadunt sub

70. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ.

illam: quatenus scilicet vnum cognoscitur propter aliud: & quamvis vnica cognitio tendat in vtrumque indiuisibiliter: cadit tamen in vnum propter aliud, tanquam principalius, ac per se cognitum, & rationem cognoscendi aliud. Æquiualet tamen ista cognitio indiuisibilis duabus distinctis, quarum vna tenderet solùm in materiale, altera, in id quod est formale, & motiuum, materialiter sumptum. Sicut assensus conclusionis æquiualet tribus, quibus seorsim cognoscerentur conclusio, & duæ præmissæ materialiter sumptæ, & absolutè.

Ad reliquum obiectionis non nego intellectum perfici exercitio, & actui vim intelligendi; sed contendo esse impossibile cognosci vnum vt connexum cum alio, ac vi connexionis; absque eo quòd illud cognoscatur eodem actu. Cognosci v. g. Deum esse trinum, quia Deus reuelauit; absque eo quòd cognoscam Deum reuelâsse, eodem actu, quo non aliter cognosco Deum esse trinum, quàm quia Deus id reuelauit. Obiectum enim non est mihi aliunde cognoscibile.

SECTIO X.

An obiectum formale fidei debeat esse obscurum aliquatenus, & credibile tantùm?

71. Triplex gradus assensus; euidens, certus, & probabilis tantùm.

NOta primò, triplicem esse modum, quo assentimur obiectis. Primò euidenter. Secundò, certò, quamvis ineuidenter. Tertiò, probabiliter tantùm. Assentiri euidenter, est ita assentiri veritati, atque ita conuinci eius luce seu perspicuitate, vt de ea nullo modo dubitare possis, neque voluntariè, neque inuoluntariè, quamdiu lux illa veritatis rei in seipsa, vel argumentorum per quæ apparet, occurrit intellectui, & ab illo bene consideratur. Toties enim ita determinat intellectum ad assensum, illúmque tam plenè & perfectè possidet; vt loco assensus, non possit dissensum, aut dubitationem, ne inuoluntariam quidem habere. Dixi autem, *quamdiu lux illa, &c.* Nam alioqui non repugnat de aliquibus euidentibus haberi dubitationes inuoluntarias. Quo pacto, licet doctis euidens sit Deum esse, & prouidere vniuerso, patiuntur tamen interdum dubitationes inuoluntarias, & indeliberatas, propter occurrentes difficultates in contrarium; non aduertentes ad lucem argumentorum, ex quibus bene inspectis euidens illis fuit Deum esse, & gerere curam vniuersi. Assentiri autem certò, quamvis ineuidenter, est firmiter assentiri & sine formidine deliberata oppositi, de quo, iure & ex merito argumenti, aut fundamenti assensus, iudicas te non debere voluntariè, neque posse prudenter dubitare: quamvis ob ineuidentiam obiecti dubitationes inuoluntarias patiaris, aut pati possis, etiam tunc, quando sufficienter cogitas de euidentia credibilitatis. Possunt enim etiam tunc emergere dubitationes inuoluntariæ, propter ineuidentiam veritatis ipsius rei, quæ veritas manet adhuc obscura. Neque enim est euidens verum esse id, quod tantùm est euidenter credibile. Sicut non est euidens verum esse id, quod tantùm est euidenter probabile. Addidi autem, *ex merito argumenti, &c.* Nam alioqui non est vera & rationabilis certitudo, de qua nunc loquimur; sed præsumptio, & persuasio temeraria, cum pertinacia, & obstinatione intellectus: qualis est firma adhæsio hæreticorum & peruicacia circa suos errores. Assentiri denique probabiliter tantùm, est assentiri leuiter, assensu non excludente vi suà, & prout est assensus probabilis, formidinem aut suspicionem voluntariam oppositi.

Nota secundò, huic triplici modo assentiendi respondere ex parte obiecti triplicem modum cognoscibilitatis, seu proportionis cum intellectu nostro in ordine ad assensum. Id est, obiecta quædam sunt euidentia, seu euidenter cognoscibilia: quia eam habent proportionem cum intellectu nostro, vt si illi proponantur, assensum euidentem obtineant. Quædam verò sunt tantùm certa in ordine ad cognitionem, quidquid sit de certitudine seu firmitate in essendo, de qua dicemus alibi. Alia denique sunt tantùm opinabilia. 72. Triplex cognoscibilitas, seu proportio obiecti.

Nota tertiò, dupliciter posse aliquid esse euidens. Primò, in se, seu per se & immediatè; quando nempe videtur in seipso sicuti est; & clarè attingitur in seipsa, & per seipsam connexio, vel identitas prædicati cum subiecto. Quo pacto Deum esse, & Deum reuelare, euidens est Beato, qui Deum, & Dei reuelationem intuetur. Secundò, tantùm mediatè & per aliud: quando, licet res in seipsa non videatur, neque per seipsam clarè appareat connexio, vel identitas prædicati cum subiecto: apparet tamen per aliquid aliud, ex quo deducitur euidenter. Quo pacto nobis euidens est Deum esse, ex effectis; & Deum reuelare euidens esset illi, qui haberet indicia euidentia reuelationis, quamvis ipsam non videret in seipsa. Euidens duplex: per se, & per aliud.

Notandum enim quartò id, quod post alios plures rectè docet Suares Disp. 3. Sect. 8. num. 2. Fieri posse vt qui Deum loquentem non videt, cognoscat tamen euidenter ipsum reuelare. Sicut enim potest Deus lumine gloriæ intellectum nostrum attollere ad Deum clarè videndum: ita potest lumine aliquo inferiore supernaturaliter eum eleuare ad clarè cognoscendam hanc veritatem, *Solus Deus potest mihi infundere species & reuelationes supernaturales.* Potest quoque illum attollere ad cognoscendas intuitiuè species & reuelationes supernaturales, quas ipsi imprimat. Quòd verò huiusmodi reuelationes, à Deo specialiter & supernaturaliter impressæ, non possint esse falsæ, tam nobis est euidens, quàm clarè constat Deum non posse esse causam specialem peccati, & actus turpis, neque ad illum inducere. Et quamvis id naturaliter non esset euidens: posset Deus intellectum supernaturaliter illustrare ad hoc quoque euidenter cognoscendum. His autem positis, euidens esset tali intellectui (licet carenti lumine gloriæ, neque Deum videnti) Deum reuelare. Quia euidens illi esset se habere speciem, & reuelationem supernaturalem. Euidens quoque illi 73. Deus potest reuelare euidenter, etsi non videatur.

esset Deum solùm specialiter & supernaturaliter esse illius auctorem, falsámque esse non posse.

74. Nota quintò, aliud esse euidentiam rei, seu quòd res sit: siue illa euidentia habeatur per se immediatè, siue per aliquod medium; & aliud, euidentiam credibilitatis, aut probabilitatis; seu quòd credibile sit, aut probabile rem esse. Nam v. g. id quod tres, aut quatuor fide digni affirmant, est euidenter credibile. Non est tamen euidens rem ita esse vt affirmant: quia non est euidens eos nec falli, nec fallere. Quare hîc tantùm est euidentia credibilitatis; sed non euidentia rei, seu veritatis simpliciter. Sic etiam id, de quo affertur ratio probabilis, & nulla certa in contrarium, est probabile euidenter: at non propterea est euidenter verum: quia multa, quæ videntur probabilia, sunt falsa: & sæpe duæ propositiones contradictoriæ sunt ambæ probabiles. Sic etiam euidens est aliquam propositionem esse obscuram, aut esse dubiam; Neque propterea euidens est esse veram, quia euidentia obscuritatis, non est euidentia veritatis.

Euidentia rei aliud est quàm euidentia credibilitatis, aut probabilitatis.

Nota sextò, statum quæstionis esse, an obiectum formale fidei, quatenus tale, id est, quatenus fides illi innititur, debeat esse obscurum aliquatenus, id est, non euidens simpliciter euidentiâ rei, per se, vel per aliud; sed tantummodo euidens euidentiâ credibilitatis; ita vt tantùm euidenter credibile sit Deum vt primam veritatem reuelare. His præsuppositis,

Status quæstionis.

75. Dico primò, res, quæ diuinâ fide creduntur, quatenus creduntur, non esse euidentes in seipsis. Patet, quia quatenus per fidem creduntur, non videntur in seipsis, neque clarè innotescunt per seipsas, sed cognoscuntur tantùm per medium extrinsecum, nempe diuinum testimonium. Dixi autem, *quatenus per fidem creduntur*: quia res eædem possunt interdum esse per se euidentes; vt quædam, quæ dicuntur Ecclesiastici 43. de Sole, Luna, Iride, Stellis, Ventis, Mari & similibus, quæ nobis ipsâ experientiâ sunt per se euidentia: & tamen sunt de fide quatenus reuelata in Scriptura, & cognoscibilia per reuelationem credibilem. Sic etiam B. Virgini euidens erat se concepisse sine viri opera; & alia quædam, quæ sunt de fide.

Creditũ, vt tale, non est euidens in seipso.

76. Dico secundò, res, quæ fide diuinâ creduntur, non fieri simpliciter euidentes per diuinam reuelationem, sed tantùm euidenter credibiles: Ideoque fides diuina non innititur obiecto formali simpliciter euidenti, sed credibili tantùm; ita vt reuelationem diuinam esse factam, obscurè tantùm constet, vt communiter constat; vel credenti non sit euidens, sed tantummodo certum, Deum nec falli, nec fallere. Hæc assertio est D. Thomæ, Magistri, Durandi, & aliorum plurium, quos sequuntur Suares Disp. 3. Sect. 8. puncto 3. & Ægid. Coninck disp. 9. dub. 8. Probatur primò ex Apostolo Hebr. 11. affirmante fidem esse *argumentum non apparentium*; id est, ita conuincens intellectum, vt tamen non faciat illi euidenter apparere id quod credit. Qua etiam de causa 1. Cor. 13. cognitionem fidei vocat ænigmaticam, id est, obscuram. Similique modo de fide loquuntur & sentiunt Sancti Patres; vt Athanasius lib. de salutari Christi aduentu, circa medium. *Non* (inquit) *fides de re euidenter concepta, fides dici poterit.* Et Aug. Serm. 1. de Trinit. *Fidelis sum, credo quod nescio.* Et Hilar. lib. 8. de Trinit. inter principium & medium: *Maximum fidei stipendium est, sperare quæ nescias.* Ratio eiusdem assertionis est, quia fides, iuxta notionem, quam de illa nobis dant Scriptura, & Sancti Patres, atque etiam Theologi, & Philosophi communi consensu, est essentialiter, & ex natura sua assensus ineuidens, & in medio quodam gradu inter scientiam, id est, claram rei notitiam, & inter opinionem, quam fides superat per certitudinem, sicut à scientia superatur per euidentiam. Ergo fides necessariò & ex natura sua requirit aliquam ineuidentiam in obiecto suo formali. Alioqui enim esset assensus euidens. Nam res reuelata cognosceretur euidenter, si euidens esset Deum reuelâsse, & Deum non falli, neque fallere. Tunc enim se haberet, vt conclusio euidenter deducta ex præmissis euidentibus; Quidquid Deus reuelauit, verum est: Sed Deus reuelauit, v. g. Verbum esse incarnatum: Ergo id verum est.

Neque fit simpliciter euidẽs per reuelationem.

Item, ex D. Thoma quæst. 1. art. 4. & communi Theologorum consensu, assensus fidei non est ab intrinseco necessarius, sed subiectus liberæ determinationi voluntatis, quæ ex affectu piæ credulitatis, & inspiratione, piáque motione Spiritus sancti, consentit propositioni fidei, applicátque intellectum ad credendum. Atqui si assensus fidei haberet obiectum simpliciter euidens, esset ab intrinseco necessarius, & non egeret tali motione, & applicatione, impulsúque voluntatis: intellectus enim est de se & naturâ suâ determinatus ad assentiendum veritati euidenter apparenti. Esset, inquam, ab intrinseco necessarius, id est, talis, vt vi sui obiecti debitè & conuenienti modo propositi, sequatur necessariò, dummodò voluntas sinat intellectum naturaliter agere. Tertiò, si fides niti potest obiecto formali euidenti; id est, si potest credere rei reuelatæ, is qui nouit euidenter, per se, vel per indicium euidens, Deum reuelare, & non falli, neque fallere: nullâ posset reddi ratio, cur aut quomodo fides non fuerit in Christo, & non sit in Beatis circa diuinas reuelationes: vel in sanctis Angelis, cùm Dei reuelationes alij ab alijs accipiunt. Nulla enim ratio solida reddi potest cur fidem non exerceant, nisi quia sciunt, id est, norunt euidenter Deum veraciter reuelare, & rem esse prout reuelatur. Atqui omnium consensu fides non fuit in Christo: neque est, saltem actualis, in Beatis Angelis vel hominibus: Ergo, &c. Confirmatur, quia, vt res sciatur, non est necessarium illam videri in seipsa, vel cognosci euidenter immediatè: sufficit enim cognosci euidenter per aliquid aliud: vt patet ex consensu omnium Philosophorum, qui cum Aristotele 1. Poster. docent causas demonstrari scientificè per effectus: & dari scientiam à posteriori,

æquè ac à priori. Atqui non minùs demonstratur res reuelata per euidentem reuelationem, & veracitatem reuelantis: non enim minùs sequitur ex præmissis euidentibus, & necessariò atque euidenter inferentibus veritatem rei reuelatæ. Ergo, &c.

77. Refellitur euasio. Neque responderi potest cum Caietano, hanc euidentiam non esse rei in se, sed solùm in testificante. Quia vel sensus est, quòd ipsa non sit euidens nisi testificanti. Et hoc est falsum: Nam ei, cui reuelatur, est quoque euidens, si reuelatio, & veracitas reuelantis est illi euidens: Ex his enim duobus euidentibus infertur euidenter rem esse. Vel sensus est, quòd res non sit euidens in se, ac per se immediatè. Et hoc quidem verum est; sed non impedit euidentiam. Nam euidentia à posteriori, non est euidentia rei in se immediatè, sed per effectum, vel per aliquid aliud. Et quidem euidentia parta per euidentem Dei reuelationem, & veracitatem, non minor, imò maior est, quàm euidentia causæ per effectum naturalem. Nam maior est connexio, & inseparabilitas diuinæ reuelationis cum veritate rei reuelatæ, quàm effectus cum causa. Illa enim connexio est planè inseparabilis ex parte reuelationis diuinæ, cùm absolutè repugnet Deum reuelare falsum: at verò effectus potest supernaturaliter à causa separari. Effectus autem ostendit euidenter causam ratione illius connexionis: & non quia effectus est. Nam effectus separabiles naturaliter ab existentia causæ, sunt æquè effectus, ac alij non separabiles: & tamen ex illis non infertur euidenter causa. Vt v.g. calor est æquè effectus Solis, ac lux. Et tamen ex præsentia caloris non infertur præsentia Solis, sicut ex præsentia lucis diurnæ; quia potest esse calor intensus in aëre, absente Sole, qui tamen calor fuerit productus à Sole.

78. Medium extrinsecum potest causare euidentiam. Responderi etiam nequit, testimonium non causare euidentiam rei reuelatæ, quia est medium extrinsecum. Nam, vt iam dixi, euidentia per illationem vnius ex alio, fundatur in necessaria & euidenti connexione. Quare nihil refert sitne connexum intrinsecum, an extrinsecum. Deinde, effectus à Deo creati, sunt ipsi extrinseci: & tamen ex illis à posteriori infertur euidenter esse Deum. Adde reuelationem Dei de seipso, esse Dei effectum. Ergo tunc saltem euidentia daretur per effectum rei reuelatæ: sicut datur de alijs causis per earum effectus.

Euidentia à posteriori est multiplex. Dici etiam nequit, quod respondet Turrianus disp. 9. de fide, dub. 3. euidentiam à posteriori duplicem tantùm esse, iuxta antiquos Philosophos: nimirum per effectum, aut per reductionem ad impossibile, quando ex opposito sequitur contradictio aliqua, non in aliquo extrinseco, sed in ijs, quæ ex natura rei connexionem habent: non licet autem cuilibet fingere nouas definitiones demonstrationis à posteriori: alioqui nihil in Philosophia erit certum. Contrà enim insto, quia demonstratio per causam remotam, est etiam à posteriori, saltem per reductionem, iuxta Aristotelem, & veteres Philosophos. Similique modo omnes aliæ demonstrationes quæ non sunt à priori, id est, ex primis, immediatis, & causis conclusionis, reduci debent aut comprehendi nomine demonstrationis à posteriori: vt diuisio demonstrationis in eam quæ est à priori, & eam quæ est à posteriori, adæquata sit. Iam autem ostendimus non minùs euidenter concludi, imò maiorem euidentiam gigni, ex Dei reuelatione, & veracitate euidenti; quàm ex effectibus naturalibus. Quare hæc euasio non satisfacit argumento à nobis proposito.

Neque plus proficit quod respondet Mœrat. Disp. 3. Sect. 4. non esse euidentiam, nisi quando res, vel immediatè in seipsa per propriam speciem, aut aliquid instar huius speciei cognoscitur; vel in aliquo alio, in quo quidditatiuè eminenter continetur, vt creaturæ in Deo: vel ex aliquo medio euidenter noto, ita vt & ipsum medium, & simul huius ipsius medij cognitio sit motiuum assensus, qui datur rei, quæ dicitur euidenter cognosci: sicut assensus conclusionis fit ex assensu præmissarum: quod enim mouet ad assensum conclusionis, non est præcisè medius terminus: sed assensus quóque præmissis datus. 79. Vnde oriatur euidẽtia?

Contrà enim sic insto: Duo priora non requiruntur necessariò ad euidentiam. Tertium verò, quod sufficere fatetur Mœratius, reperitur in casu, de quo loquimur. Nam in quocumque assensu, in quo cognoscitur vnum per aliud, tanquam per motiuum, & obiectum formale; cognoscitur per illud, vt cognitum priùs *à quo*. Quia intellectus non mouetur ab illo obiectiuè, nisi cognoscendo. Mouetur enim ab illo, & determinatur per modum cognoscentis: & assentitur obiecto materiali, quia priùs *à quo* assentitur formali: quare distinctio Mœratij est inutilis eius proposito. Concludo itaque fidem non posse niti obiecto formali euidenti, cùm ex natura sua sit assensus ineuidens, vt ostendimus num. 76.

SECTIO XI.

Refutantur aliæ contrariæ sententiæ.

Contrarium quoque sentiunt quidam alij, affirmantes non modò posse, verùm etiam debere conuenienter, quibusdam fidei obiectum proponi credendum per euidentem reuelationem; quia, inquiunt, non est conueniens Deum aliter reuelare, quàm euidenter, ijs, quibus primò & immediatè reuelat, & per quos vult suas reuelationes ad alios peruenire; vt primo Angelo, primis parentibus, Prophetis, & Apostolis, similibúsque primis fidei doctoribus, in quibus aliorum fides fundatur, & superædificatur, vt loquitur Paulus Eph. 2. v. 20. Probant, quia alioquin abiretur in infinitum. Quod enim est obscurum, debet constare per aliud: Ergo si reuelatio facta immediatè à Deo primis fidei Doctoribus esset obscura, deberet ipsa constare per aliam reuelationem priorem & notiorem: & sic in infinitum. Item, Ecclesiæ fides esset incerta, si in toto suo corpore, constante primis, & alijs inferioribus, non 80. Non debuit Deus euidenter reuelare aliquibus.

haberet testem de visu. Fides enim, vt sit certa, debet resolui in testem ocularem.

Sed hæ rationes, si concluderent, probarent non modò id conueniens, verùm etiam necessarium fuisse. Ad primam autem respondeo, id, quod est penitus obscurum, debere constare per aliud. Secus id, quod ita est obscurum, vt tamen sit euidenter credibile! Cuiusmodi fuit reuelatio facta immediatè primis fidei præconibus. Ad secundum respondeo, sufficere ad fidei certitudinem quòd certò constet Deum reuelare: quamvis nulli credentium id simpliciter euidens sit. Alioqui nunc fides Ecclesiæ non esset certa; quia nunc nemo est, cui reuelatio fuerit facta immediatè & euidenter. Iampridem enim primi illi; quibus Deus reuelauit immediatè, sunt mortui. Neque verum est fidem, vt certa sit, debere resolui in testem ocularem, eo sensu, quem aduersarij intendunt. Sufficit enim resolui in Deum testificantem, cui euidens est id, quod reuelat; & in indicia certissima, quibus constet Deum esse testificatum. Adde quòd fides, non modò in tota Ecclesia, sed etiam in quolibet credentium certa esse debet. Ergo sicut ad certitudinem fidei, in quolibet fideli, sufficit reuelatio credibilis: ita toti Ecclesiæ sufficit.

81. Ac ne quidem primo Angelo. Alij, vt Turrianus disp. 9. de Fide & Mœrat. disp. 3. censent Deum non potuisse primo Angelo reuelare ineuidenter. Quia Angelo supremo euidens erat, inquiunt, nullam esse creaturam se superiorem: & non posse suum intellectum ex necessitate, id est, se non liberè consentiente, immutari ab alia creatura. Ac si fuisset immutatus, primus Angelus id cognouisset: quia habebat notitiam omnium naturalium: hæc autem omnia continentur in ordine naturalium veritatum. Aliunde verò euidens erat illi se indeliberatè accepisse species, quibus sibi reuelaretur mysterium Trinitatis, & similia obiecta supernaturalia. Ergo illi euidens erat Deum hæc sibi reuelare.

Quomodo potuit illi obscure reuelare? Respondeo non fuisse euidens primo Angelo se non posse ab alio, quàm à Deo specialiter & supernaturaliter operante accipere huiusmodi species: quæ si fuerunt supernaturales in substantia, non nouit illas quidditatiuè, & germanè: sed tantùm confusè, simili modo, quo nos cognoscimus nostras intellectiones; neque fuit necesse, vt cognosceret euidenter modum, & causam talis cognitionis imperfectæ. Aliunde verò Deus, qui nouit perfectissimè vim cuiusque intellectus creati, potuit ita contemperare species & modum proponendi suam reuelationem primo Angelo, vt haberet tantùm vim inducendi ad assensum certum & ineuidentem. Quòd si nihilominus primo Angelo euidenter reuelauit, vt plures sentiunt, Bannesio, Medina, & paucis alijs refragantibus; Dico primum Angelum non habuisse fidem, sed actum scientiæ infusæ, vi talis medij euidentis. Idémque dico de alijs, qui à multis existimantur habuisse aliquas reuelationes euidentes, cum euidentia diuinæ veracitatis, quæ Angelo primo non defuit. Verùm malè asseritur illum nouisse euidenter omnia naturalia, & nullam esse creaturam se superiorem, nec posse ab vllo, quàm à Deo immutari ex necessitate. Nam neque nunc cognoscit euidenter omnia naturalia, id est, omnia, quæ sunt, aut possibilia sunt, ordinis naturalis. Tunc verò multò minùs, cùm nondum experientiâ didicisset plurima, quæ ab eo tempore didicit.

Iidem Auctores, & alij ab eis citati, probant generatim, euidentiam in testificante, id est, euidentiam reuelationis & veracitatis, non obesse fidei. Primò, quia Paulus Hebr. 11. tantùm ait, fidem esse argumentum non apparentium, id est, non visorum, vt habet Græcus textus: Ergo ad fidem sufficit, rem non apparere in se ipsa; seu non videri, vel non cognosci in se immediatè connexionem prædicati cum subiecto, licet cognoscatur euidenter in testificante. Secundò, D. Thomas quæst. 5. art. 2. in corpore sic ait: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo conuinceretur intellectus credentis, vt cognosceret manifestè hoc dici à Deo.* Et paulò pòst: *Per hæc fidei ratio non tollitur.* Ponderant autem illud, *manifestè*, & *conuinceretur*: non enim conuincitur intellectus, nisi ab euidentia simplici. Tertiò, vt præcipuè argumentatur Mœrat. Disp. 3. Sect. 4. Reuelatio diuina non mouet nos ad credendum, nisi quatenus est reuelatio diuina, non autem quatenus est obscura, id est, obscurè cognita: Nam obscuritas non mouet, sed potiùs remouet ab assensu. Neque si aliquis interrogetur, cur credat? respondebit, quia Dei reuelatio est obscura: sed simpliciter, quia Deus reuelauit: quod signum euidens est reuelationem diuinam, quatenus reuelationem diuinam, esse motiuum & obiectum formale fidei. Atqui siue obscurè, siue clarè cognoscatur, est æquè reuelatio diuina: Ergo est æquè motiuum & obiectum formale fidei. Cognitio verò non est motiuum, sed tantùm conditio sine qua non moueret. Perinde verò est, siue sit euidens, siue obscura. Addit Mœratius, non magis obesse fidei, quòd reuelatio cognoscatur euidenter, quàm quòd euidens sit Deum esse veracem, quod tamen multis credentibus euidens est. Denique multi crediderunt, quibus erat euidens reuelatio, propter euidentiam miraculorum, per quæ confirmabatur: Vt v. g. Paulo rapto ad tertium cœlum; & Beatæ Virgini, cui euidens erat naturali euidentia se concepisse sine viri opera, & Lazaro se resurrexisse, & Thomæ Apostolo, se corpus Christi viuum palpare. 82. Euidentia in testificante obest fidei. S. Thom.

83. Soluuntur argumenta contraria. Ad primum Respondeo Paulum per, *non visa*, intelligere non apparentia, vt vertit Vulgatus interpres, id est, non euidentia. Quæ autem sunt simpliciter euidentia, non possunt dici noneuidentia, & nonapparentia. Ad secundum: Sensus D. Thomæ est, ne alioqui sibi contradicat art. 5. eiusdem quæstionis, intellectum conuinci valde euidenti & forti credibilitate, propter tam ingens miraculum, vt cognoscat manifestè (non simpliciter, sed euidenter euidentiâ credibilitatis) Deum loqui per Prophetam suscitantem mortuum. Est

autem notum experientiâ, non solùm ea quæ sunt euidentia simpliciter, sed & valde probabilia, interdum conuincere intellectum, & extorquere assensum indeliberatum. Ad tertium: Reuelatio diuina debet, vt sit obiectum formale fidei, habere respectu intellectus gradum cognoscibilitatis medium inter obiectum scientiæ, & obiectum opinionis: quem gradum explicamus nomine obscuritatis. Neque enim eo nomine intelligimus negationem euidentiæ, quæ negatio non potest mouere ad assentiendum: sed intelligimus reuelationem diuinam ita propositam, & intellectui nostro contemperatam, vt sit idonea ad gignendum assensum certum, licet non simpliciter euidentem: qui assensus habet quòd sit certus, & quòd sit ineuidens, seu obscurus. Et quòd sit certus, habet à reuelatione diuina sufficienter credibili. Obscurus verò & ineuidens est, quia Deus obscurè tantùm reuelauit. Quare si credens interrogetur, cur certò assentiatur? aptè respondebit, Quia mihi certum est Deum reuelâsse. Cur autem obscurè tantùm? Quia reuelatio obscurè facta est, & credibilis tantùm. Estque prorsus à veritate alienum dicere reuelationem, quâ reuelatio simpliciter est, & quomodocumque fiat, vel cognoscatur, esse obiectum formale fidei. Alioqui, si probabiliter tantùm cognosceretur, esset æquè obiectum fidei: & actus circa illam exercitus, esset actus fidei. Quod est falsum. Quia in eo casu esset tantùm opinio. Loquimur autem semper de illo, qui vltra reuelationem, nouit etiam euidenter Dei veracitatem. Alioqui enim sufficit alterutrum esse obscurè cognitum. Quia conclusio sequitur partem deteriorem: assensus autem fidei est similis conclusioni. Quare si reuelatio obscura est, non obest motiuo fidei, veracitatem esse euidentem. Et vice versâ, non obest reuelationem esse euidentem, si veracitas obscurè nota est.

84. Fueritne aliquibus euidens reuelatio?

Ad vltimum respondeo, si quidam circa aliquid habuerunt euidentem notitiam reuelationis, & diuinæ veracitatis; non habuerunt fidem, sed actum scientiæ infusæ circa tale obiectum, ex vi talis motiui, quippè simpliciter euidentis. Exempla verò huius euidentiæ quæ proferuntur, non sunt omnino certa. Non enim liquet fuisse Paulo simpliciter euidens se raptum fuisse ad tertium cœlum. Beatæ autem Virgini euidens quidem fuit euidentiâ naturali, id est, vt solent alia esse naturaliter euidentia, se sine viro peperisse: & Lazaro, se resurrexisse: & alijs, alia similia. Sed fortasse non erat illis simpliciter euidens hæc opera esse Dei specialia, & omnino propria, esséque verè & strictè miracula, id est, opera solius omnipotentiæ Dei propria: quod tamen euidenter deberet cognosci, vt inde sciretur euidenter, Deum miraculis testificari se loqui. Non erat, inquam, fortasse illis simpliciter euidens: quia paucissima sunt nobis euidenter nota de virtute Angelorum, vel aliarum creaturarum intellectualium existentium, aut possibilium; neque scimus euidenter quousque se extendat.

SECTIO XII.

An reuelatio priuata sufficiat vt sit obiectum formale fidei Theologicæ?

Nomine priuatæ reuelationis intelligimus eam, quæ fit priuatim alicui, aut aliquibus, sine ordine ad communitatem, cui Deus illam tradat per eum veluti per internuntium, aut legatum. Nam si fiat ex intentione vt tradatur communitati, hoc ipso est publica. Quo pacto reuelatio facta primo Angelo, vt alijs communicaretur, & Moysi ac similibus, publica tamen fuit: licet vni primùm facta, sed vt per eum ad Ecclesiam dimanaret, & omnibus credenda proponeretur. Hoc supposito, respondeo affirmatiuè, cum Suare Disp. 3. Sect. 10. Ægidio Coninck disp. 9. dub. 6. Mœrat. Disp. 3. Sect. 2. Vega, Aragonio, Corduba, Salmerone, Bellarm. Sanchez, & alijs, quos isti citant. Probatur primò ex D. Thoma quæst. 1. art. 1. Vbi pro formali obiecto fidei sufficiente & adæquato assignat primam veritatem reuelantem; nullâ factâ mentione publicæ reuelationis, aut doctrinæ in commune propositæ. Secundò, Scriptura laudat fidem aliquorum, qui crediderunt priuatis reuelationibus, quæ non nisi diu pòst fuerunt omnibus ad credendum propositæ per alios qui eas scripserunt in libris Canonicis. Vt Rom. 4. v. 3. iuncto Genes. 15. v. 6. Vbi laudatur Abraham, eò quòd crediderit filium sibi iam seni, de Sara sterili nasciturum: additúrque vtrobique fidem hanc fuisse illi reputatam ad iustitiam, vt ostendatur sermonem ibi esse de fide diuina & supernaturali. Itémque Hebr. 11. v. 8. 9. 11. 17. & sequentibus laudantur idem Abraham, Isaac, Iacob, Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, alijque viri Sancti, eò quod specialibus quibusdam reuelationibus sibi factis, etiam interdum de rebus temporalibus, fidem habuerunt. Ibidémque Apostolus non obscurè docet hæc omnia per eandem fidem fuisse ab illis credita, per quam iustificamur, & per quam assentimur publicis reuelationibus; vt patet ex fine capitis præcedentis, *Iustus autem meus ex fide viuit*, & ex toto capite vndecimo. Præterea Tridentinum Sect. 6. can. 16. affirmans neminem posse esse certum, absolutâ, & infallibili certitudine fidei, de sua perseuerantia, nisi hoc didicerit ex speciali reuelatione; clarè supponit hanc reuelationem esse possibilem, & sufficere ad fidem diuinam, quam intelligit per fidem habentem absolutam & infallibilem certitudinem. Dúmque nihil addit, quo fidem circa eiusce modi reuelationem distinguat ab illa quâ creduntur cætera à Deo reuelata; satis indicat eandem esse cum illa. Neque verò quicquam est aliud quod eam distinguere suadeat efficaciter: sed potiùs debet eadem iure censeri, cum habeat idem motiuum & obiectum formale, nempe diuinam reuelationem sufficienter credibilem. Neque potest esse dubium quin primæ veritati quidvis reuelanti credibiliter, siue priuatim, siue pu-

85. Priuata reuelatio quid sit?

Probatur sufficere.

blicè, conueniat assensus certissimus & supernaturalis, cuiusmodi est assensus fidei Theologicæ. Deus enim est semper veritas prima, quæ neque falli potest, neque fallere, quidquid testificetur, siue per se, siue per Prophetas, Apostolos, Ecclesiam, & quemvis alium; siue de rebus publicis, siue de priuatis. Dumque his, aut illis præbetur assensus, non variatur ratio assentiendi: quia non aliter credimus hæc aut illa, quàm ratione testimonij diuini sufficienter propositi.

86. Contraria sententia. Contrarium sentiunt Thomistæ, cum Valentia quæst. 1. de fide, puncto 1. existimantes non sufficere priuatam reuelationem. Primò, quia fides Catholica idem est quòd vniuersalis. Ergo se tantùm ad ea extendit, quæ omnibus generaliter credenda proponuntur. Fides autem Theologica est fides Catholica. Ergo, &c. Secundò, ex D. Thoma prima parte, quæst. 1. art. 8. sub finem, fides nostra innititur reuelationi factæ Apostolis, & Prophetis, qui Canonicos libros scripserunt: non autem reuelationi, si quæ fuit alijs Doctoribus facta. Et 2. 2. quæst. 5. art. 3. in corpore sic ait: ***Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima.***

Soluuntur eius argumenta. Ad primum respondeo eandem fidem, quæ Catholica est, etsi non quatenus Catholicam (id est prout ita denominatur in ordine ad vniuersalem doctrinam Ecclesiæ) assentiri posse cuilibet testimonio diuino sufficienter proposito, de quacumque re sit. Ad secundum: D. Thomas loquitur tantùm de fide nostra, vt communis & Catholica est: quâ ratione non innititur reuelationibus priuatis, sed communibus, & Scripturis, ac traditionibus diuinis Propheticis, vel Apostolicis: propter quod etiam dicimur esse superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, Ephes. 2. v. 20. Eadem tamen fides, adæquatè considerata, complectitur omnia à Deo reuelata, quæ non induunt specificam diuersitatem, ex eo præcisè quòd reuelatio priuatim aut publicè fiat. Nam hæ differentiæ sunt prorsus accidentariæ.

87. Spiritus priuatus Nouatorum. Cæterùm, per huiusmodi priuatas reuelationes non intelligimus spiritum priuatum Nouatorum, quo vno, velut supremo iudice controuersiarum, omnia metiuntur. Licet enim profiteantur art. 4. & 5. Confess. Gallicanæ, Scripturam sacram esse fidei regulam, & omnis veritatis; & quidem solam, quia paulò post addunt debere omnia per illam regulari: Eandem tamen Scripturam, tum quoad literam, tum quoad sensum, subjiciunt spiritui priuato. Nam art. 4. loquentes de libris illis, quos vt Canonicos superiore articulo enumerârunt, reiectis quibusdam alijs ab Ecclesia Catholica receptis iam à tempore D. Augustini, & Concilij Carthaginensis IV. cui idem Sanctus Doctor interfuit, & subscripsit: *Hos libros*, inquiunt, *cognoscimus esse Canonicos, & regulam certissimam nostræ fidei, non tam per communem concordiam, & consensum Ecclesiæ, quàm per testimonium, & interiorem persuasionem Spiritus sancti, qui nos facit illos discernere à reliquis libris Ecclesiasticis; super quos (licet sint vtiles) non potest fundari vllus articulus fidei.* Hæc illi de iudicio & discretione textus Scripturæ sacræ. Quoad sensum verò, putant similiter se verum à falso discernere per vnctionem, siue inspirationem Spiritus sancti; iuxta illud 1. Ioan. 2. v. 27. *Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.* Inspiratio autem illa, vel vnctio, & persuasio interna Spiritus sancti non est aliud, quàm proprius cuiusque sensus, quo pertinaciter iudicio suo adhæret, & aliorum sententiam rejicit. Nam cùm Lutherani æquè, ac Caluinistæ, alijque recentiores Hæretici, persuasionem illam Spiritus sancti prætendant: alij tamen plures libros Canonicos, alij pauciores admittunt. Et inter ipsos Caluinistas dissensio interdum est: vt inter Caluinum, & Bezam, de initio cap. 8. Ioan. quod alter spuriam, alter diuinam Scripturam esse vult. Nullus item est Caluinistarum, qui Scripturæ interpretationes ab alijs factas approbet vniuersaliter: sed vnusquisque multas damnat, etiam Caluini ipsius; & aliorum inter eos præstantiorum: Non aduertens Spiritum sanctum æquè sibi deesse posse, atque alijs, quos damnat: Et esse apertè impossibile, vt Spiritus sanctus sit infallibiliter in quolibet illorum, quorum vnus damnatur ab alio tanquam Scripturæ sensum non bene assecutus. Qualem ergo suæ fidei regulam, quàm incertam, imò planè temerariam, & erroneam excogitârunt Hæretici! Quibus certè non fauet locus Ioan. citatus. Nam per *Vnctionem*, intelligit doctrinam, quam fideles illi, quos alloquitur, ab Apostolis acceperant, & interius auxilium Spiritus sancti ad illam acceptandam: vt patet ex versu 24. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* Vbi idem dicit, quod v. 27. vtens eâdem voce vnctionis; *Et vos vnctionem, quam accepistis ab eo* (à Christo per me, aut per alios Apostolos) *maneat in vobis. Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos:* iam scilicet satis à nobis edoctos, &c. Atque vt rectè in eundem locum notat D. August. tract. 3. in 1. Epist. Ioann. Si sola interior illuminatio, seu reuelatio sufficeret, frustra moneret Ioannes, vt doctrinam datam retinerent.

Hoc igitur inepto & inani figmento hæreticorum reiecto; per reuelationes priuatas intelligimus veras motiones Spiritus sancti, cum aliquo effectu mirabili interno, vel externo, quo euidenter credibile fiat Deum reuelare. 88. Priuata reuelatio qualis esse debeat? Non est tamen necesse effectum illum mirabilem internum, esse distinctum realiter à motione Spiritus sancti: sed potest ipsa motio tam esse illustris, vt habeat per seipsam sufficientem notam diuinitatis, & argumentum credibilitatis. Sed non est facilè credendum huiusmodi priuatis reuelationibus, vt rectè monet Innocent. III. cap. *Cum ex iniuncto, De hæreticis:* Vbi ait non esse fidem adhibendam reuelationi speciali, nisi miraculo, aut alio, scilicet æquiualenti, & sufficienti signo externo, vel interno, confirmetur. Quomodo examinanda? Eadémque de causa Concil. Lateran. sub Leone X. prohibet Sess. 10,

ne reuelationes speciales de rebus futuris prædicentur, nisi præuio examine & approbatione Ecclesiæ, id est, saltem Episcoporum localium, quorum iudicio & inquisitione reuelationes illæ prudenter expendantur: ob periculum scilicet ne falsæ pro veris accipiantur, & proponantur publicè, cum scandalo fidelium. Præterquam quòd huiusmodi priuatæ reuelationes non solent esse sufficienter credibiles, nisi illis ipsis quibus fiunt. Non debent autem alijs proponi publicè sine sufficienti credibilitate. Eandem etiam ob causam Paulus 1. Thess. 5. ait probandos esse spiritus si ex Deo sint. Quia, vt alibi addit 2. Cor. 11. interdum Satanas se transformat in Angelum lucis. Qua de re plura videri possunt apud D. Thomam in Epistolas Pauli, ad locum postremò citatum, & apud Gersonem Tom. 1. in Tractatu *De distinctione verarum visionum à falsis*. Cuius discriminis has notas ex Scriptura & Patribus dat. Primò, si reuelationem recipiens præ se ferat sanctitatis præsumptionem, illiusque opinionem affectare videatur: aut delectationem capiat in narrandis reuelationibus sibi factis, easque facilè & sine fructu enuntiet. Secundò, si examini Doctorum, & præcipuè Prælatorum, non facilè & promptè se submittat. Tertiò, si reuelationes huiusmodi sint de rebus inutilibus; & multò magis, si contineant aliquid mali, contra bonos mores, vel contra iura recepta, vel contra fidem Ecclesiæ Catholicæ. Nam si illius doctrinæ repugnant, vel si à regula Ecclesiæ discedunt; rejiciendæ sunt tanquam falsæ: iuxta illud Apostoli ad Galat. 1. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Quibus verbis non significat Apostolus fieri posse, vt Angelus de cœlo contra Euangelium prædicet; aut quivis alius contraria fidei proponat, cum iisdem signis cœlestibus & diuinis, vel cum paribus omnino argumentis credibilitatis, quibus Euangelium fuit propositum, & factum sufficienter credibile. Alioqui enim vna credibilitas alteri detogaret, & ambæ se mutuò destruerent; prudentérque iudicando, suspendendus esset assensus, & neutri parti contradictionis præbendus; quia existentibus paribus vtrinque argumentis, neutra potiùs quàm alia, assensu digna esset, neque certò constaret vtra potiùs sit vera. Sed sensus Apostoli est, Euangelij propositionem tot támque firmis argumentis factam esse credibilem, vt indubitanter illi debeant postponi quæcumque alia in contrarium apparentia: quia nihil paris momenti illis opponi potest.

Notæ falsæ reuelationis.

SECTIO XIII.

An reuelatio diuina debeat necessariò fieri per propositionem, & auctoritatem Ecclesiæ?

89. Conclusio negatiua. Respondeo negatiuè cum Maldero in 2. 2. quæst. 1. art. 1. Sect. 5. Suare disp. 3. Sect. 10. num. 8. Mœratio disp. 3. de fide, Sect. 3. & alijs recentioribus, quibus fauet D. Thom. quæst. 1. art. 1. affirmans simpliciter veritatem primam reuelantem esse obiectum formale fidei, nullámque faciens mentionem auctoritatis, aut propositionis Ecclesiæ. Probatur primò, quia in priuatis reuelationibus, quas multis factas olim fuisse, & alijs adhuc fieri posse, præcedenti Sectione ostendimus, non interuenit propositio vel auctoritas Ecclesiæ. Et tamen illæ creduntur fide supernaturali, vt ibidem probauimus, siue fiant de rebus ad totam Ecclesiam, & ad fidem Catholicam, vt talem, pertinentibus: siue de alijs priuatis. Secundò, propositio omninò necessaria ad credendum, est prior fide. Sed Ecclesia non est prior fide: imò est posterior, cùm constet ex fidelibus, quorum quilibet sine alijs potest esse fidelis. Ecclesia, inquam, necessariò constat ex Fidelibus, tanquam ex membris, & partibus naturâ prioribus toto. Et Fideles non possunt esse sine fide. Ergo Ecclesia non potest esse sine fide, naturæ ordine, priori. Sed quod naturâ prius est, non habet pro conditione necessariò prærequisitâ id, quod est posterius. Ergo fides non habet pro conditione necessariò prærequisita propositionem, vel auctoritatem Ecclesiæ: Atque hæc ratio rem planè demonstrat. Adde tertiò, quòd Deus ipse immediatè quibusdam reuelauit. Et non potuit primo parenti proponere per Ecclesiam, quæ nondum erat. Multi etiam alij crediderunt sine propositione Ecclesiæ: vt Angeli, Abraham, Moyses, & multi alij Prophetæ, per quos potiùs Deus Ecclesiæ ipsi proposuit. Paulus quoque ad Galat. 1. profitetur se non esse Apostolum per homines, sed per Iesum Christum: & se non ab homine accepisse Euangelium, neque didicisse, sed per reuelationem Iesu Christi. Vnde collige, non solùm priuata quædam, sed etiam dogmata generalia fidei Catholicæ, sine Ecclesiæ propositione credi posse, & fuisse à nonnullis credita. Neque dicas id tantùm verum esse de illis, quibus proponuntur, tanquam personis publicis, vt per eas reuelentur alijs. Nam esse publicam personam ad hoc munus destinatam, nihil addit intrinsecum personæ, aut reuelationi: sed solùm est denominatio extrinseca à Deo designante, & destinante talem personam ad officium publicum docendi alios. Quare reuelatio sufficienter credibilis facta illi personæ vt publicæ, nihil habet, quod non haberet facta eidem, vt personæ priuatæ, id est, sine tali destinatione ad officium publicum: adeóque illi æquè sufficeret ad credendum fide diuinâ.

Probatur efficaciter.

Ratio denique à priori est, quia ad credendum fide diuinâ sufficit Deum dixisse, fierique sufficienter credibile quòd Deus dixerit. Atqui sine propositione, vel auctoritate Ecclesiæ, potest Deus dicere, & facere sufficienter credibile quòd dixerit, per miracula scilicet, & alia argumenta sufficientia, in hunc finem adhibita. Vtque Ecclesia ipsa creditur propter diuinam reuelationem, sufficienter credibilem factam per huiusmodi argumenta: sic alia similiter propter illam credi possunt, quia non sunt minùs propter illam credibilia. Confirmatur, quia priùs credi debet Ecclesiam Catholicam 90. Ratio à priori.

esse veram Ecclesiam, & habere auctoritatem infallibilem, quàm vt eius auctoritate, vel propositione, tanquam infallibili, moueamur ad ea credenda, quæ proponit. Auctoritas enim Ecclesiæ, vt apud nos sit efficax, tanquam medium infallibile, præsupponit hunc assensum, quòd ipsa sit fide digna, tanquam fidelis custos, & infallibilis interpres veritatum à Deo reuelatarum. Sicut autem ad hunc assensum fidei eliciendum sufficiunt argumenta credibilitatis, quibus veluti notis diuinis & infallibilibus, vera Ecclesia discerni & agnosci potest: sic ad alia fidei dogmata cognoscenda sufficere possunt paria argumenta, quibus euidenter credibile fiat Deum illa reuelâsse. Quod verum est, non solùm de dogmatibus fidei generalibus, aut confusè conceptis sub propositionibus quibusdam vniuersalibus, vt quòd Christianismus sit verus, & amplectendus: verùm etiam de particularibus quibuscumque fidei propositionibus: quamquam illæ, magna saltem ex parte, non solent ordinariè proponi specialiter cum sufficienti credibilitate, nisi per auctoritatem Ecclesiæ iam notæ sufficienter, vt dicemus paulò pòst.

91. *Contraria sententia.* Contrarium sentiunt Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. conclusione 1. litera, I, & Valentia quæst. 1. de fide, puncto 1. §. 6. assertione 3. quorum ille docet generaliter & absolutè ad credendum articulos fidei necessarium esse credere Ecclesiæ, hoc est, credere Ecclesiam esse veracem. Quod præcipuè probat ex D. Aug. lib. contra Epist. fundamenti, cap. 5. affirmante se non crediturum Euangelio, nisi crederet Ecclesiæ. Ergo, secundùm Augustinum, non est credendum libris Canonicis Scripturæ, nisi quia primò credendum est Ecclesiæ approbanti libros illos, & contenta in eis. Quapropter ibidem addit: *Euangelium Nazaræorum non admittam, quia illud non admittit Ecclesia.* Valentia verò loco citato affirmat, secundùm legem ordinariam, vt quis per habitum fidei Christianæ alicui veritati reuelatæ assentiatur, præter ipsam reuelationem, necessarium esse eiusmodi veritatem ab Ecclesia proponi tanquam à Deo reuelatam, & fide credendam: non quia hæc Ecclesiæ propositio sit de ratione formali obiecti fidei: sed quia est conditio quædam requisita, sine qua ordinariè assensus fidei Christianæ non elicitur. *Primum eius arg. ex Scriptura.* Quod probat primò, quia Deus dedit Ecclesiæ Pastores, per quos fides discenda sit, & à quibus verbum Dei sit requirendum, illisque adhærendum, vt non fluctuemus tanquam paruuli, & circumferamur omni vento doctrinæ, Ierem. 3. v. 15. Malach. 2. Ephes. 4. & Hebr. 13. Quibus addit illud Rom. 10. v. 14. & 15. *Quomodo credent ei, quem non audiuerunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur?* ab Ecclesia scilicet, & Pastoribus eius legitimis. Item ad Galat. 2. v. 1. & 2. *Post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus: seorsim autem ijs, qui videbantur aliquid esse: ne fortè in vanum currerem, aut cucurrissem:* nisi scilicet cum illis conferrem, déque eo constaret ijs, quibus Euangelium prædico. Alioqui enim nec ipse Paulus securè prædicare poterat Euangelium, neque alij Paulo credituri erant: vt docent Hieronymus in Epist. ad Augustinum, quæ est 11. inter Epistolas Augustini: & ipse August. lib. 28. contra Faustum cap. 4. & Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 2.

Addit secundò, eandem esse communem doctrinam sanctorum Patrum, affirmantium non oportere quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, vt ait Iren. lib. 3. cap. 4. initio. *Secũdum arg. ex SS. Patribus.* Neque aliter, quàm per Ecclesias ab Apostolis conditas, debere probari quid ipsi prædicauerint, quidve Christus reuelauerit, vt ait Tertull. lib. de Præscript. cap. 21. & fidem tenere non posse, eum qui non tenet Ecclesiæ vnitatem, sed velut riuum à fonte præcisum arescere, inquit Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: fidem à SOLA Ecclesia tradi, & ex omni Scriptura muniri, inquit Cyrillus Ierosol. Catech. 5. prope finem: & fidem in primis Ecclesiæ quærendam mandaui, inquit Ambros. lib. 6. in Lucam, circa illud capitis 9. *Quicumque non receperint vos, &c.* ac denique ex sola Catholica Ecclesia conspici veritatem, vt affirmat August. vel alius auctor Serm. 181. de Tempore cap. 12. &c. lib. contra Epist. fundam. cap. 5. tradit Augustinus celebrem illam sententiam, *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas, quâ sublatâ, nec iam Euangelio credere potero.*

Probat denique tertiò hac ratione: Secundùm Dei legem ordinariam non creditur aliquid sine eo medio, quod, vt fidei dogma propagaretur, Christus instituit. *Tertium ex ratione.* Sed illud medium est ministerium docendi ex Ecclesiæ sententia: atque adeò propositio fidei veritatum ex auctoritate atque sententia Ecclesiæ facta. Quod probat ex Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes:* & Marc. 16. *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Verùm, vt ab hoc vltimo incipiam, respondeo minorem huius argumenti neque veram esse, neque bene probari. 91. Nam in duobus locis Scripturæ citatis nulla fit mentio propositionis ex sententia, & auctoritate Ecclesiæ; sine qua potest fieri, & fit interdum annuntiatio mysteriorum fidei sufficienter credibilis per miracula, & alia signa diuina. Ad Patrum verò auctoritates antè relatas à Valentia, respondeo illas nihil aliud probare, quàm fidei veritatem esse in Ecclesia, faciléque ab illa sumi posse: *Explicantur testimonia Patrum.* apud alias verò sectas quærendam non esse, quia ibi non est; vt ait Irenæus: quia ab illa sola, non ab alijs sectis traditur; vt ait Cyprianus: quia illi soli, inter alias sectas de veritate fidei gloriantes, mandata est, vt in illa quæreretur; quemadmodum ait Ambrosius: quia in illa sola conspicitur; vt ait Augustinus: Itemque in dubijs circa fidem ad Ecclesiam recurrendum esse: & vt dignoscatur quidnam Christus reuelauerit, & Apostoli, prædicauerint, non debere id aliter discerni, & probari; hoc est, non esse opus aliâ probatione, quàm testimonio & iudicio illius Ecclesiæ, quæ à Christo & Apostolis fundata est,

perpetuò duratura vsque ad mundi consummationem; vt ait Tertull. Neque posse fidem tenere eum, qui ab eius vnitate, & fide se separat; vt ait Cyprianus: Ac denique in quibusdam specialibus fidei dogmatibus non aliud sibi suppetere medium sufficiens ad credendum, quàm Ecclesiæ auctoritatem. Quo sensu D. Aug. aiebat loco suprà citato, se non fuisse crediturum Euangelio, nisi Ecclesiæ Catholicæ eum mouisset auctoritas. His enim verbis tantùm significat se non habere sufficientem credibilitatem quòd Euangelium scriptum, quale habemus, sit verè diuinum, & omni ex parte Canonicum, constans tot libris, tot capitibus, tot clausulis, & periodis, præter Ecclesiam id attestantem: neque se illud certâ fide aliter posse discernere ab Euangelio Nazaræorum, & alijs olim falsò prætentis nomine Petri, Thomæ, & aliorum quorundam Apostolorum. Et quidem illud, atque etiam Scripturam reliquam esse verè sacram & diuinam, in omnibus & singulis illius partibus, non constat communiter, nisi Ecclesiasticâ oris traditione: licet hoc ipsum alijs signis sufficientibus reddi possit credibile diuinitus, vt cætera fidei dogmata specialia.

93. Ad loca Scripturæ. Ad testimonia verò Scripturæ sic respondendum est. Primò, Pastores & Doctores primos Ecclesiæ, vt Apostolos v.g. per quos Deus Ecclesiam fundauit, non didicisse ab Ecclesia, neque per illius propositionem, vel auctoritatem accepisse fidem. Esse verò illos datos Ecclesiæ, vt illis, & eorum successoribus cæteri adhæreant, illos audiant, & ab illis verbum Dei accipiant, per eosdémque conseruentur & stabiliantur in fide, contra insurgentes dubitationes, & hæreses: secundùm ordinem à Deo constitutum, qui est Ecclesiam docere per pastores eius legitimos, & supremo Pastori capitique Ecclesiæ visibili subordinatos. Quod tamen non impedit quin Deus extraordinariè possit absque illorum interuentu, instruere aliquem de fidei rebus ad salutem necessarijs: vt docent communiter Theologi, nominatimque D.Thomas quæst. 14. de Veritate, art. 11. ad 1. de illis, qui diu seruarent legem naturalem quoad moraliter possunt, illis in locis, vbi fides nondum promulgata est; qui potiùs à Deo per se, vel per Angelos sufficienter illuminarentur ante mortem, deficientibus medijs ordinarijs. Secundò, quosdam etiam immediatè à Deo audiuisse: vt ipsummet Apostolum, & Adamum, Abraham, Moysen, aliósque; de quibus Paulus non loquitur Rom. 10. sed de eo quod communiter fit. Quosdam etiam immediatè à Deo missos fuisse, vt Prophetas, & Apostolos: non tamen sine signis & argumentis diuinis suæ missionis, quibus sufficienter credibile fieret, ipsos à Deo mitti immediatè & extraordinariè. Tertiò, nullum quidem sibi assumere posse munus & auctoritatem prædicandi: sed opus esse missione ordinariâ, id est, auctoritate legitimâ, acceptâ ab Ecclesia: vel extraordinariâ, id est, à Deo immediatè acceptâ, sed benè probatâ vt diuinâ, & non repugnante Ecclesia; cùm Dei spiritus, qui eam regit, contrarius sibi ipsi esse non possit. Verumtamen nullum esse Catholicum, qui licet ad hoc non sit ab Ecclesia deputatus, non possit vbique fidem suam profiteri, & infidelibus priuatim saltem annuntiare, atque, si Deus opituletur, eam sufficienter credibilem reddere. Quod est adeò verum, vt etiam per seruos & ancillas multi ad fidem conuersi fuerint. Quartò, licet secundùm ordinem communem, fidei prædicatio fiat per eos, qui mittuntur ab Ecclesia: tamen vt sufficienter proponant, non sufficit quòd ab Ecclesia sint missi; neque modus ille proponendi est necessarius simpliciter. Quamvis enim de Ecclesia nihil esset auditum: proposito tamen fine, & mediatore, vel alio fidei articulo, posset quis credere præsuppositâ sufficienti credibilitate ex alijs argumentis. Quamvis etiam in omni casu missio siue deputatio Ecclesiæ necessaria esset; illa tamen non est propositio: neque ex necessitate missionis bene infertur necessitas propositionis Ecclesiæ. Quintò, dico Paulum non dubitasse de Euangelio, quod à Christo acceperat, quodque tot signis tam illustribus videret confirmari: neque eousque totis quatuordecim annis perperam prædicasse, non exquisito priùs Ecclesiæ consensu: sed tantùm vsum fuisse auctoritate Ecclesiæ propter infirmos: ne fortè illis videretur in vanum currere, aut cucurrisse, annuntians doctrinam à communi aliorum Apostolorum, & Ecclesiæ sensu alienam. Sextò, certum quidem est Ecclesiam cum suis conditionibus & adiunctis, de quibus alibi dicemus, secum ferre magnam rationem credibilitatis, quòd ipsa sit à Deo, habeatque Dei testimonia; & frequentissimè adhiberi, deberéque adhiberi ad fidem persuadendam, præsertim vulgo fidelium; ac demum esse inter argumenta credibilitatis præcipuum, magis illustre, magis frequens & ordinarium. Verùm præter illam rationem credibilitatis, multæ aliæ sunt, non pendentes ab illa. Tametsi fieri potest, vt plurimi non habeant aliam rationem credibilitatis sufficientem, quam proponant alijs, vel quâ moueantur, præter Ecclesiam cum suis conditionibus & adiunctis: quæ tantò ampliùs mouet, quantò magis Spiritus sancti ope tam diuinum opus & admirabile cognoscitur; quod humano sensu pro dignitate æstimari nequit.

Cur Paulus conferre debuit cum alijs Apost.

Vide disput. 5. sect. 3.

94. Ecclesiæ propositio communiter necessaria; & cur? Cùm enim prædicatio, vel propositio mouens sufficienter ad assensum fidei Theologicæ, debeat esse credibilis: & fideles, qui alijs fidem annuntiant non habeant ordinariè à seipsis sufficientem credibilitatem, quia non pollent virtute faciendi miracula, vel confirmandi alijs signis diuinis, Deum dixisse id, quod proponunt velut ab eo reuelatum: debent aliunde illam credibilitatem accipere. Quod ordinariè faciunt ostendendo se adhærere Ecclesiæ, & eius nomine loqui, referréque illius doctrinam. Eius, inquam, Ecclesiæ, in qua valde illustres sunt, & facilè conspicuæ notæ diuinitatis & credibilitatis: non solùm inter Christianos, sed etiam inter ipsos infideles, & Ethnicos, si modò velint attentè animum ad illas aduertere. Nam prophetiæ de illa longè antè prædictæ, quæque non potuerunt prædici,

dici, & præuideri, sine spiritu diuino; cùm sint de rebus à plurimorum libertate pendentibus, vel à Dei ipsius libera voluntate, videntur manifestè esse in illa impletæ: videlicet de illius perpetuitate, non obstantibus quibuscumque mundi & dæmonum insultibus: de propagatione per vniuersum orbem: de constantia martyrum, de subuersione Idolorum, de conuersione Gentium, de perpetua successione Pastorum in sede Petri, & aliorum ei subordinatorum, per quos Ecclesia vsque ad mundi consummationem regatur, & stabiliatur in fide. Notum enim est, aut esse facile potest, etiam infidelibus, libros, in quibus hæc prædicantur, fuisse iamdiu antè conscriptos: cùm non minùs constet illos esse antiquos, irrefragabili plurimorum testimonio, quàm id constet de libris Aristotelis, aut Platonis. Cùm autem res tam multas, tam longè dissitas, tam pendentes à Dei, vel hominum libertate prædicant; facile est inde colligere libros illos esse diuinos, maximè cùm aliunde nihil nisi sanctum, & diuinum contineant. Ijdem verò libri commendant Ecclesiam, vt columnam, & firmamentum veritatis, fidelemque custodem, & interpretem verbi Dei, & ducem viæ salutis infallibilem. Præterea, fama miraculorum, & signorum mirabilium, quæ olim facta sunt, & deinceps subinde fiunt varijs locis; ordinariè fiunt in confirmationem auctoritatis Ecclesiæ, & doctrinæ ab ipsa traditæ, illique generaliter auctoritatem conciliant. Facilè quoque est, ipsis etiam infidelibus, videre notas omnes veræ Ecclesiæ, in libris illis diuinis designatas, nulli alteri sectæ conuenire, siue infidelium, siue eorum, qui perperam Christiano nomine gloriantur. Itaque qui has notas proponunt, & ostendunt se illi Ecclesiæ adhærere, nihilque aliud, quàm eius doctrinam referre, habent ab illa sufficientem credibilitatem suæ prædicationis. Et quoniam aliâ destituuntur ordinariè, debent illam proponere.

Si qui tamen, vt Apostoli, alijque olim illustres sancti, & nunc etiam primi, apud Indos & Iaponas, fidei prædicatores, habent à Deo donum miraculorum: possunt non interpositâ auctoritate Ecclesiæ, reddere suam prædicationem sufficienter credibilem, & per signa diuina, quibus pollent, dogmata fidei, siue generalia, siue etiam specialia, reddere credibilia. Quamquam etiam illi solent potiùs hæc signa adhibere ad reddendas credibiles propositiones quasdam fidei generales, ex quibus aliæ deducuntur: vt quòd Christiana religio sit vera: quòd Ecclesia Catholica & Romana, id est, Petro & eius successoribus Romæ sedentibus adhærens, sit vera Ecclesia à Christo fundata, & commendata, tanquam vera & infallibilis fidei magistra: quòd illi, & non singulis fidelibus in particulari, promissa sit infallibilitas: & ab illa loquente per suum caput visibile, vel per alios Pastores ei subordinatos, eo modo & ordine, quem Christus instituit, accipiendæ sint in speciali fidei veritates, & decidenda dubia, si quæ occurrunt circa Dei reuelationes, quarum ipsa fidelis custos & interpres à Christo constituta fuit. Quo semel facto sufficienter credibili, & benè persuaso, facile est, solo nomine Ecclesiæ interposito, singulas fidei veritates persuadere. Simili modo, quo postquàm Iudæis innotuerat ex prophetijs veteris Testamenti, & mirabilibus à Christo editis, ipsum esse Messiam, commendatum à Deo vt verum legis nouæ Doctorem; facile illis erat, credere vera esse quæcumque ab illo proponebantur credenda. Ideóque Petrus Actor. 2. Stephanus Act. 7. & Paulus in Epist. ad Hebr. alijsque locis, illud primum Iudæis persuadere nitebantur. Idcirco etiam Deus tam illustribus notis Christum, & Ecclesiam designare voluit, vt eo veluti compendio, totam fidem persuaderet: ne alioquin opus esset ad singulas fidei veritates applicare noua signa diuinæ reuelationis, & sufficientia credibilitatis argumenta.

Septimò denique, verum est, testimonium 95.
Ecclesiæ bene iam notæ & creditæ, loquentis Quomodo est
in capite suo visibili summo Pontifice, vel solo, medium
vel cum Concilio generali, esse medium ordi- ordina-
narium necessarium ad maiorem expressionem rium?
veritatum obscurè & confusè reuelatarum in Scriptura, & Traditionibus diuinis: Itémque ad decidenda dubia, quæ contingunt in materia fidei: quia miracula, & alia argumenta credibilitatis, facta in confirmationem veritatis Christianismi & Ecclesiæ, non satis determinatè illis applicari possunt. Verumtamen ad notitiam minùs distinctam eorum, quæ reuelata sunt, & confusè credita secundùm sensum reuelantis, sufficit annuntiatio facta credibilis per signa & miracula, Sine Ecclesiæ interuentu. Et ipsa distinctior, maiórque expressio credibilium, & decisio dubiorum, aliter quoque fieri posset. Sed Deus modum illum ordinarium constituit, qui ad Ecclesiæ vnitatem, & bonum regimen valde conueniens, imò necessarius est secundùm rerum statum, qui nunc est, & fuit ab initio. Nam alioqui impossibile esset mederi hæresibus, & schismatibus.

Duobus autem modis Ecclesia cognosci po- 96.
test. Primò per signa, & notas externas, qui- Ecclesia potest
bus elucet, tanquam opus eximium à Deo mi- cognosci
rabiliter excitatum, & conseruatum, propa- dupliciter.
gatum per totum orbem, non vi & armis, sed martyrum constantiâ, prædicatorum integritate, professorum patientiâ, contemptu, humilitate, miraculis, & Spiritus sancti operatione, ad persuadendam doctrinam sensui asperam, intellectui difficilem, & naturæ corruptæ contrariam. Secundò, ex ipsa Dei reuelatione, & attestatione expressâ, quæ magnam illi auctoritatem conciliat, cùm affirmat portas inferi aduersus eam non præualituras, Matth. 16. v. 18. Illam esse columnam & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. v. 15. & spiritum Dei, qui in ipsa est, & verbum Dei in ore ipsius positum, non recessurum de ore eius, & de ore seminis eius, & de ore seminis seminis eius, à modò & vsque in sempiternum, Isai. 59. v. vltimo. Ex quibus locis, & similibus, intelligitur Ecclesiam ità regi à Spiritu sancto, vt non possit deficere in rebus fidei.

Vnde tanquam à Deo infallibiliter directa, & propter ipsum fide digna, magnam habet auctoritatem explicandi dogmata, Traditionésque diuinas, & decidendi dubia circa illas. Sed non inde sequitur, Ecclesiæ quomodolibet notæ propositionem necessariam esse vniuersaliter, aut eius auctoritatem semper esse interponendam, quasi sine illa non possit vllum fidei dogma constitui credibile. At neque vllum aliud motiuum credibilitatis in specie, vel in indiuiduo, est determinatè necessarium & vniuersaliter: cùm Deus indifferenter his aut illis mouere possit ad credendum.

97. Ecclesiæ propositio est ne pars obiecti fidei? Porro quando Ecclesia proponit; eius propositio, vt sic, præcisè sumpta, distinguenda est à ratione credibilitatis, quam eadem habet, quatenus ipsamet Ecclesia proponens, ratione suæ excellentiæ diuinæ bene perspectæ, constituit credibile idipsum quod proponit. Et propositio quidem, à quocumque fiat, siue ab Ecclesia, siue ab alio, non est pars, vel ratio obiecti fidei; sed est illi extrinseca, cùm sit dumtaxat propositio obiecti aliunde constituti & completi. At verò ratio credibilitatis est pars rationis formalis obiecti, vt alibi probauimus. (Suprà sect. 4. & 7.) Atque ita Ecclesia, quando non solùm habet rationem proponentis, sed etiam motiui ad credendum, est in formali obiecti fidei. Et tunc quidem resolutio fidei fit ex parte in illam: semper tamen fit etiam in primam veritatem, cuius reuelationi, per Ecclesiam, aut quidvis aliud, credibili factæ, ideo assentimur, quia Deus reuelans verax est.

98. Hinc collige falli Durandum in 3. dist. 24. q. 1. num. 8. & qui cum illo putant credibilium resolutionem vltimò fieri in id, quod est credere Ecclesiam regi à Spiritu sancto. Fallitur etiam Caiet. q. 1. art. 1. Cui ex parte assentitur Suares disp. 3. Sect. 10. n. 10. affirmans vltimam fidei resolutionem secundùm se quidem fieri in Deum: at secundùm nos fieri in Ecclesiam. (Fiat-ne vltima resolutio fidei in Ecclesiâ?) Falluntur, inquam: tum quia interdum non creditur propter Ecclesiam vel proponentem, vel mouentem; sed propter alia motiua sufficientia. Tum etiam quia distinctio illa resolutionis fidei, secundùm se, & secundùm nos, est friuola. Fides enim nostra secundùm se resoluitur in id, propter quod nos vltimò assentimur. Semper autem assentimur per fidem supernaturalem, ob Dei veracitatem, & reuelationem sufficienter propositam per argumenta credibilitatis: siue argumentum illud sit Ecclesia ipsa, siue aliud. Credere enim est certò assentiri reuelationibus diuinis propter Dei testimonium sufficienter propositum, eiúsque summam auctoritatem, & veracitatem. Quod si qui propter ignorantiam id non attingunt, non verè credunt. Notandum tamen hanc tendentiam esse plerúmque parum attentam, propter assuetudinem; & esse quasi virtualem, & implicitam: quod fidei non repugnat. Notandum etiam non esse adeò difficile homines, quamvis rudes & crassos, cum Dei ope eò deducere. Nam vel in ipsa Ecclesia tot sunt notæ sensibiles operationis & assistentiæ diuinæ, totque rationes credibilitatis, & tam illustres: vt si à Pastoribus proponantur populo, & explicentur; non difficile sit illis certò persuadere, tum Ecclesiam ipsam esse à Deo: tum quæ ab ipsa proponuntur, tanquam diuina dogmata, verè talia esse, & ideo credenda firmiter, quia Deus, qui verax est & fide dignissimus, ea reuelauit. Quare non est adeo difficile, imò prorsus necessarium est, vt etiam quoad nos fides in Deum resoluatur, vt reuelantem credibiliter.

Quæri posset vlteriùs, an sufficiat reuelatio mediata; ita vt ea, quæ deducuntur ex princi- 99.
pijs fidei, sint de fide: Item, an sufficiat reuelatio falsò præsumpta: vel nota tantùm lumine naturali. Sed de primo dicemus disp. 6. De secundo, disp. 3. De tertio, constat ex dictis reuelationem debere cognosci lumine supernaturali. Hæc igitur de obiecto formali fidei sufficiant in præsenti, quorum summa hæc est: Obiectum formale fidei esse diuinam testificationem sufficienter propositam, vt diuinam, id est, entis supremi, & summè veracis. Proponitur autem vt talis per argumenta, quibus constat Deum esse testificatum: inter quæ præcipuum, magis illustre, frequens, & ordinarium est, Ecclesia cum suis omnibus adiunctis considerata: quamvis illud non sit necessarium, neque primum, & vniuersalissimum: alia enim sine illo possunt sufficere.





DISPVTATIO SECVNDA.

Quale ſit obiectum Fidei? Et primò, ſit-ne complexum, vel incomplexum?

DE argumento huius diſputat, agit breuiter S. Doctor quæſt. prima, art. 2. vbi docet obiectum fidei dupliciter conſiderari poſſe. Vno modo, ex parte ipſius rei creditæ: & ſic obiectum fidei eſt aliquid incomplexum, ſcilicet res ipſa, de qua fides habetur. Alio modo, ex parte credentis: & ſecundum hoc, obiectum fidei eſt aliquid complexum per modum enuntiabilis. Quia cognita ſunt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis. Eſt autem modus proprius humani intellectus, vt componendo, & diuidendo, veritatem cognoſcat; id eſt, formando propoſitiones affirmatiuas, vel negatiuas, quibus vnum de alio enuntiat aut negat. Et ideo ea quæ ſunt in ſe ſimplicia, intellectus humanus cognoſcit ſecundum quandam complexionem. Sicut è contrariò, intellectus diuinus incomplexè cognoſcit ea, quæ ſunt ſecundum ſe complexa. Hucvſque D. Thomas, cuius doctrina ſequentibus Sectionibus fuſiùs explicabitur, pluribus additis contra ſententiam quorundam Nominalium de Complexo ſignificabili, qui non ita pridem figmentum illud Gregorij Ariminenſis in Scholas inuehere conati ſunt.

****

SECTIO I.

Vtrùm Fidei obiectum ſit complexum, vel incomplexum in modum enuntiabilis?

Prænotantur aliqua ad reſolutionem quæſtionis neceſſaria; & proponitur ac ſtabilitur vera ſententia.

1. Complexum duplex: Ota primò, non eſſe hîc ſermonem de complexo, vel incomplexo Phyſicè, id eſt, de re realiter ſimplici, vel realiter compoſita: quo ſenſu obiectum fidei, etiam ſecundum ſe ſumptum, & ex parte ipſius rei creditæ, partim incomplexum eſt, vt Deus, & quæcumque de Deo creduntur ipſi intrinſeca; partim complexum, vt Chriſtus, & Eccleſia, aliaque plurima. Sed ſermo eſt de complexo, vel incomplexo Logicè in modum enuntiabilis, id eſt, in modum prædicati, & ſubiecti, aliquâ copulâ connexi. Hoc enim totum dicitur, complexum velut enuntiatum, aut enuntiabile; eſtque obiectum, & materia enuntiationis mentalis, aut Phyſicū, & Logicum.

D 2

vocalis. Quo sensu verùm est quod ait S. Thomas, res à Deo reuelatas (nisi reuelet conceptus aliquos aut propositiones complexas) spectatas secundum se, non esse Logicè complexas in modum enuntiabilis. Quia talis complexio non conuenit rebus secundum se; sed tantùm quatenus subiacent conceptibus, aut propositionibus complexis, à quibus ipsæ denominantur complexæ. Sicut enim res per extrinsecam denominationem dicuntur dictæ, aut conceptæ; à dictione, vel à conceptu formali, quibus dicuntur, aut concipiuntur; ita denominantur extrinsecè complexæ, à propositione, vel à conceptu formaliter complexo, cui subiacent.

2. Quid intelligatur hic per *res à Deo reuelatas?* Nota secundò, per, *res à Deo reuelatas*, duo posse intelligi. Primò, res strictè sumptas, prout distinguuntur à vocibus & conceptibus; id est, quæ non sunt voces, neque conceptus. Secundò, res latè sumptas, pro quacumque materia reuelationis: Quæ materia potest esse conceptus, & voces à Deo reuelatæ: Nam reipsâ Deus reuelauit Scripturam sacram, quæ vocibus constat, esse diuinam. Si res reuelatæ sumantur primo modo; verum est vniuersim quod ait S. Thomas, res reuelatas, seu creditas, esse incomplexas in modum enuntiabilis, formaliter & in seipsis. Secus autem in secundo sensu: quia multæ propositiones complexæ sunt à Deo reuelatæ. Imò reuelatio fit ordinariè modo complexo: quia Deus, siue per se, siue per alium testificetur; humano modo loquendi & concipiendi se accommodat, complexéque reuelat res incomplexas, quamvis posset absolutè, si vellet, aliter eas reuelare, vt reuelauit Angelis. Atque ita res fidei communiter proponit per voces & verba complexa, quæ vt successiuè formantur & proferuntur; successiuè quoque apprehenduntur à nobis, & concipiuntur, tum conceptu medio, tum etiam vltimato: licet intellectus postea iudicet vnico simplici actu de tota materia propositionis, assentiendo, vel dissentiendo: vt mox dicemus.

3. Propositiones vocales, & earum apprehēsiones sūt complexæ. Notandum enim tertiò, propositiones quidem vocales esse formaliter complexas: itémque apprehensiones propositioni vocali respondentes, quibus seorsim apprehenditur subiectum, & prædicatum, & copula vtrumque inuoluens: quæ apprehensiones solent præcedere iudicium, præsertim quando proponuntur res difficiles, distinctè apprehendendæ, & diligenter expendendæ. Ideò enim conceptus multiplicamus, vt res distinctiùs apprehendamus, meliúsque seorsim expendamus. Vel etiam quando proponuntur per voces, quæ sicut formantur successiuè, ita successiuè à nobis apprehenduntur, diuersis conceptibus iudicium præcedentibus. Attamen iudicium est actus simplex, quo cognoscitur assertiuè identitas, aut diuersitas, connexio, aut disiunctio prædicati cum subiecto. Est enim apertè impossibile cognoscere aliquo actu prædicatum esse idem cum subiecto, quin eodem actu cognoscantur prædicatum, & subiectum. Diuersum quoque, & connexum, aut disiunctum, vt tale, cognosci nequit, nisi eodem actu cognoscatur alterum, à quo diuersum, aut disiunctum, vel cui connexum est. Nam duo actus, qui absolutè caderent in duo extrema, & sine comparatione vnius cum alio, non essent cognitio connexionis, aut disiunctionis, quæ non nisi inter duo potest esse, aut concipi, & vtrumque inuoluit in suo conceptu. Quare assensus fidei; qui est iudicium, non est complexus formaliter; sicut apprehensio ipsum præcedens, & propositio vocalis ipsum significans, complexa est.

Iudicium est actus simplex.

Nota igitur quartò, actum credendi esse assensum, id est, actum iudicij, & non tantùm apprehensionis. Vis autem apprehendendi, & vis iudicandi, id est, assentiendi vel dissentiendi, quamvis eadem realiter, valet ad actus plurimùm differentes. Sæpius enim fit, vt duorum qui æqualiter apprehendunt quid dicatur, vnus assentiatur, alter dissentiat: & vnus certò, alius tantùm probabiliter assentiatur, & cum formidine oppositi. Et qui propositionem hæreticam apprehendit tantùm, non asserendo; non peccat, neque hæreticus est. Ac ratione saltem vel naturâ priùs, quàm intellectus iudicet; necesse est vt apprehendat subiectum, prædicatum, & copulam. Quin etiam id sæpissimè fit priùs tempore per apprehensionem complexam. Cuius ratio tacitè sumitur à D. Thoma q. 1. a. 2. ex imperfectione intellectus nostri, qui minimus est omnium intellectuum, & vnâ simplici apprehensione parum potest distinctè & expressè apprehendere, ideóque cogitur conceptus multiplicare; sicut necesse est oculum circumferre ad videndum multùm spatij, aut obiectum valde amplum. Non est tamen necesse, vt quot sunt res, tot sint conceptus: neque vt quidquid multis vocibus significamus, non aliter, quàm totidem conceptibus apprehendamus. Possunt enim multæ res, & multæ rationes, etiam secundum suas differentias, vno conceptu ampliori, multis æquiualente comprehendi: non minùs quàm videri possunt vno actu visionis multi colores diuersi, quà diuersi, vnusquisque secundum suam propriam speciem. Imò qui concipit connexionem aut conuenientiam, vel disiunctionem aut differentiam inter duo, necesse est vt vtrumque simul & eodem actu percipiat. Nam, vt paulò antè diximus, duo actus qui in illa tenderent absolutè, sine comparatione vnius cum alio, non essent cognitio connexionis aut conuenientiæ, vel disiunctionis aut differentiæ, quæ non nisi inter duo esse potest, neque potest concipi, nisi illa inter se conferendo. Ideóque meritò Aristoteles 3. de Anima, cap. 2. Text. 143. *Qui vnum*, inquit, *differre ab altero cognoscit, vtrumque ac simul tempore percipit:* Et quidem vno, eodémque actu, vt necessarium esse iam ostendimus. Sed quamvis id necessarium non esset; non est difficilius concipere multa vno actu, quàm simul & eodem instanti exercere multos actus circa eadem. Natura autem est amans vnitatis: & frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora æquè commodè.

4. Actus fidei est actus iudicij.

Hinc sequitur actum fidei, & cuiuslibet iudicij, esse vnicum actum: cùm sit cognitio 5.

Ideóque est formaliter simplex. adhæsiua, vel auersatiua, duorum vt connexorum, aut identificatorum inter se, vt fit in propositione affirmatiuâ: vel vt diuisorum & disconuenientium, vt fit in propositione negatiua. Cui connexioni, aut diuisioni adhæret intellectus per assensum; aut illam auersatur per dissensum. Quare complexio formalis non est in ipso iudicio intrinsecè, sed in apprehensione præuia, complexa, & enuntiatiua: quam iudicium sequitur, id est, assensus aut dissensus circa res per apprehensionem propositas: Hæc autem apprehensio communiter fit complexè, apprehendendo seorsim prædicatum, & subiectum, & copulam, quæ vtcumque inuoluit, & sine illis cognosci nequit. Licet enim aliqua, non nimis multa, possimus simul apprehendere; illa tamen apprehensio sæpe confusa est, & imperfecta: ideóque ad res distinctiùs concipiendas, solemus, res etiam simplices, diuidere in plures conceptus inadæquatos: vt Deum in varia attributa: & naturam Angelicam, in genus & differentiam: & quæ vnita sunt, consideramus seorsim sine vnione: Vnionem verò & alia quædam non possumus concipere, quin plura concipiamus. Quia multa includunt aut important essentialiter: res autem concipi non potest sine illis, quæ includit, vel importat essentialiter.

Multa sunt in obiecto fidei. In obiecto verò totali fidei diuinæ, multa sunt quæ egent magnâ, & distinctâ apprehensione, quando initio proponuntur: nimirum, res à Deo reuelatæ, reuelatio ipsa cum argumentis credibilitatis, & veracitas Dei, qui nec fallit, nec fallitur. Ex quibus, res quæ reuelatur, est in se incomplexa Logicè, nisi Deus reuelet conceptum aliquem complexum, vel aliquam propositionem complexam. Veracitas quoque est in se incomplexa. Sed reuelatio fit communiter modo complexo, quia Deus, siue per se, siue per alium testificetur & reuelet, complexè id facit, vt humano modo intelligendi se accommodet, vt paulò ante diximus.

Proponitur modo cōplexo. Quamuis enim posset simul proponere totum obiectum cuiuslibet actus fidei per interiorem mentis illustrationem, & per maiorem eleuationem & corroborationem intellectus nostri, ad res simpliciter & incomplexè concipiendas: quo fortè modo nonnullis proposuit: Maluit tamen, & quidem conuenienter, sequi ordinariè modum concipiendi nobis connaturalem; & res fidei, quamuis Logicæ complexionis expertes, proponere modo complexo. Ideóque meritò D. Thom. quæst. 1. art. 2. in corp. dicit obiectum fidei esse complexum ex parte credentis, in modum enuntiabilis: quatenus scilicet, Deo se nobis accommodante, proponitur complexè, & non cadit sub fidem, nisi mediante apprehensione complexâ, & per iudicium illi æquiualens, repræsentans formaliter obiectum, vt complexum in modum enuntiabilis.

Ideóque est complexum ex parte credētis.

6. Creduntur immediatè res ipsæ. Nota quintò, cùm in enuntiationis obiecto tria sint, videlicet subiectum, prædicatum, & copula, *est*, vel, *non est*: totum quod creditur, esse illud totum, quod per enuntiationem significatur: id est, res, aut veritates reuelatas, & per totam propositionem significatas. Neque enim est fidei docere, vel credere vocum, & dictionum significationes; quod habemus à Grammatica, vel ab vsu communi: sed assentiri rebus ipsis & veritatibus à Deo reuelatis: licet id non fiat sine vocum intelligentia, quæ præsupponitur vt præuia dispositio ad concipiendum id, quod dicitur, quando reuelatio per voces proponitur; & ad assentiendum per actum fidei, qui exercetur post conceptum vocum & significationis, fertúrque immediatè in veritates vocibus illis complexè significatas, & à Deo reuelatas. Ex gr. quando credimus Deum esse trinum, obiectum nostræ fidei immediatum est quòd Deus à parte rei sit trinus. Neque enim, vt volunt recentiores aliqui Nominales, quando credimus Deum esse trinum, quia Deus reuelauit; credimus immediatè terminum hunc, *Deus*, supponere pro eodem, pro quo supponit terminus hic, *Trinus*: quia terminus hic, *Deus*, supponit pro eodem, pro quo supponit terminus, *reuelauit*: & Deus reuelauit terminum hunc, *Deus*, supponere pro eodem, pro quo supponit terminus hic, *Trinus*. Quod ineptum prorsus, & ridiculum est. Quasi verò Deus fidem supernaturalem propter has nugas Grammaticales infuderit; & Logicales terminorum suppositiones sint de fide, tanquam à Deo reuelatæ.

Rectè etiam monet S. Thom. quæst. 1. art. 2. ad 2. tametsi obiectum fidei sit complexum in modum enuntiabilis ex parte credentis; tamen actum credendi non terminari ad enuntiabile (formaliter scilicet vt tale, hoc est, ad ipsam enuntiationem vocalem, aut mentalem, formaliter complexam) sed ad ipsam rem. *Non enim* (inquit) *formamus enuntiabilia, nisi vt per ea de rebus cognitionem habeamus, sicut in scientia, ita & in fide.* Itaque obiectum fidei sunt res ipsæ, Deus, Trinitas, Incarnatio, vita æterna, &c. non verò aliqua complexa enuntiabilia, seu complexa significabilia, à rebus distincta, vt volunt Nominales, quos sequenti Sectione refutabimus.

SECTIO II.

Refutatur quædam opinio Nominalium de complexè significabili.

IIdem enim Recentiores, secuti Gregorium Arimin. in prolog. quæst. 1. articulo 1. conclusione 3. comminiscuntur aliqua complexè significabilia, quæ verè sint à parte rei, & tamen neque sint substantia, neque accidens, neque modus se habendi substantiæ, vel accidentis. Sic autem ea definiunt: Dantur Enuntiabilia complexè, non aliter distinctè & propriè significabilia, quàm complexè & verbaliter (id est, per aliquam propositionem,) quæ nulla sunt entitas incomplexa, hoc est, nulla substantia, aut qualitas inhærens substantiæ, (nullum enim aliud accidens Physicum, & distinctum à substantia agnoscunt) nec vllus se habendi modus cum re aliqua identificatus. Et huiusmodi complexa esse volunt obiecta adæquata omnium propositionum: ac de ijs loqui 7. Opinio Nominalium.

Aristotelem, cùm dixit; Ex eo quòd res est, aut non est, propositionem esse veram, aut falsam: id est, ex eo quòd est complexum significabile, aut non est. Notant enim, ex eodem Philosopho Ens tripliciter sumi. Primò, pro entitate incomplexa. Secundò, pro vero complexo, imò & pro quocumque significabili complexè, siue illud verum sit, siue non. Tertiò, & maximè propriè, Ens esse dicit Aristoteles verum illud complexum, quod aliter se habere non potest: vt, Quòd diameter sit incommensurabilis costæ.

8. Explicatur. Notandum autem primò, eorum sententiam esse (vt ex eorum discursu & argumentis clarè colligitur) quòd huiusmodi complexè significabilia, non modò non sunt vna entitas incomplexa, id est, vnica res, aut vnus se habendi modus: sed neque etiam sunt multæ res inter se coniunctæ, vel comparatæ; vel multi se habendi modi, inter se, vel cum rebus comparati. Liquet autem multas esse propositiones, quarum obiectum adæquatum non est vnica res, aut vnus se habendi modus: sed est multa inter se comparata, propter connexionem, quam habent à parte rei, vel disiunctionem, distinctionem, & diuersitatem; similitudinem, aut dissimilitudinem; proportionem, aut disproportionem; dependentiam, aut quid aliud. Quare si hoc tantùm intenderent aduersarij, dari aliqua complexa significabilia, quæ non sint vnica entitas, aut modus se habendi: non errarent in eo: sed falsum esset quod addunt, huiusmodi complexa significabilia esse obiectum adæquatum omnium propositionum. Nam plurimæ sunt propositiones, quarum obiectum adæquatum est vnica res complexè apprehensa & enuntiata: vt cùm dicimus, Deus est spiritus; Petrus est homo; Albedo est accidens: & similia.

9. Obiectũ propositionis nõ est sẽper aliquid existens. Nota secundò, cùm varia sint genera propositionum, quarum aliæ sunt affirmatiuæ, aliæ negatiuæ; item aliæ de possibili tantùm, aliæ de impossibili, aliæ de existenti; & inter has, quædam de præsenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro absolutè vel conditionatè; Nominales imaginati, harum omnium propositionum cuiuscumque generis, obiectum adæquatum esse in præsenti, si propositiones sint veræ: & esse aliquid, quod non sit entitas, vel entitates, aut modus, vel modi se habendi: sed quidpiam tantùm significabile complexè per propositionem, quâ enuntiatur: quod significabile si non esset, propositio esset falsa. Quia ex eo quòd res est, aut non est, propositio est vera vel falsa: hoc est, vt ipsi interpretantur, ex eo quòd complexum significabile est, propositio vera est; & ex eo quòd complexum significabile non est, propositio falsa est. In quo mirabiliter hallucinantur. Nam potiùs è contrariò, vt propositio negatiua sit vera, debet illius obiectum non esse, sicut per ipsam enuntiatur non esse. Quia in eo sita est illius veritas, seu conformitas cum obiecto, quòd ipsa enuntiet non esse suum obiectum adæquatum, & illud re ipsa non sit. Similiter, cùm propositio affirmatiua est de possibili tantùm, id est, cùm affirmamus tantùm, posse esse aliquid, putà posse alium mundum esse; vt propositio sit vera, non est necesse, obiectum esse actu, sed sufficit esse possibile, sicut enuntiatur. Et quando propositio est de impossibili, non est necesse ad veritatem propositionis, obiectum eius adæquatum esse: sed potiùs debet esse impossibile, id est, neque esse, neque esse posse. Item, cùm affirmatur aliquid fuisse, aut fore; sufficit obiectum fuisse, aut futurum esse, vt enuntiatur. Quare solæ propositiones affirmatiuæ de existente in præsenti, requirunt ad sui veritatem suum obiectum adæquatum existere. In alijs verò id non modò non est necessarium, sed est omnino contra earum sensum. Nam propositiones negantes aliquid esse, non affirmant illud esse re ipsa: sed potiùs implicitè & æquiualenter affirmant non esse. Et quæ affirmant aliquid esse impossibile, non affirmant esse, imò nec posse esse: alioquin affirmarent contradictoria. Quæ denique affirmant tantùm aliquid fuisse, aut futurum esse; non affirmant esse de præsenti. Illud autem quod affirmant, est earum obiectum adæquatum. Quare earum obiectum adæquatum non est actu. Et hæc ex sola terminorum explicatione, vel mediocribus ingenijs nota esse existimo.

Ex contraria verò imaginatione, sequeretur primò, dari actu infinities infinita entia, à Deo distincta realiter, independentia, & æterna: quot nimirum sunt complexè significabilia de possibilibus, & impossibilibus, quorum veritas obiectiua non pendet à Dei libertate, sed est simpliciter necessaria: neque incipit tantùm esse, quando à nobis enuntiatur, aut cognoscitur: neque enim facimus veritatem obiecti, sed supponimus: Ex. gr. non ex eo quòd enuntiamus mundum alium esse possibilem, est ille possibilis: sed ex eo quòd ille sit possibilis, verè enuntiamus esse possibilem. Potuit autem id semper enuntiari, sempérque fuit à Deo cognitum, & enuntiatum interius. Dicere autem dari illam infinitatem entium verorum, à Deo independentium, eiúsque dominio, & libertati non subiectorum, per se absurdum, & Deo iniuriosum est; imò erroneum, & hæreticum. Repugnat enim Symbolo Nicæno profitenti Deum esse factorem omnium visibilium, & inuisibilium: & Scripturæ affirmanti sæpius, omnia, quæ sunt extra Deum, esse ab ipso facta, & ab illo pendere. *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil*: Ioan. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ*, id est, phrasi Hebraïca, verbo suo forti & efficaci; Hebr. 1. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Sapient. 11. 10. Absurditas sententiæ Nominalium.

Neque responderi potest, has Scripturæ, & Symboli Nicæni propositiones intelligi debere de rebus simplicibus, & entibus primo modo dictis; quibus propositionibus non repugnet dicere dari entia alterius generis, à Deo non facta. Nam contrà: primò, Symbolum Nicænum asserit vniuersaliter Deum esse factorem omnium visibilium, & inuisibilium. Ergo nihil est extra Deum visibile, aut inuisibile, cuius Deus factor non sit. Nullum autem est ens, quocunque modo sumptum, quod non sit 11. Ostenditur repugnare Script. & Cõcilijs.

visibile aut inuisibile, quodque non comprehendatur sub altero membro huius diuisionis contradictoriæ. Itaque si complexè significabilia sunt vera entia, vltra res simplices, & primo modo dictas, vt volunt aduersarij: debent censeri esse à Deo facta, & alioqui Symbolo contradicitur. Deinde Ioan. 1. asseritur, omnia per Verbum facta esse, & sine ipso factum esse nihil; id est, nihil esse, quod ab ipso factum non sit; & si aliquid non est ab ipso factum, nihil esse. Ergo si complexè significabilia Nominalium non sunt ab ipso facta, nihil sunt: aut si verè sunt, debent censeri esse ab ipso facta: & Scripturæ repugnat, qui affirmat contrarium. Tertiò, illa Scripturæ propositio Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses: aut quod non est à te vocatum, conseruaretur?* æquiualet isti, Nihil potest permanere, nisi tu velis; neque conseruari, nisi à te vocetur, id est, liberè producatur, & conseruetur. Ergo quicquid non à Deo liberè producitur, aut conseruatur, nihil est. Adde quòd Scriptura ibidem, alijsque locis affirmans esse impossibile quicquam aliud esse, nisi à Deo fiat, vel nisi Deo volente, & vocante, id est, liberè producente, & conseruante fit: hoc affirmat ad ostendendum supremum Dei dominium in omnia extra se, & dependentiam generalem cuiuscunque alterius entis ab illo ente primo & supremo. At hoc non est, si dantur infinita entia vera & realia extra Deum, ab ipso independentia, quorúmve ipse factor & conseruator esse nequit, cum ne quidem ab ipsius cognitione pendeant, iuxta doctrinam aduersariorum. Verum quidem est Scripturam loqui de entibus tantùm primo modo sumptis, id est; incomplexis: sed ideo de illis solis loquitur, quia nulla alia agnoscit: vt neque verè vlla alia sunt. Et si essent, non diceret Scriptura omnia esse à Deo facta; falsóque affirmaret quòd sit impossibile quicquam esse sine illius effectione, si essent infinita eiusmodi entia, independentia ab eius productione.

12. Dici etiam nequit Scripturam loqui solùm de entibus egentibus effectione, cuiusmodi sunt entia primo modo sumpta: non autem de entibus complexis, quæ nullius Physici sunt capacia. Nam contra: primò, Scriptura dicit absolutè, omnia quæ sunt extra Deum, esse per Dei voluntatem & effectionem: sumitque terminum, *omnia*, provt opponitur termino, *nihil*. Ioan. 1. & Sapient. 11. Ergo illa distinctio entium, quorum aliqua egeant Dei effectione, alia non, repugnat Scripturæ. Secundò, illa distinctio repugnat intentioni Scripturæ, & vero eius sensui, intendentis per eiusmodi propositiones explicare supremum & vniuersale Dei dominium extra se. Tertiò, si hæc distinctio applicari posset locis Scripturæ citatis: non posset ex illis certò constare cælum, & terram, aut Angelos fuisse à Deo creatos. Cùm enim vellet aliquis ex illis inferre, cœlum fuisse à Deo creatum: responderi posset, Scripturam loqui de entibus, indigentibus effectione: cœlum autem illa non indigere.

13. Secundò, si vera esset sententia Nominalium, obiecta nostræ fidei non essent res in se incomplexæ, vt affirmat S. Thomas q. 1. art. 2. Neque crederemus Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, & vitam æternam, vt dicitur in Symbolo; neque Deum, Trinitatem, Incarnationem, & alia fidei mysteria: sed tantùm illa complexè significabilia ab huiusmodi rebus distincta, quæque non sunt Ecclesia Catholica, neque Sanctorum communio, neque Deus, Trinitas, Incarnatio, vita æterna. Hæc enim omnia sunt substantia, vel accidens, vel modus se habendi substantiæ, vel accidentis. At complexè significabilia Nominalium non sunt substantia, neque accidens, neque modus se habendi: Ergo, &c. Confirmatur, quia complexè significabilia nullibi sunt, per aduersarios, vt paulò pòst videbitur. At Ecclesia Catholica, Sanctorum communio, Deus, Trinitas, vita æterna, &c. non sunt nullibi: Ergo non sunt complexè significabilia. Ergo si credimus tantùm complexè significabilia, non credimus Deum, Trinitatem, &c. Sed illa figmenta realiter ab illis distincta. Quare Nominales, similes canibus Æsopicis; relinquunt res, vt figmenta sectentur.

Tollit verum obiectum fidei.

Neque responderi potest; illa complexè significabilia, esse quidem res, sed non solas, verùm addito aliquo alio. Quæro enim, quid est quod additur? & quomodo additur rei alicubi existenti id quod nullibi est? à quo item fiat hæc additio? & cur? cùm veritas propositionum fundetur sufficienter in rebus ipsis vel modis se habendi, vt ex dicendis mox apertè constabit. Item, hoc posito, falsum esset quod aiunt, complexè significabilia non esse substantias, nec accidentia, nec modos se habendi, neque esse alicubi. Nam si complexè significabilia essent res, vel modi se habendi, cum aliquo alio; essent maiore sui parte substantia, vel accidens, & existerent alicubi, vel vbique, quatenus sunt res, vel modi se habendi. Neque de illis absolutè verè dici posset quòd non sint substantia, neque accidens; aut modus se habendi substantiæ, vel accidentis. Quare in sententia Nominalium complexè significabilia non distinguuntur à rebus, vel à modis se habendi, vt totum à parte, & includens ab incluso: sed vt quid aliud penitùs & adæquatè condistinctum, nullúmque aliud esse habens, quàm esse complexè significabile, siue esse ens secundo vel tertio modo, vt ipsi loquuntur, iuxta distinctionem entis suprà relatam num. 7. ex ipsorum sententia.

Refellitur euasio.

Tertiò, propositiones fidei nostræ sunt duplices; quædam affirmatiuæ, aliæ negatiuæ. 14.
Atqui vtrarumque obiecta non sunt complexè significabilia, à Nominalibus conficta, sed res simpliciter dictæ, quæ per illas affirmantur, aut negantur esse. Ergo obiectum adæquatum nostræ fidei non est aliud, quàm res simpliciter dictæ. Maior est euidens. Minor probatur, primò de propositionibus negatiuis, quæ scilicet negant aliquid esse: cuiusmodi est illa v. g. quæ negat Christum esse purum hominem. Illud est obiectum adæquatum propositionis ne-

Obiecta fidei sunt res ipsæ.

gatiuæ, quod dummodo non sit, propositio negatiua est vera, quocunque alio, re, vel ratione, circumscripto. Atqui dummodo non sit res simpliciter dicta quæ per propositionem negatiuam negatur esse, vera est propositio, quocunque alio re vel ratione circumscripto. Ergo, &c. Maior est euidens. Illud enim est obiectum propositionis adæquatum, cui si tota propositio est conformis, est vera; si difformis, est falsa: non autem illud, quod ad eius veritatem, aut falsitatem impertinens est. Minor etiam patet; quia dummodo non sit res, quæ negatur esse; vera est tota propositio, quæ id negat, quocunque alio re vel ratione circumscripto. Probatur secundò de affirmatiuis; quia illud est obiectum adæquatum propositionum fidei affirmatiuarum, quo posito veræ sunt; & quo sublato sunt falsæ: Non autem illud, cuius neque positione sunt veræ, neque ablatione falsæ. Atqui positis solùm rebus simpliciter dictis, Deo, Christo, Ecclesia, vita æterna, & similibus, propositiones affirmatiuæ nostræ fidei, quæ de illis fiunt, sunt veræ, sublatis quibuscunque alijs complexè significabilibus, distinctis ab illis. Et è contrario, essent falsæ, sublatis rebus illis, positis licet quibuscunque alijs complexè significabilibus. Ergo res illæ sunt obiectum adæquatum nostræ fidei, non autem ficta illa complexè significabilia. Maior est euidens. Illud enim est obiectum adæquatum propositionis, cui si ipsa planè conformis est, vera est: non autem illud quod est impertinens ad eius veritatem; & quod siue ponatur, siue non, propositio nihilo minus est vera. Minor etiam liquet. Dummodo enim sit à parte rei Deus, Trinitas, Incarnatio & alia mysteria credita, veræ sunt propositiones, quæ affirmant illa esse, sublatis licet quibuscunque alijs, etiam complexè significabilibus. Contrà verò, si illa non essent à parte rei, falsæ essent propositiones, quæ affirmant illa esse, positis licet quibuscunque alijs, etiam complexè significabilibus. Ergo non ista complexè significabilia, sed simplex rerum illarum existentia, est obiectum propositionum fidei. Quod autem dixi de propositionibus fidei affirmatiuis, & negatiuis, de alijs quibuscunque propositionibus æquè verum est. Quare nullius propositionis obiectum, est complexum illud significabile, fictum à Nominalibus. Et hæc quidem ad veritatem tam euidentem confirmandam sufficerent. Quia tamen contrarius error apud nonnullos serpit, & inualescit; non erit inutile illius absurditatem alijs argumentis ostendere: atque ex ipsismet Aduersariorum principijs eos falsi conuincere.

SECTIO III.

Refellitur ampliùs eadem sententia, ex proprijs eius principijs.

15. Primum absurdū. Possumus igitur quartò sic contra illos argumentari ad hominem: Ea quæ sunt à parte rei, & non sunt entitates, aut modi se habendi existentes, distinguntur realiter ab entitatibus, & modis se habendi existentibus. Sed complexè significabilia sunt à parte rei, & non sunt entitates, aut modi se habendi existentes: ergo realiter ab illis distinguntur. Minor est doctrina aduersariorum: vt patet ex Sect. præcedenti. Maior quoque traditur sæpe ab illis. Nam distingui aliqua realiter nihil volunt esse aliud, quàm ambo esse à parte rei, & vnum non esse aliud. Iam verò ita subsumo: Ea quæ distinguntur realiter ab inuicem distinctione maiori, & adæquatè, possunt esse vnum sine alio. Sed complexè significabilia, & entitates, ac modi se habendi, distinguntur realiter ab inuicem distinctione maiori, & adæquatè. Ergo possunt esse vnum sine alio. Maior traditur sæpe ab aduersarijs, contra quos ad hominem argumentamur, quicquid sit de eius veritate: qui etiam illam ex eo probant, quòd si distinguntur realiter, distinctione maiori, & adæquatè; vnum non est aliud, ac proinde non-esse vnius, non est non-esse alterius: Atque ita nulla est contradictio, si vnum sit, & alterum non sit. Minor quoque est aduersariorum, asserentium complexè significabilia distingui realiter ab entitatibus, & modis se habendi, idque reali distinctione maiori, & adæquatè: Nam complexè significabilia non sunt modi entitatum, aut modorum: adeóque non modaliter tantùm distinguntur ab illis, vt modus rei, à re cuius est modus; vel vt modi incompossibiles eiusdem rei: maximè cùm modi necessariò sint vbi est res modificata; complexè autem significabilia nullibi sint iuxta doctrinam aduersariorum. Non sunt etiam totum, aut includens, respectu rerum, vel modorum se habendi, à quibus tantùm inadæquatè distinguantur, vt paulò ante probauimus num. 13. Et quamvis ita esset: posset saltem pars esse sine toto, & inclusum sine includente; id est, res aut modi se habendi, sine complexè significabili. Iam verò, quàm sit absurda conclusio, quæ sequitur euidenter ex his principijs aduersariorum, nemo non videt: Nempe quòd possit esse v. g. istud verum complexè significabile, Petrus est albus, sine Petro existente, cui à parte rei albedo inhæreat. Vel è contrariò, non sit verum dicere, Petrus est albus, siue albedinem Petro inhærere, quamvis à parte rei albedo inhæreat Petro, illúmque formaliter dealbet; secluso realiter illo ficto significabili complexè, distincto à Petro, & ab albedine vt inhærente: quod significabile sit obiectum immediatum huius propositionis, Petrus est albus. Quasi non potiùs hac propositione intendamus significare id, quod in re Petro conuenit; id est, albedinem illi inhærere; Et, hoc ipso solo quòd inhæreat, non sit verum dicere inhærere.

16. Alterum absurdū. Quintò, secluso quocunque alio à Deo distincto, Deus est. Ergo quòd Deus sit, nihil est præter Deum. Ergo illud verum complexum, *Deus est*, non distinguitur à Deo, sed est ipsemet Deus, existens à parte rei, de quo complexè enuntiamus quod sit, & quem cum sua existentia conceptu complexo, &

affirmatiuo comparamus. Idémque dico de alijs propositionibus, in quibus affirmatur existentia rerum aliarum; vel identitas prædicati cum subiecto; vel inexistenria accidentis in subiecto; vel modus aliquis se habendi de re taliter se habente; vel distinctio, & diuersitas, similitudo, aut dissimilitudo, proportio, vel disproportio rerum inter se comparatarum. Sublato enim quocunque alio præter eiusmodi res, aut modos se habendi, qui enuntiantur absolutè, aut comparatiuè, est id totum, quod significatur per huiusmodi propositiones, eo modo, quo significatur, & quidquid ad earum veritatem necessarium est. Quare illa complexa Nominalium, à rebus huiusmodi, vel modis se habendi distincta, sunt superflua, & malè excogitata.

17. Respondent distinguendo antecedens. Secluso quocunque alio, à Deo, distincto, quòd sit ens primo modo sumptum, Deus est, Concedo, inquiunt. Sublato quocunque alio à Deo distincto, quod sit ens tertio modo: Nego. Tum consequens pariter distingunt: Non est aliquod ens primo modo sumptum præter Deum, Concedo. Tertio modo, Nego. Et certè, inquiunt, Nemo dicet, hanc propositionem esse veram, *Deus, est, Deus est*: Licet istam asserat, *Deus est Deus*. Ergo *Deus*, & *Deus est*, non sunt idem significabile. Eodem modo diceres, Secluso quocunque alio à Petro, Petrus non est leo. Ergo *Petrus*, & *Petrus non est leo*, sunt idem. Liquet, inquiunt, quòd nulla est consequentia. Et tamen seclusâ quâcumque substantiâ, & accidente à Petro, verum est quòd Petrus non est leo. Sed inde non sequitur quòd hic terminus, *Petrus*, & hæc propositio, *Petrus non est leo*, habeant idem obiectum.

Refellitur euasio. Sed contrà; primò, vel Deus existit formaliter per illud distinctum, vel non. Primum est impossibile, vt fatentur aduersarij. Nihil enim existit formaliter, id est, in rerum natura est, per aliud à se distinctum, sed per seipsum. Si secundum: Ergo Deus est secluso illo distincto. Existere enim, & esse actu in rerum natura, idem sunt. Secundò, si Deus existens, & complexum illud significabile *Deus est*, vel *Deus existit*, distinguntur realiter; redit argumentum suprà factum, videlicet, vnum posse esse sine alio, in sententia aduersariorum. Ergo vel poterit esse Deus existens, sine illo complexè significabili, *Deus existit*: vel ex opposito, poterit esse illud complexum verum, Deo non existente. Tertiò, verum illud complexè significabile *Deus est*, realiter distinctum à Deo, vel est Deus, vel non. Si est Deus: ergo non distinguitur realiter à Deo: vel Deus distinguitur realiter à seipso, & dantur duo Dij à parte rei realiter distincti. Si autem non est Deus: ergo illud complexè significabile, quod non est Deus, Deus est: & verè dicitur complexè Deus esse, id quod Deus non est: quod implicat in terminis.

18. Soluuntur instantiæ. Ad primam verò instantiam aduersariorum Respondeo, Deum, qui est ens essentialiter existens, esse id totum, quod significatur complexè, hac propositione *Deus est*: atque hoc sensu verè dici posse, *Deus, est, Deus est*: siue Deus est idem in re, ac Deus est. Est enim seipso formaliter, & non per aliud distinctum. Non tamen significatur complexè hac voce, *Deus*; sicut significatur complexè hac propositione, *Deus est*. Idem ergo est significatum in re, quamvis non in modo significandi: qui tamen modus significandi attenditur in vocali enuntiatione, in qua subiectum, & prædicatum seorsim exprimuntur, & connectuntur per copulam verbalem, enuntiando vnum de altero. Ad secundam instantiam Respondeo, Petrum quidem seipso solo formaliter distingui à leone; Verumtamen significatum huius propositionis, *Petrus non est leo*, non esse Petrum solum, sed esse Petrum comparatum per intellectum cum leone, tanquam ab eo diuersum: quæ diuersitas non potest sine tali comparatione, & vtriusque cognitione expressè intelligi. At inde non sequitur dari complexè significabilia realiter distincta à rebus, & modis se habendi. Nam illud significabile nihil est aliud, quàm Petrus, & leo, inter se comparati, vt diuersi.

19. Tertium absurdû. Quintò, iidem Nominales sibi objiciunt, vbinam sint illa complexè significabilia? Et respondent primò, esse vbi Philosophi ponunt obiecta scientiarum, & vbi asserunt esse essentias, quas dicunt esse ab æterno. Secundò respondent, præsentiam esse affectionem entis primo modo sumpti: Non autem verorum, siue enuntiabilium, quæ non propriè dicuntur esse; sed, vera esse. Sunt autem vel vera, vel falsa vbique. Ita antequam Deus creasset mundum, verum erat ipsum non creauisse mundum. Dicant ergò, inquiunt, vbi erat illud verum.

Hæc secunda responsio contradictionem apertam inuoluit, quam sic ostendo: Esse huiusmodi complexorum, siue enuntiabilium, est, vera esse. Atqui sunt vera vbique. Ergo sunt vbique. Sunt enim vbicumque habent suum esse. Sed habent suum esse vbique, quia vbique vera sunt, & esse eorum est verum esse. Ergo vbique sunt. Maior, & Minor habentur in ipsa responsione aduersariorum: & conclusio bene deducitur in hunc modum: Ea, quorum esse, est verum esse, sunt vbicunque vera sunt: sed complexè significabilium esse, est verum esse: Ergo complexè significabilia sunt vbicumque vera sunt. Atqui sunt vbique vera: & tamen nullibi sunt per aduersarios; quia esse alicubi seu præsentia localis, est affectio entis primo modo sumpti, non autem verorum, siue enuntiabilium, vt ait eadem responsio: Ergo sunt vbique, & nullibi. Secundò, quod ait eadem responsio, huiusmodi enuntiabilia non dici propriè esse, sed vera esse, contradicit apertè ei, quod retulerunt ex Aristotele, & approbarunt suprà, num. 7. ens maximè propriè dici de vero complexè significabili, quod aliter se habere non potest. Sic enim argumentor: Id quod maximè propriè dicitur ens, dicitur maximè propriè esse. Atqui vera complexa, necessariò vera, maximè propriè dicuntur ens: Ergo maximè propriè dicuntur esse. Tertiò, Inimaginabile est quidquam

esse verè à parte rei, & nullibi esse: sicut esse, & nunquam esse. Quare eiusmodi enuntiabilia si sunt à parte rei, debent esse alicubi.

20. Obiecta scientiarum qualia? Ad primam verò responsionem, Dico bonos Philosophos, quando pro obiecto scientiæ assignant aliquid actu existens, vt Deum, & Angelos, vel homines: dicere illud alicubi esse: Cùm autem assignant connexiones prædicatorum cum subiectis in esse possibili, vel in sensu hypothetico necessario, abstrahendo ab existentia actu posita (quo etiam sensu dicunt essentias rerum creatarum esse æternas, id est, esse ab æterno possibiles, ac necessariò tales; ita vt impossibile sit v.g. hominem concipi, vel esse, quin concipiatur, aut sit animal rationale) Dico huiusmodi obiecta, sicut non sunt actu, vel non considerantur velut actu existentia: ita non sunt alicubi, vel non considerantur vt existentia alicubi, sed abstrahuntur per considerationem, à loco, tempore, & alijs conditionibus existentiæ. Quod enim non est, nullibi est. Si autem aliqui Philosophi aliud quippiam imaginantur: non prodest Nominalibus imaginatio, quam ipsimet absurdam, & à fide alienam meritò iudicant. Antequam verò Deus mundum crearet, verum erat, Deum non creasse mundum; id est, iudicium Dei, quo affirmabat apud se, mundum non esse creatum, verum erat, & conforme obiecto. At non propterea erat obiectum: sed potiùs non erat; id est, mundus non erat creatus. Ideóque Deus verè & conformiter affirmabat mundum non esse creatum. Est autem prorsus à ratione alienum & absurdum, existimare debere esse obiectum iudicij verè affirmantis suum obiectum non esse. Nam potiùs, vt tale iudicium verum sit, debet illius obiectum non esse. Confirmatur, quia sublato realiter, aut per mentem, illo complexè significabili, si distinguitur; adhuc mundus non esset creatus, si Deus nondum vim suam exercuisset in illo creando. Ergo sufficit Deum non exercuisse vim suam, seu non creasse, vt mundus verè dicatur non esse creatus, & aliud addere planè superfluum ac fictitium est.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis Nominalium.

21. Primum argum. ex Arist. & D. Thoma. EX dictis satis perspicuè liquet falsitas, & absurditas sententiæ Nominalium. Superest vt eorum argumentis iam satisfaciamus. Adducunt igitur primò auctoritatem Aristotelis, & D. Thomæ, qui vocant Ens, verum complexè significabile. Et Aristoteles distinguit Ens tripliciter, vt suprà num. 7. relatum fuit: aitque maximè propriè ens dici complexum significabile necessariò verum, vt, quòd diameter sit incommensurabilis costæ: quod, inquiunt, nulla est substantia, vel accidens: nulla enim est substantia, nullum accidens quod vocetur, *Diameter est incommensurabilis costæ.* Respondeo, licet Aristoteles, & D. Thomas variè sumant terminum, *Ens*, non propterea dicere dari complexè significabilia, distincta in re ab entitatibus, & modis se habendi quomodocumque sumptis, vt volunt Nominales. Quòd autem diameter sit incommensurabilis costæ, non est diameter solus, nec costa sola; sed diameter simul, & costa, comparata inter se quoad disproportionem talem, vt nullam possint habere mensuram excessus præcisè definitam.

Secundò, dicunt suam sententiam non modò esse Aristotelis: sed & reliquorum penè omnium Philosophorum, si se capiunt quando affirmant post Aristotelem, obiecta scientiarum esse necessaria, æterna, ingenita, incorruptibilia; & esse vera, siue res existant siue non. Item, obiectum propositionum adæquatum, non esse tantùm id, de quo aliquid enuntiatur; sed id totum complexum, quod propositione significatur. Respondeo Aristotelem, & bonos Philosophos per obiecta illa intelligere connexiones necessarias & hypotheticas prædicatorum cum subiectis propositionum scientificarum, abstractas ab existentia, vt paulò ante dixi: non autem quædam distincta significabilia, quæ Nominales comminiscuntur, quæque nullo modo significantur per huiusmodi propositiones, vt suprà ostendimus. Similiterque, obiectum adæquatum propositionis, præter subiectum, siue id, de quo, inuoluit id, quod de illo affirmatur, & copulam: at non propterea est aliquid à parte rei distinctum à rebus, vel à modis se habendi, qui de se, vel de alijs enuntiantur, aut diuersimodè comparantur inter se. Si qui autem fingunt dari præter Deum entia æterna, ingenita, & incorruptibilia; errant contra fidem, quæ asserit Deum esse factorem omnium visibilium, & inuisibilium, nihilque ab æterno fecisse, & omnia per ipsum facta esse. 22. Scientiarum obiecta quo sensu æterna?

Tertiò opponunt hæc argumenta, quibus non posse responderi certò affirmant. Sunt autem pleraque desumpta ex Greg. Arimin. in Prologo, q. 1. art. 1. conclus. 3.

Primum argumentum: Illud non est aliqua entitas, aut entitates, quod remanentibus omnibus entitatibus, quæ sunt, potest desinere esse. Sed remanentibus omnibus entitatibus, quæ nunc sunt, Petrus qui est hîc, potest non esse hîc. Ergo quòd Petrus sit hîc, non est aliqua entitas, aut entitates. Maior est clara. Probatur minor: quia quòd Petrus sit hîc, nec est Petrus, nec spatium. Nam esse posset vtrumque, & tamen Petrus non esset hîc. Non est etiam aliqua entitatula, aut formalitas affixa Petro: Nam Petrus per seipsum formaliter est hîc, & non per vllam entitatulam, aut formalitatem, quæ superflua est, & malè excogitata. Respondeo *Petrum esse hic*, non esse quidem entitatem solam, neque esse entitatulam vel formalitatem superadditam, re, vel ratione mutuò præcisam: sed esse Petrum ita se habentem, id est, provt sua entitate implentem spatium, in quo est. Sicut brachium esse extensum, esse curuum, esse rectum, est brachium ipsum, vt taliter dispositum: & alia multa tali quopiam modo se habent, non per aliquam formam re, vel ratione distinctam, 23. Alia Nominaliū argumenta ex ratione. Soluitur primum argum.

sed per simplicem modum se habendi, sine vlla compositione, ne quidem rationis, vt alibi ostendimus. Nego igitur hoc complexum significabile distinctum esse ab aliquo modo se habendi, & posse desinere manentibus omnibus entitatibus, & modis se habendi: vt assumendum erat in Maiori, ad probandum intentum. Addo hoc argumentum non cohærere cum doctrina aduersariorum suprà relatâ num. 19. vt expendenti facilè patebit.

Vide tom. 4. disp. 5. Sect. 6.

24. Secundum argumentum: Quando vnum potest esse, alio non existente, lumine naturali liquet illa non esse idem: Nam idem non potest esse, & non esse simul. Atqui si mundus non esset duraturus, tota entitas quæ nunc est, esset. Et tamen obiectum huius propositionis, *Mundus est duraturus*, non esset, & iam est: vnde illa propositio, quæ illud asserit, est vera: Ergo quòd mundus duraturus sit, non est aliqua entitas, quæ sit, quandoquidem existentibus omnibus entitatibus quæ sunt, hoc posset non esse. Respondeo Maiorem esse veram, vbi est verè vnum & aliud: & vbi vnum potest existere simpliciter, alio non existente simpliciter; vel vnum manere simpliciter, alio simpliciter desinente. Alioqui enim falsum est, rem non posse manere sine modo. Nam potest res esse, & non tali modo se habere: licet modus & res sint idem realiter. Cui doctrinæ penitus necessariæ ad tuendam indistinctionem modorum, mirum est aduersarios, qui tamen modos non distinguunt, sæpius contradicere, tum in præsenti, tum alibi quando impugnant distinctionem rationis ratiocinatæ.

Diluitur secundũ.

Ad Minorem respondeo, obiectum huius propositionis, *Mundus est duraturus*, iam non esse, sed futurum esse in eo casu, in quo mundus sit duraturus, & taliter se habiturus, sicut enuntiatur: quemadmodum obiectum huius propositionis, *Antichristus peccabit*, non est iam, sed erit, quando Antichristus peccabit. Hoc enim est quod significatur per hanc propositionem. Et falsum est esse in præsenti, id quod tantùm futurum est, & verè enuntiatur esse futurum. Quando autem mundus durabit: eius duratio non erit aliud, quàm mundus ita se habens, id est, in esse accepto perseuerans. Quare significatum huius propositionis, non est aliquid distinctum ab omnibus entitatibus, aut modis se habendi; quod erat probandum.

25. Tertium argumentum: Illa non sunt idem, quorum vnum potest cognosci distinctè & intuitiuè, alio ignorato. Sed potest aliquis etiam intuitiuè videre albedinem, & ignorare an de facto albedo sit à parte rei: ergo *albedo*, &, *albedo est*, non significant idem. Sed hæc enuntiatio, *Albedo est*, nullam substantiam aut qualitatem significat supra albedinem: Ergo illud obiectum nec est albedo, nec res vlla, siue entitas incomplexa. Et inde fit vt ex Aristotele albedini sit contraria nigredo. At istius propositionis obiecto, *Albedo est*, oppositum est, non nigredo; sed significatum huius propositionis, *Albedo non est*. Ergo illa obiecta incompossibilia non sunt albedo, nec vlla entitas. Similitérque vnum istorum significabilium non est aliud. Ita posset aliquis scire Petrum esse, qui tamen ignoraret, an Petrus sedeat, vel stet. Imò si quis sciat Petrum esse; non dicet tamen se scire Petrum: hoc enim esset inintelligibile: sed, se scire quòd Petrus sit. Ergo quod scitur, non est Petrus. Non est autem entitas supra Petrum. Ergo est aliquid complexè significabile.

Respondeo primò, negando Majorem sumptam vniuersaliter, & in sensu, qui intenditur ab aduersarijs; qui hîc quoque parum cohærenter philosophantur. Nam iuxta illorum doctrinam, modi sunt idem cum rebus modificatis: & tamen possunt res cognosci intuitiuè, non cognito modo se habendi. Ex. gr. Potest cognosci Petrus intuitiuè, non cognoscendo quòd moueatur localiter, vt ipsimet fatentur, & patet experientiâ, si ambo simul eadem naui moueantur, & non extra respiciant. Item, potest cognosci albedo intuitiuè, non cognoscendo quod inhæreat; vt contingit in speciebus Eucharisticis. Secundò, ad Minorem respondeo primò, ex illa, cum maiori propositione coniunctâ, sequi existentiam albedinis non esse idem cum albedine. In quo iterum Nominales sibimetipsis, & apertæ veritati aduersantur: quælibet enim res existit seipsâ formaliter. Secundò dico, Minorem illam esse falsam. Qui enim intuetur albedinem, intuetur existentiam albedinis. Qui autem fallitur, & videt tantùm apparentiam albedinis, videt aliquid existens, quod apparet esse albedo. Tertiò dico, contrarium albedinis esse nigredinem: contradictorium verò albedinis simpliciter sumptæ, esse non-albedinem: Complexè verò significatæ hac propositione, *Albedo est*, contradictorium esse complexum istud, *Albedo non est*: quod tamen complexum, *Albedo est*, à parte rei, nihil est præter albedinem existentem. Complexum verò, *Albedo non est*, si verè id enuntiatur, non est à parte rei. Ineptum enim est existimare esse à parte rei id, quod verè enuntiatur non esse à parte rei. Denique qui scit Petrum esse, nihil scit à parte rei præter existentiam Petri, complexè conceptam, conceptu enuntiatiuo, qui exprimitur hac propositione, *Petrus est*, vel, *Scio Petrum esse*: non autem hac simplici voce, *Petrus*, vel, *scio Petrum*, nisi subaudiendo, *esse*. Nam solâ voce *Petrus*, indicatur tantùm eius in mente apprehensio; non autem scientia, seu notitia iudicatiua. Et illud diligenter notandum est ex D. Thoma, q. 1. art. 2. Res quidem esse in se incomplexas, sed complexè à nobis apprehendi, & complexè significari per propositiones vocales, quæ respondent iudicio de illis facto. Absurdum verò est quærere extrà, complexionem formalem, quæ in vocibus aut conceptibus est, & à quibus extrinsecè tantùm res denominantur complexè in modum enuntiabilis.

Ad tertium.

Quartum argumentum: Quando dico, Petrus est existens, ideo propositio vera est, quia Petrus de facto existit. Quòd si non existeret, esset falsa: & mutatio esset solùm in obiecto. Itaque obiecta istarum propositionum, Petrus existit, & Petrus non existit, cùm incompossibilia sint, diuersa sunt. Ergo non sunt Petrus, 26.

At neque etiam sunt aliquid Petro additum: quia Petrus existit per se formaliter. Syncategorema verò, *non*, additum verbo *existit*, non significat aliquam formalitatem superadditam Petro, aut existentiæ à parte rei. Restat ergo, vt obiecta harum propositionum contradictoriarum sint aliqua nonnisi verbaliter significabilia. Respondeo primò, si hæc propositio, Petrus est existens, ideo est vera, quia de facto Petrus existit, vt verissimum est: Ergo non ideo est vera, quia aliquod complexum significabile ei respondet, distinctum à Petro existente, & sine quo non esset vera, vt volunt aduersarij. Si autem Petrus non existeret: propositio affirmans illum existere, esset falsa: quia obiectum non esset, sicut affirmatur. Et Petrum quidem existere, & non existere, sunt diuersa obiecta: non tanquam duæ res, sed tanquam ens, & non ens. At Petrum existere non est aliud à parte rei à Petro existente. Petrum verò non existere, non est Petrus existens, nec aliquid aliud à parte rei: sed duntaxat Petrus non existit, sicut verè affirmatur non existere. Quid enim absurdiùs, quam putare esse aliquid, quod non est, quodque verè affirmatur non existere?

Quartū retorquetur.

27. Actio non potest esse sine termino.

Quintum argumentum de actione, an, & quomodo sit modus se habendi, & exercitium agentis in ordine ad effectum, solutum fuit alibi, *Disp. 17. de Sacramentis in genere, Sect. 6. argumento 15.* Ad id verò quod addunt, hinc sequi, posse agens cum suo illo exercitio conseruari sine effectu, atque ita causare, & nihil tamen causari: quia quando duo realiter distinguuntur Maiori realitate, & loco etiam seiuncta sunt, potest Deus conseruare vnum sine alio: Respondeo, quando aliqua ita se habent, vt sint connexa, vel dependentia essentialiter, non posse vnum sine alio conseruari. Sicut autem sunt in rebus quædam connexiones, aut dependentiæ naturales: ita sunt quædam essentiales, & absolutè inseparabiles; sic v. g. modus vnionis, prout se tenet ex parte vnius extremi, non potest sine alio extremo, eiusque modo conseruari: licet ab illo distinguatur realiter maiori realitate, atque etiam loco seiungatur in vnione partium continui extensi. Nec obest quòd non-esse vnius, non sit formaliter non-esse alterius: quasi inde non sequatur contradictio, si vnum sit, & alterum non sit, vt suprà diximus argumentari Nominales. Nam non-esse Dei, non est formaliter non-esse creaturæ: & tamen impossibile est creaturam esse sine Deo, propter dependentiam essentialem ab illo. Et in diuinis non-esse Patris, non est formaliter non-esse Filij, aut Spiritus sancti: & tamen impossibile est vnum esse sine alio, propter absolutam necessitatem, & inseparabilitatem proprietatum inter se, & cum essentia.

28. Motus localis est modus mobilis.

Ad sextum quod objiciunt de motu locali, respondeo, ex eo quoque malè inferri dari complexum significabile distinctum à rebus, & modis se habendi: cùm motus localis nihil sit aliud, quam simplex modus se habendi rei, quæ mouetur; id est, sit res ipsa, prout successiuè transit ab vno spatio ad aliud, & vnum post aliud implet. Transit autem & implet spatium seipsâ formaliter, eo solo, quòd per ipsammet suam entitatem est modò in hoc, modò in illo spatio: sine accessu vllius nouæ entitatis, aut modalis entitatulæ distinctæ, per quam formaliter constituatur in loco: vt fusiùs ostendimus Tomo quarto, Disp. 5. Sect. 6. num. 65. & sequentibus.

Septimum argumentum: Supponamus Petrum abstinere à cibo. Erit verum quòd abstineat. Hoc autem quænam entitas erit? an Petrus? an cibus? an vtrumque? Neutrum certè. Cum igitur id, quod per illam propositionem significatur, non sit res aliqua; sequitur vt sit aliquod complexè significabile. Respondeo, quod iam sæpiùs dixi, mirabilem esse hallucinationem putare esse id, quod verè affirmatur non esse. Dicere enim Petrum abstinere à cibo, est dicere Petrum non comedere. Si ergo id verè dicitur; non est à parte rei id, quod verè dicitur non esse. Et hoc ipso, quòd non est, propositio vera est: non autem quia ei respondet verum aliquod complexè significabile existens à parte rei, vt malè infertur in conclusione argumenti propositi. Eodem modo soluitur id quod addunt de peccato puræ omissionis. Quod verò afferunt ex Aug. & Nazian. ad probandum peccatum etiam commissionis nihil esse aliud, quàm complexè significabile: inutiliter objicitur. Nam illi, vt ex textu liquet, negantes peccatum esse rem aliquam, aut essentiam, per rem, & essentiam, intelligunt substantiam; solúmque volunt peccatum non esse substantiam aliquam, à Deo creatam, vel increatam: sed esse actum, & opus nostrum, scienter scilicet, & liberè commissum: vel omissionem liberam actus, & operis debiti.

29. Obiectū quod verè negatur esse, non est.

Octauum argumentum: Si mundus nunquam fuisset futurus, propositio quæ dixisset mundum non esse futurum, fuisset vera. Et tamen quam rem significauisset? Et quæ res se habuisset, vt significatum fuisset? Certè nulla; quia nulla fuisset. Item, antequam Deus operaretur sciebat se non operari. Quæro, quam rem sciebat quæ vocaretur, *Deus non est operatur?* nullam certè; nulla enim erat præter Deum. At scire quòd Deus non operatur, non est scire Deum, sed scire quòd Deus non operetur. Item, si dicas, Petrus est pulcher sicut Angelus: aliquid significas. Quæro quid, quod vocetur *Petrus est pulcher, sicut Angelus?* Et cùm terminus iste, *sicut*, sit consignificatiuus, significátne aliquam sicutitatem, seu rationem, quæ vocetur, *sicut*.

30. Obiectū propositionis de futuro, nondum est.

Respondeo duas priores instantias procedere ex falsa imaginatione, quòd obiectum propositionis veræ negatiuæ, debeat esse aliquid existens à parte rei: cum potiùs ad veritatem propositionis debeat non esse. Nam propositio negatiua non est vera, ex eo quòd res significata, est: sed ex eo quòd non est, sicut verè negatur esse. Ad tertiam dico, propositionem illam significare Petrum, & Angelum, comparatos inter se, vt similes, ob singularem Petri pulchritudinem, in qua dicitur Petrus esse Angelo similis. Quare nihil significatur præter Petrum, Angelum, pulchritudinem, & comparationem

paratironem intellectus, vnum ad alium referentis, vt similem.

31. Nonum argumentum: Quaero, inquiunt, an obiectum istius propositionis sit impossibile, *homo est leo?* Id certè negari nequit. Illud tamen nec est homo, nec leo, nec vtrumque. Quid ergo? certè non nisi significabile, impossibile reperiri à parte rei. Respondeo obiectum illud nihil esse, siquidem est impossibile: Et impossibile, nihil est: quia nec est, nec esse potest. Estque absurdum quaerere aliud, quod sit obiectum istius propositionis.

Obiectũ propositionis de impossibili nihil est.

32. Decimum argumentum: Si non darentur illa enuntiabilia, non praeberemus assensum enuntiabilibus, sed rebus incomplexis. Itaque si quis assentiatur quòd Deus creauerit mundùm; assentietur aut Deo, aut mundo, aut vtrique: quod est absurdum. Item, quis iudicat Petrum esse probabilem? aut Petrum, & aliquàs spatij partes, esse probabiles? Et tamen fieri potest vt sit probabile Petrum esse, & Petrum moueri. Itaque res simplices non dicuntur scibiles, credibiles, aut probabiles: sed dumtaxat obiecta complexa. Item, nulla res creata, est necessaria. Et tamen si totum sit, necessarium est vt sit maius suâ parte. Respondeo, nos non praebere assensum fictis illis enuntiabilibus, sed veris, id est, rebus aut modis se habendi, complexè significatis, & assertiuè enuntiatis, siue absolutè, siue comparatiuè cum rebus alijs. Et vt optimè asserit D.Thom. q.1. art.2. Ea, quibus praebemus assensum, sunt in se formaliter incomplexa in modum enuntiabilis: à nobis verò complexè concipiuntur, & enuntiantur. Sic cùm assentior Deum creâsse mundum; assentior non Deo, & mundo absolutè, sed Deo comparato cum mundo, & eius creatione, quatenus scilicet Deus mundum produxit per creationem. Quod totum nihil est praeter res, & modum se habendi, assertiuè comparata, & enuntiata per actum intellectus, & vocalem propositionem. Similiter, scibilia, credibilia, & opinabilia, dicuntur res, aut modi se habendi, non incomplexè concepta, sed assertiuè enuntiata. Quòd verò necessariò totum sit maius suâ parte, nihil est praeter proportionem excessus totius ad partem inseparabilem à toto quamdiu manet totum. Et quamvis nil creatum sit necessarium absolutè: multa tamen sunt necessaria ex suppositione aliqua; vt quod si est homo, sit ens creatum; si est totum, sit maius suâ parte.

Obiectũ assensus sunt res ipsae, aut modi se habendi.

Aiunt denique nihil ad sua argumenta diluenda iuuare effugium recurrentium ad aliqua non-entia incomplexa. Verùm ex dictis constat nos eò non recurrere, sed eorum hallucinationem apertè detexisse. Scimus enim negationes propriè sumptas non esse: & implicare contradictionem non-entia esse, id est, ea quae non sunt, esse. Quod si, in vulgari loquendi modo negationes dicuntur esse, vt cum dicitur esse caecitas, esse surditas, esse tenebrae, quo modo loquendi vtitur etiam Scriptura, dicens Genes. 1. v. 2. *Tenebrae erant super faciem abyssi:* sensus harum propositionum est, Non est visus, non est auditus, non est lux. Non est, inquam, sensus quòd sit non-lux; sed, quòd non sit lux. Dixi *negationem propriè*, id est, provt sumitur pro non-ente, seu negatione entis; aliter enim sumitur negatio à Philosophis pro termino simplici negatiuo; siue categorematico, vt non-homo, non-videns, caecitas, surditas, &c. siue syncategorematico, vt, *non, minimè, nequaquam:* itemque pro propositione vocali negante; atque etiam pro dissensu intellectus; quae omnia positiua sunt. Nam termini illi incomplexi, & propositio vocalis negans, non minùs sunt ens positiuum; quàm alij termini positiui, & propositio affirmans. Dissensus quoque intellectus circa falsum, non minùs est actus positiuus, quàm assensus circa verum. Falluntur enim Nominales illi, contra quos disputamus, cùm aiunt dissensum non esse aliud, quàm assensum oppositi: Nam quemadmodum odium, & auersio mali, est actus formaliter differens ab amore, & complacentia boni: sic dissensus intellectus, qui est auersio, & abhorrentia falsi, differt formaliter ab assensu, qui est adhaesio & acceptatio veri. Neque enim minor est vis intellectus ad assentiendum vero, & dissentiendum falso; quàm voluntatis ad amandum bonum, & malum auersandum. Quod satis patet ipsâ experientiâ. Et vt ait S.Thomas 2. 2. q.20. a.1. in corp. post Aristotelem 6. Ethic. cap. 2. Illud quod in intellectu est affirmatio, & negatio, est in appetitu prosecutio, & fuga. Et quod est in intellectu verum vel falsum, est in appetitu bonum, vel malum. Nec quicquam afferunt Nominales in contrarium, longiori dignum refutatione. Haec igitur per digressionem, hoc loco & tempore necessariam, de complexo significabili dicta contra illos sufficiant.

33. Negationes propriè non sunt.

34. Dissensus & assensus sunt diuersi actus.



DISPVTATIO TERTIA.

Vtrum obiectum Fidei sit necessariò verum, ita vt Fidei falsum subesse non possit?

DE veritate obiecti fidei disputat S. Thom. q. 1. a. 3. vbi docet non posse fidei subesse aliquod falsum. Quia nihil subest alicui potentiæ, vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali obiecti: sicut color videri non potest nisi per lumen: & conclusio sciri non potest nisi per medium demonstrationis. Formalis autem ratio obiecti fidei est veritas prima. Vnde nihil potest cadere sub fidem, nisi inquantum stat sub veritate prima; sub qua nullum falsum stare potest: sicut neque non-ens sub ente, neque malum sub bonitate. Ideoque non potest fidei subesse falsum. Hæc D. Thomas: cuius doctrina sequentibus Sectionibus illustranda & confirmanda est.

SECTIO I.

An, & quomodo obiectum fidei sit necessariò verum?

1. Creditũ fide diuinâ est necessariò verum, ex hypothesi reuelationis.

REspondeo quicquid per fidem Catholicam creditur, esse necessariò verum vel absolutè, vel ex suppositione diuinæ reuelationis, propter quam creditur: atque ita falsum non posse fidei subesse. Explicatur, & probatur responsum. Primò, quòd fidei falsum subesse nequeat, docent omnes Theologi cum D. Thoma q. 1. art. 3. & supponit apertè Trident. Sess. 6. cap. 9. in fine, his verbis: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Quare sine errore non potest id negari. Secundò, eorum, quæ creduntur quædam sunt per seipsa absolutè necessaria; vt quòd Deus sit vnus in essentia, & trinus in personis, immensus, æternus, omnipotens, & quæcumque alia pertinent ad esse intrinsecum, & substantiale Dei. Alia verò sunt per se contingentia, seu non-necessaria absolutè: vt quæ reuelata sunt de actibus Dei contingentibus, deque eius operibus: ex. gr. de prædestinatione, de Incarnatione, de Christi vita, & miraculis, de bonis vel malis operibus Angelorum, & hominum, æternaque retributione. Et licet veritates, quæ de his reuelantur à Deo, sint per se contingentes: ex suppositione tamen quòd à Deo sint reuelatæ, necessariæ sunt:

quia Deus non potest reuelare falsum pro vero: quare incompossibile est stare falsitatem in sensu composito cum reuelatione diuina. Ideóque quicquid à Deo reuelatur, est necessariò verum, ex hypothesi reuelationis: quia non potest esse falsum, & esse reuelatum à Deo: necessarium autem est, id omne, cuius oppositum non potest esse.

2. Et eo sensu quo Deus reuelauit.

Dixi, *eo sensu, quo reuelatur:* quia non semper est Dei intentio vti propositionibus vniuersalibus in rigore metaphysico; sed non rarò eas vsurpat in sensu morali, in quo parum pro nihilo reputatur, & dicitur omne, vel totum, id quod ferè totum est. Vt quod dicitur Gen. 6. *Omnis homo corruperat viam suam:* intelligendum est excepto saltem Noë, de quo ibidem dicitur, *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis.* Interdum etiam conditiones quædam subintelligendæ sunt in propositionibus specie tenus absolutis: vt Ionæ 3. v. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur:* supple, nisi pœnitentiam egerit. Et Ioël 2. v. 32. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit:* supple, si bene inuocauerit, & non desint adiuncta necessaria. Neque enim qualiscunque inuocatio sufficit: Cum Deus ipse Prouerb. 1. v. 28. sic affirmet, *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, eò quod habuerint exosam disciplinam.* Non est autem cuiusvis apponere huiusmodi exceptiones, vel conditiones; sed debent esse notæ, vel ex Scriptura ipsa, vel ex certa traditione, vel ex authentica declaratione, vel ex ipsamet propositionis euidentia, aut graui aliqua & euidenti ratione sine inconuenienti. Interdum etiam Dei verba non habent eum sensum, secundùm intentionem Dei reuelantis, quem primâ specie præ se ferunt: sed ex varijs circumstantijs prudenter expendenda sunt. Vnde simplices, præcipites, & minùs considerati sumunt errandi occasionem, vt patebit ex Sect. sequenti: semper tamen illud omne, quod à Deo reuelatur, est verum infallibiliter eo sensu, quo reuelatur: cùm sit penitùs impossibile Deum, vel falli circa id, quod reuelat; alioqui esset ignarus, & falsò iudicaret: vel loqui contra suum iudicium, & mentiri; quia id est turpe, & disconueniens obiecto. Deus autem non potest turpiter agere, neque falsò iudicare, aut aliquid ignorare.

3. Probatur responsum.

Iam verò fides supernaturalis ex natura sua fertur infallibiliter ad Dei reuelationes, secundùm sensum reuelantis, nec quidquam credit, nisi à Deo reuelatum, & eo sensu, quo Deus reuelauit. Est enim essentialiter annexa Dei reuelationi, tanquam obiecto formali vt liquet ex dictis Disput. 1. Sect. 4. quare non magis potest fidei subesse falsum, quàm diuinæ reuelationi. Quod ampliùs confirmatur, quia assensus fidei Theologicæ est actus supernaturalis, qui non potest fieri sine speciali Dei auxilio, ex Trid. Sess. 6. can. 3. At Deus non potest esse causa specialis actus turpis & indecentis, cuiusmodi est assensus falsus in intellectu, & affectus inhonestus in voluntate: quare assensus fidei Theologicæ non potest esse falsus. Quod non modò verum est de potentia ordinaria, sed etiam de absoluta. Implicat enim Deum esse causam specialem actus turpis, & indecentis; æquè ac peccati. Implicat etiam Deum turpiter agere, & falsum pro vero testari. Estque euidenter hæreticum, quod senserunt Priscillianistæ, teste D. Augustino, lib. de hæresibus, hæresi 70. & libro contra mendacium cap. 2. Deum de potentia ordinaria mentiri posse, & de facto mentitum esse. Cùm è contrario Scriptura dicat Num. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur.* Et Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et Ioan. 8. v. 26. *Qui me misit, verax est.*

Erroneum item est quod dixerunt aliqui Nominales, Petrus de Alliaco in 1. q. 12. art. 3. dub. 3. propositione 4. Adamus Goddam in 3. dist. 14. q. 5. dub. 2. in fine, & Gabr. in 3. dist. 12. q. vnica art. 3. dub. 1. litera, D. Deum de potentia absoluta posse reuelare falsum, & mentiri: quia id non implicat contradictionem: Et potest Deus se solo causare omnem actum, quem causat cum creatura. Causat autem cum ea mendacium: Ergo & se solo potest. Sicut etiam, inquiunt, potest se solo causare odium Dei: Et probabile est dicere, quòd Deus tanquam causa totalis producit, vel conseruat odium sui in voluntate Angeli apostatæ, inquit Gabr. supra citatus: addens se id non dicere asserendo, sed tantùm recitando, & desiderando informari. Quo artificio solet vti, quando absurda quædam & temeraria, vel erronea interdum proponit. Sed audacior factus in 3. dist. 34. q. vnica, art. 3. lit. M. absolutè asserit Deum, si non per se, saltem per alium, non modò mentiri posse de potentia absoluta, sed reipsa, & de facto mentiri. Affirmat enim mentiri aliquos consilio Spiritus sancti, vt Iacob, inquit, quando Isaac patrem suum decepit. Falsum enim dixit, licet non peccauerit, neque iniustè, vel inordinatè fecerit, quia familiari Spiritus sancti consilio id fecit. Et per hoc, inquit, multa mendacia excusari possent. — 4. Error contrarius.

5. Deus non potest mentiri.

Sed contrà: primò, Scriptura diuina non minùs remouet à Deo mendacium, quàm mutabilitatem, cùm sic ait Num. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: neque vt filius hominis, vt mutetur.* Atqui mutatio repugnat Deo absolutè: Ergo & mendacium. Item, Scriptura non ibi Deum comparat cum hominibus in eo solùm, quòd non mentiatur actu: Nam aliqui homines nunquam de facto mentiti sunt, vt B. Virgo: sed in eo, quòd mentiri non possit, quod nulli homini puro conuenit. Et quod clarius est, Paulus Hebr. 6. v. 17. & 18. sic ait: *In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* Vbi docet Deum ex abundanti, id est, sine necessitate, addidisse iuramentum promissioni suæ, vt ostenderet eius immobilitatem: quippe quia promissio diuina per se solam immobilis est: estque omnino impossibile mentiri Deum, siue promittendo solùm, siue iurando; ita vt tam promissio, quàm iuramentum, sint duæ res immobiles, quibus singulis impossibile est Deum mentiri. Loqui-

tur autem de impossibilitate absoluta. Tum quia alioqui non haberemus fortissimum solarium: possemus enim dubitare, num Deus esset vsus potentiâ suâ absolutâ, si de potentia absoluta mentiri posset; neque posset nobis, ex eius verbo, aut aliunde, certò constare quòd non vtatur; vt ostendemus paulò pòst: Tum etiam, quia Paulus absolute ait id esse Deo impossibile. Nihil enim dicitur simpliciter esse Deo impossibile, nisi quod est absolutè impossibile. Quis enim dicat simpliciter, esse Deo impossibile annihilare Angelos, vel Spiritum sanctum vnire hypostaticè alicui naturæ creatæ: quamvis id non possit de potentia ordinaria? Quod si Deo absolutè impossibile est mentiri promittendo: ita est impossibile mentiri quidquam aliud asserendo. Nam qui potest absolutè loquendo esse mendax: potest quoque absolutè esse infidelis, aut mendax in promittendo. Et cui non repugnat absolutè vna istarum imperfectionum: non repugnat altera.

6. Non magis quàm desinere esse.

Secundò, sancti Patres docent communi consensu tam esse impossibile Deum mentiri; quàm Deum non esse Deum, aut non esse omnipotentem. Sed absolutè impossibile est Deum non esse Deum, vel non esse omnipotentem; Ergo, &c. Athanasij verba lib. de Incarnatione Verbi hæc sunt: *Absurdum est Deum in suis verbis mentiri. Non enim Deus fuisset, si cùm dixisset nos perituros, non perijssemus.* August. lib. 1. de Symbolo cap. 1. *Deus omnipotens est: & cum sit omnipotens, mori non potest; falli non potest; mentiri non potest: &, quod Apostolus ait, Negare seipsum non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est? Et ideo est omnipotens quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens. Si mentiri, si falli, si iniquè agere, non esset omnipotens. Quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Et Ansel. lib. 1. Cur Deus homo, cap. 12. *Non sequitur*, inquit, *si Deus vult mentiri, iustum esse mentiri: sed potius Deum illum non esse.* Plura Patrum testimonia vide apud Valentiam q. 1. de fide, Puncto. 3. col. 6. §. *secundo probatur ex Patribus*; & Suar. Disp. 3. Sect. 5. n. 7. qui etiam num. 6. meritò ait sibi videri tam certum esse de fide Deum absolutè mentiri non posse, quàm non posse mentiri de potentia ordinaria. Tum quia Scriptura & Patres æqualiter vtrumque docent: Tum etiam quia vnum sine altero certum esse non potest. Vnde enim certò haberemus Deum nunquam vti tali potentia? An quia Deus in scriptura hoc dixit locis citatis? At dubium esse posset num Deus, hoc dicendo, suâ potentiâ absolutâ sit vsus. An quia statuit nunquam mentiri, & voluntatem mutare non potest? At si Deus mentiri potest; hoc eius statutum, & voluntas, non potest nobis certò innotescere. Non enim potest innotescere, nisi reueletur à Deo. Cúmque hæc reuelatio nobis tantùm innotescat per verbum Dei: si verbum ipsum potest esse falsum, nullâ viâ nobis certò constat Deum non vti potentiâ mentiendi. Potest autem verbum illud esse falsum, si Deus absolutè potest mentiri. Item, vel dedecet Deum actu mentiri, ita vt mentiendo turpiter ageret: vel non. Si primum: Ergo absolutè impossibile est Deum mentiri, quia nequit agere turpiter. Si secundum: Ergo qui dicit Deum actu mentiri, nihil indecens illi tribuit, nec habet certò aliunde quòd nunquam mentiatur. Consentit etiam Ægidius Coninck, disp. 10. dub. 1: vbi num. 14. ait apertam videri blasphemiam, & hæresim, dicere Deum de potentia, etiam absoluta, posse mentiri.

Tertiò, accedit ratio suprà insinuata: quia scilicet mendacium est intrinsecè malum: & non tantùm est malum, quia prohibitum; sed ideo prohibitum, quia de se malum. Est enim per se disconueniens naturæ rationali, siue intellectuali, & fini, propter quem locutio est instituta (qui finis est societas, & communicatio) aliud sentire, & aliud loqui: exteriúsque proferre, & testari tanquam verum, id, quod interiùs iudicamus esse falsum. Est etiam intrinsecè malum, nec vnquam potest esse honestum impugnare veritatem, illamque euertere suo testimonio, quantum in se est. Atque hoc ipsum esse de fide docet S. August. hæresi 70. & duobus libris de mendacio, & contra mendacium. Si autem vllum testimonium est disconueniens falsitati: maximè diuinum. Id est, si falsum est indignum testimonio vllius alterius: multò magis indignum est testimonio Dei, supremæ veritatis & auctoritatis in testificando. Est enim valde indecens, & indignum, firmare mendacium supremâ auctoritate, & veracitate, cui nihil magis repugnat. Vnde etiam grauiter peccare censetur quicunque quavis de causa Deum inuocat in testem falsitatis. Quare si Deus testimonium suum præberet falsitati, valde malè & turpiter ageret, id est, disconuenienter naturæ suæ intellectuali, ex cuius debito, & necessitate naturali, tenetur non falsò loqui, æquè ac non malè agere. Támque est impossibile Deum mentiri, quàm peccare. Nam peccaret si mentiretur: quia quisquis liberè exercet actum malum, & disconuenientem naturæ suæ, peccat. Deus autem, si mentiretur, scienter & liberè exerceret actum malum, & naturæ suæ disconuenientem. Ergo peccaret.

7. Mendacium est malum intrinsecè.

Adde quòd si Deus quâcunque potentiâ mentiri posset; non esset summa veracitas; sicut non esset summa bonitas, si quâcunque potentiâ peccare posset & malè agere. Maior enim esset illa veracitas, & bonitas, quæ nullâ potentiâ posset à vero & à recto aberrare. Talem verò, & tantam veracitatem, ac bonitatem non esse possibilem, ac non esse reipsâ in Deo, ineptum est & Deo iniuriosum asserere. Item, si Deus posset absolutè mentiri, non haberet summam & infinitam auctoritatem in dicendo, id est, in persuadendo verum esse quod dicit. Debet enim, qui talis est, excludere omnem formidinem omnimodè vi sui testimonij. At hoc non facit, si potest absolutè mentiri. Neque est summæ auctoritatis: quia manifestè maior est illius auctoritas, qui absolutè mentiri non potest. Deus autem habet summam & infinitam auctoritatem in dicendo, cùm sit simpliciter infinitus in omni genere perfectionis, & habeat formaliter omnem perfectionem

Deus non esset súma veracitas, si posset mentiri.

simplicem, id est, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa, aut quælibet alia incompossibilis cum ipsa. Cuiusmodi est summa auctoritas in dicendo, quæ manifestè melior est quàm non ipsa, aut quàm potestas mentiendi ipsi opposita, & incompossibilis cum ipsa. Concludo itaque Deum absolutè mentiri non posse: neque magis posse cadere in Deum mendacium, quàm peccatum.

8. Non potest etiam mentiri per aliũ.

Ex quo infero primò, esse quoque impossibile Deum mentiri per alium, id est, falsum pro vero testificari quando per alium reuelat. Patet, quia id quoque turpe & disconueniens est; & qui per alium facit, per se facit moraliter; & Scripturæ loca suprà citata loquuntur de reuelationibus per alium factis in Scriptura, per Angelos, vel Prophetas, & Scriptores sacros; aiuntque Deum in illis mentiri non posse.

Nec præcipere mendacium.

Infero secundò, Deum non posse præcipere alicui vt mentiatur. Quia sicut ab infinita Dei bonitate alienissimum est peccare & mentiri: ita ab eadem alienissimum est hoc alteri præcipere. Ac sicut non potest esse causa peccati: ita neque mendacij, quod intrinsecè peccatum est: esset autem causa, si præciperet; ob eandemque rationem, impossibile est Deum aliquem directè incitare, siue impellere ad mendacium. Quia esset causa peccati, & mendacij, si ad ipsum sollicitaret, aut impelleret: Infero tertiò, non posse Deum in suis creaturis esse causam specialem assensus falsi: quippe actu indecentis & turpis. Neque alicui habitum erroris, aut falsæ opinionis infundere: quia alioquin ipse, vt causa specialis, in actum turpem inclinaret directè, & in errorem positiuè induceret: quod à summa veritate & bonitate alienissimum est. Cùm enim talis habitus per se directè in errorem, vel falsam opinionem inclinet; Deus illum infundendo, per eum directè inclinaret intellectum in errorem, vel falsam opinionem: atque ita esset causa specialis talis actus indecentis. Nam qui aliquem directè inclinat, siue incitat ad errorem, est ei verè causa erroris. Vt qui impellit aliquem ad peccandum, est ei directè causa peccati. Confirmatur, quia talis habitus est forma dedecens tale subiectum, & indigna, quæ primæ veritati tribuatur, vt causæ speciali. Potest tamen Deus talem habitum antea productum conseruare solo suo influxu generali, quando causæ secundæ id exigunt naturaliter.

Nec esse causa specialis assensus falsi, vel habitus erroris.

Neque per species, aut per verba, ineuitabiliter ad errorem inducere.

Infero quartò, propter eandem rationem non posse Deum species sensibiles, aut intelligibiles, ineuitabiliter ad errorem inducentes producere se solo, vel infundere: neque vti in reuelando oratione ambiguâ habente sensum obtentum falsum, & sensum verum adeò latentem, & obscurum, vt nemo eum possit vllâ ratione assequi, aut prudenter conjicere eum subesse: quia sic nobis loquendo, esset moraliter causa erroris & assensus falsi. Potest tamen iustis de causis vti interdum verbis obscuris, & ambiguis, & in quibus aliquid tacitè subintelligatur; habentibus tamen à parte rei, etiam prout exteriùs cum suis circunstantijs exprimuntur, verum aliquem sensum prudenter inuestigabilem, & moraliter cognoscibilem: licet

Potest tamen loqui ambiguè.

præuideat aliquos imprudenter inde sumpturos erroris occasionem, vt patebit Sect. sequenti. Sed eiusmodi assensus imprudens, & falsus, non est actus fidei Theologicæ, quæ semper versatur circa Dei reuelationes eo sensu, quem Deus ipse intendit.

Ad primum autem Gabriëlis argumentum respondeo, implicare contradictionem, summam veracitatem mentiri, æquè ac summam bonitatem peccare. Ad secundum, nego Deum posse se solo causare omnem actum, quem causat cum creatura, etiam actum turpem & peccaminosum: esséque blasphemum & Christiano pectore indignum, quod Gabriël ait de odio dæmonum. Quod verò addit citatâ dist. 38. de consilio familiari Spiritus sancti ad mentiendum, est pariter blasphemum, & incidit in hæresim Priscillianistarum, de qua diximus num. 3. Est, inquam, falsum vniuersaliter illud principium Gabriëlis, Deus potest se solo producere, & totaliter omnes effectus causarum secundarum; quia est causa perfectissima; & non implicat quòd effectus fiat, à quocunque fiat. Ex quo falso principio, tam malè stabilito, sequitur hæresis & blasphemia superiùs refutata, & iampridem damnata ab Ecclesia.

9. Soluuntur argumenta contraria.

SECTIO II.

Soluuntur aliqua difficultates desumptæ ex Scriptura.

10. Instantiæ variæ ex Script.

Contra doctrinam propositam objiciuntur primò quædam Scripturæ loca, quæ videntur esse contradictoria: atque adeò falsa ex aliqua parte: duorum enim contradictoriorum vnum est verum, & alterum falsum. Huiusmodi sunt quæ sequuntur: Genes. 1. dicitur Deus sex diebus mundum creasse. At Ecclesiastici 18. v. 1. dicitur, *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Item, Genes. 32. v. 30. Iacob Patriarcha, sic ait: *Vidi Dominum facie, ad faciem, & salua facta est anima mea:* Contrà verò, Exod. 20. v. 20. Deus sic affirmat, *Non videbit me homo, & viuet.* Eodem capite, versu quinto, protestatur Deus se visitare iniquitatem patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem; cuius contrarium dicitur Ezech. 18. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Vlteriùs, Iob. cap. 2. suæ historiæ affirmat se peccâsse: *Peccaui*, inquit; *quid faciam tibi ô custos hominum?* Contrariumque asserit cap. 27. v. 6. *Neque enim*, inquit, *reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Rursus Ioan. 20. v. 1. Maria Magdalena dicitur *venisse mane ad monumentum cùm adhuc tenebræ essent.* At contrà, Marc. 16. v. 2. *Venit ad monumentum orto iam Sole.* Et Matth. 28. v. 1. *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalena videre sepulchrum.* Item Rom. 3. v. 28. Paulus sic loquitur: *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Contrarium scribit Iacobus cap. 2. suæ Catholicæ, v. 24. *Videtis quia ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Alia plura contradictionis speciem habentia colligit Becanus cap. 3. de fide, q. 8. num. 7.

11. Conciliatur loca Script. apparenter contradictoria.

Ad primum respondeo, particulam, *simul*, eo loco accipi pro, *æque*, seu *pariter*: sensumque Ecclesiastici esse, quòd Deus sit æquè omnium creator, licet multa successiuè creauerit. Sicut cùm dicitur Psal. 48. v. 11. *Simul insipiens & stultus peribunt*: sensus est quòd pariter peribunt: non autem, quòd eodem tempore vel eodem instanti. Ad secundum dico, Iacob loqui de familiari visione sub specie externa: Deum autem in Exodo loqui de visione suæ essentiæ in seipsa, quæ iustis non conceditur, nisi post mortem. Ad tertium respondeo Deum in Exodo loqui de pœna temporali: apud Ezechielem verò loqui de pœna spirituali priuationis gratiæ, & damnatione æterna: de qua ibidem ait, *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur*. Illa in filios deriuatur: ista non, excepto peccato originali, de quo non est ibi sermo. Ad quartum respondeo, Iobum cap. 2. loqui de peccatis leuibus, seu venialibus: cap. verò 27. loqui de mortalibus. Ad quintum respondeo Magdalenam domo profectam esse dum adhuc tenebræ essent, & peruenisse ad monumentum orto iam sole. Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, significat auroram diei dominicæ quæ vocatur prima Sabbathi, id est, prima dies post Sabbathum. Vesper enim auroram ibi significat, ob stellam antelucanam, quæ venus appellatur, & vesper; vt exponit Baronius ad annum Christi 34. Quamvis alij per *vespere*, intelligant partem extremam noctis, quæ tota apud Hebræos vespere interdum vocatur. Alij malunt Magdalenam, & alias sanctas mulieres, sæpius ad sepulchrum venisse. Ad sextum respondeo Paulum per opera legis intelligere opera legalia, non tantùm ceremonialia & iudicialia; sed etiam moralia, siue decalogi, solo legis dictamine, & solis naturæ viribus facta; vt ait S. Aug. lib. de Spiritu, & litera cap. 14. sub fide verò gratiam, spem, charitatem, & reliquas virtutes supernaturales complecti. Dicit ergo Paulus opera, quæ fiunt per legem, & naturæ vires, seclusâ gratiâ Christi, non iustificare. Cùm verò S. Iacobus affirmat opera iustificare, intelligit opera facta ex fide, & gratia Christi. Atque ita Iacobus cum Paulo bene consentit.

12. Quomodo euenit quod Deus de Caïno prædixerat?

Secundò, objiciuntur aliqua Scripturæ loca, in quibus Deus reuelauit nonnulla, quæ non euenerunt. Vt Genes. 4. Caïno metuenti ne occideretur, reuelauit Deus v. 15. *Nequaquam ita fiet*. Et tamen à Lamech interfectus est: vt dicitur eodem cap. v. 23. & 24. Item, Isaiæ 38. & Ionæ 3. v. 4. Mors Ezechiæ prædicta, & Niniuæ subuersio non euenit. Et Ioan. 7. v. 8. dixit Christus se non ascensurum ad diem festum, & tamen ascendit: vt habetur ibidem v. 10. Respondeo primò, non clarè asserit. Genes. 4. v. 23. & 24. Caïnum à Lamech fuisse occisum. Sensúmque esse posse, quòd si Caïn fuit septies punitus, id est, valde, eò quòd Abelem interfecit: Lamech, qui duos alios interfecerit, punitum iri septuagies septies, id est, multò magis: eò quòd pœnâ Caïni territus non sit, & ab homicidio patrando reuocatus. Secundò, dato quòd Lamech Caïnum interfecerit, Respondeo Deum non promisisse Caïno fore, vt omnino à nullo interficeretur: Sed tantùm illi malâ conscientiâ territo, & sic dicenti, *Ecce ejicis me hodie à facie tua, &c. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me*; respondit Deus: Nequaquam ita fiet, id est, non à quolibet occurrente occideris: sed ponam in te signum, propter quod homines vereantur te occidere: licet tandem futurum sit, vt à Lamech audaciori, & sceleratiori cæteris, occidaris. Ad alia duo loca respondeo, comminationes illas fuisse tacitè conditionatas, vt solent esse diuinæ: & ex Dei more comminandi, & parcendi pœnitentibus, id facilè conjici poterat. Christus verò Ioan. 7. dixit tantùm, *Non ascendam*; vobiscum scilicet; vel, palam & manifestè, iuxta sensum & petitionem eorum, à quibus rogabatur, ascendere publicè. Vel, vt mauult Toletus, particula, *Non*, sumitur pro *Nondum*: iuxta id, quod mox additur. *Tempus meum nondum est impletum*, id est, nondum venit tempus meum ascendendi.

Objicies tertiò, nonnullos in Scriptura Spiritus sancti instinctu esse mentitos, aut falsum locutos. Pro quo nota, respectu Dei idem esse mentiri, & loqui falsum. Deus enim, qui nouit vnumquodque sicuti est, non potest falsum loqui, quin mentiatur, id est, contra mentem, seu iudicium suum, loquatur. Homines verò possunt mentiri verum dicendo: & possunt falsum dicere non mentiendo. Possunt enim habere iudicium inculpabiliter erroneum, & existimare verum esse id, quod est falsum. Si quis enim putans verum id, quod est falsum, asserat non ita esse; mentitur; quia contra mentem loquitur: quamvis non dicat falsum, quia id, quod dicit, est in re, vt dicit. Si quis autem putans esse falsum id, quod est verum, affirmat id esse falsum; non mentitur quidem, quia non contra mentem loquitur; falsum tamen dicit, quia res aliter se habet, quàm dicitur. Mendacium enim ita appellatur per oppositionem ad mentem loquentis: falsum verò, per oppositionem ad rem, quæ enuntiatur esse, aut non esse. Hoc supposito, probatur aliquos Spiritus sancti instinctu esse mentitos, aut falsum locutos. Primò enim, Abraham Gen. 22. v. 5. dicens pueris se reuersurum ex monte cum Isaac, mentitus est, licet verum dixerit: putabat enim se Isaac occisurum. Et tamen instinctu diuino locutus est, ac prophetico spiritu, vt docet Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 8. Item, Gen. 27. v. 19. Iacob mentitus est, cùm dixit, *Ego sum primogenitus tuus Esau*. Et tamen Spiritus sancti instinctu loquebatur, vt definit Innocentius Papa in cap. *Gaudemus, de diuortijs*. Et Ioan. 9. v. 31. Cæcus à Christo illuminatus, dicens, *Scimus quia peccatores Deus non audit*, falsum dixit, licet non sit mentitus: Nam constat ex Math. 7. v. 22. & 23. Deum interdum audire peccatores; etiam ad patranda miracula.

13. Mentiri, & falsum dicere, non sunt idem.

Respondeo primò, non omnia, quæ in Scriptura narrantur, dicta vel facta à quibuslibet personis, fuisse dicta, vel facta instinctu Spiritus sancti: cum certum sit Scripturam referre historicè multorum malè dicta, & malè facta. Secundò, ne omnia quidem Patriarcharum, &

Scriptura quomodo, & quatenus est à Spiritu sancto?

similium, quamvis sanctorum, dicta vel facta, debere aut posse à peccato excusari. Cuius rei exempla de Dauidis adulterio, & literis Vriæ datis, de Samsonis amore erga Dalilam, de Iudæ accessu ad Thamar, de Petri negatione, similibusque alijs, possunt facilè occurrere. Tertiò, neque omnes, qui inducuntur in Scriptura loquentes, loqui instinctu Spiritus sancti: vt de cæco illo à natiuitate (cuius tamen verba verum aliquem sensum habere possunt) August. Beda, & alij plerique affirmant. Quanquam si loquentes inducantur personæ, infallibiles aliunde in ea materia, vt Christus, Apostoli, Prophetæ, Angeli beati, in materia religionis; vera sunt & diuina, quæ ab illis dicta referuntur. Idemque dicendum, si loquantur dogmaticè personæ sanctiores, quas Scriptura laudat, & ex quarum dictis Ecclesia & Patres solent argumentari: vt sunt Moyses, Abraham, &c. Quartò, licet non desint Doctores, qui dicant Abraham, & Iacob, locis in obiectione citatis, non esse locutos instinctu Spiritus sancti, sed dissimulandi causâ esse mentitos: meliùs tamen D. Aug. & alij respondent, Abrahám Spiritus sancti instinctu prophetâsse, neque contra mentem suam locutum esse, quia sperabat filium suum breui post immolationem ad vitam reuocandum, vt implerentur promissiones de illo factæ. Quod significat Paulus Hebr. 11. sic dicens: *Fide Abraham obtulit Isaac, arbitrans quòd & à mortuis suscitare potens est Deus.* Potuit etiam loqui ambiguè dicens se cum filio rediturum, subintelligendo, si Deo placuerit. Erátque iusta causa loquendi ambiguè, ne famuli eius sacrificio impedimentum afferrent. Iacob quoque non est mentitus, sed callidè dissimulauit, & cum ratione æquiuocè locutus est, quando dixit, *Ego sum primogenitus tuus Esaü*, repræsentatione scilicet externâ (vt loqui solent qui in theatris personam aliquam repræsentant) & iure primogenituræ, ob vendita sibi primogenita, Deique decretum Rebeccæ significatum, quando ei reuelatum est fore vt maior seruiret minori Gen. 25. v. 33. Simili modo loquendi dixit Christus Math. 11. Ioannem Baptistam esse Eliam: Et Paulus Rom. 9. Omnes fideles, & in Christum credentes, esse Israëlitas, & filios Abrahæ.

Quinam ibi loquantur eius instinctu?

Abrahã, & Iacob quomodo non mentiti.

14. Objicies quartò, Deum, licet mentiri non possit, posse tamen æquiuocè loqui, & decipere; & ipsummet profiteri se improbos in fraudem inducturum, Ezech. 14. v. 7. *Homo de domo Israël, &c. Si alienatus fuerit a me, & posuerit idola sua in corde suo, &c. Et venerit ad Prophetam, vt interroget per eum me: Ego Dominus respondebo ei per me, &c.* Et v. 9. *Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum, Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 3. Regum 22. v. 23. *Dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum.* Ibidémque v. 22. ait Dominus ad spiritum mendacij, *Decipies, & praualebis; egredere, & fac ita*: imperans scilicet illi, vt deciperet Regem Israël. Et 4. Regum 8. Decepit Elisæus summus Propheta, Dei scilicet instinctu, Benadab Regem Syriæ, respondens ei, *Sanaberis*, cùm sciret nihilominus eum esse moriturum. Et Iudic. 20. v. 23. Israëlitæ consulentes oraculum diuinum, num ascenderent contra Beniamitas, decepti sunt. Et 2. Thess. 2. v. 10. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.*

Possitne Deus decipere?

Respondeo primò, posse Deum iustè permittere, propter mala hominum merita, vt Prophetæ fallantur, & decipiant: & vt homines decipiantur ipso Dei oraculo circa nonnulla, propter suam temeritatem, & insipientiam: illudque Deum posse sibi tribuere, vt non impedienti, & liberè permittenti. Solet enim Scriptura Deo tribuere etiam id, quod ab ipso permissum tantùm fuit. Vt Iob. 42. v. 11. dicitur Deus intulisse illi mala, quæ ex cap. 1. constat fuisse à diabolo illata, permittente Deo.

Potest permittere deceptionem.

Respondeo secundò, magnum esse discrimen inter ea, quæ Deus, per se, vel per Prophetas loquitur malis hominibus, ingratis, & sibi inuisis, quibuscum potest hostiliter agere, & ironicè loqui; at non mentiri, vel directè fallere asserendo falsum: & inter ea, quæ Deus sponte reuelat hominibus in ordine ad salutem, & finem supernaturalem, ad docendum, hortandum, &c. Etenim Deus, quæ ad salutem credenda proponit; docet simpliciter & apertè: neque potest ex proposito fallere in ijs, quæ pertinent ad regimen creaturæ rationalis, vt eas promoueat ad finem destinatum. Alioquin ageret insipienter, & liberè faceret contra suam intentionem, quod est impossibile. Quare exempla allata, & similia, nihil detrahunt paternæ & sinceræ Dei prouidentiæ, quâ reuelat hominibus finem & media, suamque voluntatem. Cui prouidentiæ repugnat indicare aliud verbis, & aliud intelligere: Ideóque certissimè tenendum est, Deum sincerè finem & media reuelâsse: quod necessarium est propter infinitam ipsius bonitatem, & quia creaturas rationales condidit, non vt eis illuderet, quod Deo indignum est; sed vt ad proprium bonum, & perfectionem eas promoueret, & in illis magnitudinem suam ostenderet.

15. Sed non in omnibus.

Respondeo tertiò speciatim ad singula exempla in obiectione allata, Ezech. 14. Deum minari se cum pessimis Iudæis, apostatis à fide seuerè acturum: ac tum per se locuturum obscurè, & ironicè, quod non est per se malum; sed multis iustis de causis potest licitè fieri; quamvis numquam liceat mentiri: tum etiam permissurum, vt Prophetæ, ab ipsis interrogati, errent, & perperam respondeant; vel etiam Deum per ipsos obscurè & ironicè locuturum, quod illis deceptionis occasio futurum sit. Similiter 3. Regum 22. Dedit Dominus spiritum mendacij, id est, permisit spiritui mendacij, id à Deo postulanti, vt illuderet Regi Israël: cui etiam Michæas primò ironicè locutus est, sciens impium Regem velle vt sibi placentia loqueretur, & victoriam promitteret. Deinde verò adiuratus respondit quod verum erat, & secundùm Deum. Illud autem, *Egredere, & fac ita*, permissiuè intelligendum est, non imperatiuè: vt & illud Christi ad Iudam proditorem, *Quod facis, fac citius*, Ioan. 13. v. 27. Elisæus verò non respondit absolutè, Regem Benadab sanatum iri, neque

16. Præcipuè verò erga improbos, in pœnam peccatorum.

Exempla huiusmodi deceptionũ, erga Regem Israël, 3. Reg. 22.

Erga Benadab, 4. Regum 8. id promisit, aut prædixit ex parte Dei; sed Azaëli eius seruo sic præcepit, *Vade, dic ei, Sanaberis.* Potuit autem Elisæus ex sensu proprio id dicere, vt impio Regi iustè illuderet. Potuit etiam sine mendacio subintelligere, nisi aliunde, quàm ex morbo aliquid contingeret. Possumus enim respondere secundùm sensum interrogantis, & responsum limitare ad ipsius intentionem. Benadab autem interrogabat solùm de morbo. Et quidem non ex illo morbo mortuus est, sed ab Azaële postridie suffocatus, vt ibidem narratur. Capite autem 20. Iudic. Deus per oraculum respondens Israëlitis, nihil de victoria dixit, de qua neque fuerat interrogatus, sed solùm an Israëlitæ deberent ascendere Gabaa, & inire certamen ad vlciscendum scelus Beniamitarum. Dixitque tantùm Deus vt ascenderent, & inirent certamen. Permisit verò iustè vt primâ & secundâ vice cæderentur; quia robori suo & multitudini non bene fidebant; vt Scriptura indicat v. 22. Neque Deum dedecet, vt exigentibus hominum peccatis occultet aliquam veritatem, & aliquid interponat, cuius occasione propter suam temeritatem fallantur. Denique vltimum testimonium Pauli 2. Thess. 2. de spiritu vel operatione erroris, debet intelligi permissiuè, vt in prima responsione diximus generaliter.

Erga Israëlitas Iudic. 20.

SECTIO III.

Enodatur alia difficultas de reuelatione falsò præsumpta.

17. Reuelatio falsò præsumpta non est obiectum fidei.

OBijcitur præterea, quòd licet Deus non possit falsum testificari: potest tamen præsumi reuelatio quæ non sit: ita vt prudenter credibile iudicetur Deum reuelasse, cùm tamen non reuelauerit. Atque ita saltem ex ea parte poterit fidei subesse falsum. Sicut enim virtutes voluntatis possunt ferri in bonum tantùm apparens, si proponatur ab intellectu vt verum: ita & fides in reuelationem apparentem, propositam vt veram. Secundò, si aliquis Iudæus paulò ante Christi natiuitatem actu credidisset Christum nasciturum: & hunc actum continuasset vsque ad ipsam natiuitatem inclusiuè, aut etiam post: ille actus fuisset verè actus fidei diuinæ: Et tamen in fine fuisset falsus. Ergo fieri potest vt per actum fidei diuinæ credatur aliquid falsum. Tertiò, fide diuinâ credimus Christum esse in Eucharistia, in qua illum adoramus. Et tamen fieri potest vt consecratio non sit ritè peracta, & non sit Eucharistia quæ esse creditur. Quartò, si quis vniuersaliter credat Scripturam sacram esse veram; & inuincibiliter erret, putando hoc aut illud esse in ea expressum, quod neque expressum neque verum est: ille quantum in ipso erit, omnino iudicabit esse expressum in Scriptura: ac si illi munus incumbit docendi alios, poterit ex dictamine conscientiæ bonâ fide iudicare se teneri ad illud alijs annuntiandum: & illi vicissim poterunt existimare se obligari ad illud credendum, tamquam sufficienter sibi propositum.

Respondeo cum Suare Disp. 3. Sect. 13. num. 9. Mœrat. Disp. 7. de Fide, Sect. 1. & quibusdam alijs eruditis recentioribus, non posse reuelationem tantùm apparentem adeo sufficienter proponi, vt prudenter eam examinanti verâ & perfectâ prudentiâ, sufficienter credibile iudicetur Deum reuelasse. Quia cùm Deus velit vt firmissimè credamus, ea omnia quæ sufficienter proponuntur tamquam ab ipso reuelata: omnino ad eius prouidentiam spectat non permittere aliquid falsum ita nobis proponi, vt prudenter iudicemus illud esse credendum. Alioqui fides nostra vacillaret in alijs, & non haberet fundamentum certitudinis quantum Deus à nobis exigit. Cùm enim Deus velit nos credere fide certâ, & omnino indubitabili; debet dare indicia reuelationis tam certò & infallibiliter connexa illius veritati: vt de illa non possit iure dubitari. Posset autem iure dubitari, si indicia quæ offeruntur, & perfectâ prudentiâ expenduntur, essent fallibilia, possentque falsæ reuelationi conuenire. Et hanc etiam prouidentiam exigit natura ipsa fidei supernaturalis. Est enim naturâ suâ determinata ad verum; quia est virtus supernaturalis intellectus, cui repugnat falsum: nec vnquam operatur nisi ex gratia præueniente, & speciali adiutorio & directione Spiritus sancti, qui non potest dirigere intellectum ad falsum, non magis, quàm voluntatem inducere ad malum. Quare vt id quod proponitur ad credendum fide supernaturali, sit verè & sufficienter illius obiectum, in quod tendere possit, & iuuari ope Spiritus sancti ad credendum sicut oportet; non sufficit qualiscumque propositio obiecti; sed debet esse talis, vt omnibus motiuis sufficienter propositis & expensis, prudenterque cognitis, habeatur pro vera & indubitabili, per ea indicia externa, vel interna, quæ habeant infallibilem connexionem cum illius veritate; neque possint applicari falsæ reuelationi. Indeque fit vt actus fidei supernaturalis sit extra periculum errandi, etiam vi suæ determinationis essentialis, & naturæ propriæ, exigentis auxilium Dei supernaturale ad prudenter iudicandum de motiuo sufficienti planè infallibili. Quod quomodo Deus præstiterit circa disquisitionem veritatis Christianæ religionis, & circa regulas fidei, id est, principia quædam generalia, quibus veritates fidei stabiliuntur, & proponuntur infallibiliter, ostendemus totâ disputatione 5. & totis disp. 7. 8. & 9. Quomodo etiam exerceatur actus fidei atque ad illum Spiritus sanctus iuuet intellectum primò ad motiuum credendi prudenter examinandum, tùm deinde ad iudicandum sitne sufficienter credibile: ac denique ad ipsum fidei assensum supernaturalem eliciendum, dicemus fusè inferiùs, Disput. 10. Sect. 1.

18. Probatur efficaciter.

19. Qualis debet esse propositio obiecti fidei?

Ex his patet quid respondendum sit argumentis initio Sectionis propositis. Liquet enim falsum esse antecedens primi argumenti. Ad cuius confirmationem respondeo, negando paritatem. Vt enim rectè ait S. Thomas quæst. 1. de fide art. 3. ad 1. discrimen istud est inter virtutes intellectus & voluntatis, quòd illarum actus, vt sint boni, debent esse conformes

20. Soluuntur argumenta cõtraria.

Differentia inter virtutes intellectus & voluntatis. obiecto, prout est in re: adeóque esse veri, quia versantur circa rem prout est à parte rei, & ab illa, ut sic, suam bonitatem & rectitudinem accipiunt. Ex eo enim quòd res est, vel non est; propositio mentalis, æquè ac vocalis, est vera vel falsa: ut ait Philosophus 1. Periherm. cap. 4. At verò virtutes voluntatis versantur circa bonum & malum, prout est in cognitione, & dictamine conscientiæ; & ab illo suam bonitatem accipiunt: & non tantùm ab illo prout est in re. Ideo enim sunt boni, quia tendunt in obiectum secundùm rectam rationem appetendum. Tale autem est quicquid prudenter proponitur ab intellectu ut honestè appetibile: & re ipsâ honestum est sequi dictamen conscientiæ: ac si quid præcipit; aut prohibet, necessariò parendum illi est. Quare error est (si erratur) in intellectu malè applicante obiecto circonstantiam honestatis, aut necessitatis moralis: non autem in appetitu, ut volente obiectum ita propositum ab intellectu. Quia tamen virtus appetitus fertur cum cognitione in obiectum; & eo ipso deficit ab integra perfectione, si sequitur ducem vitiosum, scilicet falsam æstimationem: existimo virtutes supernaturales non subesse illi imperfectioni; ob suam excellentiam supernaturalem, & modum operandi ex speciali motione & applicatione Spiritus sancti. Est enim planè conueniens existimare virtutes omnes supernaturales, tum ex natura sua, tum ex modo operandi, determinatas esse ad verum, & ad bonum; ita ut non sint expositæ errori, vel apparentiæ. Sunt enim entitatis supernaturalis, cui error & malitia valde disconuenit; súntque veluti instrumentum Spiritus sancti, per quod mouet & eleuat intellectum ad assentiendum; sicut & voluntatem ad appetendum: Spiritus verò sanctus non mouet ad falsum, & ad malum: ac denique sunt inchoatio quædam status beatifici, eo fine infusæ, ut certissimè rectissiméque adhæreamus vero, & bono, per cognitionem, & affectum supernaturalem; cui fini non essent satis proportionatæ, si possent à verò & recto aberrare. Quare 2°. breuiter & in forma respondeo distinguendo antecedens. Virtutes voluntatis possunt ferri in bonum tantùm apparens, propositum ab intellectu ut verum: naturales, concedo: supernaturales, nego. Ergo & fides diuina, &c. Nego consequentiam: quia fides diuina est virtus supernaturalis, non obnoxia deceptioni.

21\. Altera differentia inter virtutes supernaturales.

22\. Quomodo credebant Iudæi Christum venturum? Ad 2. Respondeo, ante & post Christi natiuitatem pertinuisse tantùm ad fidem credere Christum nasciturum secundùm eam differentiam temporis, pro qua erat verè nasciturus, & secundùm quam id erat à Deo reuelatum. Idque solùm fideles crediderunt fide diuinâ, siue ante natiuitatem, siue post: & actus fidei Theologicæ quamvis ante inchoatus, & pòst natiuitatem continuatus, idem semper obiectum habuit, eandem scilicet differentiam temporis, confusè cognitam ab eo, de quo in obiectione sermo fuit: qui si credidit Christum esse nasciturum, ultra illam differentiam temporis; fide solùm humanâ id falsò existimauit. Actus verò fidei diuinæ habet pro obiecto Deum dixisse, & id quod dixit, esse verum, eo sensu quo dixit: quod qui credit, nunquam fallitur.

Ad 3. Respondeo non esse à Deo reuelatum quòd hîc & nunc, sit rite facta consecratio. Ideoque illud in particulari non est materia fidei supernaturalis, sed in communi, quòd Christus sit in quavis hostia, ritè consecrata: non est tamen sine sufficienti ratione dubitandum; sed credendum certò in communi quòd Christus sit in quavis hostia ritè consecrata: vel hypotheticè quòd sit in ista, si ritè consecrata fuit. Non est tamen sine sufficienti ratione de ista quoque dubitandum; sed credendum certò fide humanâ; & ex tali suppositione adorandum: quia non est malè suspicandum sine causa legitima, sed potiùs rectè de vnoquoque sentiendum. Et ad debitum morale exercendi actiones humanas non requiritur certitudo fidei diuinæ, vel euidentia rei; sed sufficit humana prudentia, & certitudo moralis; qualis est, ut ille habeatur pro Sacerdote, qui Ordines communi more exteriùs receperit: Et is censeatur consecrasse, de quo non est argumentum urgens in contrarium. Quod si error ibi contingat aliquando; non imputatur adoranti bonâ fide: Et cultus latriæ semper ad Christum dirigitur. 23. Quomodo credimus Christũ esse sub hac hostia. Quomodo adoramus.

24\. Fides diuina à quo regatur? Ad 4. Liquet ex dictis ubi deest reuelatio diuina, non esse obiectum fidei supernaturalis, quantumvis præsumatur esse: & fidem non subesse cuiusque voluntati vel opinioni ut credat quicquid quolibet modo credendum iudicauerit: sed esse alligatam ex natura sua propositioni diuinæ, & reuelationi tali ut in suis conditionibus obiectiuis præuijs, ad assensum, & excitantibus intellectum ut iudicet esse credendum, sit infallibiliter connexa cum veritate: adeo ut nulla falsa reuelatio possit proponi cum iisdem vel paribus omnino indicijs excitantibus intellectum, & voluntatem ad volendum credere. Nec obest quòd aliquis ex errore inculpabili potest existimare se obligari ad credendum aliquid, quod non est reipsâ reuelatum. Neque enim propterea tenetur, neque potest illud credere fide supernaturali: quia non potest, neque tenetur ad impossibile: sed tantum tenetur conari ad credendum quantum in ipso est, ut satisfaciat quantùm potest dictamini suæ conscientiæ.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.

25\. Proponitur contraria sententia. Contra doctrinam propositam fusè disputat Adamus Tannerus quæst. 2. de fide dub. 5. num. 117. & sequentibus, vbi conatur ostendere sententiam nostram neque veram esse; neque necessariam ad tuendam fidei certitudinem. Primum illius argumentum est, quia ad sufficientem fidei propositionem non plus requiritur, quàm ut illud, quod credendum proponitur, fiat prudenter & euidenter credibile, certo & indubitato fidei assensu: ita ut oppositum non sit credibile secundùm ra-

ctam rationem. Hoc autem fieri poteſt nonnumquam ijs motiuis, talique propoſitione, qualis in obiectum etiam falſum cadere poteſt: vt ſi alicui ſimplici proponatur ab omnibus Paſtoribus, & Doctoribus quos nouit, tanquam diuinitus reuelatum, & multis miraculis confirmatum. Reſpondeo ad credendum fide indubitatâ & infallibili, qualis eſt fides diuina, requiri argumentum infallibile; adeóque propoſitionem talem, vt in reuelationem falſam cadere non poſſit: quæ etiam non poteſt prudenter acceptari vt infallibilis, ſi eſt fallax, & æquè falſo applicabilis: vt patet ex dictis num. 26. ideóque propter illam non poteſt credi aſſenſu infallibili fidei diuinæ.

26. *Non propterea fides euidens est.* Secundum argumentum: Si ad credendum talis propoſitio neceſſaria eſſet, qualis in obiectum falſum cadere nullo modo poteſt, ſequeretur omnem veritatem credendam eſſe euidenter veram, vi ipſius propoſitionis ad credendum requiſitæ. Conſequens eſt abſurdum. Ergo & antecedens. Sequela probatur, quia id quod ita proponitur, vt etiam priùs, quàm diuinâ fide credatur, ex vi talis propoſitionis omnino certum ſit illud falſum eſſe non poſſe, eſt euidenter verum: quia certitudo fidem præcedens, alia eſſe non poteſt, quàm euidentia. Reſpondeo negando ſequelam cum eius probatione. Poteſt enim propoſitio eſſe omnino certa, quamvis ineuidens, propter motiua certiſſimo aſſenſu digna; licet non ſimpliciter euidentia. Et certitudo fidem præcedens poteſt eſſe ineuidens, æquè ac ipſa fides. Imò niſi propoſitio ſufficiens eſſet certa; fides illi innitens non poſſet eſſe certa, Et niſi eſſet obſcura, aſſenſus fidei eſſet ſimpliciter euidens ei qui noſſet euidenter Deum reuelaſſe, & neque falli poſſe, neque fallere. At eſſe euidentem negat ipſe Tanner. q. 1. dub. 6. num. 158. & 159. Vbi etiam affirmat hanc eſſe communem & certam Doctorum ſententiam.

27. Tertium argumentum: Ex noſtra ſententia ſequeretur primò multos de populo fideli non aſſentiri verâ, & diuinâ fide: quia non mouentur ad credendum niſi ijs motiuis, quæ in falſam ſectam facilè cadere poſſunt: vt auctoritate Maiorum, & Paſtorum, quos norunt; vel humanâ auctoritate eorum qui referunt miracula; vel conſenſu & auctoritate illius Eccleſiæ particularis, quam norunt. Si enim opus eſſet, vt prætereà ſcirent euidenter in tota Eccleſia per vniuerſum orbem diffuſa ſic credi: quot anni laberentur, dum iſtam euidentiam acquirerent: quam neque periti ſemper habent? Quantâ item induſtriâ opus eſſet ad euidentiam miraculorum comprobandam, ſi illa vlteriùs requiritur? Secundò, ſequeretur etiam nullum infidelem, firmâ omnino & indubitatâ fide credentem aliquid falſum tanquam diuinitùs reuelatum, poſſe excuſari ſaltem à temeritate credendi: quia iuxta noſtram ſententiam, fieri nunquam poteſt, vt quis prudenter adeo certâ fide, credat aliquid falſum, tanquam diuinitus reuelatum. Conſequens autem videtur abſurdum: quia inde ſequitur nullum infidelem ita credentem, poſſe excuſari à peccato per ignorantiam inuincibilem: quod communiter negant omnes. Tertiò, ſequeretur neminem inter hæreticos, etiamſi aliquis ob ignorantiam inuincibilem excuſetur ab erroribus, quos contra fidem habet, verâ & ſupernaturali fide aſſentiri ne ijs quidem veritatibus, quas vera & Catholica fides proponit. Conſequens autem eſt abſurdum; quia conſequenter nemo talis vnquam ſaluari poſſet. Adultum enim ſine fide actuali placere Deo, & ſaluari eſt impoſſibile. Sequela verò probatur, quia cùm talis omnia fidei ſuæ obiecta credat propter eandem propoſitionem, eadémque motiua: neceſſario ſequitur, aut falſum etiam euidenter illi tanquam diuinitus reuelatum, indubitatâ fide credibile eſſe: aut ne vera quidem obiecta fidei eſſe illi tam ſufficienter credibilia, vt diuinâ fide credi poſſint.

Ad primum patet ex dictis ſuprà num. 30. quomodo etiam ruſtici & idiotæ inter fideles credant ex propoſitione & motiuo infallibili, quotieſcunque credunt fide diuinâ & ſupernaturali, vt verè faciunt cum auxilio Spiritus ſancti. Ad ſecundum reſpondeo, talem infidelem excuſari poſſe à temeritate, propter mentis hebetudinem, aut inaduertentiam: quia non aduertit debilitatem ſui motiui, & credit firmiùs, quàm mereatur motiuum aſſentiendi. In quo quidem eſt imprudens materialiter: ſed non peccat formaliter peccato imprudentiæ, vel temeritatis, ob rationem dictam. Ad tertium, Nego ſequelam antecedentis. Ad cuius probationem reſpondeo talem, ſi iuuatur & eleuatur diuinitus ad credendum fide ſupernaturali (quod fieri poſſe concedimus) non credere propter eadem motiua, aut eandem propoſitionem, vi cuius errat inuincibiliter circa non reuelata, & reuelatis oppoſita: ſed propter altius motiuum externum, aut internum, non expoſitum falſitati, ſed connexum infallibiliter cum veritate reuelationis. 28. *Nec inde ſequuntur inconuenientia malè obiecta.*

Quartum argumentum eiuſdem auctoris eſt, quòd noſtra ſententia ſecum pugnet. Aut enim, inquit, Auctores huius ſententiæ ſibi certò perſuadent veram illam eſſe: ita vt certum illis ſit & euidens nihil falſi poſſe euidenter credibile reddi per fidem pluſquàm humanam: & per conſequens omne id, quod ſufficienter proponitur ad credendum, eſſe verum. Aut tantùm exiſtimant id eſſe probabilius. Non primum: quia tunc omnia obiecta fidei eſſent euidenter vera cuilibet credenti. Euidens enim eſt verum eſſe, quidquid euidens eſt eſſe credibile fide omnino certâ & indubitatâ tanquam à Deo reuelatum. Sed omnibus verè credentibus euidens eſſet ea, quæ fides proponit, eſſe credibilia, certâ prorſus & indubitatâ fide, tanquam diuinitus reuelata: Ergo, &c. Si autem dicatur ſecundum, nempe illud eſſe tantùm probabile, aut probabilius: non conſulitur certitudini fidei per hanc ſententiam, magis quàm per oppoſitam. Nam ſi illa ſententia non eſt pluſquam probabilis: poſſum ergo adhuc timere ne falſa ſit. Ac proinde non minùs timeri poteſt ne falſum ſit quod creditur, ſecundùm hanc ſententiam; quàm ſecundùm oppoſitam. 29.

Reſpondeo aliquos eſſe quidem Auctores huius ſententiæ, (inter quos eſt Suares diſp. 3. 30.

Neque hæc sententia secum pugnat.

de Fide, Sect. 13. num. 9.) qui eam tradunt solùm vt probabiliorem. Sed qui meliùs sentiunt, habent illam vt certam, & planè indubitatam: quod puto satis euinci argumentis in fauorem illius suprà factis. At inde non sequitur omnia obiecta fidei esse euidenter vera credenti: quia non est euidens simpliciter, sed tantùm euidentiâ credibilitatis, verum esse quicquid est euidenter credibile fide omnino certâ & indubitatâ, abstrahendo à fide supernaturali. Quare in forma respondeo concedendo primum membrum disiunctionis esse verum: & negando primam propositionem quæ subiungitur ad eius impugnationem. Ad argumentum

31. Sit-ne euidens id quod est euidenter credibile.

verò, quod in eiusdem propositionis confirmationem adducitur, respondeo distinguendo maiorem: Euidens est esse verum quidquid euidens est esse credibile fide omnino certâ & indubitatâ, tanquam à Deo reuelatum: fide supernaturali, concedo. Naturali, nego. Sed omnibus verè credentibus euidens esset ea, quæ fides proponit, esse credibilia, certâ prorsus & indubitatâ fide, tanquam diuinitus reuelatâ: distinguo similiter: Euidens esset quòd sint credibilia fide omnino certâ & indubitatâ, supernaturali, nego: abstrahendo à fide supernaturali, concedo: & nego consequentiam. Ratio verò huius distinctionis est: quia, quicquid dicant nonnulli in contrarium, censeo euidens esse assensum supernaturalem non posse esse falsum. Deus enim, qui semper est causa specialis illius, & motio Spiritus sancti, quæ semper est necessaria ad illum eliciendum, non potest esse causa specialis & auctor actus falsi, & indecentis, non magis quàm possit esse auctor & causa peccati. Itaque si esset euidens quòd aliquid sit credibile fide diuinâ & supernaturali tanquam à Deo reuelatum; esset pariter euidens illud esse à Deo reuelatum: ac proinde euidens etiam esset quòd illud sit: supposito aliunde quòd sit euidens, vt verè est, Deum non posse mentiri, & falsum pro vero asserere: quod est turpe & indecens: ac proinde Deo indignum & impossibile. At non est euidens simpliciter dari fidem supernaturalem, sed credibile tantùm, vt iam alibi notauimus. Ac proinde non est euidens, id quod sufficienter proponitur tanquam à Deo reuelatum, esse credibile, & credi re ipsâ fide supernaturali: quamvis sit euidens debere credi fide omnino indubitatâ.

32. Instabis, quia si vi argumentorum, & motiui assentiendi, aliqua propositio habenda est iure omnino indubitata, & non modò practicè, verùm etiam speculatiuè indubitabilis; euidentia talis credibilitatis non distinguitur ab euidentia veritatis. Nam licet Auctores non consentiant in explicando, quæ sit simplex euidentia veritatis; nunquam tamen reperietur, quòd cùm probant aliquam propositionem esse euidentem euidentiâ veritatis, aliud probent, quàm esse vi argumentorum indubitabilem. Enimverò propositionem aliquam fieri euidenter indubitabilem, est euidenter ostendi certitudinem eius infallibilem, ac proinde veram. Et quando vi argumentorum colligit aliquis iure & meritò propositionem aliquam esse omnino indubitabilem; euidenter illi apparet eius necessaria connexio cum argumentis, quorum vis clarè videtur. Nam vbicumque mens procedit discurrendo, procedit etiam videndo. Itaque malè colligeret omnem dubitationem esse expellendam propter talia argumenta, nisi clarè videret necessariam connexionem propositionis cum illis argumentis. Quare enim intellectus ob eiusmodi argumenta excluderet à se ius omne dubitandi de illa propositione, nisi esset necessaria connexio inter argumenta, & propositionem, eaque cerneretur?

Ad hæc respondeo, Antecedens non esse verum: ad cuius primam probationem dico eos, qui bene definiunt propositionem simpliciter euidentem, affirmare talem esse, vt quando occurrit intellectui per se, vel per motiua, quibus euidens fit, & bene ab illo consideratur; ita rapiat & possideat intellectum, vt non patiatur illum, loco assensus, erumpere in dubitationem inuoluntariam: secus autem propositiones simpliciter ineuidentes, quæ propter suam obscuritatem permittunt talem dubitationem. Ad secundam respondeo propositionem fidei non ostendi euidenter per argumenta esse omni-modo indubitabilem, sed tantùm iure & rationabiliter: ostendere autem euidenter propositionem aliquam esse iure indubitabilem, est tantùm ostendere certitudinem eius esse iure indubitabilem, & habendam esse iure pro infallibili & vera, at non pro euidenti simpliciter. Et quando vi argumentorum colligit aliquis iure omnino indubitabilem esse aliquam propositionem, non propterea euidenter illi apparet eius connexio necessaria cum argumentis: sed tantùm apparet euidenter nullam esse rationem sufficientem ad iure dubitandum de connexione: meritòque colligit omnem dubitationem esse expellendam, quando clarè videt connexionem propositionis cum illis argumentis, talem esse, vt nullam relinquat rationem dubitandi legitimam. Hoc enim sufficit, vt excludat à se ius omne dubitandi. Sicut moralis certitudo, quamdiu stat illius fundamentum, sufficit ad excludendam moralem dubitationem; quòd v. g. hic aut ille sit verè baptizatus, verè sacerdos, & similia.

33. Propositio euidens quid sit.

Propositio fidei non fit euidens per motiua credibilitatis.

Quartum & vltimum argumentum eiusdem Auctoris, quo contendit probare nostram sententiam non esse necessariam ad tuendam certitudinem fidei, sic ab illo proponitur: Fidei certitudo vel consideratur primò ex parte obiecti: & tunc non plus requirit, quàm obiectum omnino certum & infallibile. Ita scilicet, vt quatenus substat rationi formali, propter quam creditur, id est, diuinæ reuelationi, non possit esse falsum. Et hoc habet, quamvis aliquid falsum possit reddi prudenter credibile. Quandoquidem non ideo sequetur, assensum fidei supernaturalis esse falsum: cùm assensus ille circa falsum, non sit assensus fidei supernaturalis, nec esse possit; sed assensus merè humanus, & fidei acquisitæ, quantumvis per ignorantiam existimetur à credente esse assensus fidei supernaturalis. Aut secundò consideratur fidei certitudo ex parte subiecti, prout 34.

scilicet est firmitas assensus, excludens omnem dubitationem & formidinem. Et tunc non plus requirit, quàm vt post sufficientem propositionem credamus firmo, & planè indubitato assensu: quod fieri potest, licet absolutè loquendo aliquid falsi eo modo credibile reddi possit. Neque enim propterea debet dubitare habens grauia motiua, quibus obiectum fit illi certò credibile: & nullam habens rationem sufficientem, quâ illi probabiliter,& secundùm veram prudentiam agendo, vel id incredibile, vel eius oppositum credibile fiat. Ideóque non potest vllo modo prudenter timere ne falsum sit, quod credit: sed si velit prudenter agere, potest & debet indubitatè credere, vera esse, quæ ita credenda proponuntur. Sic credimus prudenter hos & illos esse nostros parentes: illis faceremus iniuriam, nisi crederemus, & erga eos vt tales nos gereremus. Similique modo faceret Deo iniuriam, qui reuelationem ita propositam non acceptaret vt diuinam, & fide dignam. Confirmatur, quia potest hæreticus non minori certitudine ex parte subiecti assentiri suis erroribus, quàm Catholicus fidei veritatibus. Et certitudo fidei per se ac formaliter non nititur propositione, sed reuelatione diuinâ. Ergo licet id, quod creditur, falsum esse possit ex parte propositionis; non labefactatur fidei certitudo; cum satis sit falsam esse non posse, quatenus substat rationi formali, quæ est diuina reuelatio.

35. Certitudo fidei quid requirat?

Respondeo, si certitudo fidei consideretur ex parte obiecti, requiritur obiectum omnino certum & infallibile. Quod obiectum non est nuda reuelatio diuina, per se ignota, & se solâ nobis incognoscibilis: sed sufficienter proposita, & facta credibilis per argumenta sufficientia. Hoc autem obiectum non est omnino certum & infallibile, si argumenta, quibus proponitur sufficienter reuelatio diuina, non sunt omnino certa & infallibilia. Cuiusmodi non sunt illa, quæ sunt indifferentia ad falsum, & possunt falsæ propositioni æquè applicari. Quod ex ipsis terminis euidens esse existimo. Si verò consideratur certitudo fidei ex parte subiecti, provt scilicet est firmitas assensus excludens omnem formidinem & dubitationem: illa firmitas est prudens & rationabilis, & iuxta meritum obiecti; non autem ex mentis peruicacia, vel ex ignorantia; cuiusmodi est certitudo, vel potius obstinatio hæreticorum. Nam fides supernaturalis non assentitur temerè & irrationabiliter; sed cum summa prudentia, & conuenienter obiecto. Atqui assensus tam firmus, id est, omnino certus & indubitatus, non potest prudenter & rationabiliter dari obiecto fallaci, & tali, vt secundùm omnem modum, quo proponitur, & quo apparet intellectui, falsum esse possit. Est autem huiusmodi, si potest falsum eodem modo omnino proponi & reddi credibile. Ergo certitudo fidei supernaturalis ex parte subiecti, quæ certitudo est prudens & rationabilis, & simul est omnino indubitata, non potest fundari in propositione fallibili, & non differente quoad credibilitatem à propositione falsò præsumptâ.

Ad exemplum allatum de parentibus, respondeo id non credi fide omnino indubitatâ, & speculatiuè etiam indubitabili, cuiusmodi est certitudo fidei supernaturalis: sed tantùm fide moraliter certâ, quæ sufficit ad obligationem agendi, præsertim quando contraria persuasio vergeret in præiudicium tertij. Ad confirmationem, dico hæreticos posse quidem cum summa peruicacia, & mentis obstinatione adhærere suis erroribus, quæ est potiùs persuasio, quàm certitudo: Sed esse impossibile, vt tantâ certitudine rationabili, & fundatâ in merito obiecti, assentiantur errori, quantâ Catholici assentiuntur per fidem supernaturalem veritatibus fidei. Quod verò additur, fidem supernaturalem non fundari in propositione, sed tantùm in reuelatione diuina, nudè scilicet acceptâ, & absque argumentis credibilitatis, quibus sufficienter proponatur vt prudenter credibilis fide omnino indubitabili; falsum est, & à nobis alibi refutatum Disp. 1. Sect. 4. & seqq. Hîc tantùm dico, cùm non constet credenti Deum reuelâsse, nisi per propositionem reuelationis sufficienter credibilem; impossibile esse non nutare certitudinem fidei ex parte subiecti, id est, ex parte credentis, si nutet certitudo propositionis, & consequenter certitudo reuelationis. Non enim certus est Deum reuelasse, nisi per argumenta, quibus fit illi cognoscibile & credibile Deum reuelâsse. Ergo si non est certus infallibiliter circa propositionem reuelationis sufficienter credibilem; non est certus infallibiliter circa ipsam reuelationem.

36. Fides humana quomodo certa?

Vide præcipuè Sect. 7.

SECTIO V.

An saltem possit fides inclinare ad falsum?

37. RAtio dubitandi est, quia ex vna propositione fidei diuinæ, & altera naturali falsa, habita pro vera, sequitur assensus conclusionis falsæ. Vt si quis Eutychianus argumentetur sic: In quocunque est vnica hypostasis, est vnica natura: sed in Christo est vnica hypostasis: Ergo est vnica natura. Ergo non repugnat fidei Theologicæ ferri in assensum falsum, saltem inclinando & inducendo; imò esse verè causam assensus falsi; quia assensus præmissarum est causa assensus conclusionis. Respondeo fidem diuinam non assentiri tali conclusioni, sed habitum erroneum, oppositum habitui Theologico; nec ad illam inclinare, vel eam causare per assensum supernaturalem circa præmissam de fide. Quia licet in eo casu assensus fidei sit aliquo modo occasio, & conditio sine qua non, illius assensus falsi; & hac ratione intellectus possit aliquo modo dici propter eum assentiri conclusioni: tamen non est causa propriè assensus falsi: quippe qui non sequitur ex illo per se, sed ex falsa propositione naturali, & mala intellectus applicatione, ac connexione assensus supernaturalis cum assensu naturali præmissæ falsæ. Falsum enim per se non sequitur, nisi ex falso. Verum autem per

Fides non inclinat ad conclusionẽ falsam.

per se non tendit & inclinat, nisi ad verum, nec nisi veri semen est & principium: per accidens verò, & contra ipsius naturam detorquetur ad falsum. Sic Pharisaïcum scandalum, occasione actus boni acceptum, non oritur per se ex actu bono operantis; sed ex mala voluntate accipientis. Et qui sagittam in scopum rectà direxit; si illa ab alio detorqueatur, vnde contingat alicuius occisio; non est tamen ipse causa occisionis, sed alter qui detorsit.

38. Instabis, quia causalitas assensus præmissarum circa assensum conclusionis in eo solùm consistit, quòd posito assensu præmissarum, & notitià bonæ illationis necessitetur intellectus ad assentiendum conclusioni, saltem specificatiuè, ita vt non possit dissentire, stante illo assensu. At hoc totum repetitur in discursu facto ex vna propositione fidei diuinæ, & altera naturali falsa: Ergo, &c. Respondeo, causalitatem per se non in eo solùm consistere: sed vlterius requiri vt assensus non solùm ex applicatione discurrentis, sed etiam per se sit principium, in quo veritas conclusionis ex natura rei contineatur, tanquam in semine naturali, valente per se ad illam eliciendam, & vim suam exercente per bonam illationem. At hoc non fit in casu proposito: sed ipsemet discurrens, per malam applicationem assensus veri, est sibi ipsi causa assensus falsi: neque enim eò ducit per se assensus verus, neque in illo continetur virtualiter assensus falsus, vt neque falsa propositio continetur virtualiter in vera; sed per accidens eò detorquetur per abusum malè applicantis, & malè connectentis assensum verum cum alio assensu falso, qui per se ducit ad falsam conclusionem.

Causalitas præmissarum in quo consistat?

39. Ex dictis solui potest obiectio similis contra id, quod suprà dictum est, Deum non posse præcipere peccatum, & mendacium. Deus præcipit vt conscientiæ pareamus. Fieri autem potest, vt quis ex conscientia erronea iudicet bonâ fide committendum sibi esse hîc & nunc leue aliquod peccatum, putà mendacium, ad vitandum graue aliquod malum: Ergo, &c. Respondeo enim, quidquid sit de minori propositione, an scilicet peccet qui bonâ fide iudicat peccatum sibi licitum esse, vel necessarium ad maius malùm vitandum: Deum propterea non præcipere peccatum, vel mendacium: sed præcipere tantùm formaliter & in abstracto, vt conscientiæ pareamus, quod bonum & honestum est, per accidens verò detorquetur hoc præceptum ad id, quod vitiosum est, & per se contra Dei voluntatem, ratione malæ applicationis dictaminis conscientiæ.

Deus non præcipit mentiri in vllo casu.

40. Instabis, quia Deus præcipit facere quidquid conscientia dictat necessariò faciendum esse: Ergo præcipit mentiri, si conscientia dictat necessariò mentiendum esse. Respondeo Deum non præcipere materialiter & secundùm se, quidquid subest dictamini conscientiæ: sed tantùm præcipit formaliter, & in abstracto, obedire conscientiæ. Qui actus obedientiæ semper est bonus & honestus. Malum autem, quod ex conscientia erronea illi subest, non præcipitur à Deo, vt sic; quia Deus non præcipit materiale, sed formale obedientiæ, cui malum perperam subiicitur per erroneum dictamen conscientiæ.

Quomodo præcipit facere quicquid dictat conscientia?

41. Vrgebis, quia is, qui præcipit vt semper conscientiæ pareamus, præcipit vt faciamus quidquid conscientia dictat esse necessariò faciendum. Et si præcipiens præuidet conscientiam interdum dictaturam vt malè faciamus: ac nihilominus præcipit generaliter, vt semper ei pareamus: præcipit sine dubio, vt malum faciamus: neque præcipit tantùm in abstracto, & formaliter: sed materialiter, & in singulari quidquid conscientia dictabit esse faciendum. Atqui Deus ita se habet: Ergo, &c. Respondeo Deum præcipere generaliter vt conscientiæ pareamus, & faciamus quidquid illa præcipit, formaliter tantùm, & in abstracto; id est, non provt peccatum aut mendacium secundùm se; sed tantùm quatenus est conforme, & quia est conforme dictamini conscientiæ, atque eatenus practicè bonum, & actus quidam naturalis obedientiæ erga rationem naturalem. Hoc enim intelligimus hoc loco per has voces, formaliter, in abstracto, & vt sic; id est, non secundùm materiale per se, & propter se: sed secundùm, & propter conformitatem cum dictamine conscientiæ.

42. Simili modo respondendum est huic argumento: Deus potest præcipere assensum falsum: Ergo & falsum dicere. Perinde enim est siue hoc, siue illo modo ad falsum inducat. Probatur Antecedens. Nam Deus potest præcipere quidquid est conforme dictamini prudentiæ: cuiusmodi est assensus qui datur multis viris grauibus falsum quid asserentibus, nullâ datâ occasione suspicandi falsitatem. Quod prudentiæ dictamen sequuntur Iudices, etiam cùm agitur de ipsa vita. Tenentur enim iudicium ferre secundùm allegata & probata, & credere testibus, qui existimantur fide digni; licet interdum fallant, & mentiantur. Respondendum, inquam, est, falsum assensum non præcipi à Deo directè & per se, quatenus falsus est: sed tantùm potest præcipere aliquid, ex quo potest contingere per accidens, vt homines fallantur. Quatenus scilicet Deus præcipit aliquid aliud, cui falsus assensus malè & per accidens adiungitur. Nempe quatenus præcipit Deus, vt iudicium prudens sequamur: quod sanè honestum, rectæque rationi consentaneum est: & habeamus pro verò id, cuius habemus indicia sufficientia. Cuiusmodi est illud, quod multi viri graues, & fide digni affirmant: licet interdum contingat vt fallantur, aut fallant.

Non præcipit assensum falsum.

43. Addo Deum quidem præcipere vt assentiamur dictis virorum grauium secundùm dictamen prudentiæ. Verùm prudentia non dictat, vt assertiones virorum grauium, etiam de rebus facti, aliunde obscuræ, credantur tanquam veræ indubitatè & infallibiliter: sed potiùs quia moraliter certum est, viros etiam graues interdum fallere, & falli, iubet vt modali tantùm quodam modo, & alieno à periculo falsitatis assentiamur: nimirum hunc modalem assensum formando: Assertiones virorum grauium habent magnum fundamentum, propter eorum auctoritatem, vt veræ existimentur: &

Quomodo prudenter assentimur hominum testimonio?

In agendo ita nos debemus gerere, ac si veræ essent. Quæ propositio vera est tam in generali, quàm in omni casu particulari. De qualibet enim assertione virorum grauium, cui prudenter assentimur, verum est quòd habeat talem apparentiam veritatis; & homines, qui non possunt vlteriùs inquirere, debeant in praxi ita se gerere, ac si vera esset. Simili modo, quando iubet charitas, vt de proximo bene sentiamus, non præcipit, vt quidpiam falsum pro vero infallibiliter & pro indubitabili teneamus: sed tantùm vt in dubijs, vel obscuris, assensus modales, & aliquatenus suspensos formemus in meliorem partem, secundùm externam apparentiam, & quantùm permittit fundamentum assentiendi; vitemúsque omnem suspicionem malè fundatam, & iudicium temerarium.

SECTIO VI.

An certum sit assensum fidei supernaturalis non posse esse falsum?

44. Vera sententia affirmans. Communis sententia Theologorum est, certum esse omnino quòd assensus fidei supernaturalis non possit esse falsus. Sic enim docent Alens. 3. parte quæst. 68. memb. 7. art. 1. Vbi affirmat non posse magis falsum subesse fidei, quàm primæ veritati reuelanti: S. Bonauent. in 3. dist. 24. art. 1. q. 1. vbi docet fidem esse infallibilem æquè, ac Dei præscientiam: S. Thom. 2. 2æ. q. 1. art. 3. vbi dicit fidem non posse à vero aberrare, quia fundatur in Dei reuelatione: Durand. in 3. dist. 24. q. 2. vbi asserit fidei non magis posse subesse falsum, quàm visioni beatificæ: & denique Suares Disp. 5. de Fide Sect. 13. num. 3. testatur certum esse, & communi Theologorum sententiâ receptum, fidem non posse ferri in reuelationem falsò præsumptam. Eiúsque contrarium non vacare temeritate affirmant Lorca disp. 10. n. 4. & Hurtad. Disp. 19. de Fide Sect. 3. n. 15.

45. Contraria sententia. At verò Ripalda, disp. 59. de Ente supernaturali, Sect. 5. n. 33. quanquam non audet oppositæ sententiæ planè subscribere: affirmat tamen vacare temeritate, & totâ illâ disputatione conatur ostendere esse valde probabilem. Ac primò, quòd vacet temeritate, probat ibidem præcipuè, quia nullus Theologorum illi apertè refragatur. Loquuntur enim de actu fidei ex natura rei, non autem secundùm potentiam Dei absolutam, aut supernaturaliter operantem spectato: nullúsque eorum sententiam affirmantem vllâ censurâ notat, præter Hurtadum, & Lorcam suprà relatos. Item loquuntur solùm de actu fidei attingente reuelationem Dei verè existentem, quem verum est non posse, ne absolutâ quidem potentiâ, falsum pro vero testificari: non autem de illo, qui cadit, aut cadere potest in reuelationem falsò præsumptam.

46. Veteres illi apertè refragantur. Verùm, licet antiqui Theologi censurâ eam non notauerint, manifestum est tamen quòd illi refragentur, quódque loquantur de actu fidei, spectato etiam secundùm potentiam Dei supernaturaliter operantem, quidquid sit de illa absolutè spectata, seu potiùs de repugnantia quæ oritur ex parte potentiæ, de qua dicemus inferiùs. Nam comparant fidem, de qua loquuntur, cum infallibilitate veritatis diuinæ reuelantis, & præscientiæ Dei, ac visionis beatificæ. Implicat autem veritatem diuinam reuelare falsum pro vero, vt fatetur Ripalda: & præscientiam diuinam falli: aut visioni beatificæ subesse falsum. Quòd si loquuntur de actu fidei attingente reuelationem Dei verè existentem: ideo id faciunt, quia existimant nullum alium actum fidei supernaturalis esse possibilem: sicut non est possibilis falsa reuelatio primæ veritatis, falsa Dei præscientia, & falsa visio beatifica. Quæ verò addit Ripalda n. 36. ad explicandos Theologos suprà citatos in alium sensum sibi fauentem, non aptè quadrant verbis & menti illorum, vt facilè patebit consulenti loca relata.

47. Proponuntur illius argumenta. Deinde, vt ostendat valde probabilem esse sententiam affirmantem actum fidei supernaturalis posse diuinitus assentiri falso, hæc proponit argumenta, num. 3. eiusdem disp. & sequentibus. Primò, non repugnat cognitionem supernaturalem esse falsam. Ergo neque fidem. Probat Antecedens, quia vt cognitio sit supernaturalis, sufficit eam habere connexionem ex natura rei cum gratia sanctificante: quæ connexio, inquit, constituit conceptum primarium supernaturalitatis. Atqui potest cognitio supernaturalis habere hanc connexionem, quamvis per potentiam Dei absolutam, aut supernaturaliter operantem falsa esse possit. Secundò, affectus supernaturalis potest esse vitiosus. Ergo potest etiam assensus supernaturalis esse falsus. Patet consequentia: quia non minùs pugnat malitia, quàm falsitas, cum gratia Dei auxiliante, & cum supernaturalitate actus. Antecedens verò supponit fuisse à se probatum disp. 50. hac præcipuè ratione, Sect. 2. & 3. quia, inquit, potest actus supernaturalis fieri ex intentione turpi: vt si quis velit exercere actum misericordiæ ex intentione vanæ gloriæ. Potest etiam absolutè loquendo prohiberi à Deo actus supernaturalis: & tunc erit malus, si fiat aut continuetur cum vincibili & culpabili ignorantia prohibitionis. Posset autem continuari cum tali ignorantia, æquè ac actus naturalis. Quia in eo casu, neque ex parte principij, neque ex parte obiecti, fieret mutatio inducens necessariò interitum actus supernaturalis incepti, potiùs quàm interitum actus naturalis. 48. Tertiò, nulla creatura potest esse essentialiter immortalis, & quæ semel existens, non possit de potentia Dei absoluta ad nihilum redire. Atqui si cognitio supernaturalis non posset diuinitùs fieri falsa, esset creatura essentialiter immortalis, & quæ semel existens, non posset absolutâ Dei potentiâ ad nihilum redire. Ergo, &c. Maior est certa, eiúsque contrarium est hæreticum, aut erroneum, vt affirmant Suar. lib. 1. de Angelis c. 9. n. 5. Vasq. 1. p. disp. 182. n. 7. & Tanner. 1. p. disp. 5. q. 1. n. 15. Minor verò probatur, quia actus visionis beatificæ, vel actus fidei supernaturalis, qui affirmaret omnes actus supernaturales subiecti,

in quo est, nunquam interiturus, essentialiter existeret in æternum, & non posset vllâ potentiâ ad nihilum redire. Nam de seipso id affirmaret, æquè ac de alijs actibus supernaturalibus eiusdem subiecti, siquidem omnes comprehendit, nullo excepto. Ac posset etiam aliqua cognitio supernaturalis affirmare specialiter de seipsa, quòd in æternum durabit. Ergo si non potest esse falsa, non potest absolutè desinere. Esset enim falsa si desineret. Quartò, per absolutam Dei potentiam potest existere cognitio supernaturalis, non existente obiecto, quod repræsentat vt existens: Ergo potest esse falsa. Probatur Antecedens: quia cognitio supernaturalis, solùm pendet ab obiecto extrinsecè, in genere causæ efficientis. At causæ efficientis influxum supplere potest Dei potentia
49. absoluta. Ergo, &c. Confirmatur, quia potest Deus miraculoso concursu efficere visionem obiecti, non existente obiecto: vt de apparitionibus, quæ fiunt circa species Eucharisticas censent D. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. & plures alij: & quando speciem columbæ exhibuit in baptismo Christi, Matth. 3. v. 16. Item, intellectus noster naturali suâ imperfectione sæpe determinatur ad assensum falsum circa non-existentia, velut existentia, propter naturalem occurrentiam causarum secundarum inducentium ad talem assensum. Deus autem & nostrum intellectum creauit qualis est, & cursum illum causarum naturalium instituit. Quidni ergo posset absolutè causare per se errorem, quem causæ naturales ab ipso productæ & ordinatæ, per se causant?

50. Fides supernat. nullo modo potest assentiri falso.

Verùm hæc argumenta, quæ Auctor ille fusiùs prosequitur, non satis magni momenti esse mihi videntur ad certitudinem sententiæ communis labefactandam. Dico igitur, certò tenendum esse quòd fides supernaturalis non possit simpliciter, ac nequidem per potentiam Dei extraordinariè & supernaturaliter operantem, assentiri falso. Idque puto efficaciter deduci ex Trid. Sess. 6. cap. 9. affirmante non posse fidei subesse falsum. Quod ait contra hæreticos huius temporis affirmantes, vnicuique fideli & iustificato credendum esse absolutè absque dubitatione se esse iustificatum: neminémque sine tali fide absolui à peccatis & iustificari. Quem errorem meritò damnat Concilium, quia, inquit, nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Sensus autem Concilij est, nullum id scire posse sine speciali reuelatione, quâ supponit carere hæreticos, & quâ etiam carent communiter ipsi Catholici, & iusti. Nam quòd suppositâ speciali reuelatione id sciri valeat, non negat Concilium, sed potiùs tacitè subintelligit, vt patet ex can. 13. 14. 15. & 16. eiusdem Sess. Nam postquam iterum errorem supradictum damnauit can. 13. & 14. Deinde verò can. 15. anathema iecit in eosdem hæreticos affirmantes hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse in numero prædestinatorum: addit can. 16. *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absolutâ & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Itaque Trid. virtualiter ita discurrit cap. 9. suprà relato: Credere fide supernaturali, est credere assensu vero, & certo, absolutâ & infallibili certitudine, cui falsum subesse non potest. Ergo quod non potest credi tali certitudine, non potest credi fide supernaturali. Atqui iustificatio propria cuiusque non potest sine speciali reuelatione credi tali certitudine. Ergo non potest credi fide supernaturali sine speciali reuelatione. Hoc supposito sic argumentor: Omnes illæ propositiones certæ esse debent, vt Tridentini definitio certa sit; cùm in illis fundetur, aut virtualiter illas omnes inuoluat. At prima illarum non est certa, si probabile est credi posse fide supernaturali aliquid falsum. Nam si ita est; non est verum generaliter quòd credere fide supernaturali, sit credere assensu vero & certo absolutâ & infallibili certitudine; cui falsum subesse non potest, vt supponit Trid. in prima propositione.

Probatur ex Trident.

Idem discursus Tridentini supponit tanquam certum, fidem supernaturalem non posse versari, nisi circa reuelationem verè existentem; quando affirmat fidem supernaturalem non posse versari absoluto assensu circa propriam cuiusque iustificationem, defectu specialis reuelationis circa illam: verè scilicet existentis: nam reipsâ esse, falsò præsumunt & sibi persuadent hæretici, cum dicunt id debere credi: nisi potiùs volunt reuelationes generales esse absolutas, & debere tantùm vnumquemque iustificatum specialiter illas sibi applicare. Si autem certum est fidem supernaturalem non posse versari, nisi circa reuelationem verè existentem, vt supponit Trid. certum pariter est non posse assentiri falso, ne de potentia quidem extraordinariè & supernaturaliter operante, quia certum, imò euidens est, Deum non posse vllâ potestate reuelare falsum pro vero, vt fatetur ipsemet aduersarius num. 19. disp. cit. & à nobis probatum fuit suprà auctoritate Scripturæ, & Patrum, & naturali ratione, Sect. 1. huius disp. num. 4. & sequentibus. 51. Confirmatur.

Perperam verò respondet Aduersarius ibidem, Concilium loqui tantùm de falsitate fidei ex obiecto reipsâ reuelato: non autem de falsitate ex reuelatione verè non existente: id est, Concilium affirmare quidem non posse fidei subiacere falsum, quando assentitur obiecto verè reuelato à Deo: nimirum quia Deus non potest falsum pro vero reuelare: Sed non affirmare quòd fidei non possit subesse falsum, si versetur circa reuelationem falsò præsumptam, aut quòd non possit circa illam versari. Perperam, inquam ita respondet: Patet enim ex iam proximè dictis Concilium supponere fidem supernaturalem (quam tantæ dicit esse perfectionis, vt falsum ei subesse nequeat) non posse versari nisi circa Dei reuelationem verè existentem. Nam probat illam non posse versari absolutè circa propriam cuiusque iustificationem, quia de ea non existit specialis reuelatio. 52. Refellitur euasio.

Perperam quoque respondet secundò, eodem num. 19. in fine, supposito quòd Trident. loquatur de assensu fidei, provt attingit reuelationem verè existentem, intelligi posse quòd 53. Altera euasio refutatur.

loquatur de impotentia falſitatis ex natura rei, non autem ſecundùm potentiam abſolutam, vel extraordinariè & ſupernaturaliter operantem. Nam ſi actus fidei ſupernaturalis eſt ex natura ſua, & ratione ſuæ ſupernaturalis entitatis determinatus ad verum, & ad reuelationem verè exiſtentem, vt ille Auctor modò fatetur, & clariùs affirmat num. 25. & 28. ſequitur quòd ne ſupernaturaliter quidem fieri poſſit, vt circa falſum verſetur. Vt enim hoc fieret, deberet Deus eſſe cauſa ſpecialis actus falſi, & miraculosè ac ſupernaturaliter fidem ad falſum determinare contra naturalem ipſius exigentiam. Atqui non minùs certum eſſe debet, non poſſe Deum eſſe cauſam ſpecialem aſſenſus falſi, & ad illum ſpecialiter excitare: quàm non poſſe eſſe cauſam ſpecialem peccati. Siquidem aſſenſus falſus non eſt minùs actus turpis, & dedecens ſupremam veritatem, quàm affectus malus ſit turpis, & dedecens ſupremam bonitatem.

SECTIO VII.

Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ.

54. Cur actus ſupernat. non poteſt eſſe falſus? AD primum autem illius argumentum propoſitum num. 46. reſpondeo negando Antecedens. Cùm enim omnis cognitio ſupernaturalis ſit ex natura ſua determinata ad verum, vt fatetur Aduerſarius; & non poſſit elici ſine auxilio ſpeciali Dei, & motione Spiritus ſancti: fieri non poteſt, ne quidem ſupernaturaliter, vt verſetur circa falſum. Quia Spiritus ſanctus non poteſt ſpecialiter mouere ad falſum: neque Deus poteſt eſſe Auctor & cauſa ſpecialis actus turpis & indecentis, cuiuſmodi eſt omnis aſſenſus falſus, & præſertim ſupernaturalis. Eſt enim euidenter diſconueniens obiecto, & naturæ rationali circa tale obiectum operanti. Quod verò additur in eodem argumento de connexione actus ſupernaturalis cum gratia, fuit alibi refutatum in Tract. de Gratia, vbi explicauimus in quo conſiſtat vera, & propria ratio formæ vel actus ſupernaturalis.

55. Neque vitioſus intrinſecè. Ad ſecundum: Nego affectum ſupernaturalem eſſe poſſe vitioſum intrinſecè. Nam quamvis non repugnet illi adiungi, & ſimul cum eo exerceri actum malum, atque ab illo aliquo modo affici, & denominari extrinſecè malum: putà, ſi quis per alium actum de illo ſuperbiat, aut eum referat ad vanam gloriam. Tamen non poteſt ille actus eſſe intrinſecè & in ſe ipſo vitioſus, ob rationem paulò antè allatam. Quia ſcilicet actus ſupernaturalis, ratione ſuæ perfectionis naturalis, puriſſimus eſt, & talis, vt ſine ſpeciali auxilio Spiritus ſancti nequeat exerceri. Deus autem non poteſt eſſe cauſa ſpecialis actus mali. Quare falſum eſt poſſe illum intrinſecè referri ad malum finem, aut exerceri contra prohibitionem. Neque aſſentior quibuſdam Recentioribus, affirmantibus puritatem quidem intentionis, quanta eſt neceſſaria ad actum ſupernaturalem, & impuritatem aliquam affectus, non poſſe in eodem actu commiſceri: & ſpeciatim loquendo de fide, prudentem & rectam ſubmiſſionem ad auctoritatem diuinam, qualis eſt in fide ſupernaturali, non poſſe commiſceri cum temeraria inclinatione ad falſum; Veruntamen quamvis admiſceret creatura in eiuſdem actus entitate affectum peruerſum vanæ gloriæ, cum affectu charitatis, aut miſericordiæ, quem Deus inſpirat: eſſent duo virtualiter actus: & primus non directè eſſet à Dei impulſu, ſed à creatura, licet entitate materiali non differret à ſecundo; Similitérque, licet creatura poſſet eodem actu Phyſico duo iudicia coniungere, alterum verum, alterum falſum: eſto, non repugnaret Deum ſpecialiter concurrere & impellere ad illum actum: non tamen eſſet à Deo ſecundum illud iudicium, quod eſt falſum: Neque per ſe repugnat quin in eodem actu realiter indiuiſibili, ſed continente multiplicem virtute, poſſint diſtingui plures & diuerſi cauſarum influxus, ita vt actus non oriatur adæquatè à ſingulis: Ex. g. Quando viſione oculari vnius aſpectus, Phyſicè indiuiſibilis, videtur ſimul hortus varijs floribus conſitus; ille intuitus, quatenus eſt repræſentatio roſæ, non oritur à lilijs, vt obiectis determinantibus: illa enim tantùm ad ſui repræſentationem excitant oculum. Non aſſentior, inquam; quia aſſenſus ille ſupernaturalis partim verus, partim falſus, cùm ſit entitatis ſupernaturalis, etiam quatenus eſt falſus, id eſt, quatenus eſt adhæſio intellectus ad falſum; quippe qui eſt indiuiſibilis, & totus entitatiuè ſupernaturalis: non poteſt fieri, quâ talis, ſine ſpeciali concurſu Dei. Ergo ſi implicat Deum ſpeciali concurſu eſſe cauſam aſſenſus falſi, prout falſus eſt; non poteſt eſſe cauſa actus ſupernaturalis, qui partim ſit verus, & partim falſus in eadem entitate indiuiſibili.

Ad confirmationem reſpondeo, in eo caſu, quo mutatur obiectum de vero in falſum, debere ſequi neceſſariò interitum actus ſupernaturalis: quia tollitur illius obiectum, circa quod neceſſariò verſari debet. Ad tertium dico, nullam eſſe creaturam, quæ eſſentialiter ſit immortalis: quæque de potentia abſoluta non poſſit ad nihilum redire hoc ſenſu, id eſt, nullam eſſe, quæ non indigeat continuo Dei influxu, vt perſeueret in eſſe: ſicut eget illius productione, vt ſit: quæque non poſſit non eſſe, & deſinere reſpectu potentiæ Dei abſolutè ſpectatæ, quæ vt ſic, nulli creaturæ alligata eſt. Sed non eſt verum, quòd reſpectu potentiæ Dei, ſpectatæ vt ſubordinatur ipſius ſapientiæ & bonitati, vel alicui decreto circa creaturam, non poſſit hæc eſſe immortalis, & impotens deſinere. Nam, vt fatetur Aduerſarius eâdem diſp. 59. n. 19. certum eſt, atque euidens, Deum non poſſe falſum pro vero reuelare. Ergo ſi reuelaret actum aliquem non poſſe deſinere, verum eſſet quòd ille non poſſet deſinere: alioquin Deus falſum reuelâſſet. Item, repugnat abſolutè Deum mentiri, vt fatetur idem Auctor eodem numero 19. Ergo ſi promiſiſſet aliquem actum ſemper duraturum, ille actus non poſſet deſtrui. Nam alioqui Deus falsò promiſiſſet; & vel mentitus 56. Poſſit-ne dari creatura quæ non poſſit deficere?

esset promittendo, vel esset inconstans, aut impotens ad implendum promissum: quod est æquè absurdum. Manifestum autem est non implicare Deum id promittere; Imò re ipsâ promisit iustis bene operantibus, & in iustitia decedentibus, æternam sui visionem & fruitionem.

57. Quid si actus fidei affirmet se semper futurum?

Quando autem instat Aduersarius num. 8. & sequentibus, impotentiam illam desinendi, quoad actum supernaturalem, non oriri solùm ex decreto Dei, sed ex intrinseca ipsius natura, & ex prædicatis eius intrinsecis, si ex natura sua talis est, vt absolutè falsus esse non possit. Nam Deus (inquit) non potest aliter de illo decernere, quàm secundùm prædicata eius intrinseca & essentialia, quorum cognitio ratione præcedit liberum Dei decretum de illo producendo, vel conseruando: Atqui actus ille talis est secundùm sua prædicata intrinseca & essentialia, vt absolutè falsus esse non possit: Ergo est talis secundùm sua prædicata intrinseca & essentialia, vt non possit desinere postquàm semel productus est: Nam alioqui falsò affirmaret se semper esse duraturum. Respondendum est impotentiam desinendi, quam habet actus supernaturalis affirmans se semper duraturum, non oriri quidem ex solo Dei decreto de ipso producendo, vel conseruando: sed etiam aliquatenus ex ipsa natura actus supernaturalis, quatenus talis est, vt falsus esse nequeat, eò quòd non potest fieri sine concursu Dei speciali, & repugnat Deum esse causam specialem actus falsi. Verumtamen hæc repugnantia concurrendi specialiter ad actum falsum, non oritur præcisè ex omnipotentia Dei absolutè sumpta: quippe quæ de se potens est & efficax ad concurrendum (si nihil aliud obstaret) ad quamcunque entitatem producendam: sed oritur ex potentia vt subordinata sapientiæ & bonitati Dei: quam dedecet esse causam specialem actus falsi, & contra quam impossibile est Deum aliquid facere. Quare actus supernaturalis enuntians se semper duraturum, idcirco non posset simpliciter desinere, quia Deus propter suam sapientiam, & rectitudinem, non potest ad illum specialiter concurrere in ea hypothesi, quâ falsus est: & est falsus nisi perpetuò duret. Pendet nihilominus à Dei libertate, vt eum producat, vel non producat, & vt sit perpetuò, vel nunquam sit. Quamvis supposito quòd sit productus, teneatur Deus, ratione suæ sapientiæ, & sanctitatis, illum perpetuò conseruare. Sicut ratione eiusdem tenetur promissa implere, & nihil reuelare quod verum non sit: quamvis liberè promittat, aut reuelet. Exigit quidem cognitio supernaturalis ab intrinseco esse vera: adeóque semper durare, si de se hoc enuntiat. Verùm si nihil aliud obstaret, posset Deus eam destruere, & facere contra naturalem illius exigentiam. Quare causa cur simpliciter non possit desinere, non est alia, præter eam, quam suprà diximus: nempe ratio sapientiæ, & bonitatis diuinæ.

Causa cur nunquam desinere posset.

58. Deus non potest cócurrere specialiter ad actum falsum.

Ad quartum respondeo, tametsi ex parte potentiæ Dei absolutè spectatæ non oriatur repugnantia vt existat cognitio supernaturalis non existente obiecto, quod repræsentat velut existens, suppleátque Deus concursum illius extinsecum in genere causæ efficientis: repugnare tamen ex parte Sapientiæ, & rectitudinis diuinæ, atque potentiæ vt illi subordinatæ: ideóque non posse simpliciter id fieri, quia Deus nihil potest contra suam sapientiam, & rectitudinem operari. Ad primam confirmationem dico, Deum nunquam miraculosè, vel vt causam specialem efficere visionem obiecti non existentis: sed tantùm in exemplis allatis exhibere sensibus speciem externam alicuius substantiæ, & concurrere ad visionem illius speciei externæ; in quo non est falsitas & deceptio. Si autem ille, qui talem speciem externam videt, iudicat substantiam esse sub illis præsentem, quæ non est: ipse seipsum fallit suâ imprudentiâ: cùm potiùs iudicare deberet, aut suspicari, Deum velle significare aliquid aliud per illam speciem, tali modo, & in talibus circumstantijs apparentem. Ex. g. velle per apparitionem pueri in Eucharistia, significare realem præsentiam Christi sub speciebus Eucharisticis: & per apparitionem columbæ in baptismo Christi, significare præsentiam Spiritus sancti.


59. Licet cócurrat generaliter.

Ad secundam dico, aliud esse quòd Deus specialiter sit causa assensus falsi, ad illúmque specialiter moueat intellectum creatum: & aliud, quòd Deus generaliter cum illo concurrat abutente lumine suo naturali, & cum alijs causis naturalibus, errandi occasionem illi offerentibus. Quemadmodum aliud est quòd Deus velut causa specialis sit auctor actus mali, seu peccati: & aliud, quòd concursu generali concurrat cum voluntate abutente suâ libertate, & cum alijs causis naturalibus peccandi occasionem præbentibus. Hoc secundum non dedecet Dei sapientiam, & bonitatem, qui potius velut causa prima, & vniuersalis, sapienter se accommodat exigentiæ, & necessitati causarum secundarum, illásque suum cursum, & agendi modum liberum, aut necessarium, habere permittit. Secus autem primum, vt de peccato fatentur omnes Catholici: de actu autem falso par esse ratio mihi videtur: cùm actus falsus non minùs sit turpis & indecens respectu intellectus, quàm peccatum respectu voluntatis: neque minùs dedeceat supremam veritatem esse causam specialem actus falsi, quàm supremam bonitatem esse causam specialem actus mali.

60. Neque esse specialis causa cócupiscentiæ.

Similiter aliud est Deum permittere fomitem concupiscentiæ, eiusque motus ad peccandum impellentes, oriri ex naturali hominis complexione, & causarum secundarum exigentia, vt verum est: Et aliud, Deum specialiter causare motus illos, vel imprimere morbidam qualitatem, à qua causentur: quam sententiam malè nonnulli tribuunt Gregorio Arimin. in 2. dist. 30. q. 1. art. 1. Gabrieli ibidem, Henrico quodlib. 2. quæst. 1. & Guillelmo Parisiensi in Tractatu de vitijs & peccatis, cap. 4. nam illi affirmant quidem dari huiusmodi qualitatem, & vel esse peccatum originale, vel ad illud pertinere; negant tamen illam produci specialiter à Deo. Meritóque omnes illam

sententiam rejiciunt, velut Iacobi Apostoli verbis contrariam, cap. 1. versu 13. Epistolæ suæ Catholicæ. *Nemo, cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Quæ oppositio non esset bona, si Deus esset causa specialis concupiscentiæ, à qua tentamur. Nam tentatio esset in illum veluti causam specialem refundenda. Dixi autem, creaturam, quando fallitur circa huiusmodi apparitiones, abuti suo lumine naturali: quoniam si rectè illo vteretur, & prudenter ageret; suspenderet assensum in rebus obscuris; vel non plus iudicaret, quàm mereatur apparentia, & motiuum iudicandi. Quemadmodum etiam quando peccat, abutitur suâ libertate, & viribus sibi à Deo datis ad bene operandum, & conformiter rectæ rationi viuendum.



DISPVTATIO QVARTA.

Vtrum obiectum Fidei possit esse aliquid scitum, aut visum?

DE argumento proposito in titulo huius disputationis agit S. Doctor quæst. 1. art. 4. & 5. Quorum priore docet obiectum fidei non posse esse visum secundùm sensum, aut secundùm intellectum: quia fides importat assensum intellectus circa obiectum, à quo non sufficienter mouetur intellectus credentis, sed per quandam electionem voluntariè declinat in vnam partem magis, quàm in aliam: cum certitudine tamen, & absque formidine alterius partis; in quo differt ab opinione. Illa autem videri dicuntur, quæ per seipsa mouent intellectum nostrum, vel sensum, ad sui cognitionem. Vnde manifestum est, quòd nec fides, nec opinio potest esse de ipsis visis, aut secundùm sensum, aut secundùm intellectum.

In posteriore affirmat obiectum fidei non esse aliquid scitum. Quia omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa: ideóque oportet quæcunque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non potest autem idem ab eodem esse visum, & creditum; Ergo non potest idem ab eodem esse scitum, & creditum. Potest tamen contingere, vt id quod est visum, vel scitum ab vno, sit creditum ab alio. Etenim quæ de Trinitate credimus; nos visuros speramus, & iam Angeli reipsâ vident. Similitérque potest contingere, vt id quod est visum,

vel scitum ab vno homine, etiam in statu viæ, sit ab alio creditum, qui hoc demonstratiuè non nouit. Id tamen quod communiter omnibus proponitur hominibus vt credendum, est communiter non scitum. Et ista sunt, quæ simpliciter fidei subsunt: ideóque fides, & scientia non sunt de eodem. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vera sententia statuitur.

1. Idem potest credi, sciri, & videri à diuersis.

Certum est quod affirmat D. Thomas quæst. 1. art. 4. & 5. id quod creditur posse videri, vel sciri, respectu diuersorum, vel eiusdem diuerso tempore. Nam ea, quæ nos credimus, videntur à Deo, & à Beatis: & à nobis, si Deo placet, videbuntur in cœlo. Præterea Deum esse credunt tantùm rustici: Docti verò sciunt. Et qui ex indocto, sed fideli, fit doctus; veritatem hanc, quam priùs tantùm credebat, modò scit. Sed difficultas est, vtrum id quod creditur, possit ab eodem simul videri, aut sciri. Respondeo non posse, quatenus creditur; siue per idem medium, per quod creditur: posse tamen id quod creditur ex motiuo credibili, aliunde videri, vel sciri.

2. Et ab eodem, sed aliunde.

Prima pars patet ex dictis Disp. 1. Sect. 10. vbi ostendimus medium, seu motiuum, & obiectum formale fidei debere esse obscurum, vt fides propriè dicta possit illi inniti: quippe quæ ex natura sua est assensus certus quidem, sed ineuidens & ænigmaticus, mediúsque inter scientiam & opinionem. Secunda pars est Alensis 3. p. q. 68. Alberti in 3. disp. 24. a. 9. Bonauent. ibidem art. 2. q. 3. Valentiæ q. 2. de Fide, Punct. 4. Ægidij Coninck disp. 11. dub. 1. num. 15. Suares Disp. 3. Sect. 9. n. 7. & aliorum plurium. Probatur primò experientiâ. Possumus enim simul cognoscere Deum esse, & quia Deus id reuelauit, & quia naturaliter euidens est. Item, Solem, & Stellas, & Iridem, & alia multa, quæ Deus in Scripturis esse, testificatus est, possumus simul cognoscere, & quia ea videmus, & quia Deus esse dixit. Sicque Angeli, B. Virgo, & Apostoli multa crediderunt propter Dei reuelationem, quæ aliunde habebant aspectui exposita, vel simpliciter euidentia. Neque satisfaciunt qui respondent eos vel hæc non credidisse: vel tantùm credidisse, quando non cogitabant de eorum euidentia. Nam si ita est, caruissent Angeli fide supernaturali quòd Deus sit: quippe quibus hæc euidentia notissima erat: & Apostoli, & B. Virgo non habuissent fidem plurimorum mysteriorum, vt passionis, resurrectionis, ascensionis, & similium. Quia, vt patet experientiâ, ea, quorum habemus euidentiam habitualem valde magnam, quoties de illis cogitamus, sunt nobis euidentia. Quare Angelis semper euidens est Deum esse: atque adeò nunquam id credere potuissent. Cùm tamen Apostolus Hebr. 11. v. 6. sic affirmet; *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Loquitur autem de fide propriè sumpta, vt patet ex fine capitis præcedentis, & ex toto contextu, & clarissimè ex Tridentino Sess. 6. cap. 6. Loquitur item de Deo secundùm esse naturale Dei, & prout est auctor rerum naturalium: ac non tantùm prout est auctor & principium ordinis supernaturalis: Tum quia verba illa *Deus est;* hoc significant absolutè: tum etiam, quia quòd sit principium rerum supernaturalium, comprehenditur in altero membro propositionis, *Et inquirentibus se remunerator sit.* Quare Caietani, & Cani contrarium sentientium euasiones vanæ sunt. Sanè quando sacræ literæ, & sancti Patres affirmant sæpissime, credendum esse quòd Deus sit, non distingunt doctos ab indoctis, sed vniuersaliter id asserunt. Et verò doctis scientia noceret, essêntque deterioris conditionis, si non possent supernaturaliter credere Deum esse, & alia multa, quæ de Deo nôrunt euidenter ratione naturali.

Probatur secundò ratione: quia potest vnus & idem simul agnoscere eandem veritatem diuersimodè; per se scilicet, & per aliud; & hoc per diuersa media, quorum vnum valere potest ad sciendum, aliud ad credendum, & aliud ad opinandum. At quatenus in illam veritatem tendit per vnumquodque illorum mediorum, non amplius cognoscit, quàm ferat vis illius medij. Ergo scit illam veritatem, ratione medij euidentis; credit, ratione medij credibilis; & probabiliter assentitur, ratione medij probabilis; atque vlteriùs etiam videt, si vim habet sufficientem ad videndum, & ipsa præsens est. Nullam verò esse repugnantiam, vt res eadem diuersis his modis consideretur, patebit ex argumentorum solutione. 3. Confirmatur.

Malè autem opponunt Recentiores aliqui, ex hoc argumento sequi, quòd si quis duabus aut pluribus dioptris vteretur ad intuitum ocularem obiecti, eliceret visiones differentes, alteram confusam, alteram claram, eiusdem obiecti, eodem loco visi. Aut etiam sequeretur quòd quicumque videret oculariter vi luminis habentis diuersos gradus, ratione vnius gradus videret obscurè: & vi alterius maioris, videret distinctiùs. Item, si vnum corpus varia haberet fundamenta quibus niteretur, alia infirma, alia valida: haberet in eodem loco duplicem situm, alium firmum, alium facilè mobilem. Quæ omnes sequelæ patent, inquiunt, à paritate rationis. Sed respondeo, manifestè disparem esse rationem. Nam quando eadem propositio cognoscitur per diuersa media, vnum fidei, alterum scientiæ, tertium opinionis; obiectum est diuersum: quippe quod non est sola propositio materialis, sed complexum ex obiecto materiali & formali, indiuisibiliter cognitum vno, & eodem actu. Complexum autem Soluitur obiectio.

ex propositione reuelata, & reuelatione credibili, est diuersum à complexo ex conclusione & medio scientifico, vel probabili. At verò quando idem obiectum videtur per diuersas dioptras, aut vi eiusdem luminis constantis multis gradibus, non est diuersum obiectum, sed idem apparens trans dioptras, & illustratum eodem numero lumine. Corpus quoque vnum & idem non potest habere simul, nisi vnicum situm, seu præsentiam localem in eodem spatio. Quia situs ille, seu præsentia, nihil est aliud, quàm corpus & spatium, simul inexistentia, seu quasi penetratiuè se habentia. Vnde si corpus est vnicum, & spatium vnicum: non potest præsentia multiplicari; quia nihil aliud includit, præter illa duo inexistentia vnum in alio. At verò assensus dati eidem propositioni materiali, habent vnde multiplicentur ratione diuersorum obiectorum formalium, seu motiuorum; quæ possunt exprimi diuersis qualitatibus, intelligendo productis; & terminare attentionem intellectus virtualiter multiplicem; cùm intellectus debeat ad singula attendere, vt vi illorum assentiatur.

4. Habitus fidei, & scientia possunt esse simul.

Ex dictis collige primò, à fortiori habitum scientiæ simul esse posse in eodem cum habitu & actu fidei circa eandem veritatem. Alioqui vir doctus, euadens fidelis, aut fidem exercens, amitteret habitum scientiæ: quod est contra experientiam: Et vir fidelis euadens doctus, amitteret habitum fidei, cùm primùm actum scientificum circa illam veritatem exerceret, habitúmque scientiæ acquireret. Et quia fides supernaturalis est indiuisibilis quoad amitti, vel conseruari, ita vt tota simul amittatur, non sensim; sequeretur talem amittere totam fidem: ac proinde non tantùm circa illam veritatem, sed & circa omnes alias. Et quia fides supernaturalis *est fundamentum spei*, & charitatis habitualis; ruerent pariter spes, & charitas, totáque gratia sanctificans: quod est absurdum, & hæreticum: cùm sit de fide, eam non amitti, nisi per peccatum mortale. Adde quòd illi habitus nec inter se repugnant, nec cum actibus; ita vt simul esse non possint in eodem subiecto.

Obiectū fidei potest esse euidens concomitanter.

Collige secundò, non esse de necessitate obiecti fidei, vt sit non-euidens concomitanter: sed solùm formaliter, id est, per ipsum medium fidei. Quandoquidem potest esse fides de obiecto naturaliter euidenti, & cum actu naturaliter euidenti, de eodem obiecto; cuius actus euidentia non excludit testimonium diuinum obscurum & ineuidens: neque impedit quin Deus suâ auctoritate, & testificatione euidenter credibili, possit eandem veritatem confirmare; aut quò minùs possit Deus altiori & nobiliori modo firmare intellectum in assensu eiusdem veritatis.

5. Scientia, fides, & opinio de eadem re possunt simul esse.

Addo tertiò, habitum & actum opinionis cum fide & scientia coniungi posse: neque solùm habitus scientiæ, fidei, & opinionis, de eadem re simul in eodem intellectu esse posse: verum etiam actus: imò vnum & eundem actum, scientiam, fidem, & opinionem esse posse de eadem re per diuersa media. Prima pars probatur, quia habitus illi non sunt contrarij. Et quamvis essent, possent tamen se compati quoad gradus remissos; vt calor, & frigus in manu; habitus temperantiæ & intemperantiæ in voluntate. Nulla enim est hîc ratio peculiaris cur similiter se compati non possint, loquendo saltem de fide acquisita. Secunda pars patet ex dictis. Quia scilicet potest quis simul cognoscere eandem veritatem per tria media, quorum vnum sit euidens, aliud certum, & aliud tantùm probabile. In eo enim nulla est repugnantia. Quod dum facit; non plus cognoscit per vnumquodque medium, quàm ferat illius conditio. Et quidem frequenter cùm aliquid probamus, vtimur omni genere mediorum; & rationibus euidentibus, & testimonijs diuinis, & humanâ auctoritate, Doctorúmque opinionibus. Et per hæc omnia simul mouemur ad assensum eiusdem veritatis, iuxta cuiusque medij conditionem & vim.

6. Etiam in vno & eodem actu.

Tertia denique pars probatur, quia non repugnat intellectum vno eodémque actu cognoscere eandem veritatem per hæc tria media, æquè ac simul tribus actibus realiter distinctis. Id enim neque difficilius, neque laboriosius est. Et aliunde constat intellectum posse simul plura cognoscere vno & eodem actu, vt alibi ostendimus. Ergo dari potest vnus actus, qui de eadem re per diuersa media sit scientia secundùm quid, fides secundùm quid, & secundùm quid opinio. Porro actus ille, quâ ratione est opinio, non est incertus positiuè, sed negatiuè & respectiuè: id est, non habet certitudinem respectu medij opinabilis: neque vt sic constituit certum intellectum: non tamen constituit illum positiuè incertum, vel dubium. Quatenus verò fides est, non est obscurus positiuè, neque constituit intellectum positiuè obscurum: sed negatiuè, & respectiuè ad medium credibile: Id est, non est euidens vi medij credibilis, neque constituit intellectum euidenter cognoscentem, vt sic: licet aliunde sit euidens, vi scilicet medij scientifici. Non repugnat autem quòd vnus actus secundùm vnam sui rationem habeat aliquid, quod non habet secundùm aliam: nisi aliunde sit repugnantia.

Et in eodem habitu naturali.

Vnde quartò & vltimò collige dari posse habitum naturalem, qui simul sit scientia, fides, & opinio. Quia actus generant habitus sibi adæquatos in extensione circa totum obiectum materiale & formale, circa quod sunt. Nam ad hoc totum vsitant, & facilitant potentiam. Ergo actus, qui simul est scientia, fides, & opinio, generat habitum scientiæ, fidei, & opinionis, circa veritatem cognitam triplici motiuo, euidenti, credibili, & probabili. Neque verò magis repugnat dari vnum & eundem habitum valentem simul ad sciendum, credendum, & opinandum: quàm dari vnum & eundem actum, qui sit simul scientia, fides, & opinio. Hoc autem secundum non repugnat, vt suprà ostendimus: Ergo neque primum. Ille tamen actus, qui esset simul fides, & scientia vel opinio, non esset supernaturalis, vt dicemus infrà, num. 22.



SECTIO II.

Soluuntur tres priores difficultates contra doctrinam propositam.

7. Possit-ne idem simul videri, & credi? Contra id quod primo loco diximus, posse aliquem simul videre idem, & credere, sentiunt Magister in 3. dist. 23. lit. C. Scot. dist. 24. q. vnica, Ricard. ibid. quæst. 5. & Thomistæ communiter 2. 2. q. 1. a. 4. vel 5. Qui objiciunt primò, fidem esse argumentum non apparentium, Græcè οὐ βλεπομένων, id est, non visorum, Hebr. 11. v. 1. & August. Tract. 40. in Ioan. *Quid est*, inquit, *fides? credere quod non vides*. Et Tract. 79. *Hæc est laus fidei, si quod creditur, non videtur.* Ideòque Gregor. magnus homil. 26. in Euangelia, dubitat quomodo Christus dixerit, Ioan. 20. v. 29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*: cùm fides sit de non apparentibus. Respondétque Thomam vnum vidisse, & aliud credidisse. Nam vidit hominem, & credidit Deum. Ibidem ipso initio tradit celebrem illam sententiam. *Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Secundò, si visio, & fides simul esse possunt; cur non sunt in Beatis in cœlo? Tertiò, experientia videtur ostendere, neminem posse credere, siue assentiri propter auctoritatem dicentis, rebus, quas ante oculos habet. Nimirum, quia visio reddit intellectum incapacem, vt moueatur ab extrinseco testimonio: sicut in Physicis actionibus causa potentior excludit actionem debilioris, & agit sola, cessante aliâ. Addunt quartò Recentiores aliqui, Scripturam non aliunde supponere fidem à Beatis non exerceri, quàm quia non stat simul, videre Deum esse, & credere Deum esse: 1. Cor. 13. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*: & paulò ante: *Charitas nunquam excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Et Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes. Quod enim quis videt, quomodo sperat?* Eadem autem est ratio de fide, quæ, vt ait idem Apostolus Hebr. 11. *Est sperandarum substantia rerum*; quare neutra potest compati visionem. Addunt quintò, implicare contradictionem, simul esse visionem, & fidem eiusdem rei. Quia actus fidei supernaturalis est ad superandam difficultatem & resistentiam naturalem, quam habet intellectus ad assensum tam firmum, quàm est actus fidei. Itaque fides captiuat intellectum: & ex eo est necessitas principij supernaturalis ad fidem. Cùm ergo necessaria sit actui fidei libera submissio; non potest exerceri à vidente Deum, circa Dei existentiam. Qui enim videt intuitiuè Deum, tam rapitur ad assentiendum quòd Deus est, vt non possit magis. Quare non potest esse submissio.

8. Possit-ne actus fidei esse cum experientia sensuum? Addunt sextò, actum fidei non posse simul esse cum experientia sensuum circa idem: quia fides est virtus supernaturalis, atque adeò maximè laudabilis. Laus verò fidei hæc est, quòd per eam, vt loquitur Arausic. can. 5. corrigitur intellectus ab infidelitate, id est, ab hæsitatione, dubitatione, &c. At nullum est ordinariè periculum hæsitandi in assentiendo ijs, quæ videntur oculis, & manibus tanguntur. Confirmatur, quia Paulus Rom. 4. laudat fidem Abrahæ eò quòd non hæsitauerit diffidentiâ, neque considerauerit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum; & emortuam vuluam Saræ: significans fidei laudem in eo consistere. Neque responderi potest, sufficere quòd possit hæsitari per medium, seu motiuum credendi. Nam contrà: primò, intellectus vnâ viâ omnino conuictus, nullâ aliâ vacillare potest. Secundò, si intellectus hæsitare posset circa obiectum fidei, per hoc duntaxat, quia per medium fidei, non habet euidentem notitiam obiecti: Abrahæ fides æquè fuisset laudabilis, licet ipse fuisset iuuenis, & Sara fœcunda. Neque enim inde magis vel minùs nota fuisset reuelatio per medium fidei. Confirmatur, quia, si fuisset iuuenis, minùs eguisset robore fidei ad credendum promissioni diuinæ. Sed si minuitur necessitas fidei adiumento notitiæ naturalis, quam de possibilitate obiecti, propositi per reuelationem, Abraham habuisset: ergo tanta potuit esse experimentalis notitia præsentis obiecti, putâ ortus Isaac, vt nullâ fide eguisset ad assentiendum tali obiecto. Nam adiumentum, quod minuit necessitatem fidei, tantum esse potest, & adeo crescere in eodem genere manens, vt eam necessitatem exhauriat per se. Sed vbi tollitur necessitas fidei ad assensum, non potest esse actus supernaturalis. Ille enim tantùm est actus supernaturalis, qui non potest fieri sine principio supernaturali.

Ad primum respondeo primò, fidem generatim esse non apparentium formaliter & respectiuè, per illud scilicet medium, quo ad fidem pertinent, & secundùm modum, quo fides eorum est: siue aliunde videantur, siue non. Secundò, fidem esse non apparentium, & non-visorum absolutè, quoad plurima: sed id non esse vniuersim accipiendum de omnibus, cùm Paulus addat ibidem v. 6. credendum esse, quia Deus est: quod tamen multis apparet euidenter ratione naturali. Tertiò, Diuum August. similiter intelligendum esse in sensu formali. Thomas autem Apostolus non modò Christum Deum esse credidit; sed & resurrexisse, & viuere, de quo antea dubitauerat: cuius tamen rei experientiam sensibilem habebat. Quod verò addit Gregorius, *Fides non habet meritum, &c.* moraliter & comparatiuè accipiendum est: quòd scilicet non habeat cæteris paribus tantum & tale meritum, quantum is, qui credit contra difficultatem, quæ alioqui in credendo esse solet, vbi deest huiusmodi experimentum. Absolutè verò, quamvis aliqua veritas sit euidens aliunde, bonum est, & laude dignum ei firmiter assentiri liberè, propter rationem credibilitatis, studio rectitudinis & honestatis, atque amore Dei, cui veritas placet. Credere verò per se solùm, si non fiat affectu recti & honesti, non est laude dignum;

9. Quomodo fides est non apparentium?

neque est meritorium, nisi fiat propter Deum.

10. Cur non credunt Beati? Ad secundum respondeo, fidem actualem non esse in cœlo, quia Beati nôrunt euidenter Deum testificari, & Deum esse veracem: ideóque nôrunt euidenter quidquid per diuinam reuelationem intelligunt. Absolutè verò fides, & visio non repugnant. Ad tertium dico, experientiam potiùs ostendere contrarium. Possum enim cuipiam se mihi offerenti, & adesse clamanti, credere, quia ipse dicit, simulque præsentem intueri. Item, monenti ibi esse ignem, aut abyssum, vel thesaurum, assentiri possum, quia ipse dicit, & simul quia video ita esse. Sic cœlum esse, & Solem, & astra, credo quia id reuelatum est in Scriptura: & tamen sensu experior. Falsum quoque est minora agentia cessare præsente fortiori. Nam quando plures trahunt ingens aliquod pondus, debiliores concurrunt cum fortioribus. Et luminaria minora cum maioribus agunt, vt ostendit experientia.

11. Ad quartum respondeo, Scripturam supponere fidem non exerceri à Beatis, quia perfectè & euidenter cognoscunt omnia fidei mysteria, & dogmata, quæ hac in vita creduntur; cognoscunt, inquam, euidenter hæc omnia vel sine medio, vel per omne medium, sub quo illa attingunt. Qua de causa Paulus primo loco citato ait, Prophetias, id est, cognitiones obscuras euacuatum iri; & nos in præsenti videre per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, id est, non ampliùs per obscuram cognitionem, qualis est ænigmatica. Quod verò addit Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est spes, &c.* dictum est de actu spei propriè & strictè sumpto, qui non versatur nisi circa bonum absens & arduum, vt suppono ex dicendis disp. 15. deque illa fatemur non compati visionem, id est, possessionem rei.

Quæ, & vnde sit credendi difficultas? Ad quintum respondeo, semper esse difficultatem aliquam, & resistentiam intellectus ad assensum tam firmum propter Dei testimonium obscurè propositum, & tam vniuersaliter, plenéque subjicientem intellectum cum præparatione animi ad acceptandam quamcunque Dei reuelationem sufficienter propositam, & cum tanta reuerentia erga Dei auctoritatem, quanta est in omni actu fidei supernaturalis: qua de causa non potest talis, & tam excellens actus elici solis viribus naturalibus. Sed non est necesse, vt illa resistentia & difficultas oriatur ex obiecto solo materiali: alioqui viri Docti, quibus est euidens Deum esse, non possent illud credere. Multò minùs possemus credere Solem & Lunam esse, & circa terram moueri: quod ipsis oculis cernimus: & tamen à Deo in Scriptura reuelatum est, creditúrque eâdem fide, quâ credimus cætera à Deo reuelata, & in Scripturis expressè contenta: eóque fine sine dubio scripta sunt, vt credantur. Neque mirari nequeo hoc argumentum proponi ab illis, qui putant actum fidei posse esse intrinsecè euidentem, & elici ex motiuo reuelationis euidente simpliciter. Imò etiam ex motiuo purè naturali. Putant enim actum fidei supernaturalis, quo creditur Deum esse, & prouidere rebus humanis, elici posse ex solis argumentis naturalibus euidenter notis, quibus vtrumque demonstratur. Existimant quoque non minùs euidens fieri per argumenta credibilitatis Deum esse trinum; Christum esse Deum, & contineri sub speciebus Eucharisticis, & alia omnia fidei dogmata esse vera: quàm sit euidens ex argumentis naturalibus Deum esse, & prouidere vniuerso. Miror, inquam, illos hoc argumento vti contra nos, sumpto ex difficultate assentiendi; quia non video quæ possit esse difficultas in tali assensu ex parte obiecti euidenter & scientificè cogniti.

Ad confirmationem respondeo, quædam esse fidei obiecta materialia, quæ specialem habent difficultatem, reddúntque actum fidei difficiliorem, & laudabiliorem, ob victoriam illius difficultatis. Cuiusmodi fuit actus ille Abrahæ, de quo loquitur Apostolus Rom. 4. At non omnia obiecta fidei materialia sunt huiusmodi. Et ad fidem supernaturalem exercendam sufficit alia difficultas ex parte motiui, & modi in illud tendendi. Contra quod frustra opponitur, intellectum vnâ viâ conuictum, non posse aliâ vacillare. Respondeo enim non posse vacillare circa id, de quo euidenter conuictus est. Sed intellectus credentis non est euidenter conuictus circa tale motiuum, præsertim verò cum tanta vniuersalitate, submissione, & reuerentia amplectendum. Quare licet non possit vacillare circa obiectum materiale, si circa illud euidenter conuincitur: potest tamen circa motiuum taliter amplectendum. 12. Maior est in quibusdam obiectis.

Reliquum obiectionis solutum manet ex dictis. 13. Diximus enim paulò ante, causam hæsitationis in reuelatione illa facta Abrahamo, non fuisse solùm ex parte motiui: sed aliam fuisse specialem, & valde magnam ex parte obiecti materialis. Et quamvis si fuisset ipse iuuenis, & Sara fœcunda, minùs eguisset robore fidei ex illa parte: ac tandem posset exhauriri tota difficultas & ratio hæsitandi, quæ est ex parte obiecti materialis: non propterea exhauriretur difficultas, quæ est ex parte obiecti formalis, & modi illud tam generosè & perfectè amplectendi: proptérque illam esset adhuc opus robore fidei, & principio supernaturali. Addo hoc argumentum, æque ac præcedens retorqueri posse contra aduersarios, qui dicunt, tametsi euidens sit Deum esse, & prouidere vniuerso, ac proinde intellectus circa illud conuincatur, & non hæsitet: adhuc tamen id credi posse fide supernaturali: Et quidem etiam per illud idem medium, per quod est euidens. Vbi non video quis esse possit locus hæsitationi, siue ex parte materialis obiecti, siue etiam ex parte formalis. Dicunt etiam cætera fidei obiecta cognosci æquè euidenter à doctis, quibus non credibile solùm, sed euidens est Deum reuelasse, & veracem esse: ac proinde, illos conuinci per motiuum credendi, tam circa obiectum materiale, quàm circa formale. Quare hæc illorum doctrina meo iudicio parum cohæret cum obiectione proposita.

14. Secundò, contra id quod diximus, actus fidei, & scientiæ simul esse posse, opinantur

Scotus in 3. dist. 24. quæst. vnica, Maior ibid. concl. 3. Almain. concl. 4. Gabriël art. 2. concl. 4. quorum præcipua argumenta, hæc sunt.

Actus fidei & scientiæ possintne simul esse?

Primò, inquiunt, clarum, & obscurum sunt repugnantia inter se, tanquam priuatiuè opposita. Ergo non possunt esse simul in eodem subiecto. Scientia autem est clara, & fides obscura: Ergo, &c. Secundò, non potest quis simul iudicare rem esse claram, & obscuram. Atqui si haberet simul actus scientiæ & fidei, iudicaret rem esse claram, & obscuram. Tertiò, impossibile est intellectum esse plenè & omnino determinatum, & non esse: esse conuictum, & non esse; assentiri simul liberè, & non liberè eidem veritati. At hæc simul essent, si actus scientiæ & fidei simul reperirentur in eodem subiecto.

Ad primum Respondeo, clarum & obscurum per diuersa media non repugnare; id est, non repugnare intellectum eidem obiecto materiali assentiri euidenter vi vnius medij: & simul alio actu, certò tantùm assentiri vi alterius. Neque enim repugnat vnum medium esse euidens intellectui, & aliud non esse: vnum causare assensum euidentem, & aliud non, sed certum duntaxat. Ad secundum respondeo negando minorem: Aliud enim est assentiri obscurè, seu non clarè: & aliud, iudicare rem esse obscuram. Deinde dico non repugnare, vt quis simul iudicet rem esse claram respectu vnius medij, & non claram respectu alterius: id est, habere claritatem ab vno medio, & non ab alio. Notandum autem rem non esse propriè claram, vel obscuram intrinsecè, sed tantùm extrinsecè denominari, talem ab actu claro, vel obscuro intellectus, quem terminat aut terminare potest. Non repugnat autem denominari simul claram respectu vnius actus, & obscuram respectu alterius: atque vt coniunctam cum vno medio habere proportionem cum intellectu sufficientem ad gignendum assensum clarum: cum alio verò non habere.

15. Ad tertium respondeo similiter, non implicare quòd intellectus secundùm vnum medium sit plenè determinatus, & conuictus; & per aliud non sit, ob diuersam vim, & proportionem mediorum. Et conuincitur quidem re ipsâ intellectus: sed non vi vtriusque medij, neque ad vtrumque actum, sed ad euidentem duntaxat: quo actu stante, non est liber ad actum, oppositum: quasi possit habere simul assensum contrarium; eidémque simul assentiri, & dissentire: liber est tamen ad assensum fidei, vel opinionis circa eandem veritatem, ex proprijs vtriusque motiuis: quia inter eiusmodi assensus elicitos per diuersa motiua, nulla est repugnantia; vt paulò ante ostendimus.

Cur actus scientificus, & erroneus simul esse nequeūt?

Instabis, quia si per diuersa media hæc omnia fieri possunt, sequitur assensum scientificum, & erroneum simul esse posse circa eandem propositionem; ita vt intellectus simul iudicet esse veram, & falsam. Tunc enim cessabit oppositio: quia solùm esse dicitur respectu eiusdem, non verò respectu diuersorum mediorum. Respondeo, si haberet assensum scientificum, & erroneum simul de eadem re, iudicaret simul rem esse, & non esse: quod planè repugnat; estque euidenter contra lumen naturale: manifestum enim est, impossibile esse vt, etiam per diuersa media, res simul sit, & non sit: vtque è duobus medijs vnum faciat rem esse, & aliud simul faciat non esse. Non possumus autem assentiri ei, quod euidenter impossibile & falsum apparet. At verò qui assentitur ineuidenter, & euidenter, per diuersa media: non propterea iudicat rem esse, & non esse: neque esse euidentem, & ineuidentem simpliciter, aut in seipsa intrinsecè: sed illam tantùm attingit euidenter per vnum medium, & non attingit euidenter per aliud: habet ab vno medio euidentiam, & ab alio certitudinem tantùm.

Tertiò, contra id quod diximus, actum scientiæ, & opinionis simul esse posse, sentiunt Nominales suprà citati. Pro quibus objici potest duo iudicia contradictoria simul esse non posse. Sed actus scientiæ & opinionis de eodem, sunt duo iudicia contradictoria: Ergo, &c. Probatur Minor, quia iudicare rem non posse aliter se habere, & rem posse aliter se habere, sunt iudicia contradictoria. Tam enim est contradictorium rem posse aliter se habere, & non posse aliter se habere: quàm rem esse, & non esse. At qui scit, iudicat rem non posse aliter se habere, ex Arist. 1. Poster. c. 2. Vnde etiam existit scientiæ certitudo. Qui autem opinatur, iudicat rem posse aliter se habere: quia illi assentitur, vt probabiliter tantùm, & apparenter ita se habenti, ita tamen, vt aliter esse possit, nec ita esse certum sit. Respondeo eum, qui opinatur tantùm sine formidine positiua, non iudicare rem posse aliter se habere: sed tantùm attingere veritatem in gradu inferiori certitudine fidei, & euidentiâ scientiæ. Ex quo licet non intelligat rem necessariò esse vt iudicat: non ideò tamen iudicat positiuè posse aliter se habere: sed merè negatiuè circa illud se habet tali actu, & vi illius medij; assentiendo simpliciter in gradu illo infimo, qui est adhæsio nec euidens, nec firma.

16. Possintne simul esse actus scientiæ, & opinionis?

17. An repugnentia ltem ex parte intellectus?

Addunt aliqui Recentiores, ex alia parte repugnare simul exerceri circa eandem propositionem, etiam per diuersa media, duos assensus, vel vnum æquiualentem duobus, quorum alter sit scientiæ, alter sit fidei, vel opinionis. Primò quia, inquiunt, non videtur esse capax noster intellectus, huius varietatis, diuersimodè vtendi argumentis: ita vt simul ex reuerentia, & submissione, Christiano modo, & fideli, dicat *Deus est*; & modo Philosophico de eodem actum scientificum eliciat, vel opinatiuum. Neque enim ita distrahi potest eadem facultas; vt vnicuique suâ experientiâ notum esse potest. Nam solicitudo Philosophicè inquirendi vim, & formam argumentorum, turbat eam submissionem, & pietatem, quæ debetur fidei. Quæ ratio generaliter probat non posse circa idem obiectum exerceri simul actum assensus intellectualis modo fidei proprio, & modo scientifico, vel opinatiuo, licet supponeretur esse vnus simplex actus. Speciatim verò non posse simul exerceri distinctos actus fidei supernaturalis, & scientiæ vel opi-

nionis de eodem obiecto per diuersa media, probant secundò, quia vbi multa media iuuant ad idem persuadendum, experimur omnibus illis argumentis in vnum collectis nos moueri ad vnum simplicem actum assensus erga propositionem illis omnibus medijs probatam: vt cùm mouemur pluribus motiuis ad idem amandum, quorum aliqua parerent amorem tepidum, alia amorem intensum. Neque videtur possibile in eodem principio esse simul duos amores efficaces eiusdem obiecti, diuersimodè illud appretiantes. Ita ergo nec in intellectu possunt esse simul distincti assensus circa idem. Quod vlteriùs tertiò sic probant: quia in actu intellectus, vltra aliquam qualitatem productam, includitur principaliter vsus principij intelligentis, qui est applicatio aliqua potentiæ vitalis ad obiectum. Itaque vt sit duplex actus, alter scientiæ, alter fidei, vel opinionis, oportet esse distinctas virtualiter illas applicationes facultatis: & vnam esse naturalem, alteram supernaturalem, si exercetur fidei Theologicæ actus. Quod videtur impossibile; sicut impossibile est eandem facultatem motiuam duobus motibus duplicem præsentiam eidem spatio simul acquirere, vel habere. Eadémque est ratio de alijs modis indistinctis à rebus. Hi enim non possunt intelligi virtualiter numero diuersi in eadem re simul tempore, habentes eundem formalem effectum, vt ita dicam. Quia nihil est vnde possint distingui virtualiter: Ergo non videtur possibile eundem intellectum simul & semel habere duos vsus vitales circa idem: cùm nihil aliud sit ille vsus, quàm applicatio intellectus ad hoc obiectum. Quare vbi est vnus intellectus, & vnum obiectum: est etiam vnus actus necessariò. Sicut vbi est vnum corpus, & vnum spatium, implicat esse duplicem præsentiam. Confirmatur, inquiunt, quia saltem implicare videtur simul esse duos actus scientiæ vnius propositionis per vnum medium: vt probat ratio & exemplum suprà allatum. At videtur par ratio, quòd non sint duo actus, alter fidei, alter scientiæ, vel opinionis, quamvis per diuersum medium. Licet enim videatur esse aliqua varietas in attentione ad media: quorum alteri scientia, vel opinio, alteri fides innititur: tamen assertio absoluta propositionis, Deus est v. g. est eadem prorsus, etiam ratione. Sed in ea præcipuè consistit actus fidei, & scientiæ, vel opinionis. Et quemadmodum si quis suo impulsu simul, & alieno, subeat idem spatium, non propterea duplici motu, neque duplici præsentiâ id fiet: Ità licet huius assertionis, *Deus est*, sit duplex virtualiter principium, & attentio ad diuersa media, ipsa tamen erit semper vnica: Hæc illi.

18. Ostenditur non repugnare. Sed ad primum respondendum est fieri quidem posse, vt interdum solicitudo circa medium, & formam demonstrationis, actúsque scientifici, & attentio intellectus tanta sit, vt simul intellectus, propter suam limitationem & imperfectionem, non possit vacare attentioni necessariæ ad exercendum actum fidei supernaturalis. Verum non omnes actus scientifici sunt adeo difficiles, & multò minùs actus opinatiui: sed aliqui sunt valde faciles, & qui perexiguâ egent attentione; præsertim post habitum scientiæ, vel opinionis in gradu valde intenso acquisitum: vel in materia & forma valde facili. Ideóque non repugnat ex ea parte quin possint exerceri simul cum actu fidei: ab illis præsertim, qui sunt ingenij capacioris, & non tam facilè turbantur, aut non tantopere vnico obiecto occupantur.

Ad secundum respondeo, incertam esse illam experientiam. Neque enim constat nobis experientiâ pluré{s}ne tunc, an vnicum actum exerceamus circa talem propositionem: vnicum, inquam, æquiualentem pluribus, & per illa omnia media assentientem propositioni. Sicut quando plures colores simul videmus, non experimur vtrum vnico actu, an pluribus id fiat. Posse autem simul esse duos amores circa idem obiectum diuersimodè illud appretiantes, non dubito. Nam Beati simul & perpetuò Deum amant, tum vt bonum in se ipso, & propter se, per actum charitatis; tum vt sibi ipsis bonum multipliciter, per actum spei. Quarum considerationum prior est illis longè maioris æstimationis. Nam ille amor vterque rectus est, & modo atque ordine conuenienti tendit in obiectum. Deus autem est longè æstimabilior, prout est summè bonus absolutè, quàm prout nobis bonus est.

Ad tertium respondeo, actus non distingui, neque multiplicari realiter ex parte vsus principij vitalis, sed ex parte qualitatum productarum. Nam illi vsus non sunt distincti realiter, quando principium, cui identificantur, est realiter vnicum. Vnde etiam quia, vt fatentur auctores huius obiectionis, intellectus & voluntas sunt realiter idem principium, sunt enim ipsamet anima rationalis, realiter vnica, & indiuisibilis: vsus intellectus & voluntatis, non est realiter diuersus, sed tantùm virtualiter. Potest autem illud principium realiter vnicum, habere simul vsum virtualiter duplicem circa idem obiectum. Nam idem illud obiectum, quod cognoscitur, amatur. Sicut autem potest eadem anima diuersimodè applicari simul ad idem obiectum, intelligendo, & amando, propter diuersum tendendi modum: ita potest idem intellectus diuersimodè applicari ad eandem propositionem, assentiendo illi per diuersa media, & eliciendo multos & diuersos assensus, quales illi essent, qui per singula media exercerentur successiuè circa eandem propositionem materialem. In quo casu non negant Aduersarij fore vsum virtualiter multiplicem. Quinetiam necessariò multiplex est virtualiter & æquiualenter vsus atque attentio principij vitalis, quotiescunque eadem propositio materialis cognoscitur per diuersa media. Quia necessarium est, vt intellectus attendat ad singula motiua, propter quæ assentitur. 19. Quomodo multiplicentur actus intellectus?

Ad exemplum verò allatum de præsentia locali, Nego paritatem. Nam præsentia illa nihil aliud est, quàm inexistentia rei in spatio, cui præsens est: siue res, & spatium, simul & penetratiuè se habentia. Vnde si est res eadem, & idem spatium, non est nisi vnica inexistentia. 20.

Neque

Neque enim potest multiplicari ex parte rei, aut spatij; cum vtrumque sit vnicum, & præsentia localis nihil aliud includat. Sed cùm assensus datur eidem propositioni materiali per diuersa media: quamvis sit idem intellectus, & eadem propositio materialis, cui assentitur; media tamen, seu motiua assentiendi sunt diuersa, & cognoscuntur, atque attenduntur secundùm se formaliter: adeóque obiectum est simpliciter diuersum. Vnde non mirum est, quòd attentio possit esse virtualiter diuersa: imò etiam debeat, vt paulò ante dixi: quia debet æquiualere multis, quibus singillatim eidem propositioni modò per hoc medium, modò per illud assentiremur, & quibus diuersa illa obiecta attingerentur. Neque enim actus scientiæ, fidei, vel opinionis, consistit solùm in assensu dato propositioni materiali, seorsim sumptæ à formali, & motiuo assentiendi: sed versatur circa complexum ex materiali, & formali: atque in vtrumque tendit indiuisibiliter; vt alibi ostendemus, & fatentur Aduersarij. Ita vt complexum ex propositione reuelata, & ex reuelatione sufficienter credibili, sit obiectum adæquatum fidei: & complexum ex conclusione, & ex principijs quibus probatur, sit obiectum proprium, & adæquatum, actus scientiæ, vel opinionis. Quæ complexa cùm sint diuersa, vt manifestum est, possunt terminare diuersas attentiones, æquè ac exprimi per diuersas qualitates, intelligendo productas. Ex quo patet solutio vltimi argumenti in confirmationem prioris additi.

V. Disp. 1. sect. 9.

SECTIO III.

Aliæ duæ obiectiones diluuntur.

21. Possit-ne idem actus esse fides, & scientia?

QVartò, contra id, quod diximus, eundem actum posse esse actum fidei, & scientiæ, opponit Suares Disp. 3. Sect. 9. n. 11. & sequentibus hæc argumenta: Primò, Si ita esset; ille actus æquiualeret duobus, & esset duplex virtualiter, posśetque in duas rationes, seu formalitates mente distingui per conceptus inadæquatè expressiuos. Iam ergo, vel illæ duæ formalitates essent essentiales illi actui, vel ambæ accidentales, vel vna essentialis, & altera accidentalis. Non primum; quia vna res vnam tantùm habet essentiam: Et genus non potest contrahi per duas differentias specificè diuersas, æquè primò constituendo cum illis vnam tantùm entitatem. Non etiam secundum; quia oporteret supponere in illo actu tertiam quandam formalitatem illi essentialem. Non tertium; quia non est ratio cur vna sit essentialis, potiùs quàm altera. Secundò, vel illæ duæ formalitates constituerent veram rationem scientiæ, & fidei in illo actu, vel non. Non primum; quia illæ duæ species, scientiæ & fidei, ex se, & ex natura sua, sunt distinctæ realiter, & constituunt proprias entitates. Non etiam secundum; quia ille actus, cùm sit certus, & euidens, habet veram rationem scientiæ; & cùm certò nitatur testimonio diuino credibili, habet veram rationem fidei. Tertiò, duo motiua ad fidem, & ad scientiam actualem requisita, testimonium nempe diuinum, & medium demonstratiuum, sunt formaliter diuersa, & sufficiunt ad constituendas diuersas species actuum. Ergo constituunt duos actus. Quartò, actus, qui simul est scientia, & fides, vel est supernaturalis, vel naturalis, vel mixtus. Non primum; quia partim est ex medio naturali, & naturaliter cognito, nimirum quatenus est scientia. Non etiam secundum; quia partim est ex medio supernaturali supernaturaliter cognito, cùm sit certus certitudine fidei diuinæ, atque nitatur auctoritate diuinâ, creditâ supernaturaliter ex pia affectione voluntatis, & auxilio Spiritus sancti. Non denique tertium; quia est actus simplex. Quintò, à quo habitu elicitur ille assensus? Non à solo habitu fidei, vel scientiæ: quia neuter habet vim sufficientem ad actum amplectentem obiectum vtriusque: Non etiam ab vtroque: sic enim quilibet tenderet secundùm suum obiectum formale diuersum, atque ita efficeret actus diuersos.

Ad primum respondeo, vtramque formalitatem, seu rationem, esse illi actui essentialem: & vnius rei vnicam esse essentiam adæquatam, & perfectam, quæ tamen in plures rationes potest conceptu diuidi, potéstque pluribus essentialiter distinctis æquiualere. Genus quoque potest contrahi ad vnam entitatem per vnam differentiam ampliorem, æquiualentem duabus, quæ in quibusdam alijs distinguantur realiter. Sic cognitio comparatiua albedinis, & nigredinis, quæ essentialiter vtramque attingit secundùm proprias rationes, æquiualet duabus cognitionibus realiter distinctis, quarum altera esset albedinis præcisè, & altera nigredinis. Imò secundùm Suarem in Metaphys. Disp. 49. Sect. 1. n. 8. actio & passio sunt idem re: cùm tamen non specie tantùm, sed & genere differant. 22. Ostenditur posse.

Ad secundùm Respondeo, Scientiam & fidem abstractè sumptas non differre realiter vniuersim; ita vt in eandem entitatem coincidere nunquam possint: neque id ex se, vel ex natura sua exigere, sed tantùm tendentiam ad obiectum sibi proportionatum. Ad tertium dico, multa, licet formaliter diuersa, & ad actus specie ac re diuersos sufficientia, posse cadere sub vnum actum ampliorem, & vniuersaliorem. Sic enim Angeli, fatente ipso Suare lib. 2. de Angelis c. 15. & 16. Angeli, inquam, superiores plura comprehendunt distinctè in vna specie, tum impressâ, tum expressâ, quæ Angeli inferiores pluribus actibus concipiunt: vt expressè affirmat cap. 16. num. 4. Sic præmissæ, quæ possunt seorsim actibus diuersis cognosci; possunt tamen, ac debent simul cognosci cum conclusione, quando cognoscitur vt connexâ cum illis per bonam illationem. Sic denique albedo, & nigredo possunt cognosci diuersis actibus; necessariò tamen cognoscuntur eodem per notitiam comparatiuam. Nam duo actus, qui in illas seorsim cadunt, & absolutè; non sunt comparatiui.

Ad quartum Respondeo, actum illum esse

Ille actus eſſet naturalis in entitate.

merè naturalem in entitate, quia habitus fidei ſupernaturalis, vel auxilium æquiualens, non eleuat intellectum circa medium demonſtratiuum: Ideóque talis actus circa vtrumque medium verſans, non poteſt eſſe ſupernaturalis totus. Neque etiam ex parte: cùm eius entitas ſimplex ſit, non autem compoſita ex naturali, & ſupernaturali. Non repugnat autem actum naturalem in entitate verſari circa obiectum ſupernaturale, ex motiuo etiam ſupernaturali: ſaltem minùs perfectè cognito, vt oſtendemus Diſput. 10. Sect. 2. Neque ad hoc eget ſpeciali auxilio Spiritus ſancti, ſed ſufficit externa propoſitio obiecti, facti ſufficienter credibilis. Porro hic actus valet naturaliter ad gignendum habitum ſibi proportionatum circa totum obiectum, circa quod vſitatur potentia naturalis, & per vſum facilior redditur ad ſimiles actus. Poſſet etiam Deus, ſi vellet, per ſe, non vt principium eleuans tantùm ad credendum, ſed vt principium amplioris virtutis, eleuare intellectum ad actum entitatis ſupernaturalis, qui ſimul eſſet actus ſupernatnralis ſciendi, & credendi; imò & verè opinandi, addito medio veræ opinionis. Verùm hîc anteà locuti ſumus de eleuatione fidei, qualis nunc reipsâ fit, de qua etiam procedebat obiectio.

13. A quonâ habitu produceretur?

Ad quintum reſpondeo, talem actum non produci ab habitu fidei infuſæ; quia naturalis eſt: ſi verò ſit in intellectu habitus fidei humanæ, ſiue acquiſitæ, circa tale obiectum, & motiuum formale; & habitus ſcientiæ circa idem obiectum, & motiuum ſcientificum; poterunt ambo concurrere vt cauſæ partiales, cum intellectu ad productionem illius actus. Habent enim vim inclinandi vnuſquiſque ad ſuum obiectum. Neque propterea erunt diuerſi actus. Nam neque diuerſi habitus, neque diuerſa motiua, & obiecta formalia, inferunt neceſſariò diuerſitatem actuum; cùm diuerſæ cauſæ poſſint concurrere ad eundem effectum, & diuerſa obiecta formalia poſſint eodem actu cognoſci. Quare hæc non impediunt quò minus intellectus eodem actu tendat in idem obiectum materiale ſecundùm vtrumque formale, ſcientificum, & credibile. Et hæc intellige, cùm primùm tales actus exercentur. Nam poſtquam fuerunt exerciti, & genuerunt habitum ſibi proportionatum, & adæquatum toti obiecto; facilè intelligitur poſſe ab illo habitu ſimiles actus produci.

14. Poſſit-ne idem eodem actu credi ſimul, & ſciri?

Quintò denique, Mœratius Diſp. 14. Sect. 2. & ſequentibus, fusè contendit non poſſe vnam eandémque rem, vnico eodémque actu credi ſimul, & ſciri, id eſt, euidenter cognoſci. Primò, quia nullum formale motiuum, quod ex ſe eſt, aut eſſe poteſt formale motiuum totale, & adæquatum, ſpecificans aliquem actum, vel habitum, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, poteſt coniungi cum alio ſimili motiuo ad vnicum numero actum exercendum, qui nitatur illo vtroque motiuo tanquam vnico totali, & adæquato, conflato ex hoc & illo motiuo diuiſim acceptis, tanquam ex duobus partialibus. Atqui reuelatio diuina, & motiuum ſcientificum, ſunt motiua formalia, quæ ex ſe poſſunt eſſe adæquatum obiectum formale actuum fidei, & ſcientiæ: Ergo, &c. Probatur Maior, quia alioqui poſſent actus, & habitus intellectus, & voluntatis multiplicari ſpecificè in infinitum, per variam coniunctionem motiuorum diuerſarum virtutum, quæ poteſt in infinitum multiplicari. Atque ita v. g. poſſent motiua ſpei, & charitatis coniungi in vnum actum, cui actui deberet reſpondere habitus, proportionatus, diuerſus eſſentialiter à ſpe, & charitate; atque ita eſſent quatuor virtutes Theologicæ, quod eſt contra Apoſtolum 1. Cor. 13. vlt. & contra ſenſum communem Theologorum. Secundò, quia illud ſolum motiuum cum alio coniungitur inſtar motiui partialis ad conflandum cum eo vnicum totale, quod ſeorſim acceptum non mouet intellectum, aut voluntatem, ſed tantùm dependenter ab illo alio ſimul mouente. At motiua fidei, & ſcientiæ, ſeorſim ſumpta mouent intellectum, & independenter vnum ab alio. Ergo, &c. Tertiò, ſi poſſibilis eſſet aliquis actus fidei, & ſcientiæ ſimul, complectens vtriuſque perfectionem eſſentialem, ſequeretur eſſe multa poſſibilia, quæ communiter cenſentur impoſſibilia. V. g. poſſibile eſſet accidens, quod eſſentialiter eſſet calor, & frigus. Poſſibilis erit quinta qualitas, quæ quatuor primarum perfectionem contineat. Poſſibilis erit ſubſtantia, quæ hominis, & equi naturam habeat, ſitque homo-equus: & alia, quæ trium diſſimilium ſpecierum animalium perfectionem eſſentialiter complectatur, putâ leonis, bouis, & cerui: alia quæ quatuor, alia quæ quinque, & ſic deinceps in infinitum: quod portentoſum, & chimæricum eſt.

Ad primum reſpondeo negando maiorem. Ad cuius confirmationem, concedo poſſe actus & habitus naturales intellectus, & voluntatis variè multiplicari ſpecificè: Poſſe item variè multiplicari actus ſupernaturales, eorum motiua coniungendo. Sed non propterea multiplicari habitus ſupernaturales. Quia Deus in eorum infuſione, non habet rationem huius multiplicationis, cùm ſufficiant ſimplices virtutes infuſæ, putâ ſpei, & charitatis, ſi ſimul concurrant ad exercendum actum qui ſimul ſit actus ſpei, & charitatis, tendens in obiectum materiale propter vtriuſque motiuum: putà, ad dandam eleemoſynam & quia Deo placet, & quia nobis prodeſt ad æternam retributionem obtinendam. 15.

Actus & habitus naturales poſſunt variè multiplicari ſpecificè.

Ad ſecundum: nego Maiorem, intellectam de dependentia per ſe vnius motiui ab alio. Per accidens verò, quando concurrunt ad eundem actum, neutrum mouet ad illum ſine alio: & actus indiuiſibiliter Phyſicè, pendet ab vtroque: & neutrum ſine altero ſufficit ad talem actum. Ad tertium reſpondeo primò, non omnia in exemplum allata de accidentibus cenſeri iure impoſſibilia. Secundò, longè facilius eſſe vniri in vno actu plurium perfectionem: quàm in vna ſubſtantia eſſentias plurium: aut in vno quolibet accidente, eſſentias aliorum multorum. Nam fatente ipſo Mœratio Sect. 5. eiuſdem diſputationis, poteſt dari naturaliter, & ſæpe datur, vnus actus viſionis corporeæ, qui ſit plurium colorum ſpecie di-

Et pluriũ perfectiones continere.

uersorum, & quodammodo contineat perfectionem essentialem plurium visionum, quibus illi colores seorsim viderentur. Similitérque dari potest vnus actus sensus interni, & intellectus, pluribus æquiualens. (Quæ duo exempla à Mœratio concessa, tum hoc, tum cætera illius argumenta euidenter eneruant.) Et tamen non videmus naturaliter alias species substantiarum, aut accidentium quorumcunque vniri in tertiam quandam essentiam. Dico, quorumcunque: quia neque omnis vnio substantiarum, aut accidentium aliorum est impossibilis absolutè. Cùm sæpe naturaliter ex duabus speciebus substantiarum commixtis, tertia quædam resultet per generationem, de vtraque participans, & aliquo modo continens vtramque. Sed singillatim quòd possibile sit in illis, aut impossibile, non est facile discernere.

SECTIO IV.

An obiectum fidei Christianæ quà tale, sit simpliciter euidens?

26. Sententia affirmás. AFfirmant aliqui Recentiores subtiles & eruditi, qui docent multos posse per argumenta, quibus confirmatur Deum reuelasse doctrinam Catholicam, elicere assensum discursiuum æquè euidentem, quòd hæc doctrina sit vera; atque est assensus euidens, quo docti possunt discursiuè assentiri huic veritati, Deus est, & prouidet naturaliter vniuerso. Quod vt probent, supponunt duplicem esse euidentiam simplicem. Vnam rei in seipsa; alteram in aliquo tantùm eius indicio: Notant enim hæc duo dicta valde inter se distingui: alterum, *Hæc res, vel illa, putà, Deus existens trinus & vnus, est res mihi euidens in se:* alterum, *Euidens est mihi quòd verum est Deum esse vnum & trinum.* Ad primi veritatem necessarium esset intuitiuè videre veritatem diuinæ essentiæ, & Trinitatem personarum: aut clarè nosse saltem quomodo hæc concilientur. Sed vt secundum sit verum, sufficit habere argumentum, per quod mihi constet euidenter Deum dixisse se esse trinum, & vnum, neque fallere posse, neque falli. Hoc enim indicium conuincit me de veritate propositionis, quòd Deus est trinus. Non tamen aperit modum, quo id fit, aut esse possit. Ita in naturalibus experientia facit euidens quòd ad præsentiam magnetis trahatur ferrum: sed non facit hanc virtutem euidentem in se; modus enim huius efficaciæ manet ignotus.

27. Hoc supposito, monent se loqui de simplici euidentia hoc secundo modo sumpta. Neque enim argumenta credibilitatis, quibus probatur fides Catholica, faciunt videri in seipsis Trinitatem, & alia mysteria; vel, cognosci euidenter quomodo sint: sed solùm quòd vera sint, quia euidens est Deum dixisse, & non posse falli neque fallere. Hoc autem fieri simpliciter euidens per huiusmodi argumenta, probant primò auctoritate Scripturæ, quæ ad dandam nobis Dei notitiam, vtitur argumentis naturalibus, sumptis à creatione, & ordine vniuersi, quæ euidenter ostendunt Deum esse: Sapient. 13. toto ferè capite, & Act. 14. v. 16. & c. 17. v. 24. & sequentibus. Intendit autem sine dubio nobis dare notitiam fidei, vtilem ad salutem. Et confirmatur, quia Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. v. 9. Idque, vt docent communiter sancti Patres, apud Toletum, & Maldonatum ibidem, illuminatione supernaturali vocans ad fidem de Dei existentia. Atqui non aliud proponit argumentum, quàm creationis mundi. Item Paulus Rom. 4. sic ait de fide Abrahæ, *Non hæsitauit diffidentià plenissimè sciens, &c.* Et de seipso 2. Timot. 1. *Hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare.* Quibus verbis aliquam scientiam, & euidentiam simplicem tribuit fidei.

Primum illius argumentum ex Scriptura.

2. Ex D. Thoma. Probant secundò auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 5. a. 2. Vbi affirmat quòd si quis Propheta prænuntiaret aliquid, & adhiberet signum, mortuum suscitando; ex hoc signo conuinceretur intellectus videntis, vt nosset manifestè hoc dici à Deo, qui non mentitur. Atqui relatio testatissima miraculi æquiualet visui eiusdem, quantùm ad euidentiam intellectualem. Quemadmodum illi v. g. qui sciunt Romam esse ex tanto testimoniorum consensu, vt in eum non possit cadere falsitas, habent parem euidentiam eius existentiæ, ac multi qui eam viderunt. Item, D. Thom. ibidem ait dæmonum intellectum conuinci quòd mysteria fidei Christianæ sunt vera: cùm tamen nullam habeant eorum probationem quoad multa, nisi argumenta miraculorum, quæ fidelibus sunt communia. Licet autem dæmon hominem superet perspicacià, & experientià: non tamen repugnat quin iam aliqui homines habeant notitiam signorum Christianæ veritatis, parem illi quam habebat dæmon, cùm dixit in Euangelio, *Scimus quoniam tu es sanctus Dei.* Adeò enim constans professio Christi, & miraculorum series perpetua nunc à nobis percipitur, tunc dæmoni ignota; vt meritò parem notitiam possit in nobis ingenerare.

28. 3. Ex auctoritate Theologorum. Addunt tertiò testimonium Recentium Theologorum: quorum aliqui dicunt non repugnare fidei euidentiam in attestante, id est, notitiam simpliciter euidentem quòd Deus reuelauerit: quódque nec falli possit, nec fallere: vt Turrian. 2. 2æ. disp. 9. dub. 3. & alij quos citat. Alij, vt Suar. Disp. 3. Sect. 8. dicunt quòd qui euidenter nosset miraculum aliquod à Deo factum, euidenter nosset Deum testificari propositionem miraculo confirmatam; ac proinde eam esse veram: & multos hæc miracula in seipsis facta euidenter nouisse. Vt B. Virgini erat euidens se sine viro concepisse miraculosè: Lazaro, se esse suscitatum à morte: cæco, se esse illuminatum. Est autem quædam relatio rerum gestarum in alijs, ita indubitata, vt æquiualeat experientiæ illorum, in quibus factæ sunt. Addit ille Auctor, primos fidei susceptores, qui Apostolicis temporibus vixerunt, habuisse simplicem euidentiam naturalem quòd Deus erat, qui religionem Christianam fundabat miraculis, &c. pro quo citat Theo-

doretum in caput. 11. ad Hebr. dicentem miracula esse testimonia Dei facientia euidentiam (quæ tamen verba apud Theodoretum eo loco non reperio) & probabile esse Moysen, Dauidem, aliosque Propheras eximios habuisse etiam supernaturalem euidentiam quòd Deus eos alloqueretur, ac proinde vera essent quæ diceret. Idque indicat Dauid 2. Reg. 23. sic dicens: *Mihi locutus est fortis Israel, Dominator, sicut lux auroræ, oriente Sole, manè absque nubibus rutilat.* De Moyse expressiora sunt in Exodo, cap. 33. v. 11. & Numer. 12. v. 6. 7. & 8. Et tamen illi Prophetæ credebant ex Dei testimonio. Ergo simplex euidentia non repugnat fidei. Idem docet Ægid. Coninck disp. 11. de fide, dub. 2. vbi num. 64. Ait Prophetas, & Apostolos euidenter sciuisse Deum esse, qui testabatur veritates Euangelicas. Atqui hoc sciuerunt maximè per miracula, quibus & ipsi Apostoli sunt confirmati in fide, Ioan. 14. Et num. 68. affirmat viros plurimos doctos, longâ exercitatione considerandi veritatem propheriarum, quæ de Christo, & futuro Ecclesiæ statu tantò antè dictæ erant; & quàm mirabiliter nostra fides sit propagata miraculis, &c. habere non tantùm ex illis certitudinem, sed euidentiam veritatis Euangelicæ. Et num. 65. refert aliquos de se professos esse, se tantâ claritate nosse veritatem fidei Catholicæ, vt dubitare nullatenus possent.

29. 4. Ex discursu Theologico. Quartò denique, probant varijs locis, longo & ingenioso discursu, quo conantur ostendere, non magis euidens esse quòd Deus sit, & prouideat naturaliter vniuerso, quàm quòd Christus sit Deus, & quòd Ecclesia Catholica sit vera Christi Ecclesia: adeóque vera sint dogmata fidei, quæ à Christo, vel ab Ecclesia proponuntur. Summa illius discursus est: Primò, Scripturam iisdem terminis dicere, per Christi & Apostolorum miracula, aliaque signa diuina, notam esse veritatem Christi, & Ecclesiæ ab ipso fundatæ; quibus dicit constare per aspectum creaturarum quòd Deus sit, & prouideat mundo. Atqui simpliciter euidens est ex aspectu creaturarum Deum esse, & prouidere mundo: Ergo, &c. Minorem supponunt adeo certam esse ex Scriptura, Rom. 1. & Sapientiæ 13. & ex Patrum ac Theologorum consensu; vt contrarium sit erroneum, quemadmodum affirmat D. Thomas 1. contra Gentes c. 12. & temerarium, vt ait Vasques 1. p. disp. 20. c. 3. & minimè in fide tutum, vt inquit Molina ibidem q. 2. a. 2. Maiorem verò, quod ad Christum attinet, probant ex his Scripturæ locis, Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre.* Et c. 2. de primo Christi miraculo, facto in Cana Galileæ, dicitur, *Manifestauit gloriam suam.* Et 1. Ioan. 1. *Vita æterna, quæ erat apud Patrem, manifestata est.* Et Coloss. 1. v. 26. *Mysterium gratiæ, seu redemptionis Christi, manifestatum est.* Et Psalm. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri:* quod de primo Christi aduentu citat Isaias c. 52. Quoad Ecclesiam verò, probant ex Matth. 5. v. 14. & 15. vbi vocatur lux mundi, & lucerna posita super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt: & ciuitas supra montem posita, quæ non potest abscondi. Et denique quia Christus in Ecclesia, & per Ecclesiam manifestatur. Vnde si ipse conspicuus est, debet Ecclesia pariter esse conspicua.

Secundò, inquiunt, sancti quoque Patres, 30.
qui pluribus locis docent euidentem esse ex aspectu creaturarum veritatem quòd Deus sit, vt videre est præcipuè apud Fasolum 1. p. q. 2. a. 2. dub. 2. n. 9. Theophilum Rainaud. dist. 5. Theologiæ naturalis, q. 1. a. 1. n. 8. Et Bellarm. lib. 4. de Gratia, & libero arbitrio c. 2. Patres, inquam, iidem dicunt, & iisdem terminis, constare veritatem doctrinæ Catholicæ ex aspectu argumentorum, quibus à Deo confirmata est: Vt S. Aug. Epist. 3. Vbi asserit Christum imperio suo absoluto in omnem creaturam, & partes huius mundi, tam demonstrasse se esse Deum, vt nihil aliud deesse videretur, nisi vt alium mundum crearet. Sed neque hoc fuisse necessarium, quia per hoc non probâsset illustriùs se Deum esse. Atqui si Christus alium mundum creasset, non minùs euidenter ostendisset se esse Deum, quàm Deus ipse Creator vniuersi. Et lib. 21. de Ciuit. c. 8. significat miracula esse aliquo modo illustriora Dei indicia, quàm opera communis prouidentiæ in gubernatione mundi. Ait enim, sicut humana consuetudo verbis, ita diuinam potentiam factis loqui. At in factis, inquit, mirabilibus, congruè aliquid significantibus, quodammodo luculentior est diuina eloquentia. Et Chrysostomus in lib. *quòd Christus sit Deus*, cap. 12. fusè comparat erectionem Ecclesiæ per crucem Christi, & prædicationem Apostolicam; creationi mundi. Et Serm. 1. de Resurrectione, dicit, ea quæ vocamus inuisibilia, quia in se non conspiciuntur; qualia sunt futura resurrectio, & vita æterna; per argumenta veritatis Catholicæ fieri magis visibilia, quàm sint ea ipsa, quæ videntur, & visibilia appellantur. Et Ambrosius in Paulum, exponens illud Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei inuisibilis*, dicit Christum ita vocari, quia Christus visibiliter faciebat, quæ Deus facit inuisibiliter.

Tertiò, certa & infallibilis præuisio & prædictio futurorum contingentium, pendentium à Dei, vel à creaturæ libertate, est certissimum & simpliciter euidens Diuinitatis indicium. Nam per se præuidere quænam sit futura causæ liberæ determinatio ad alteram partem contradictionis in contingentibus, nulli potest competere, nisi intelligentiæ à se necessariò existenti, infinitæ scientiâ & potentiâ, dominæ totius vniuersi, ac proinde quæ sit Deus. Vt patet primò ex communi omnium hominum sensu, apud quos præuidere futura libera, & diuinare, idem sunt. Secundò, quia mens per se cognoscens liberè futura, est independens in cognoscendo: cùm neque rei existentiâ egeat, neque vllo eius vestigio, aut signo, cum quo sit necessariò connexa, vt illam certò & infallibiliter cognoscat. Res enim liberè futura, nondum est. Et nihil est cum quo sit necessariò connexa; cùm ne quidem cum sua causa, cui maximè est affinis, necessariam habeat connexionem, sed eâ positâ possit ipsa non esse. Si

31. Prædictio futurorũ contingentium est à Deo.

autem est independens in cognoscendo: ergo & in essendo. Sicut enim ex actione creatiua rectè colligimus, eum qui est independens in operando, & nihil aliud ex parte obiecti requirit, quàm non-repugnantiam, seu meram possibilitatem essendi, seu esse independentem in essendo: Pari iure ex independentia in intelligendo, colligi debet independentia in essendo: idque eò magis, quòd attributum intelligentiæ, nobilius est attributo potentiæ executiuæ: Item, mens illa, quæ per se cognoscit futurum liberum, eò solo quòd futurum est, non expectatâ rei existentiâ vt illam cognoscat, & absque vllo certo & infallibili eius indicio, per quod in eius notitiam infallibiliter deueniat: debet esse talis, vt ratione suæ æternitatis nihil ei accedat ex præsentia obiectorum, sed per suam æternitatem necessariam anticipet omnium obiectorum existentiam: ita vt futura post quamcumque sæculorum seriem, sint ei quasi præsentia: támque sit illis cognoscendis proportionata & sufficiens, quàm nos illis, quæ coram præsentia intuemur. At mens, cui tanta perfectio conuenit, est Deus, qui solus est necessariò existens & æternus. Item, mens illa, quæ per se nouit infallibiliter vnum aliquod futurum liberum, cognoscit omnia, siue absolutè, siue hypotheticè futura; ac proinde cognoscit infinities infinita. Párque, vel etiam maior est ratio vt cognoscat omnia possibilia, & omnia existentia: adeóque sit Deus, cuius solius est habere intelligentiam infinitam, & illimitatam, ita vt nihil eum lateat. Probatur antecedens: quia non aliter nouit illud futurum liberum, nisi quia est verum, & cognoscibile. Sufficit enim ei mera illius futuritio, absque vllo indicio. Atqui omnia alia sunt in eo paria: quia æquè verum est quòd sunt, aut essent futura. Et multò magis possibilia vt talia, vel actu existentia habent determinatam veritatem & cognoscibilitatem. Quare mens, quæ per se nouit futura libera, cognoscit etiam omnia possibilia. Atque ita est per se idea omnium possibilium, quæ prima illorum radix est, & consequenter debet esse omnipotens: ac proinde Deus.

Mens per se præsciens futura libera, debet esse diuina.

32. Idem autem Spiritus diuinus, qui per eiusmodi prædictiones frequenter, certas & infallibiles (vt euentus probauit) euidenter seipsum manifestat hominibus; idem, inquam, innumera de Christo, & de Ecclesia, ab infinitorum penè hominum libertate pendentia prædixit, quorum similiter veritatem euentus comprobauit, quæque sine consilio impossibile fuit tam aptè, & ad amussim IESV CHRISTO conuenire: vt quòd nasciturus esset deficiente sceptro de domo Iuda, ex Virgine, de domo, seu posteris Dauidis, in oppido Bethleem, hæc & illa miracula facturus, idola euersurus, Gentes conuersurus, & cætera plurima, quæ de illius vita, & morte habentur prædicta in Scripturæ libris, certò certiùs antiquissimis. Prædixit etiam quòd eius Ecclesia toto orbe dilatanda esset, & nunquam ab Aduersarijs euertenda, sed per tormenta, & persecutiones fidelium, mortémque martyrum propaganda. Qui euentus pendebat ab innumerabilium ferè hominum libertate, tot scilicet, quot Christi fidem amplexi sunt, aut illam oppugnârunt. Idem etiam Spiritus, eadémque auctoritate affirmauit Christum esse lucem mundi, Doctorem veritatis, filium Dei dilectum, & vnigenitum: eiusque Ecclesiam semper in ore suo verba ipsius conseruaturam, sponsámque fidelem in sempiternum illi futuram. Ergo quàm euidens est Deum esse, qui futura per se præuidet: tam est euidens veritas Christi & Ecclesiæ. Christus enim ab eodem Spiritu declaratus est veritas & lux mundi, qui Spiritus de illo innumera maximè contingentia, & occultissima omni intellectui finito, & dependenti, per se præsciuit, & prædixit plurimis antè sæculis. At ille qui hæc præsciuit per se, & prædixit, est Deus. Ergo Christus à Deo declaratus est lux mundi, & Doctor veritatis. Ergo est talis. Item, solus Deus potuit prædicere tamdiu antè, futuram multitudinem profitentium Christi doctrinam, eorúmque mirabilem in tormentis constantiam, perpetuitatem Ecclesiæ, diffusionem toto orbe, & subordinationem continuam ministerio D. Petri, eiusque successorum serie perpetuâ sibi succedentium, euersionem idolorum, conuersionem gentium, & alia, quæ in Romana Ecclesia partim iam impleta, partim adhuc impleri videmus. Atqui Deus de facto ista prædixit: & talia signa conueniunt Ecclesiæ Romanæ, æquè ac Christo Domino conueniunt oracula Prophetarum de Messia. Insuper idem Spiritus, qui talem descripsit multitudinem, & nominauit Ecclesiam; prædixit eam fideliter explicaturam veram Christi doctrinam: in ea sola esse viam salutis, &c. Ergo Spiritus Dei attestatus est perpetuæ veracitati Ecclesiæ Romanæ in tradenda Christi fide.

Multa de Christo, & de Ecclesia prædicta.

Vlteriùs, miracula in ea multitudine, quâ facta sunt à Christo, & Christi nomine in Ecclesia; item in ea varietate, extensione ad omnem creaturam, constantiâ suorum effectuum perpetuâ, & durabili beneficentiâ, & similibus conditionibus; sunt perfectæ imitationes operationis illius, quâ mundus ordinariè gubernatur, vt ostendetur paulò pòst. Sed cùm duo effectus sunt perfectè similes, impossibile est quòd euidenter constet vnum ex illis necessariò pertinere ad aliquam causam latentem, si non est necesse euidenter alium ei similem ad eandem pertinere. Ex sola enim proportione talis effectus cum tali causa, constat quòd ei debet ascribi. Imò non solùm miracula sunt imitatio illius ordinariæ operationis Dei; verùm etiam sunt illustrior pars gubernationis mundi: quia per miracula fiunt in instanti, nullâ adiunctâ operatione creaturæ, illi effectus, qui longo tempore cum concursu causarum secundarum fiunt. Sed implicat quòd de parte gubernationis minùs illustri, constet euidenter eam esse à Deo directè: & non constet illustriorem esse à Deo. Si autem constat euidenter miracula illa esse directè à Deo; constat euidenter doctrinam, quæ per illa stabilitur, esse à Deo. Ergo & esse veram. 33.

Miracula videntur euidentes reddere veritates fidei.

Confirmatur primò, quia omnium partium, vt ita dicam, intelligentiæ diuinæ, maximè

admirabilis est præscientia futurorum contingentium. Hæc autem non cernitur in ordinaria mundi gubernatione, sed in inspiratione Prophetarum, qui mysteria Christi, & Ecclesiæ, tradiderunt. Ergo si gubernatio mundi, in qua minor Sapientiæ diuinæ pars elucet, est euidenter Deo danda: multò magis est ei euidenter danda Christi, & Ecclesiæ constitutio.

34. Causa miraculorum est eadem quæ mūdi creatrix.

Confirmatur secundò, quia causa miraculorum effectrix euidenter ostendit sapientiam & virtutem sufficientem ad mundum vniuersum efficiendum, eiusque ordinem instituendum: imò ostendit sibi subiectum esse hunc mundum, proindéque se esse Deum. Nam ostendit se habere vim creandi, quando ex nulla materia, aut, quod perinde, & æquiualens est, ex materia planè indisposita aliquid facit: putà, cùm panes in deserto multiplicauit tam mirabiliter, vel ex nihilo, vel ex aëre vicino planè indisposito. Quando repentè, solo verbo membra humana restituebat illis, quibus deerant: vel creando, vel similiter ex aëre vicino, aut aliâ materiâ prorsus ineptâ formando. Nam quòd Christus huiusmodi ediderit miracula, colligitur ex eo, quòd Scriptura affirmans Christum debiles & claudos sanasse Math. 15. vtitur iisdem vocibus quibus Math. 18. v. 8. & Marc. 9. v. 42. & 44. cùm refert Christum ita locutum esse, *Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam. Bonum est tibi debilem intrare in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Vbi per debilem & claudum intelligit, altera manu, & altero pede carentem: vt series & connexio verborum euidenter ostendit. Similiter in hominis suscitatione ex mortuis (putà quando ex cineribus sepulchri multa corpora sanctorum surrexerunt in Christi passione) interuenit actio æquiualens creationi hominis. Est enim æqualis virtutis producere repentè, & momento temporis hominem ex puluere, & cineribus, id est, materiâ planè ineptâ ad concurrendum: & eum nullâ materiâ concurrente producere. Virtus autem quæ potest producere non concurrente subiecto, potest creare, id est, producere ex nihilo. Itaque causa effectrix miraculorum, quæ potest hominem ita producere, potest illum creare. Sed causa, quæ potest hominem creare, potest & vniuersum mundum, qui ad hominis obsequium & destinatus, & necessarius est.

35. Et quæ prouidet Vniuerso.

Præterea causa effectrix miraculorum præcipuas partes vniuersi pro arbitrio immutat. Cœlorum enim motum sistit, quando vult, Solem obscurat, maria diuidit, terram tremefacit. Itàque interrumpens hunc ordinem, nemine resistente, aut cohibente eius potentiam, ostendit illum sibi esse subiectum. Adde quòd in vniuerso, dæmonum potentiâ, nulla creata maior apparet. Sed dæmonum virtus impeditur, & omnino subiecta est causæ effectrici miraculorum. Denique, in ordine vniuersi Deo præcipuè datur, quasi fructus totius ordinis, quòd per illum nobis det vitam, inspirationem, & omnia, quódque impleat omne animal benedictione. Sed causa miraculorum Christianorum effectrix ostendit se dare vitam & inspirationem, suscitans mortuos, restituens facultates sensitiuas hominibus, & imitando totum ordinem prouidentiæ Dei. Idque etiam, vt paulò antè diximus, modo quodam nobiliori, quàm sit ille, quem Deus seruat in consueto vniuersi ordine: cùm faciat in instanti, nullâ præuiâ dispositione, ea omnia, quæ in cursu ordinario diuinæ prouidentiæ fiunt sensim, & cum magna dispositione. Itaque nisi causa illa Deus esset, tota Dei cognoscibilitas in alium, quàm in Deum transferretur: & consequenter argumenta huius cognoscibilitatis essent fallacia, neque Deum necessariò indicarent.

Et mundi Dominus.

Confirmatur tertiò, quia euidens est Deum esse supremum Dominum vniuersi; & primarium mundi ordinem, esse ab illo institutum, & regi. Euidens etiam est, Deum esse finem vltimum huius mundi; atque ideo eius gloriam extrinsecam, quæ sola potest Deo accedere, per cognitionem & amorem creaturarum rationalium. Ergo euidens est in mundo elucere Dei beneuolentiam erga homines, solos Dei cognoscendi, & amandi capaces, vt eos scilicet ad sui notitiam & amorem alliciat. Hæc autem beneuolentia non luceret euidenter, si fieri posset (Deo non directè intendente, sed permittente tantùm) ea esse in mundo, ex quibus hominum ortus, conseruatio, vita, & omnes vtilitates oriuntur, vt oriuntur ex mundi administratione ordinaria. Sed hæc duo, videlicet dominium Dei, & relatio omnium in Dei cognitionem, & amorem, multò plùs petunt quòd miracula, in ea multitudine, perpetuitate, & cæteris conditionibus, quas habent miracula Christianorum, sint à Dei directâ intentione & operatione, quàm opera consueti cursus naturæ. Quia causa effectrix miraculorum plus apparet domina mundi, quàm quæ tuetur eius ordinem consuetum, si eas ratione aut re distinguimus. Ille enim est mundi Dominus, & à quo omnia pendent; qui institutum mundi ordinem interrumpit, quando ei placet, suspendit, restituit, innouat: Item qui ostendit se posse nobiliùs operari, quàm in ordine illo consueto; & facere in instanti ea, quæ in cursu naturæ egent longo tempore: Item, qui partium mundi situm immutat, aut nullo resistente, aut omnibus resistentibus victis. Atqui causa miraculorum, quæ sunt & fuerunt in Ecclesia, hæc omnia præstitit: Ergo, &c.

36. Deus non potuit permittere tot miracula fieri in confirmationem falsi.

Denique, euidens est Deum nullo modo posse mentiri: quia id Deo indignum est. Atqui non minùs est euidens esse Deo indignum permittere omnia miracula & signa diuina, facta in fauorem Christi & Ecclesiæ, facta esse in confirmationem falsi. Ergo euidens est doctrinam Catholicam, quæ per hæc confirmata est, non esse falsam. Probatur minor: quia mendacium esset Deo, si per impossibile vteretur terminis, qui ex instituta ab hominibus significatione in sensum falsum deberent accipi, quamvis Deus id non intenderet, sed tantùm

sciret id euenturum. Putà si diceret, Quatuor sunt in Deo personæ : tametsi, nescientibus hominibus, conuenisset cum Angelis, quòd terminum, *quatuor*, velit pro *tribus* apud ipsos supponere. Ratio est, quia tunc omnium hominum prudentia in sensum falsum deberet explicare particulam, *Quatuor* : Atque ita Dei auctoritate mouerentur ad falsum. Neque enim auctoritas Dei agit in illos, nisi vt extrinsecùs cognoscibilis : Quare parum refert quid Deus apud se intendat, si signum eius auctoritatis non differt cognoscibiliter ab eo signo, quo intenderet directè fallere. Si autem vellet directè fallere, non vteretur alia voce. Atqui in eodem genere indignitatis esset Deo indignum permisisse miracula Christiana facta esse pro falso. Sic enim Dei auctoritas, quantùm hominibus est cognoscibilis, ipso permittente, & non curante, induceret in falsum. Denique, nulla potest esse magis peruersa confusio in Dei opere : quàm si omnia Dei insignia, eius bonitatem, & virtutem manifestantia, ita in alium transferantur, vt discerni non possint. Sic enim alius à Deo in nobilissima mundi parte, scilicet in hominis mente, Dei locum iure obtineret : quod est inordinatissimum.

37. Refelluntur euasiones.

Addunt, aduersus has demonstrationes nullius esse momenti suspiciones irrationabiles, aut cauillationes, quòd hæc opera mirabilia possint alteri, quàm Deo tribui. Nam eædem suspiciones facerent non esse euidens quòd creatio, & administratio mundi sit à Deo directè & propriè. Possunt enim quæcumque afferuntur, aut pares omnino, in prouidentiam naturalem retorqueri : idque eò magis, quòd non potest iure existimari fallere dæmones, & fingere miracula, vt confirment doctrinam Catholicam, quæ tota est in commendanda Dei Maiestate, cultu, amore, obedientia, omniúmque virtutum exercitio, & per quam homines ab idololatria & dæmonum seruitute, ad veri Dei cultum traducti sunt. Nec obest, quòd miracula plerúmque habentur solùm ex aliorum relatione, itemque prophetiæ, & alia signa diuina. Nam etiam multa, quibus probatur naturalis prouidentia, habentur solùm per relationem aliorum ; vt constantia motus cœlorum eadem omnibus sæculis, situs terræ, omnium regionum salubritas : & tamen dicitur esse euidens, quòd Deus mundum regat suâ prouidentiâ. Item, si vlla est fama gignens simplicem euidentiam, & planè incapax falsitatis (vt certè aliqua est consensu omnium, vt quòd fuerit imperium Romanum, & similia) maximè illa, quâ diuulgata sunt miracula fidem confirmantia. Nam maxima, & antiquissima miracula à Moyse eorum administro scripta sunt eo sæculo, quo eius veracitatis testes fere tot erant, quot lectores. Cúmque in Moysis scripturis ipsi aut ipsorum parentes, grauissimorum criminum, & stultæ infidelitatis arguerentur : nunquam passi essent ea scripta extare in eorum grauem infamiam, si sciuissent esse mendacia. Deinde, eorumdem miraculorum memoria, quæ gentibus vicinis erat nota, per solemnitates annuas ex quo gesta fuerunt, perpetuò celebrata est, nullo repugnante, imò è contra omnibus Iudæis, & vicinis gentibus, quæ ad eorum festa concurrebant, conspirantibus. Eademque Dauid, quingentis circiter post Mosem annis, scriptis suis consignauit, Psalm. 105. 113. 134. 135. & pluribus alijs. Item, priorum veritatem confirmauit sequentium series. Omnibus enim ætatibus per Iosue, per Iudices, per Prophetas edita sunt miracula, vt sacræ historiæ eâdem auctoritate referunt. Ac denique scripta Mosis & aliorum Prophetarum redolent grauitatem, & veritatem summam; plenáque sunt prædictionum, quas à Deo esse probauit euentus.

Relatio miraculorum Mosis quàm certa?

38. Et relatio Christi miraculorum, & Ecclesiæ.

Relationem quoque miraculorum Christi; & Ecclesiæ, superare omnium aliarum relationum euidentiam, patet si diligenter expendatur scriptorum sanctitas, & summa sapientia, in eorum scriptis elucens : quódque scriberent & prædicarent, non honoris aut lucri causâ, sed potiùs dedecori, paupertati, & extremis supplicijs se subjicerent : neque suis auditoribus blandirentur, vt faciunt qui decipiunt, loquuntur enim placentia, ne auditores sint solliciti de disquirenda falsitate doctrinæ delectabilis : sed seuerè eos carperent, & grauiter punirent deflectentes à doctrina quam proponebant : vt Paulus Galatas, & Corinthios. Petrus Ananiam, & Saphiram. Quòd commemorent miracula facta apud eos ipsos, quibus scribunt, & eo tempore, quo scribunt : vt Paulus 1. Cor. 2. & 2. Cor. 12. & 1. Thessal. 1. Vnde tot erant testes veritatis miraculorum huiusmodi, quot fidei susceptores. At innumeri in toto orbe, ipso tempore Apostolorum, Christiani facti sunt. Item, ab initio Iudæi erant infensissimi hostes Apostolorum, & Christianorum, illósque Apostoli accusabant grauissimi sceleris. Facilè autem Iudæi ostendissent falsa esse miracula, quæ Apostoli de Christo prædicabant, de Solis eclypsi, terræque motu in eius morte, &c. si reipsâ falsa fuissent. At è contrario, non modò non potuerunt conuincere Apostolos falsitatis; sed potiùs ipsi conuicti fuerunt ; vt patet Act. 18. & ipsi quoque Pharisæi conuersi sunt, Act. 15 & turba sacerdotum, Act. 6. Erant etiam ab initio falsi fratres, simulatè conuersantes inter Christianos, atque etiam non pauci apostatæ à fide, qui detexissent fraudem Christianorum, & coniurationem fallendi, quæ necessariò fuisset inter Christianos, si miracula, quæ prædicabant, falsa erant. Fuerunt denique pseudoapostoli, à quibus veri Apostoli monebant Christianos vt cauerent. At hæc cautio prudentium attentionem acuebat, vt viderent num in Apostolis essent quædam vestigia similis fraudis. Tantùm verò abest, vt Apostoli simularent : vt potiùs seuerè punirent, si quos fortè simulare deprehenderent. Nam vt scribit Hieron. lib. de Script. Ecclesiast. in Luca Euangelista, Ioannes Apostolus presbyterum quendam deposuit, eò quòd ex Pauli amore scripsisset periodos Pauli, & Theclæ, & in illis multa miracula apocrypha. Huc vsque illi Recentiores.

SECTIO V.

Fertur Iudicium de Doctrina relata.

39. PRæcedenti discursui subtili, & erudito, mallem aliquid momenti addere, quàm detrahere; & motiua credibilitatis clariora & efficaciora potiùs reddere, quàm infirmare. Quia tamen verius esse puto cum communi sententia, motiuum fidei non esse simpliciter euidens, sed duntaxat euidenter credibile, & notitiam fidei esse obscuram & ænigmaticam, vt ait Apostolus 1. Cor. 13. ostendam breuiter quid in eorum discursu desideretur ad probandam simplicem euidentiam, & quantam ipsi prætendunt.

Argumēta naturalia non sunt motiuum sufficiens fidei.

Primò igitur, quod aiunt Scripturam dare nobis pro motiuo credendi fide supernaturali, argumenta naturalia sumpta à creatione & ordine vniuersi, falsum esse existimo, & alienum à doctrina Theologorum, & Patrum, & nominatim D. Thomæ 2. 2æ. q. 1. a. 1. Qui omnes pro motiuo fidei generaliter assignant primam veritatem reuelantem: *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo reuelatum*, inquit, D. Thomas art. citato. Atque in eo ipsi hæretici nobis consentiunt, affirmantes cum Caluino, fidem non minùs pendere à verbo Dei, quàm radium à Sole. Vtitur quidem aliquando Scriptura illis argumentis naturalibus, non vt motiuo fidei, & formali eius obiecto; sed vt præambulis, & tanquam medijs aptis & efficacibus ad destruendum errorem Gentilium, naturali lumini oppositum, circa notitiam veri Dei: quo errore destructo, facilius illis est, veram de Deo fidem per motiuum diuinum & supernaturale concipere. Sicut nunc disputando cum Atheis, vel infidelibus, qui nullas reuelationes diuinas admittunt, solemus ab argumentis naturalibus incipere, & per ea demonstrare Deum esse, & rerum humanarum, præcipuéque salutis hominum, prouidentiam gerere; vt eos deinde ad notitiam reuelationum, & ad fidem supernaturalem adducamus. Deus quoque non illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, solo aspectu creaturarum, & ordinis vniuersi, in quo eius Maiestas, & prouidentia naturalis elucet: sed etiam per inspirationes supernaturales, quibus qui non obsistunt, & viam diuinæ gratiæ suis peccatis contra legem naturalem commissis non obstruunt, tandem ad fidem perducuntur: vt fusiùs alibi ostendimus, & Maldonatus affirmat in locum Ioannis citatum, vbi alium sensum istorum Recentiorum, omnino rejicit, æquè ac Toletus ibidem, & de supernaturali illuminatione verba illa Ioannis exponit. Quod autem dicit Paulus Rom. 4. de fide Abrahæ, *plenissimè sciens. &c.* & 2. Timoth. 1. *Scio cui credidi. &c.* dictum est ad significandam magnam fidei certitudinem, æqualem atque superiorem certitudine scientiæ. Estque notandum, in textu Græco Rom. 4. pro *plenissimè sciens*, haberi πληροφορηθεὶς, id est plenissimè persuasus. Et 2. Timoth. 1. pro, *Scio cui credidi*, in Græco est οἶδα, id est, noui, & exploratum habeo; vt aduertit Cornelius à lapide, ibidem.

40. Ex D. Thom. assensus fidei non est simpliciter euidens.

Secundò, quod attinet ad auctoritatem D. Thomæ, videtur quidem ille dicere q. 5. a. 2. sufficere ad fidem quòd non sit euidentia rei in se: Verumtamen eodem articulo, initio corporis, magis affirmat assensum fidei non esse assensum simpliciter euidentem. Ait enim intellectum credentis assentiri rei creditæ, non quia ipsam videat, vel secundùm se, vel per resolutionem ad prima principia per se visa, id est, per se euidentia: sed propter imperium voluntatis mouentis intellectum. Ibidemque ad 1. distinguit fidem dæmonum, à nostra; quòd illa est quodammodo coacta, ex signorum euidentia: & ideo non pertinet ad laudem voluntatis ipsorum quòd credant. Et quæst. 2. a. 1. dicit assensum fidei esse cum quadam inquisitione; propter obscuritatem scilicet; & distingui ab assensu scientiæ, vel opinionis. Et q. 1. a. 1. ad tertium, & art. 2. in corp. & art. 9. & 10. Itemque q. 2. ar. 1. in corp. & q. 4. a. 2. & 5. & q. 5. alijsque locis docet, obiectum fidei, quia est obscurum, non determinare intellectum ad credendum; sed requiri determinationem liberam voluntatis. Quod autem dicit art. illo 2. quæst. 5. Intellectum videntis conuinci miraculo, &c. intelligi potest de conuictione facta per euidentiam credibilitatis propter tale miraculum. Dæmones verò non statim ab initio habuerunt euidens simpliciter Christum esse filium Dei, visis aliquot tantùm eius miraculis; vt ostendit frequens illarum hæsitatio circa Christi diuinitatem. Vnde tentandi audacia. Nam diabolus post trinam illam tentationem in deserto, recessit tantùm ad tempus, vt ait Lucas c. 4. v. 13. Inde etiam mortis Christi machinatio, quam tamen postea impedire conati sunt per vxorem Pilati. Quamvis tunc & deinceps multò meliùs quam homines naturaliter spectati cognouerint miraculorum Christi veritatem, constantiam, multitudinem, & perpetuam seriem. Quippè quibus notius est non subesse fraudem & imposturam: & non tantùm per aliorum relationem, vt homines qui breui tempore, & in exigua mundi parte ferè omnes, singillatim sumpti, versantur: sed omnia, vel plurima per seipsos nouerunt, vt testes oculati, semper viuentes, semper vigiles, & ferè momento vbicumque volunt præsentes.

41. Theologi consentiunt in asserenda obscuritate fidei.

Tertiò, quoad Recentiores Theologos, verum est aliquos docere fidei non repugnare euidentiam in testificante: Sed illi ipsi conantur nihilominus remouere à fide euidentiam scientiæ, id est, simplicem euidentiam, vt vidimus Disp. 1. Sect. 10. Alij verò, qui dicunt fuisse nonnullis euidens per miracula clarè perspecta, vel aliter, Deum reuelare; volunt assensum datum propter huiusmodi reuelationem euidenter notam, non fuisse assensum fidei, sed scientiæ cuiusdam supernaturalis: vt videre est apud illos ipsos, qui citantur ab Aduersarijs: nempe apud Suarem Disp. 3. de Fide, Sect. 8. n. 18. & sequentibus, vbi affir-

mat, & fusè probat assensum fidei nunquam per se ac formaliter fundari in euidenti cognitione reuelationis, quòd à Deo sit: illúmque assensum non esse fidem, quia est simpliciter euidens: Et apud Ægid. Coninck disp. 9. dub. 8. n. 115. & 116. vbi affirmat assensum fundatum in euidenti reuelatione non posse dici fidem, quia fundatur in testimonio vt euidenti signo veritatis rei reuelatæ: ideóque non est fides, sed scientia à posteriori. Neque diffitentur illi ipsi, quorum sententiam examinamus, fidem esse obscuram: & differre à scientia quoad euidentiam, iuxta doctrinam D. Aug. & D. Thomæ, communemque Theologorum sententiam. Sed vt illi non refragentur dicunt se constituere aliquam differentiam, quoad gradum euidentiæ, vel obscuritatis, inter actum fidei supernaturalis, quo dicit vir doctus Deus est; & actum, quo idem hoc ipsum dicit assensu scientifico. In eo autem ponunt hanc differentiam, quia cùm credimus fide infusâ & supernaturali, tametsi non desunt nobis argumenta, quæ conuincant euidenter Deum existere, aut diuinam prouidentiam interuenire in fundanda Ecclesia Catholica: Tamen ex affectu erga Dei inspirationem, vel attestationem, & ex Spiritus sancti efficacia, firmiùs adhæremus obiecto fidei, quàm adhæreremus per actum scientificum ex sola inspectione argumentorum, quantum puro suo lumine satisfacere possunt naturaliter intellectui: & eatenus intellectum submittimus. Iste autem excessus ex deuotione est voluntatis, quæ iure dicitur potentia cæca. Quare cæco quasi modo fit assensus, qui est potiùs à voluntatis instinctu, & Spiritûs sancti efficacia, quàm ab intellectus perspicacia, & naturali satisfactione. Vbi enim mens nostra procedit, non tantùm vt videns argumenta, quibus suadetur, aut quatenus ea videns: actus, quem ita elicit, potest dici non euidens. At ita procedit in actu fidei supernaturalis: quia est nobilior, quàm ille assensus, quem naturaliter mens potest elicere, vt videns argumenta, per quæ suadetur; qualem actum naturalem etiam dæmon elicit circa obiecta fidei. Hæc illi.

42. Eam malè explicant aduersarij.

Verùm, cùm illa firmior adhæsio ex deuotione voluntatis, & instinctu Spiritus sancti, non tollat euidentiam, quæ est ab argumentis credibilitatis, propter quæ assentimur, imò eam præsupponat, & ad illam meliùs cernendam necessaria sit illustratio interna Spiritus sancti, vt definit Arausicanum can. 7. neque sine hac illustratione credi possit: non desinit assensus fidei esse simpliciter euidens, si motiuum formale, cui innititur, est simpliciter euidens. Item voluntas, quamvis potentia cæca appellari soleat: non potest tamen ferri in incognitum: debétque necessariò eadem potentia realiter, quæ est volitiua, esse pariter cognoscitiua, vt fatentur alibi ijdem Recentiores. Ergo non mouet voluntas ad firmiùs assentiendum, sine cognitione. Et fides supernaturalis, quæ, vt fatentur Aduersarij, prudentissima est, non assentitur firmiùs, quàm mereatur motiuum assentiendi. Instinctus quoque Spiritus sancti non impellit ad assentiendum firmiùs, quàm mereatur obiectum; sed tantùm mouet, & iuuat ad cognoscendum motiuum credendi, meliùs & clariùs, quàm solis viribus naturalibus cognosci possit. Ex quo fit, vt si naturæ viribus potest euidenter cognosci, debeat adhuc meliùs & euidentiùs cognosci adiuuante illustratione Spiritus sancti.

43. Scriptura non asserit quod ibi volunt: obiectum scilicet fidei esse euidens.

Quartò, non est verum Scripturam sacram ijsdem verbis dicere notam esse per miracula veritatem Christi, & Ecclesiæ, quibus dicit Deum esse, & prouidere mundo. Nam quæ ad hoc confirmandum afferuntur, non habent eam emphasim, quam illa Sap. 13. & Rom. 1. quæ alibi expendimus, & Sanctorum Patrum testimonijs illustrauimus, 1. p. Disp. 2. Sect. 1. n. 3. & 4. Quod enim ait Ioan. c. 1. *Vidimus gloriam eius, &c.* dictum est de gloria Christi apparente in Transfiguratione, cuius ipse fuit spectator cum Iacobo, & Petro, qui de eadem ait Epist. 2. c. 1. v. 17. & 18. *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum illo in monte sancto.* Videre autem gloriam illam Christi paternam, non erat euidenter cognoscere illius diuinitatem. Et, vt addit Maldonatus in eundem locum, nihil aliud voluit Ioannes verbis relatis, nisi testimonij sui fidem commendare, ex eo quòd Incarnati Verbi maiestatem oculis perspexisset. Qua eadem de causa scribit Epist. 1. c. 1. v. 1. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis.* Cùm autem idem Ioan. c. 2. Euangelij, ait Christum, vertendo aquam in vinum in Cana Galilææ, manifestasse gloriam suam, id est Diuinitatem suam; non est sensus quòd simpliciter euidentem illam fecerit: neque enim vnicum illud miraculum sufficiebat ad demonstrandum euidenter Christum esse Deum, vt fatentur ipsi Aduersarij: sed quòd illam, antè ignotam hominibus, primo illo signo apparere fecerit, Græcè ἐφανέρωσε; vel etiam quòd suæ mirabilis potentiæ signum visibile exhibuerit. Tertius locus ex 1. Ioan. 1. v. 2. *Vita æterna, quæ erat apud Patrem, manifestata est, & apparuit nobis*, eundem sensum habet, quem primus paulo ante expositus, vbi etiam ad eiusdem expositionem confirmandam adductus fuit. Quartus ex Coloss. 1. v. 26. nihil aliud sibi vult, quàm mysterium Incarnationis, ignotum præcedentibus sæculis & generationibus, fuisse nunc reuelatum sanctis, scilicet Apostolis & Christianis. Eodémque sensu accipiendum est quod citatur ex Psalmo 97. & Isaiæ 52. Quæ verò adduntur de Ecclesia ex Matth. 5. non aliud significant, nisi Ecclesiam Christianam, id est, cœtum hominum profitentium Christi fidem, illámque docentium, fore semper visibilem, atque conspicuam. Sed inde non sequitur esse simpliciter euidens quòd cœtus ille profiteatur veram Christi doctrinam, quódque doctrina Christi sit diuina. Et quidem videmus esse illam Ecclesiam, quod etiam Turcæ vident, & Iudæi, alijque infideles. Vident enim aut sciunt

esse summum illius Pontificem, Cardinales, & Episcopos, Principésque & populos Christianos: sed negant illi quod non vident, quodque nos credimus, Ecclesiam istam visibilem esse columnam & firmamentum veritatis diuinæ, per Christum & Apostolos traditæ.

44. Neque sancti Patres. Quintò, verum quoque non est sanctos Patres affirmare, non minùs esse euidentem per miracula veritatem Christi, & Ecclesiæ, quàm existentiam & prouidentiam Dei: vel si qui pauci tale quid asserunt, loquuntur amplificatoriè, vt mox ostendemus fatendum esse aduersarijs. Augustinus quidem Epist. 3. non dicit Christum tam demonstrâsse per miracula se esse Deum, quàm si mundum creasset: sed solùm asserit Christum sufficienter id probâsse, neque opus habuisse ad hoc magis confirmandum alium mundum creare: quia æqualem non poterat in isto creare: si autem minorem creâsset, Iudæi id quoque tanquam insufficiens reiecissent. *Num homine assumpto*, inquit, *nouum mundum facere debuit, vt eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti æqualis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret intra istum, similiter hoc quoque parum putarent. Quia ergo non oportebat, vt nouum faceret mundum, noua fecit in mundo.* Quod verò additur de miraculis ex lib. 22. de Ciuit. explicabitur paulò pòst. Chrysostomus autem in lib. *quod Christus sit Deus*, non comparat quoad euidentiam, sed tantùm quoad difficultatem, & quoad efficaciam verbi Dei, creationem mundi cum eius erectione per crucem Christi. Et quod addit Serm. 1. de Resurrect. exaggeratoriè dictum est, vt per se patet, & fateri debent Aduersarij. Nunquam enim fides facit in se videri mysteria, quæ proponit, sed tantùm facit illa innotescere per externum indicium reuelationis, vt ipsi etiam Aduersarij dixerunt supra, numero 27. Fatentur quoque fidem non posse consistere cum tanta euidentia, quanta est euidentia sensuum, & visionis intuitiuæ. Idque probant ex Apost. Hebr. 11. v. 1. August. lib. de Prædestinat. Sanctorum c. 2. Hugone Victor. lib. 1. de Sacram. parte 10. c. 2. Vbi collocat fidem inter scientiam & opinionem, nimirum quoad euidentiam, & ex D. Thoma q. 2. a. 1. Vbi cum D. August. cap. cit. affirmat *credere* idem esse, ac cum assensione cogitare, id est, cum quadam inquisitione non attingente certitudinem & perfectionem visionis. Eadémque de causa negant actum fidei posse esse in Beatis; & propterea Scripturam 1. Cor. 13. dicere fidem non manere in patria, quia videntur ibi quæ hîc creduntur. Pseudo-Ambrosius verò loco citato non dicit Christum fecisse visibiliter, quæ Deus facit inuisibiliter; sed ait Christum Dei filium esse imaginem Dei inuisibilis, id est, Patris, quia est vnius & eiusdem cum illo substantiæ, ita vt inuicem sint; & qui videt filium, videt & Patrem. Additque Apostolos vidisse filium, vt Deum: scilicet, intellectu operum diuinorum, non carnalibus oculis. Quæ enim operatus est filius, dixit esse Patris, vt vnitatem virtutis ostenderet. Quod autem per visionem non intelligat visionem propriè dictam, aut euidentem notitiam, patet ex eo quod immediatè post subdit: *Eodem genere visus est & à Iacob, vnde nomen accepit Israël, id est, homo videns Deum.* Atqui Iacob non habuit notitiam intuitiuam, neque euidentem quòd Deus esset ille, cum quo luctabatur. Neque reipsâ Deus erat; sed Angelus in corpore assumpto Deum repræsentans, Gen. 32.

Sextò, vt pari euidentiâ, quâ opera creationis & prouidentiæ naturalis ostendunt Deum esse & prouidere vniuerso; ostenderent Prophetiæ & miracula Deum attestari veritati Christi & Ecclesiæ: oporteret tam euidenter nobis constare illas prædictiones esse à Deo, & miracula illa esse verè miracula; quàm euidenter nobis constat vniuersum esse à Deo, & ordinem, quo regitur, fuisse ab illo institutum. At hoc non ita est. Quia opera creationis, & ordinariæ prouidentiæ, sunt quotidiana & omnium sensibus exposita. Sed prædictiones illæ, quarum veritatem euentus comprobauit, sunt paucissimæ, si cum operibus naturalis prouidentiæ comparentur. Et multæ aliæ in ijsdem sacris libris contentæ, sunt valde obscuræ, aut allegoricè interpretandæ, vt probetur illarum euentus. Et habentur tantùm paucorum testimonio, quibus factæ sunt, & per illos alijs scripto aut verbo propositæ: de qua etiam propositione nobis non constat, nisi per aliorum relationem. Miracula quoque olim facta, aut quæ nunc etiam interdum fiunt, sunt longè inferiora multitudine effectuum naturalium, quibus continuò Deus prouidet vniuerso, præcipuéque vitæ & conseruationi hominum. Et pauci testes oculati ea referunt, ad alios autem non nisi per illorum testimonium perueniunt. Ex. gr. miracula antiquissima, & illustrissima legis veteris in Ægypto, & per desertum facta, à solo Moyse, vt teste oculato, scripta sunt. Miracula Christi à solis Euangelistis, quorum duo tantùm, Matthæus, scilicet, & Ioannes, scripserunt vt testes oculati. Et hi duo ferè omnia diuersa referunt: quia Ioannes qui postremus omnium scripsit, noluit referre ab alijs iam scripta. Itaque illorum miraculorum vnum solùm scriptorem habemus, qui fuerit testis oculatus. Et eorum quidem mentionem deinde faciunt sequentibus sæculis multi scriptores; sed pauci aut nulli sunt, qui eodem tempore, quo facta sunt, hæc scribant, alijque ab alijs accipiunt quod referunt, vel potiùs ab ipso scriptore Canonico. Et quamvis circumstantiæ suprà relatæ num. 37. & 38. probent efficaciter non posse iure dubitari de eorum relatione, sed prudenter pro certissima & indubitabili haberi debere: Non tamen ostendunt esse simpliciter euidentem, & parem illi relationi, quâ per innumerabilium testium oculatorum testimonium constat Romam esse: aut illi notitiæ experimentali, quâ tum nos ipsi cognoscimus, & sensibiliter experimur, tum alij innumeri, qui nos præcesserunt sæculis anterioribus, referunt tanquam à se visa, & experimento comprobata, cœlorum motum, astrorum conuersionem, lucem, & influentias, terræ, & aquæ situm, & fertilitatem, aliáque eiusmodi opera naturalis prouidentiæ: quæ

45. Argumenta credibilit. habent aliquid obscuritatis.

etiam vnicuique vel mediocriter attendenti manifestum est fuisse in commodum & vtilitatem hominum destinata, illisque perpetuò seruire; & ad Dei cognitionem, & amorem, per continua eius beneficia, illos prouocare. Qua de causa meritò dixit Gregor. Nazian. Oratione 2ª. de Theologia, paulò post initium, absurdum esse, atque præposterum illum omnem, qui ex his argumentis naturalibus Deum, eiusque prouidentiam non agnoscit. Et Minutiùs Fœlix in Octauio, *Quid potest esse tam apertùm, tam confessum, támque perspicuum, cùm oculos in cælum sustuleris, & qua sunt infrà, citráque lustraueris; quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur.*

46. Confirmatur experientia. Sanè si ex miraculis, & alijs argumentis credibilitatis tam nota esset & euidens veritas Christi, & Ecclesiæ, quàm Dei existentia, & prouidentia naturalis: fieri non posset, vt tam multi ex illis, quibus proponuntur, negarent Christi aut Ecclesiæ veritatem, qui non negant Deum esse, & mundo prouidere. Par enim lux parem in eorum intellectu cognitionem gigneret. Neque dicas, id quidem per se fieri debere: sed obstare vitiosum affectum voluntatis, ne attendant vel assentiantur argumentis probantibus doctrinam sensui asperam, & naturæ corruptæ duram, atque difficilem. Enimverò doctrina quoque de Dei prouidentia præsertim circa prohibitionem, & punitionem malorum operum, displicet naturæ corruptæ: neque tamen impedit quò minùs illi assentiantur veritati tam conspicuæ. Docet etiam experientia faciliùs homines conuinci, quòd Deus sit, & mundo prouideat; quàm quòd Christus sit Deus, & quòd Ecclesia veras eius reuelationes infallibiliter doceat: tametsi nondum proponatur speciatim doctrina illa Christi, vel Ecclesiæ, quæ specialiter naturæ corruptæ aduersatur, & displicet.

Est aliqua difficultas in discernendis veris miraculis. Adde difficultatem, quæ est in veris miraculis discernendis à falsis; & Dei prouidentiam permittere multa simulari à dæmone. In quo genere mirabile est quod refert Iosephus à Costa in Historia Indica lib. 7. cap. 4. & seqq. de ijs quæ fundatoribus Vrbis, & Regni Mexicani contigerunt, valde similia illis, quæ olim per Moysen in Ægypto, & in deserto facta sunt, dæmone scilicet, veluti simiâ, imitante opera Dei, vt illudat hominibus. Permisit autem illi Deus plurimis sæculis continenter toti ferè mundo illudere varijs modis, fictis etiam miraculis, & prædictionibus futurorum, per oracula, & idola. Quanquam non deerat tunc hominibus via sufficiens cognoscendi deceptionem, naturali saltem rationis iudicio, cui ferè soli Deus plurimos reliquisse videtur tunc temporis, & nunc etiam in terris infidelium, vbi fidei lux & Euangelij prædicatio nondum affulsit. Quanquam nec illi planè auxilijs gratiæ sufficientibus destituti fuerunt; pluráque accepissent, nisi peccatis contra legem naturæ commissis viam gratiæ, & lumini supernaturali obstruxissent.

47. Adde præterea quòd Deus, qui nos veluti nocturnos viatores in lumine fidei subobscuro ambulare vult, & captiuare intellectum in obsequium Christi, ac more illorum, qui scientiam aliquam addiscunt, priùs credere, quàm scire: Discentem enim credere oportet; vt post Aristotelem ait D. Thom. q. 2. a. 3. Deus, inquam, ita contemperat propositionem argumentorum credibilitatis, vt non omnia proponat omnibus, sed tantùm ea, quæ sufficiunt ad summam credibilitatem, qualis decet assensum fidei supernaturalis. Nam, vt rectè, dicunt illi, ipsi, quos impugnamus, & sapienter notauit D. Augustinus, Apostoli quidem viderunt miracula Christi, sed non viderunt impletionem Prophetiarum à Christo prædictarum. Nos autem non videmus Christi miracula, sed videmus impletas prophetias: Deo vtrisque temperante credibilitatem, & difficultatem assentiendi, vt vnicuique locus esset merito fidei. Sed & miracula à Christo facta vt probaret se filium Dei, & visa ab Apostolis, nonnihil obscuritatis admixtum habebant à Christi paupertate, humilitate, contemptu, ignominijs, tormentis, & morte. Verum enim est illud D. Leonis Serm. 3. de passione Domini, Vnum coruscabat miraculis, & alterum succumbebat iniurijs. Item ex eo quòd nonnulla de Messia prædicta, non videbantur esse in Christo impleta, vt sonant, & prout communiter intelligebantur à Iudæis: de exaltatione Ierusalem, & concursu omnium gentium ad illam, terrenâque dominatione in totum orbem: de abundantia omnium rerum temporalium: de pace sempiterna; de concordia inter ipsa animalia naturaliter inimica. Notat etiam S. Ioannes Chrysost. lib. 1. de prouident. ad Stagirium, consueuisse Deum fidem eorum probare, quibus illustria quædam promiserat, obiectis nonpaucis difficultatibus, quæ videbantur retardare, aut impedire promissionis effectum; vt probat exemplis Abraham, & Ioseph Patriarcharum. Imò illis ipsis, per quos miracula patrabat, varias injiciebat difficultates, vt probat ibidem Chrysost. lib. 3. exemplo Eliæ Prophetæ, Elizæi, Danielis, & Pauli Apostoli.

Deus contemperat credibilitatem.

Item, Concilium Arausic. can. 7. definit ad credendum necessariam esse internam illuminationem Spiritus sancti, vltra externam prædicationem, siue propositionem obiecti fidei. Requirunt etiam communiter Theologi, cum D. Thoma locis suprà citatis, determinationem liberam voluntatis mouentis intellectum ad credendum. Atqui si obiectum fidei esset simpliciter euidens per argumenta credibilitatis, non egeremus illustratione illâ Spiritus sancti, neque determinatione voluntatis ad assentiendum. Quod enim est simpliciter euidens, non eget illustratione. Et intellectus est de se naturaliter determinatus ad assentiendum veritati euidenter propositæ. Ideóque D. Thom. ibidem non alia de causa requirit determinationem voluntatis, nisi quia obiectum fidei est obscurum.

Si obiectum fidei esset euidens, non requiretur illustratio diuina.

Denique, licet simpliciter euidens sit Deum non posse mentiri, vllo modo, esséque illud bonitate & maiestate ipsius indignum: non est æquè euidens Deum non posse hominem permittere rationi naturali, vt sequatur Christia- 48.

Non est simpliciter euidens Deũ

non posse permittere deceptionem.

nismum prudenter persuasum. Et est quidem summè credibile non posse Deum permittere vt si falsus est, prudenter persuadeatur per tot argumenta Diuinitatem adeò redolentia : & ita in alium transferantur omnia signa Diuinitatis, vt prudenter non possint discerni. Sed non propterea mentiretur Deus si id permitteret. Quia non mentitur, qui solùm permittit alium mentiri; neque istius mendacium imputatur illi, nisi teneatur impedire. Deus autem, qui nulli tenetur, & supremus omnium Dominus est, potest multa permittere, quæ homines non possunt. Neque simpliciter euidens est quid & quantùm præcisè possit permittere : & speciatim quòd pati non possit auctoritatem suam præsumptam, quantùm ab hominibus cognoscibilis est in statu præsenti, interponi ad persuadendum Christianismum, quo alioqui vnius veri Dei cultus, & virtutum omnium exercitium commendatur, vitæque rectæ institutio, quantùm potest dirigi secundùm humanam prudentiam. Concludo itaque discursum illum aduersariorum probare quidem efficaciter summam esse credibilitatem fidei Christianæ, maximàmque moralem euidentiam : ita vt meritò cum Psalmista Deo dicere possimus, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* : ad simplicem tamen euidentiam aliquid in illo desiderari.



DISPVTATIO QVINTA.

An & quomodo obiectum Fidei Christianæ sit euidenter credibile?

CVm obiectum fidei, quà tale, non sit euidens, vt patet ex præcedenti disputatione, quia reuelatio diuina non euidenter nobis, sed obscurè fit; neque tamen prudenter credi possit, nisi certis indicijs constet Deum reuelasse; quæritur in præsenti, sintne aliqua, & quænam sint indicia, siue argumenta, quibus certissimè constet Deum reuelasse : quæque si prudenter, & diligenter expendantur, mouere debeant ad præbendum assensum firmum, & indubitatum quòd Deus reuelauerit. Quorum argumentorum exacta declaratio quanti

quanti momenti sit, nemo non videt, siue ad fideles in vera religione stabiliendos, siue ad infideles ab errore reuocandos. Quare in illis explicandis, & expendendis operæ pretium erit diligenter incumbere. De illis verò speciatim non agit S. Thomas ex professo, sed obiter tantùm affirmat quæst. 1. art. 4. ad 2. Ea quæ creduntur, debere ab eo qui credit, esse visa sub communi ratione credibilis, id est, debere euidenter cognosci esse credibilia. Non enim crederet, inquit, nisi videret ea esse credenda vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid huiusmodi.

****

SECTIO I.

Vtrùm mysteria nostræ fidei sint euidenter credibilia: & credibiliora quàm oppositum?

1. Mysteria fidei sunt euidenter credibilia.

DICO primò, mysteria, quæ nobis fide diuinâ credenda proponuntur, esse euidenter credibilia, quatenus per illam creduntur; siue eâ ratione, secundùm quam ad illam pertinent: ac nisi essent euidenter credibilia, non crederentur fide illâ supernaturali rectissimâ, atque certissimâ. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma q. 1. a. 4. ad 2. vbi asserit non aliter quemquam crediturum, nisi ea, quæ credit, videret esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquid eiusmodi: Et, quæ credita sunt, ea quoque secundum communem rationem credibilis esse visa ab eo qui credit, id est, videri illi credibilia, seu esse illi euidenter credibilia. Et ad 3. sic ait, *Lumen fidei facit videre ea quæ creduntur.* Et q. 2. a. 1. ad 1. *Fides habuit inquisitionem eorum, per quæ inducitur homo ad credendum: putà, quòd sint dicta à Deo, & miraculis confirmata.* Quibus in locis, quod ait de visione credibilium, non est intelligendum de visione secundùm omnem rationem: cùm hoc modo fides non possit esse visio, vt superiùs ex ipso D. Thoma, & alijs ostendimus: sed intelligi debet de visione secundùm aliquam rationem, quâ visio non repugnat actui credendi; cuiusmodi est visio credibilitatis vt euidentis, siue cognitio euidens, quòd res proposita sit credibilis tanquam à Deo reuelata.

Credibile, & Verum differunt.

Pro quo nota ex Ægidio disp. 11. dub. 2. quòd sicut hæc valde differunt, *Hæc res est verè credibilis, aut probabilis*: &, *Hæc res est vera.* Ita hæc etiam esse valde diuersa, *Hæc res est euidenter verè credibilis, aut probabilis*: &, *Hæc res est euidenter vera.* Nam potest res aliqua à parte rei falsa, esse verè credibilis, aut probabilis: vt si à pluribus viris grauibus, sapientibus, & bonis asseratur: aut confirmetur rationibus, quæ certæ vel probabiles appareant, nihilque in contrarium occurrat, quo falsitatis argui possit. Fidei ergo repugnat quidem vt creditum, quatenus tale, sit euidens, aut euidenter verum: sed non repugnat esse euidenter credibile quòd verum sit, & à Deo reuelatum. Quia euidentia credibilitatis non constituit simpliciter euidens id, cuius est; sed tantùm euidenter credibile. Sicut euidentia probabilitatis non constituit, nisi euidenter probabile: & euidentia incertitudinis vel obscuritatis, euidenter incertum vel obscurum. Confirmatur, quia credibilitas non est id, quod est credibile absolutè: Neque secundùm euidentiam suam est id, quod creditur: sed id quod creditur, est ipsum credibile, secundùm veritatem latentem quam habet sub illa credibilitate. Quemadmodum id, quod opinione tenemus, non est ipsa probabilitas secundùm euidentiam suam: sed est aliquid latens sub probabilitate, nempe id, quod esse, aut non esse enuntiamus. Ex. g. aliud est dicere, Probabile est mundum non fore diuturnum; & dicere, Mundus non erit diuturnus: quorum prius est euidens; posterius obscurum. Primum est verum: secundum potest esse falsum. Et hoc est quod opinione tenetur, non illud. Notandum verò diligenter est, quod iam alibi diximus, & iterum inculcandum est, nos quando hîc loquimur de credibilitate euidenti, non loqui de supernaturali: sed de credibilitate simpliciter, abstrahendo à supernaturali. Nam quemadmodum non est euidens, sed tantùm creditur, quòd detur credere supernaturale: sic non est euidens sed tantùm creditur, quòd detur credibilitas supernaturalis, quam non cognoscimus sine relatione ad credere supernaturale, id est, ad fidem supernaturalem. Dari verò credibilitatem absolutè (abstrahendo à supernaturali) sicut & probabilitatem, euidens est. Per credibilitatem quoque, aut probabilitatem, intelligimus obiectiuam, quæ consistit in proportione obiecti cum potentia cognoscente, tali, vt aptum sit gignere fidem, vel opinionem.

His præmissis, probatur conclusio primò ratione generali: quia omnino sine aliqua euidentia nihil est cognoscibile per iudicium determinatum. Nam quod penitus obscurum est, illud est penitus incognoscibile. Ergo sicut sine euidentia scibilitatis nihil est scibile: & sine euidentia probabilitatis nihil est opinabile: ita sine euidentia credibilitatis nihil est credibile. Neque dicas, voluntatem pro sua libertate posse credere, vt voluerit. Quia voluntas non potest mouere intellectum extra suum obiectum: Neque facit ipsa obiectum, sed supponit. Quare non potest mouere, vt credat, nisi id quod apparet credibile. Secundò, vt aliquid certissimè, rectissiméque, id est, sine temeritate & imprudentia credatur tanquam à

2. Non debent, neque prudenter possunt credi mysteria fidei, nisi sint euidenter credibilia.

Deo reuelatum, constare certò debet Deum reuelâsse. Nam *qui cito credit, leuis est corde*, Ecclesi. 19. v. 4. & credere sine discretione, & sine argumento sufficienti aliquid esse à Deo reuelatum, malum est, & expositum periculo erroris, ac superstitionis. Quia non desunt vel dæmones, vel homines, qui possint fingere Deum reuelâsse. Atque inde hæreses, & schismata nascuntur, cùm multi credunt imprudenter, & nimis facilè impostoribus. Atqui fides diuina & est certissima, cùm excludat omnem liberam dubitationem in contrarium, iuxta illud Galat. 1. *Si Angelus de cælo, &c.* & simul est rectissima, cùm non operetur, nisi ex speciali auxilio & motione Spiritus sancti: Ergo non credit sine certo & sufficienti argumento, quòd Deus reuelauerit. Cúmque debeat excludere omnem formidinem, & mutabilitatem prudentem; debet niti argumentis euidenter credibilibus, quibus plenè acquiescat intellectus, & firmiter stabiliatur: non autem obscuris & probabilibus tantùm, quæ possunt facilè deficere, & dare locum prudenti mutationi iudicij, aduenientibus alijs coniecturis. Tertiò, cùm Deus velit nos constantissimè, firmissiméque credere, quæcumque fides Christiana credenda proponit, licet alioqui per se difficilia, & supra naturæ captum; atque incredulos æternæ damnationi addicat: debet ea tam certis, & euidenter credibilibus argumentis munire, vt nullus incredulis sit locus excusationi: possintque ab omnibus, quâ par est diligentiâ & animi sinceritate attendentibus, facilè agnosci. Ideóque re ipsa, Deus tot, & tanta dedit credibilitatis argumenta, támque perspicua; vt vates regius ei meritò dicat Psalmo 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis:* & Christus Matth. 5. Ecclesiam suis notis insignem atque spectabilem, comparet ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest: & lucernæ super candelabrum accensæ, vt luceat omnibus; qui in domo sunt.

3. Debent esse credibiliora quocunque opposito.

Dico secundò, vt obiectum fidei sufficienter proponatur, non solùm debet fieri euidenter credibile: sed etiam euidenter credibilius quâcumque aliâ doctrinâ repugnante: Ita Suar. Disp. 4. Sect. 2. n. 6. Ratio eiusdem est, quia si daretur aliquid contrarium æquè credibile; talis credibilitas necessariò pareret formidinem circa oppositum. Vnde neutrum esset propriè credibile ei, qui oppositionem cognosceret. Et quamvis esset: licitum foret homini inter illa credibilia eligere, quod mallet, si vtrumque esset euidenter credibile, non solùm absolutè, sed etiam comparatiuè spectatum. Hoc autem repugnat tum certitudini, tum obligationi fidei Christianæ. Nam si sufficienter proponatur, tenemur illam acceptare cum tanta certitudine, vt illam præferamus omni doctrinæ contrariæ, iuxta illud Pauli loco suprà cit. *Si Angelus de cælo, &c.* Vnde vlteriùs sic argumentor: Fides, quæ ingerit sui acceptandæ obligationem maximam præ omnibus Sectis contrarijs quantumvis apparentibus, debet inniti ijs argumentis, quæ ostendant euidenter ipsam esse sequendam, & aliam omnem oppositam respuendam, si velimus prudenter agere, & secundùm rectam rationem. At fides Christiana ingerit, & commendat sui acceptandæ obligationem præ omnibus alijs, sub pœna æternæ damnationis; *Qui enim non crediderit, condemnabitur*, Marc. vlt. Ergo, &c. Hinc collige argumenta credibilitatis fidei Christianæ debere, vt sufficientia sint, ostendere euidenter, non modò eius obiectum esse credibile speculatiuè, id est, posse credi: sed etiam practicè credendum esse, id est, debere credi, & non posse sine imprudentia, & sine peccato respui.

4. Nec obest quòd nequeant ostendi euidenter esse possibilia.

Objicies primò, Non potest euidenter ostendi mysteria fidei Christianæ esse possibilia, vel non esse impossibilia: Ergo non possunt fieri euidenter credibilia. Consequentia patet, quia quod non est possibile, non est credibile. Quodque est euidenter impossibile, est euidenter incredibile. Antecedens probatur, quia si euidenter ostenderetur, illa mysteria esse possibilia, ostenderetur euidenter esse vera, saltem ea, quæ pertinent ad esse diuinum, in quo idem sunt esse, & posse esse. Deus enim est tum in essentia, tum in personis, quidquid esse potest. At falsum est hæc posse ostendi euidenter esse vera. Ergo, &c.

Respondeo cum Suare suprà num. 9. antecedens esse verum quoad mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & similia planè supernaturalia, quæ non possunt ostendi euidenter, & positiuè esse possibilia: quicquid dicat Caietanus p. 1. q. 1. a. 8. sed possumus tantùm negatiuè soluere argumenta in contrarium, id est, negando quod probari non potest, & euidenter ostendendo non probari; etsi non demonstremus esse falsum. Ex. g. non possumus quidem euidenter ostendere, quòd vna numero natura possit esse in tribus personis: possumus tamen respondere argumentis in contrarium, dicendo, quamvis ita nequeat esse in naturis finitis, quæ solæ nobis notæ sunt: inde tamen non sequi id esse pariter impossibile: in natura diuina omnimodè infinita, & supra captum nostrum excellentissima: cuius oppositum probari nequit ab infidelibus. Ergo concesso antecedente argumenti propositi, nego consequentiam; quia credibile latiùs patet, quàm possibile: cùm aliquid impossibile possit fieri credibile per media extrinseca. Quare ex negatione euidenter possibilis, non sequitur negatio euidenter credibilis. Est quidem verum nihil fide Christianâ teneri, quod possibile non est. At hoc tantùm certò constat, non euidenter. Et ex euidentia credibilitatis, non sequitur euidentia possibilitatis.

5. Neque quod fides non compatiatur euidentiam testificationis.

Objicies secundò, fidem non compati euidentiam testificationis diuinæ. Ergo neque compatitur euidentiam credibilitatis. Confirmatur, quia credibilitas illa euidens vel cadit sub actum fidei, vel non cadit. Neutrum dici potest. Non primum; quia fides non versatur circa aliquid euidens. Ergo non versatur circa euidentiam credibilitatis, quæ est euidens. Deinde fides non versatur nisi circa reuelata à Deo, vt talia. Hæc autem credibilitas non reuelatur à Deo, sed ex signis per experientiam

cognitis sumitur : Ergo, &c. Non etiam secundum ; alioqui fides non propter illam crederet reuelationem, esse verè diuinam. Id enim propter quod aliquid creditur, est in substantia obiecti assensus, quo creditur, tanquam motiuum & ratio assentiendi.

Respondeo primam consequentiam non valere ; quia euidentia testificationis diuinæ constituit rem euidenter veram, ei cui euidens est Deum nec falli nec fallere : ideoque fides non eam compatitur. At euidentia credibilitatis constituit tantùm rem euidenter credibilem : quod fidei non repugnat. Euidentia enim credibilitatis, non est euidentia rei ; & manet adhuc obscurum an res verè sit : quamvis sit euidenter credibile quòd sit. Ad confirmationem respondeo, euidentem illam credibilitatem per se solam non cadere sub actum fidei, sed sub aliam cognitionem claram, actui fidei præuiam & actui libero volendi credere : cadere tamen sub illum vnà cum eo, quod constituit euidenter credibile. Fides enim versatur circa reuelata à Deo, vt sufficienter reuelata, & euidenter credibilia. Non repugnat autem vnum & eumdem actum simplicem versari circa aliquid euidens, & circa aliquid obscurum. Nam cognitio v. g. conclusionis opinabilis versatur circa præmissas obscuras & incertas, & circa illationem certam & euidentem. Cúmque ex duabus præmissis, vna euidenti, & altera probabili, infertur conclusio : eius assensus fertur in vtramque præmissam : euidenter in vnam, & probabiliter in alteram. Neque propterea est euidens, sed probabilis tantùm : quia sequitur partem deteriorem. Sic ergo actus fidei versatur simul circa euidentem credibilitatem, & circa credibile obscurum, sub illa delitescens. Et provt versatur circa euidentiam credibilitatis, non est fides præcisè secundùm illam considerationem : sed provt tendit ad ipsum credibile obscurè latens sub euidentia credibilitatis. Etenim credibilitas, quamtumvis euidens, est eius, quod non est euidens quoad esse, sed tantùm est tale, vt euidenter sit dignum assensu certo ; possitque certò, quamvis obscurè cognosci. Ideóque euidentia credibilitatis non est simplex euidentia rei ; quia non est euidens esse verè à parte rei id, quod euidenter credibile est esse ; cùm credibilitas absolutè loquendo, vt hic loquimur, & abstrahendo à diuina & supernaturali, fallere possit. Abstrahendo, inquam, à supernaturali ; quia hæc, non est simpliciter euidens, sed credibilis tantùm, vt iam sæpe monuimus, diligenterque notari cupimus. Non enim est simpliciter euidens, sed tantùm creditur quòd detur fides supernaturalis, & credere supernaturale ; quódque obiectum per talia argumenta propositum, sit dignum assensu supernaturali, adeóque infallibiliter vero, quippe facto ex speciali motione Dei, quem euidens est non posse ad falsum mouere specialiter, & esse causam specialem actus turpis. Si autem credibilitas supernaturalis esset euidens simpliciter, redderet obiectum euidenter verum simpliciter. Sic enim posset demonstrari ; Quicquid est euidenter credibile fide supernaturali, est euidenter verum. Sed Deum v. g. esse incarnatum, est euidenter credibile fide supernaturali : Ergo Deum esse incarnatum est euidenter verum.

SECTIO II.

Quibus argumentis obiectum fidei Christianæ constituatur euidenter credibile?

Respondeo illa esse complura, & non eadem apud omnes. Primùm enim quædam interna sunt : alia externa, & sensibus exposita : Deus enim homines, mente & sensu præditos, vtroque modò iuuat. Et aliquos signis tantùm internis mouet ad credendum, vt fortè Lydiam, Act. 16. v. 14. Et Dionysium, ac Damarim, Act. 17. v. vlt. Alios verò adhibitis etiam signis externis, vt Paulum, & Samaritanam, Act. 9. & Ioan. 4. Signa itaque seu argumenta credibilitatis generatim diuidi possunt in interna, & externa. Verùm per *interna* non intelligimus priuatum cuiusque spiritum, & iudicium ac sensum proprium, vt Lutherani & Caluinistæ ; sed effectus aliquos diuinæ virtutis interiores, & admirabiles, quibus fiat euidenter credibile, dictum esse à Deo id quod proponitur vt tale. Cùm autem Deus mouet tantùm per signa interna, si id facit ne adhibitâ quidem externâ prædicatione seu propositione obiecti, duo facit. Primò imprimit, vel excitat species in intellectu circa obiectum, quod vult reddere credibile, sine quibus obiectum, absens secundum se, cognosci nequit. Secundò, illustrat intellectum circa obiectum speciebus repræsentatum, & mouet voluntatem adeo potenter, & mirabiliter, vt hoc ipso credibile faciat se tales species immittere, vel excitare ; & ad assensum inuitare per illam internam locutionem in mente factam per species intelligibiles.

6. Diuiduntur in interna, & externa.

Quæ & qualia sint interna?

Externa verò, quæ per se pluribus prosunt, quia notiora, & sensibus exposita, & minùs sunt deceptioni obnoxia, complura numerantur, & exponuntur à D. Thoma, lib. 1. contra Gentes c. 6. Scoto in 1. q. 2. Prologi. Michaële Medina lib. 2. de recta in Deum fide. Bosio duobus tomis de signis Ecclesiæ. Bellarm. lib. 4. de Ecclesia. Valent. q. 1. de fide punct. 4. q. 3. & toto lib. 1. de Analysi fidei. Qui quatuor postremi & plura numerant, & accuratiùs ea exponunt. Nos præcipua quæque ad quatuor capita reuocabimus. Qui plura volet, consulat citatos, & Ludouicum Granat. in Catech. parte 2. cap. 3. & seqq. vbi de his fusissimè, & eloquentissimè scripsit. Videri etiam potest Bartholomæus Medina quæst. 3. Introduct. in 3. p. D. Thomæ, vbi plura ex huiusmodi argumentis proponit, & expendit, ad probandum Christum esse Deum ; & religionem Christianam, ab ipso fundatam, esse verè diuinam. Erudite quoque de iisdem scripsit Regord. in disput. de analysi Theolog. ex quo nonnulla mutuati sumus, collegimusque aliqua eius fragmenta ne pereant.

Externa multa sunt.

Primum argumentum à qualitate doctrinæ.

7. Argumentum 1. Scripturæ ipsius diuinæ veritas. Primò igitur, Christianismo fidem conciliat apud æquos rerum æstimatores; doctrinæ, quam proponit, veritas, sanctitas, & efficacitas, quæ diuinum quid redolet, habétque in seipsa, si bene expendatur, sufficiens argumentum suæ diuinitatis, iuxta illud Psal. 18. v. 8. & 10. *Lex Domini immaculata conuertens animas, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Nam in Scriptura Canonica, tam dissitis locis, & temporibus, & à tam diuersis scripta, nihil est quod aduersarij vnquam potuerint conuincere mendacij. Nulla sunt apparenter opposita, quæ non facilè concilient docti. Nihil in tota doctrina Christiana, quod ratio falsum esse ostendat; imò consonum sibi non iudicet, pensatis omnibus. Ita vt ratio, si eam sequamur, miretur tam sublimia de Deo sensa, de animorum immortalitate, de fine vltimo, de medijs ad ipsum consequendum institutis, de virtutibus, & vitijs, de bonorum operum præmio, & peccatorum pœnis, & alijs quæ ad Dei cultum, & ad omnem virtutem, morúmque eximiam sanctitatem vehementer impellunt. Miretur etiam Decalogi æquitatem, amorem erga hostes, coniugij fidelitatem, aliáque id genus, quæ naturali lumine faciliùs attingi possunt. Quòd si quædam habet supra captum, vt de Trinitate personarum diuinarum, de Incarnatione Verbi, & alijs quibusdam mysterijs; vel ipso lumine naturali notum est, rectæque rationi consentaneum, Deum esse maiorem captu nostro; naturámque omnimodè infinitam, & omnipotentem, non esse metiendam naturis creatis & finitis, nobis notis, vt illi applicentur hæc & similia axiomata ex creaturis nobis notis desumpta. Vnius naturæ substantialis vnica est subsistentia: Vnius personæ vnica est natura. Adde quòd omnia supernaturalia, quæ de Deo credenda proponit, plurimùm commendant ipsius excellentiam in essendi maiestate, vel in sapientia, liberalitate, & omnipotentia sese communicandi creaturis. Quódque illa omnia carere iusta suspicione impossibilitatis ratio ipsa naturalis deprehendit, examinando argumenta contraria. Quòd denique tam exacta veritas in rebus alijs naturali lumine magis cognoscibilibus, magnam illi fidem conciliare debet, quoad res supernaturales, quas proponit. Nam vel hoc ipsum diuini spiritus sufficiens signum est, quòd cùm Scriptura sacra de rebus ferè omnibus naturalibus, & moralibus disserat, nunquam à vero aberrauerit. Docet enim reliquorum omnium scriptorum experientia in multiloquio non deesse peccatum; esséque supra naturæ vires, vel ipsas omnes veritates naturales sine vllo errore assequi.

8. Eiusdem sanctitas. Sanctitas verò eiusdem doctrinæ ex eo apparet, quòd nullum sit peccatum, quod non damnet: nullum virtutis officium, quod non commendet; nullus modus amandi Deum excellentior eo quem tradit, ex toto corde, tota mente, totis viribus: nullus finis præstantior eo, ad quem dirigit; nullum medium necessarium, cuius notitiam, & vsum non doceat: nullum motiuum efficacius ad vitam piè, & sanctè instituendam, ijs quæ suggerit, siue ex Dei cuncta cernentis præsentia, & iudicio futuro, siue ex præstantia præmij, & pœnæ magnitudine, siue ex alijs capitibus. Hinc est mirabilis eorum sanctitas, & æquitas, qui leges Christianas exactissimè seruant, quales illi primi Christiani, in quibus nihil nisi nimiam sanctitatem reprehendebant infideles, vt testantur Tertullianus initio Apologetici, & D. Aug. lib. de morib. Ecclesiæ à cap. 31. Qui testes cùm grauissimi, doctissimique sint, id sanè in ipsis infidelium oculis non scripsissent, si falsitatis potuissent ab illis conuinci contrariâ experientiâ. Et hoc generatim pro alijs quoque Auctoribus nostris infrà citandis notandum est. Est enim incredibile, viros, quos ex eorum scriptis, & gestis, constat tam graues, doctos, & pios fuisse, voluisse palam & apertè falsa scribere de rebus suo tempore gestis, & expositis omnium oculis. Hinc est etiam, quòd homines flagitiosi, ad fidem Christianam conuersi, eiusque dogmata meditantes attentiùs, mores statim mutant in melius, vt ostendit quotidiana experientia, & olim accidisse testantur D. Petrus Epist. 1. c. 4. v. 3. & 4. Paulus Rom. 6. v. 16. & 1. Cor. 6. v. 10. Iustin. martyr Apolog. 2. pro Christianis, Tertull. lib. ad Scapulam præfectum Carthaginis, Ethnicum, & Christianorum persecutorem, Lactant. lib. 3. diuin. Instit. c. 26. & alij. Quódque incredibile solatium, & conscientiæ securitatem experiuntur qui Christi legem toto studio seruant, & ad illius doctrinam omnino mores suos & affectus conformant. Quod gaudium nemo perfectè nouit, nisi qui accipit: ex illorum tamen tranquillitate animi, constantia, alacritate, & rectissimis factis, diuinum quid illis inesse facilè deprehenditur. Adeo vt Chrysost. Homil. de recta vita (quæ habetur post homil. de pœnitentia, & virginitate) non dubitauerit dicere, vnius Christiani modesti aspectu faciliùs conuerti Ethnicos, quàm aspectu cœli, & terræ. Et quidem de S. Luciano martyre refert Metaphrastes in eius vita, Ethnicos solo eius conspectu ad fidem Christi fuisse conuersos. Et Athanasius de sancto Antonio scribit in eius vita, quamvis latêre maximè cuperet, & satageret; orbis tamen vniuersi oculos ad se conuertisse admirabili sanctitate vitæ. Et de sancto Hilarione idem testatur Hieronymus: de Simeone Stylita, Theodoretus; de Martino, Sulpicius; De alijs, alij. Et denique Paulus ad Philipp. 2. v. 15. de primis Christianis affirmat, eos in medio Nationis prauæ lucere sicut luminaria in mundo. Quòd si non omnes sancti, sed multi sunt perditi Christiani: non obest id legis ipsius sanctitati, quæ vitia quidem grauiter prohibet, sed arbitrij libertatem non adimit. (Et eorum qui se illi conformant.)

9. Eiusdem vis & efficacia. Hos autem mirabiles effectus operatur, non prophanâ eloquentiâ, neque persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed occultâ quadam, & planè diuinâ vi, mirabilique efficaciâ in permouendis animis. Licet enim verbis simplicibus scripta sit, & nullo ferè artificio orationis: vehementer tamen lectoris docilis & attenti

mentem commouet ad Dei amorem, & ad omne virtutum genus. Docet ignaros, ſolatur mœſtos, torpentes excitat, afflictos exigit, imbecilles confirmat, & corroborat; vt meritò Sapiens Prouerb. 30. (quo ſolo libro plus doctrinæ moralis traditur, quàm in omnibus Ethnicorum Philoſophorum libris) dixerit v. 5. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe*; & Apoſtolus Hebr. 4. *Sermo Domini viuus & efficax, penetrabilior omni lancea, & omni gladio ancipiti*: Et Machabæi, magnis licet calamitatibus preſſi, iure affirmauerint ſe nullo indigere, *habentes ſolatio ſanctos libros* 1. Machab. 12. v. 9.

Scribentiū qualitas fidem illi conciliat.

Hæc omnia bene perpenſa prorſus incredibile faciunt talem & tantam doctrinam ab impoſtore manare potuiſſe. Maximè verò cùm eius Scriptores mendacium ſæpius peccati damnent, eiúſque odium magnum profiteantur: fuerint vitæ integerrimæ; morum autem integritas Scriptorem valde commendat: ſcripſerint ferè omnes, res ſui temporis, cùm de hiſtorijs ſermo eſt: quæ ſi falſæ fuiſſent, facilè potuiſſent conuinci falſitatis, nullámque fidem obtinuiſſent; cùm tamen ita perſuaſerint, vt conſtans eiuſdem fidei profeſſio, martyrum infinitorum ſanguine obſignata, ad nos vſque peruenerit. Scripſerint non ſpe lucri, honoris, aut delectationis: cùm ea quæ ſcriberent, eſſent mundo exoſa, Scriptores atque profeſſores illius fidei vbique contemnerentur, ſpoliarentur bonis, affligerentur omnibus modis, & duriſſimis tandem cruciatibus interficerentur; ſcripſerint ſenſui contraria & aſpera, atque ad credendum humano ingenio difficillima: quæ etiam profeſſi ſunt tantâ conſtantiâ; vt per tormenta exquiſitiſſima, & mortem crudeliſſimam abduci nunquam ab illis potuerint; ſcripſerint tantâ ſapientiâ, támque reconditâ doctrinâ, vt tot iam ſæculis excellentiſſima ingenia Patrum, atque Doctorum, diuiniſſimos ſenſus nouos ac nouos eruant ex eorum ſcriptis, velut ex fonte inexhauſto.

10. Conſenſus veteris Teſtamenti cum nouo.

Adde mirabilem conſenſum noui Teſtamenti cum vetere longè antea ſcripto, & multò plus ducentis annis ante Chriſtum, à ſeptuaginta duobus Interpretibus Græcâ linguâ donato. De cuius vtriuſque Teſtamenti antiquitate non magis poteſt dubitari rationabiliter, quàm de Platonis, Ariſtotelis, & ſimilium librorum vetuſtate. Cùm non minora habeant ſuæ antiquitatis argumenta, ſeu teſtimonia veterum. Adde item, quòd in vtróque plurimæ ſunt prophetiæ mirabiles, id eſt, certiſſimæ prædictiones futurorum contingentium, longè antè reuelatorum: quod Diuinitatem ſatis arguit: vt conſtat ex difficultate aſſequendi hæc certò, conſtanter, & cum ipſis circunſtantijs. Præſertim verò quoad ea, quæ ex Dei voluntate, & omnipotentia pendent, quæ ſolus Deus poteſt certò & infallibiliter prædicere, cùm à nemine cogi poſſit, aut pati neceſſitatem ea volendi, aut faciendi. Item ea, quæ pendent à cauſis creatis liberis nondum exiſtentibus, ſed longè poſt futuris: Ita vt neque ex complexione, neque ex conſuetudine, neque ex vllo alio indicio præſenti colligi poſſit quid

Multæ prophetiæ in vtroque.

ſint facturæ, imò ne quidem an futuræ vnquam ſint. Cuiuſmodi ſunt prophetia de Sceptro Iudæ non auferendo, donec Meſſias veniret, Gen. 49. v. 10. Prædictio pugnæ Saülis Regis Iſraël cum Agag Rege Amalech, quadringentis antè annis quàm naſceretur, expreſsè nominato, Num. 24. v. 7. Quæ prædictio impleta eſt 1. Reg. 15. Prædictio item quæ habetur 3. Reg. 13. de Ioſia Rege (nominatim ibi expreſſo per Prophetam) altare Ieroboami deſtructuro, & ſuper illud Sacerdotes Idololatras occiſuro: quæ trecentis ſexaginta poſt annis fuit impleta 4. Reg. 23. Item prædictio de Cyri regno, potentia, opibus, bellis, victorijs, & beneficijs in Iudæos, quæ habetur Iſaiæ 45. id eſt, ducentis antè annis quàm Cyrus naſceretur; vt teſtatur Ioſephus 2. Antiquit. c. 1. Mirabile autem eſt Cyrum tot antè annis fuiſſe ab Iſaia, etiam nomine proprio deſignatum.

Prophetiæ inſignes veteris Teſtamenti.

Mitto quæ Daniel clariſſimè prædixit de regnorum mutationibus, & Chriſti aduentu, excidióque Iudæorum, cap. 2. 7. 8. 9. & 11. Quódque ferè omnia, quæ Chriſto contigerunt, fuerunt diu antè in Teſtamento veteri exactiſſimè prænunciata. Vt Incarnatio, Baruch. 3. v. vlt. Natiuitas ex Virgine, Iſaiæ 7. v. 14. Bethleem locus natiuitatis, Mich. 5. v. 2. Tempus natiuitatis, Gen. 49. v. 10. & Daniel. 9. v. 25. Ioannes eius Præcurſor, Malach. 3. v. 1. & Iſaiæ 40. v. 3. Chriſti prædicatio, Iſaiæ 61. v. 1. Miracula, Iſaiæ 35. v. 5. Ingreſſus in Ieruſalem, Zach. 9. v. 9. Proditio per diſcipulum, Pſalm. 40. v. 10. Venditio triginta argenteis, Zach. 11. v. 13. Dolores & cruciatus paſſionis cum ſumma patientia, & manſuetudine tolerati; Iſaiæ 53. v. 7. & ſequentibus. Crucifixio inter Latrones, irriſiones, & blaſphemiæ, veſtimentorum diuiſio, & oratio pro inimicis in cruce, Pſalmo 21. ferè toto, & Iſaiæ 53. à v. 12. Fellis & aceti potatio, Pſalm. 68. v. 22. Reſurrectio, Pſalm. 15. v. 10. Aſcenſus in cœlum, Pſalm. 67. v. 19. Excidium Iudæorum, & Gentium conuerſio, Daniel. 9. v. 26. & 27. Mitto denique ea quæ Chriſtus in nouo Teſtamento certiſſimè prædixit; vt Ieroſolymorum ſubuerſionem, eò quòd ſe Meſſiam ſpreuiſſent, Luc. 19. v. 44. Cuius excidij circumſtantias multas, & graues, atque ab hominum libertate pendentes exactè deſcripſit: Eccleſiæ ſuæ ſtabilitatem, & perpetuitatem, contra quam portæ inferi non ſint præualituræ, Matth. 16. v. 18. Quam prophetiam videmus huc vſque impletam, poſt tot, & tantas perſecutiones, quarum plurimæ Eccleſiam videbantur abſorpturæ, niſi diuina vis adfuiſſet. Euangelium toto orbe prædicandum, & Apoſtolorum martyrium, Matth. 24. v. 9. Eccleſiæ perſecutiones, martyrúmque conſtantiam, & victoriam, Luc. 21. v. 12. Quæ omnia diu antè prædicta, & ſcripta palam, ac publicata in oculis tunc viuentium, & qui interfuerant prædictionibus, citata paulò poſt, & explicata à viris maximis, Dionyſio, Polycarpo, Ignatio martyre, Iuſtino, Origene, Tertulliano, & alijs coram Gentium Principibus, deinceps iuxta prædictionem ſecuta ſunt. Vnde meritò Tertull. Apologet. c. 20. *Quicquid agitur, prænuntiabatur; quicquid videtur,*

Chriſti prædictiones.

audiebatur, &c. Idoneum, opinor, testimonium Diuinitatis, veritas diuinationis. Omnino enim tot & tales prædictiones in codicibus illis certò certiùs antiquissimis scriptæ, diuinitatis illorum certa sunt indicia. Nam quòd futura libera non possint sine Spiritu diuino constanter, & infallibiliter prædici, præsertim ea, quæ pendent à libera ipsius Dei voluntate, satis constat ex dictis Disp. præcedenti Sect. 4. num. 31.

SECTIO III.

Proponitur secundum argumentum à modo mirabili, quo fides Christiana in mundum introducta, propagata, & conseruata fuit.

11. Christi fides mirabiliter in mundum introducta, & diffusa. SEcundò, Christianismi veritatem, & diuinitatem, maximè ostendit modus planè mirabilis, ac diuinus, quo fuit in mundum introductus, propagatus, & conseruatus. Constat enim ex historijs sacris, & prophanis, & ex libris tum ipsorum Ethnicorum, tum virorum maximorum, qui à Gentilismo ad Christum transierunt, & scripserunt in oculis Gentilium non id negantium, sed admirantium, & totis viribus impedire conantium: constat, inquam, paulò post Christi mortem vniuersum pene orbem à patrijs religionibus, vel ipsâ vetustate plurimùm confirmatis, ad Christum fuisse conuersum. Testatur enim Paulus Coloss. 1. v. 6. Fidem Christi iam tum fructificasse in vniuerso mundo; & Rom. 1. v. 8. *Fides vestra*, inquit, *annuntiatur in vniuerso mundo:* Et 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Et initio secundi sæculi Iustinus martyr in Dialogo cum Tryphone, affirmat nullum fuisse tunc hominum genus, apud quos Iesu crucifixi nomine preces, & Eucharistiæ, omnium rerum creatori non fierent: eiusdémque prædicationem, & fidem in vniuerso mundo disseminatam esse, & diligenter custoditam dixit paulò post Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 3. Et Tertullianus cap. 7. libri contra Iudæos, ait Christianam fidem iam tunc, id est, eo tempore, quo maximè vigebat, & eo vsque riguerat persecutio, latius fuisse dominatam, quàm Romanum Imperium: multáque loca, Romanis inaccessa, fuisse Christo subdita. Et denique Plinius lib. 10. Epist. 97. ad Traianum Imperatorem, *Non ciuitates tantùm*, inquit, *sed & vicos, atque agros superstitionis istius*, (Christianæ) *contagio peruagata est. Certè satis constat propè iam desolata templa* (Idolorum) *cæpisse celebrari, & sacra solemnia diu intermissa, &c.*

12. Per piscatores & pauperes idiotas. Id autem factum esse constat per Apostolos, id est, pauculos piscatores, antea rudes, & idiotas, imbelles, pauperes, contemptibiles; non armorum potentiâ, non magnatum præsidio, non opum, voluptatum, aut honorum illecebris, non eloquentiæ vi: cùm è contrario simplicibus verbis fidem proponerent humano captui valde difficilem, & per se incredibilem, sensui asperam, & à diuitijs, honoribus, voluptatibus huius vitæ, abducentem: contra quam Principes, & Magistratus Ethnici toto conatu insurgerent, eiúsque professores exilio, bonorum spoliatione, supplicio extremo, & omni pœnarum genere mulctarent. Quam denique eloquentes & docti inter Ethnicos insectarentur totâ doctrinâ & facundiâ: & quâ argumentis fortiter impugnarent, quâ conuitijs & scommatis proscinderent. *Hæc & nos risimus aliquando* (inquit Tertull. Apologet. c. 18.) *De vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur Christiani.* Et tamen illam persuaserunt, non vulgo tantùm, sed & viris suo æuo doctissimis, Dionysio, Clementi, Iræneo, Iustino, Arnobo, Tertulliano, Aristidi, Athenagoræ, Lactantio, & alijs permultis, qui piscatorum doctrinæ paruerunt: ipsísque tandem Imperatoribus, qui quos furore persequebantur, prosecuti sunt fide, vt loquitur S. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 7. Qui etiam Concione in Psalm. 65. admirans quomodo Deus per piscatores mundum, ipsósque Imperatores ad Christi fidem conuerterit, sic ait: *Elegit Imperatores postea. Sed melius est, vt Romam cùm venerit Imperator, ploret ad memoriam piscatoris*, (id est, ad Petri Apostoli sepulchrum) *quàm si ploraret piscator ad memoriam Imperatoris.* Et Chrysost. homil. 26. in caput 12. Epist. 2. ad Cor. 9. prope finem, *Qui indutus est purpura, & coronatus diademate, venit vt amplectatur sepulchra Petri, & Pauli: & deposito fastu, orat piscatorem, & artificem scenefactorium, vt pro ipso ad Deum intercedant.*

Quòd verò Christiana religio contra tot difficultates sine humanis medijs præualuerit, quódque orbis vniuersus fidem tam sensui asperam, & difficilem creditu sit amplexus, planè arguit diuinam vim. Aut enim multa, & ingentia miracula sunt olim facta, quorum vi mundus à voluptatibus, & cæteris idololatriæ vitijs, & erroribus, ad Christianæ vitæ austeritatem, & virtutem, ac fidem sit adductus: aut si nulla facta sunt, hoc ipsum certè magnum miraculum est, mundum ita sine alijs miraculis mutatum fuisse. Nam, vt rectè ait Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide, c. 7. Maius est, hominis arbitrium & intellectum sine sufficienti ratiocinio pellicere ad tam ardua, & incredibilia: quàm claudum, aut aridum, vigori pristino restituere solo imperio: aut febrim sine medicina curare. In vtroque certè lex, & ordo naturæ peruertitur, fitque aliquid supra, & contra modum consuetum, quod natura solis suis viribus præstare nequit. Atque, vt sapienter expendit S. August. lib. de vera Relig. c. 3. Si priusquàm mundus ad Christi fidem conuerteretur, interrogâsset quis sapientium Philosophorum aliquem, vtrum censeret sine virtute diuina, per paucos homines, nullâ neque potentiâ excellentes, neque humanâ doctrinâ claros, posse mundo persuaderi, quæ à Christo, & Apostolis persuasa videmus: respondisset, credo, ille (inquit August.) non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus atque sapientiâ, tantâ honestaret gratiâ, tantâ firmitate roboraret, tantâ denique maiestate subueheret, vt omnia contemnendo, quæ praui homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horrescunt, & omnia

13. Contra grauissimas difficultates.

faciendo, quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converterent. Hinc illa eiusdem ratiocinatio lib. 22. de Ciuit. cap. 5. *Paucis, obscuris, minimis, indoctis credidit mundus, &c. Quia in tam contemptibilibus testibus multò mirabilius Diuinitas persuasit. Eloquia námque persuadentium quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba.* Omnino, vt sapienter addit Medina cap. 4. libri suprà cit. Cùm nihil temporaneum, nihil caducum, nihil ad fluxam & terrenam fœlicitatem conducens, Maiores nostros ad Christianam viuendi rationem pellexerit: debuit esse diuinum aliquid, quod in primis illis religionis propagatoribus aduerterunt. Nec enim erant tam stulti, & amentes, vt absque ratione se, famam, honores, vitam, fortunas, suáque omnia temerariè pessundarent. Grande, inquam, fuisse oportet, quo impulsi illi homines, qui alioqui, sicut cæteri mortales, humanis affectibus tangebantur, legi, ac religioni, quæ carni, & sanguini bellum indiceret, præsentibúsque omnibus spoliaret, contra eam, quam à suis progenitoribus acceperant rationem viuendi, contra patrias leges, contra Principum imperia, contra cognatorum suasiones, contra vxorum, filiorum, ac Parentum lacrymas, nomina dederint: & in eius verba non vi, & armis coacti, sed spontanei, imò contra vim & arma iurauerint: neque vllis supplicijs, & tormentis ab ea suscipienda deterreri, & à suscepta auerti potuerint.

14. Mirabilis Martyrũ constantia. Auget enim huius argumenti vim constantia mirabilis, & supra naturam, tum fidem prædicantium, tum ipsam recipientium, infinitis penè martyrijs testata, & omni genere tormentorum exquisitissimorum exercita. Nam quòd tantâ constantiâ, tot continenter sæculis, tot martyres fidem nihil fauentem humano affectui testati sunt, quos vitâ integros, quoad cætera, fatebantur Aduersarij: quódque non rarò senes decrepiti, infantulique, & virgunculæ impares tantæ constantiæ, nisi vis superior adfuisset, ferrum, & flammas, & mortem crudelissimam alacriter subierint, omnino arguit diuinam vim. Vt meritò sic dicat Ecclesia in communi oratione de virgine, & martyre, *Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti.* Et Ambr. lib. 1. de virgin. paulò post initium, non immeritò sic exclamat de S. Agnete martyre tredecim annorum, *Magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuẽnit ætate.* Ac ne quis dicat infideles quoque, & hæreticos, pro suis erroribus mortem oppetiisse; considerauda est primò, multitudo penè infinita martyrum Christianorum. Nam pro alijs Sectis pauci mortem subire voluerunt. Secundò, pius, & purus affectus patientium, & amor erga Deum; quippe qui summâ sinceritate Deum tantùm quæsiuerunt, sine affectu ad proprium iudicium, sed cum perfecta & plena illius submissione ad Christum, eiusque fidem, pro qua mortem oppetebant. Tertiò, modus patiendi alacriter, & cum summa lætitia, magnisque indicijs innocentiæ, & sanctitatis, atque eximiæ sapientiæ in mirabilibus responsis, & rationibus fidei suæ reddendis. Quartò, quòd non solùm viri naturâ fortes, & constantes; sed & senes decrepiti, vt Simeon ille Ierosolymitanus Episcopus, qui centesimo vigesimo vitæ suæ anno cruci affixus fuit, & fœminæ imbecilles, atque infantuli, & virgunculæ, quæ naturaliter vel ipso nudi ensis, aut sanguinis effusi aspectu exanimari solent, tormenta crudelissima, mortémque acerbissimam eâdem alacritate, constantiâ, & patientiâ passæ sint. Quintò, quòd sæpissimè Deus vim ignis, equulei, scorpionum, rotarum, & aliorum tormentorum, rabiémque ferarum mirabiliter suspenderit, & impediuerit; terræque motus, Idolorum euersiones, & alia prodigia in eorum morte sæpe contigerint: ac circa eorum corpora, & per ipsa, multa miracula ante & post mortem facta fuerint, vt notum est ex plurimis historijs in oculis viuentium & videntium Ethnicorum scriptis, non contradicentium, sed hæc omnia magicis artibus ineptè tribuentium. Sextò denique, quòd Ecclesia per tot clades martyrum, & tyrannorum persecutiones pluribus sæculis toto Romano imperio, totóque orbe continuatas, non extincta modò non fuerit, vel imminuta: sed mirabiliter aucta; conuersis ob constantiam martyrum, & alia, quæ notaui, ipsorum spectatoribus, ipsisque etiam interdum carnificibus, & carcerum custodibus, ac Tyrannorum præfectis, & ministris. Hinc Tertull. in Apologet. c. vltimo, *Exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis Sectæ. Plures efficimur, quoties à vobis metimur. Semen est sanguis Christianorum.* Quia nimirum singula grana, quæ in terram cadebant, multiplicata renascebantur, vt ait S. Leo Serm. 1. de Sanctis Petro & Paulo. Et sicut vinea crescit, cùm putatur: Sic Ecclesia, per suos martyres aucta est; inquit Iustinus martyr in Dialogo cum Tryphone.

Quæ iã in illis consideranda.

Et quidem illa Ecclesiæ propagatio, continuatio, & firmitas inter tot persecutiones, magnum quoque Diuinitatis indicium est. Videas enim, inquit rectè Medina suprà c. 6. Florentissimas, & solidissimas quasque Respublicas, vel externis bellis, vel seditionibus internis abolitas. Cùm tamen contrà, nulla persecutionum tempestas, nullus tentationis turbo, nulla procella calamitatum, Christianam fidem & religionem demerserit. Sed quantò vehementius diabolicæ & mundanæ persecutiones ingrauescebant, tantò magis nouo germine pullulabat Ecclesia. Nimirum quia fundata est supra firmam petram, contra quam portæ inferi præualere non possunt. Cúmque vel vnius gentis potentia summis Imperijs euertendis suffecerit: Nam Assyrios Medus, Medos Persicus, Persas Græcus duce Alexandro, Græcos Romanus deleuit exercitus, qui deinceps Gottis, Wandalis, Hunnis, Longobardis, Turcis, Alanis, Francis imperium cessit inuitus: In Ecclesiam tamen non Medi solùm, non Persæ, non Græci, non Romani, sed nec vniuersus orbis vnanimi conspiratione insurgens præualere potuit. Paucissimi Romani Imperatores

15. Victrix persecutionum Ecclesia.

Christiani, breui temporis spatio, vniuersam idololatriam toto Romano imperio expulerunt, non quidem propositis pœnis, sed Christianâ viuendi ratione permissâ. Contrà verò, pluribus sæculis nec maximorum Imperatorum fauores, nec grauissima supplicia, nec sææ leges, nec infamiæ notæ, nec certæ proscriptiones, nec cætera id genus, quæ in Christianos, quasi in sacrilegos exerceri solebant, Christianam religionem labefactarunt. Sed inter has persecutiones, vt ait Lactant. lib. 5. Instit. cap. 13. à solis ortu, vsque ad occasum lex diuina suscepta est: & omnis sexus; omnis ætas, & Gens, & regio, vnitis ac parilibus animis Christo seruiuit.

SECTIO IV.

Proponitur tertium argumentum à miraculis.

16. Vis miraculorum ad confirmandã veritatẽ. Accedunt tertiò miracula innumera, & illustria, quibus Deus peculiariter Christianismo subscripsit, ac veluti sigillum omnipotentiæ suæ apposuit: sunt enim miracula opera Dei extraordinaria supra omnium causarum naturalium vim, quæ in falsitatis confirmationem à Deo fieri non possunt. Ideóque si quæ doctrina confirmatur miraculis, tanquam à Deo reuelata; dubitandum non est quin ipsa vera sit, & diuinitùs tradita. Sunt, inquam, miracula, pignora diuinæ omnipotentiæ, vt loquitur Chrysost. homil. 14. in Matth. id est, opera mirabilia, per quæ Deus suam nobis omnipotentiam manifestat, ita vt intelligatur à nulla alia causa potuisse illa fieri. Cuiusmodi sunt suscitatio mortuorum; repentina membrorum, aut sensuum restitutio; ordinis Vniuersi, eiusque partium immutatio ad libitum, & ad solum imperium; aliáque id genus, quibus causa miraculorum effectrix ostendit se Vniuerso dominari, neque minorem habere virtutem, quàm ad mundum creandum suffecerit, quæque Vniuersum conseruat, & regit: imò etiam posse momento facere, & sine vllis dispositionibus, & causarum secundarum interuentu, ea quæ in consueto rerum ordine non fiunt, nisi longo tempore, & cum magnis dispositionibus. Qua de re plura vide Disp. præcedenti, Sect. 4. num. 33. & sequentibus: vbi plura de his, à quibusdam eruditis recentioribus obseruata retulimus.

17. Christi miracula. Quòd autem fides Christiana multis, magnisque miraculis sit confirmata, certissimum est. Quàm multa enim omnis generis miracula à Christo & Apostolis constanter edita, & palam; quæ nouo Testamento non fuissent publicata eo sæculo, quo falsitatis ab oculatis testibus conuinci potuissent, si historiæ labasset veritas. Secreta cordium passim à Christo cognita, & mirantibus hostibus reuelata: cæci, muti, surdi, claudi, paralytici, leprosi, hydropici, & alij mirabiliter sæpe solo imperio sanati: mortui etiam suscitati, dæmones è corporibus pulsi, maria solo iussu sedata, & calcata, futura libera certissimè prædicta, & alia innumera, quæ non fuissent scripto vulgata coram Iudæis infensissimis, aut mox omni fide caruissent; & tamen ita fidem obtinuerunt, vt Iudæorum plurimi ijs permoti, & ad fidem, præcipuè post Christi resurrectionem, Petri & aliorum Apostolorum prædicatione conuersi, exilia, carceres, & mortem pro fide passi sint.

Quàm multa verò eiusmodi miracula à Christo facta sint, conjici facilè potest, ex cap. 4. Matth. vbi sic dicitur v. 23. & 24. *Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos: & curauit eos.* Et, rectè obseruarunt ijdem Recent. Matthæi 4. & 5. significatur Christum multos alios suscitâsse à mortuis, illuminâsse cæcos, &c. præter illos qui in Euangelio expressè commemorantur: cùm sic dicitur: *Ite, & renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Et c. 15. v. 30. *Accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Et Luc. 6. v. 19. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* Vt meritò dixerit Chrysost. homil. 14. & 28. in Matth. Euangelistas nubes quasdam signorum (miraculis scilicet innumeris, veluti guttis pluuiæ fœtas) grandi verborum parcitate transcurrisse; neque in singulis immoratos esse, sed vnico verbo miraculorum pelagus comprehendisse. *Eorum multitudo.*

Considerandum quoque est, quòd qui ea scripserunt Euangelistæ, fuerunt Christi contemporanei, de quibus iure præsumi nequit, quòd per ignorantiam scripserint, cùm essent magna ex parte testes oculati: neque per malitiam, cùm essent rerum omnium humanarum contemptores, vitâ innocentes, salutis hominum studiosissimi, & zelo gloriæ diuinæ feruentes, pro qua grauissima supplicia constanter, & alacriter passi sunt, quorum denique scripta cum eximia doctrina, & sapientia, magnam pietatem, sinceritatem, & sanctitatem præ se ferunt. Præter quos tamen Christi miraculis & sanctitati attestantur aliqui extranei scriptores magnæ auctoritatis, vt Iosephus, qui proximè post Christum floruit. De illo enim sic scribit lib. 18. Antiquit. c. 4. *Fuit autem his temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & Doctor omnium eorum qui libenter audiunt quæ vera sunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex Gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ Gentis virorum, cùm Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus: secundùm quod diuinitus inspirati Prophetæ, vel hæc, vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat, & genus.* Huc vsque Iosephus. 18. *Euangelistarum ea scribentium fides indubitabilis.* *Illis quoque Iosephus attestatur.*

Miracula quoque post Christum ab Apostolis 19.

Miracula facta ab Apostolis, & alijs.

facta, testantur Lucas in Actis, Paulus in Epistolis, & Marcus c. vlt. v. vlt. Et tum eadem, tum alia plurima, ab alijs Apostolorum coætaneis, & à successoribus per singulas ætates à Christo huc vsque patrata scripserunt partim sancti Patres, vt Athanasius in vita S. Antonij, Gregor. Nyssen. in vita S. Gregorij Thaumaturgi, Gregor. Nazian. in orat. de S. Gorgonia, Hieron. in vita S. Hilarionis. Ambr. in lib. de Virgin. August. lib. 22. de Ciuit. c. 8. & Epist. 98. Chrysost. in homil. de S. Babyla, & homil. in S. Lucianum, alijsque pluribus locis, Seuerus Sulpitius in vita S. Martini. Gregorius magnus in Dialogis. Theodoret. in vita S. Simeonis Stylitæ: partim alij multi graues, & sancti viri, qui pro sua vitæ sanctitate, grauitate, & doctrina, multò magis fidem merentur, quàm prophani historici: qui si horum miraculorum mentionem non fecerunt, causa est, tum quia non poterant sine religionis violatæ suspicione Christiana referre miracula: tum etiam quia non vera miracula, sed magicas præstigias esse putabant, excæcante dæmone, qui etiam non est passus, vt Ethnici fidei sibi aduersæ attestarentur, scribendo eius miracula. Itaque vel non ea digna existimarunt quæ suis libris insererentur; vel inserere ausi non sunt. Qui autem veritatem eorum perceperunt, & Christianæ fidei manus dare non sunt veriti propter supplicia imminentia; statim ad fidem conuersi, diuinorum operum patroni, & præcones facti sunt, eaque libris suis inseruerunt. Quòd autem Ethnici non possent inficiari fieri talia miracula, constat ex scriptis Christianorum ad ipsosmet; vt ex Apologetico Tertulliani ad Scapulam, & ex lib. 6. Arnobij, & aliorum contra Gentes. Sed & illa miracula innumeræ orbis partes publicis monumentis templorum, & alijs testantur. Rursus frequenter adhuc varijs locis fiunt non pauca, nec obscura, in multorum, in vrbium, in gentium vniuersarum conspectu. Nam ad Christi inuocationem, & Christianæ fidei confirmationem pelluntur varijs locis dæmones è corporibus possessis, curantur morbi mirabiliter, ac mortui quoque suscitantur. Vnus Franciscus Xauerius postremo sæculo, vt sanctos Borromæum; Nerium, & alios omittam, quinque certissimè ad vitam reuocauit. Cuius viri Apostolici miracula sunt adeo illustria, vt ipsorum hæreticorum confessionem extorqueant: Sic enim de illo Richardus Hacluitus Minister Anglus scribit in secundo volumine de primis nauigationibus, parte 2. pag. 8. *Pius ille confessor, Indorum in ijs, quæ ad religionem pertinent, institutor Franciscus Xauier, post multos exantlatos labores, post iniurias, & calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus obijt anno 1552. postquàm multa hominum millia ad fidem Christi perduxisset. De hoc viro sancto, virtutibus eius & mirabilibus omnes recentes Indorum historiæ testantur.* Hæc ille vi veritatis manifestæ coactus.

Cur ethnici non ea scripserint?

Non desierunt fieri.

20\. Alia plurima ad aliorum Sanctorum viuentium preces, vel ad reliquias, imagines, & monumenta defunctorum, etiam nunc patrata, tot scriptorum, & testium oculatorum assertione firmantur, vt vincant omnem peruicaciam, & dissimulationem, præcipuè ijs in locis, in quibus Dei mater colitur specialiter, vbi multò plus honoratur à Deo, quàm Sectariorum blasphemijs dedecorari possit. Sunt quoque etiam nunc perpetua quædam & continua miracula; vt olim erant apud Iudæos piscina probatica, & alia quædam. Nam continuum miraculum capitis & Ampullæ sanguinis S. Ianuarij Neapolitanis notissimum est, & experientiâ cuique volenti conspicuum: B. Claræ de Monte-Falco, & aliorum quorumdam corpora publicè videntur adhuc post tot sæcula, incorrupta, & integra, S. Nicolai Myrensis, Barij in Apulia, & aliorum quorumdam Sanctorum sepulchra, vel lipsanothecæ fundunt continuò liquorem, quo morbi non rarò repentè, & mirabiliter curantur. Plurimorum reliquiæ ab infirmitatibus, & periculis liberant, & aliquorum id genus miraculorum experientia tam aperta est, vt superet omnem cauillandi impudentiam.

Sunt & perpetua quædam miracula.

21\. Adde continuatam huc vsque oraculorum cessationem, olim etiam ab Ethnicis decantatam, & in nouo orbe renouatam ad præsentiam Euangelij. Adde item notissimam, & frequentissimam improborum spirituum, vel inuitorum obedientiam erga Christum, & exorcismos. Quos spiritus ex effectis nobilissimos esse constat, & intelligentissimos; aliunde verò nequissimos ex odio in Deum, & alijs nefarijs, quæ committunt contra principia morum euidentissima: adeò vt illis exosum esse maxima sit Christianismi gloria. Idémque dico de illis dæmonibus, quibuscum Magi paciscuntur, qui eiurationem Christi maximè expetunt. Cúmque, vt animas hominum perdant, ad pacta & ministeria vilissima, sese constantissimè demittant; satis ostendunt & animas esse immortales, quibus insidiantur: & Deum esse, à quo iustè torqueantur, vnde tantum in ipsum odium; & Christi fidem veram esse, ad quam abiurandam suos statim compellant. Adde denique prouidentiam Dei, quam prorsus incredibile est, homines ita destituere, vt patiatur eos tamdiu errâsse, & errare circa dogmata religionis cum tanta euidentia credibilitatis. Præsertim cùm non pauci ipsi placere quærant ex animo, magnóque studio veræ cognitionis ipsius teneantur. Nihil enim est rationabilius, quàm Deum non deesse ijs, qui toto corde illum inquirunt: quique filijs, vxoribus, parentibus, cognatis, amicis, fortunis, voluptatibus, honore, & vitâ ipsâ posthabitis, possunt cum Paulo dicere Roman. 8. *Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, &c.* Qui certè si errarent, non posset illis error imputari, cum prudentissimè faciant, posséntque Deo meritò dicere cum Richardo Victorino, lib. 1. de Trinitate, cap. 2. *Si error est, quem credimus, à teipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

Oraculorum cessatio, & subiectio dæmonū, hucvsque durat.

Deus non potest permittere nos illudi tot miraculis.



SECTIO V.

Proponitur quartum argumentum, à comparatione cum alijs Sectis.

21. QVartò denique auget fidei nostræ credibilitatem comparatio cum alijs Sectis, quibus euidenter, & immensè præponderat. Nam quæ hactenus viguerunt, aliæ nullum Deum colunt, aliæ vnicum, aliæ multiplicem. Quæ nullum, vel multiplicem, refelluntur euidenter, vel ratione ipsa naturali, quâ Dei existentia & vnitas demonstrari solet à Theologis cum D. Thoma p. 1. q. 2. & 11. & à nobis fusè probata fuit tomo 1. Disput. 2. & seqq. & Disp. 6. Sect. 4. Speciatim vero notandum est Gentiles polytheos omnes in multis dogmatibus contra rationem naturalem peccare: quo vno argumento manifestum est, Sectas illas non esse à Deo, qui falsitatis auctor non est. Præterquam quòd carent miraculis, & alijs argumentis credibilitatis, quæ in confirmationem fidei Christianæ facta fuisse ostendimus. Videri possunt hac de re Iustinus mart. & Tertull. in Apologet. Lactant. in Instit. Arnob. contra Gent. Cyprianus contra Idola. Augustin. in lib. 6. de Ciuit. Dei, & lib. de vera relig. c. 3. & sequentibus.

Athei, & Polythei.

Quæ verò vnicum Deum colunt, vel sunt Deistarum, vt hodie vocant, id est, Semi-Atheorum; vel Turcarum, & Mahumetanorum; vel Iudæorum; vel Christianorum, qui in Catholicos, & hæreticos diuiduntur. Deistæ dicunt vnicum Deum colendum esse, sed tantùm iuxta dictamen naturale: fictas enim esse, aut non satis probatas reuelationes diuinas, quæ prætenduntur esse factæ. Ideóque debere respui: Quia in negotio religionis nihil admitti debet, quod non sit certum. Aut nimis esse difficile in tanta religionum varietate veram reperire: ideóque prudentiùs eos facere, qui suspendunt iudicium: Et Deum, modò supremus eius cultus nulli alteri deferatur, nolle eos perdere, à quibus colitur iuxta dictamen rationis naturalis. Neque ad illius benignitatem, & prouidentiam pertinere, vt vnicam viam salutis reliquerit: præsertim adeò difficilem inuentu, & tam angustam, quàm fuit olim Iudaïsmus, & nunc Christianismus, qui à paucis tenetur. Ad quem errorem propè accedunt multi huius temporis hæretici, qui putant esse indifferens adhærere huic, aut illi parti Christianorum de vera Christi doctrina dissidentium, satisque esse credere in Christum, vel tenere Symbolum Apostolorum: quia multi saluati fuerunt per solam fidem in Christum, vt latro in cruce: & in tanta varietate interpretationum Scripturæ nimis difficile est, aut impossibile, veram reperire; idque etiam Deus non curat.

Deistæ semi-Athei.

Indifferentes, seu libertini.

23. Sed contrà: primò, patet ex suprà dictis quàm probetur efficaciter Christianas reuelationes esse verè diuinas. Id enim constat ijs argumentis, quibus maiora, imò nec paria requirunt Deistæ in multis, quibus certò assentiuntur, & quibus ad agendum in rebus magni momenti permouentur, quæque orbis ferè vniuersus ad credendum sufficere iudicauit, non destitutus illo iudicio naturali, quo Deistæ gloriantur. Secundò, Scriptura, quam diuinam esse, & vt talem acceptari debere, ostendimus Sect. 2. affirmat esse damnationi æternæ obnoxios eos omnes, qui Christi fidem rejiciunt: *Qui enim non crediderit, condemnabitur,* Marc. vltimo, v. 16. Et 2. Thessalonic. 1. v. 8. & 9. dicitur eos, qui non obediunt Euangelio, daturos esse pœnas in interitu æternas. Et Ioan. 16. v. 8. Christus sic ait: *Arguet mundum* Spiritus sanctus *de peccato, de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Et Luc. 19. v. 41. & sequentibus prædicitur futura Iudæorum ruina, etiam temporalis, eò quòd Christum audire, & agnoscere noluerunt. Et 1. Ioan. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui autem non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo.* Absurdum verò est existimare ad salutem sufficere illam Dei notitiam, quæ compatitur, vt eum mendacem faciamus. Et alioqui frustra Christus doctrinam Euangelicam tam sollicitè prædicasset, & toto orbe prædicari iussisset. Frustra Apostoli, & alij eius propagatores, tam multa pro ea disseminanda, & persuadenda passi essent. Frustra tot prophetiæ, tot miracula, tanta multitudo & constantia martyrum in tormentis, & alia, quæ ad fidem Christianam inducendam, propagandam, stabiliendam facta sunt. Tertiò, cùm Deistæ adhuc paucissimi fuerint: non est credibile solos illos vidisse, cæcutientibus cæteris: & Deum tam paucos in veræ religionis viam induxisse, contemptis omnibus alijs, quorum plurimi toto affectu ipsius notitiam inquisiuerunt, & postpositis rebus alijs omnibus, ipsi soli placere studuerunt. Nam Sancti, & illustres pietate viri, quotquot vnquam extiterunt, Deistæ non fuerunt. Adde, quod docet experientia, id genus homines plerumque, vt & omnes Atheos, peruersam habere conscientiam, & multorum vitiorum sibi esse conscios; quod est magnum erroris ipsorum indicium. Nimirum quia hæc falsa persuasio priuat ferè omnibus & efficacioribus virtutum stimulis, ac vitiorum frænis.

Refellitur eorū error.

Denique, citra dubium est posse Deum reuelare modum, quo velit à nobis coli excellentiùs, & meliùs, quàm dictet sola ratio naturalis. Quæ cùm non doceat Deum colere dignè Deo, cùm tam pauca de Deo nouerit, idque cum tanto Philosophorum dissidio: valde conueniens fuit Deum supplere ipsius defectum, & religionis aliquam formam se dignam instituere. Decuit etiam ad acuendum studium virtutum, multa de ipsis, deque bonorum præmijs, & malorum supplicijs, à se decretis, reuelare. Iam verò, si voluit instituere, séque hominibus, & sua consilia manifestare; cùm non decuerit ipsius maiestatem, comparatam cum nostra vilitate, vt palam nobis & apertè loqueretur: quam meliorem & certiorem inire potuit inter obscuras reuelationes, ad nos sibi liberè subjiciendos, & captiuandum intelle-

Oportuit Deum reuelare modum, quo colatur.

ctum in obsequium fidei? Id autem fecisse re ipsa probant cum summa credibilitate argumenta suprà exposita: quibus Deistæ vnum solum opponunt negatiuum, & euidenter falsum. Certè cùm ratio naturalis passim erret, æquissimum est vt Deistæ sibi diffidant: & tam leue argumentum negatiuum, tot & tantis alijs positiuis non præponant in re tanti momenti. Neque prudenter faciunt, cùm assensum suspendunt à Christiana religione, quæ tot veritatis suæ, tàmque illustria argumenta diuina profert, vt neque Deistæ, neque vlli alij quicquam simile, & paris momenti proponant; quæque si vera est, non potest respui sine certo periculo damnationis. Ipsa enim se ad salutem necessariam esse profitetur; & damnat eos omnes, à quibus non tenetur. Quare non sufficit iudicium de illa suspendere, vel illam vt indifferentem habere: quod ipsum est illi apertè repugnare. Videant etiam Deistæ num peccent manifestè contra rationem naturalem (cuius ductum prætendunt) quando aliam Sectam profitentur exteriùs, & Christianos se esse simulant. Est enim apertè contra rationem naturalem, falsitati, præsertim in religione, siue verbo, siue facto subscribere: & falsum ac superstitiosum Dei cultum exteriùs profiteri. Quòd si tam multi olim, & nunc etiam, religionem veram, rectàmque viam salutis non tenent; per eos stat. Quia vel fidei prædicationem malitiosè respuunt: vel lumen naturale, & diuinas inspirationes non sequuntur: quod si facerent, Deus eos tandem ad sufficientem sui cognitionem, & viam salutis æternæ perduceret.

24. Ostenditur contra indifferentes, veram fidem esse necessariam.

Contra errorem quoque hæreticorum illorum, qui ad Deistas propè accedunt, putántque esse indifferens huic, aut illi Sectæ Christianorum adhærere, dummodò in Christum credatur, aut teneatur Symbolum Apostolorum, pugnat apertè Scriptura, quæ sollicitè nos admonet vt vitemus hæreticos, Rom. 16. v. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.* Et 2. Thessal. 3. v. 14. *Quòd si quis non obedit verbo per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Et 2. Timoth. 3. v. 5. & sequentibus, iubet Apostolus vitare hæreticos, quos ibidem ait v. 8. resistere veritati, & esse homines corruptos mente, & reprobos circa fidem. Sine fide autem impossibile est placere Deo, inquit, idem Apostolus Hebr. 11. Et denique Tit. 3. v. 10. sic loquitur: *Hæreticum hominem post vnam, aut alteram correptionem, deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Vbi nota Paulum generaliter loqui de Hæreticis: neque enim addit, si Christum negent, vel si Apostolorum Symbolum non teneant. Et speciatim 1. Timoth. 4. de aliquibus affirmantibus tantùm nuptias esse prohibitas, & aliquos cibos esse rejiciendos propter se, tanquam malos, cuius vtriusque dogmatis oppositum non continetur in Symbolo Apostolorum, affirmat illos cauteriatam habere conscientiam. Et ad Galat. 5. v. 20. numerantur Sectæ inter opera carnis damnabilia, & fugienda. Præterea ex eadem Scriptura constat neminem sine fide posse salutem consequi. *Qui enim non crediderit, condemnabitur* Marci vltimo. Et, *Sine fide impossibile est placere Deo* Hebræor. 11. v. 6. Hæc autem fides, vera scilicet, & salutaris, non est nisi vna, vt ait Apostolus Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma* Sed non esset vna, si fides quarumlibet Sectarum, Christum & symbolum non negantium, sufficeret ad salutem.

Denique error ille repugnat etiam manifestè sensui antiquæ Ecclesiæ, à Christo & Apostolis edoctæ: & sanctis Patribus, quorum vnanimis consensus est, extra Ecclesiam non esse salutem, iuxta illud Isaiæ 60. v. 12. *Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit*: & prophanum esse, atque periturum, quicumque extra illam est, vt aiunt Aug. lib. 4. de Symbolo ad Cathecum. c. 13. Hieronym. Epist. 57. ad Damasum, & lib. contra Luciferian. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, Iren. lib. 3. contra hæreses c. 4. & alij, quorum testimonia legi possunt apud Iaubertum de Barrault, tomo 2. Clypei c. 19. n. 16. & sequentibus, & Perron initio Replicæ, in Epistola ad Casaubon, qui fusiùs contra oppositum errorem disputant. Et Athanas. in Symbolo, explicatis multis de mysterio Trinitatis, & Incarnationis, quæ non continentur in Symbolo Apostolorum, ita concludit. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, absque dubio in æternum peribit.* Et denique Aug. lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 8. comparat errantem in vnico fidei articulo, homini lethale aliquod vulnus habenti, quem reliquæ partes corporis integræ non liberant à morte. Vbi nota sanctum illum Doctorem ibi loqui de errore Donatistarum, quo existimabant esse rebaptizandos eos omnes, qui ab hæreticis baptizati fuerant, eò quòd crederent non posse ab illis validè conferri baptismum. Quem errorem neque ex Symbolo Apostolorum, neque ex sola Scriptura conuinci posse, sed ad Ecclesiæ traditionem recurrendum esse, fatetur idem Augustinus.

25. Idem probatur ex SS. Patribus.

Quamvis autem non sit necessarium ad salutem credere expressè omnes articulos fidei, & quæcumque Deus reuelauit, sed pauca sufficiant, siue necessitate medij, siue etiam necessitate præcepti, vt alibi ostendemus, Disp. 10. Sect. 12. & 13. necessarium tamen est nulli dogmati reuelato, & sufficienter proposito contradicere, sed debet saltem generaliter, & virtualiter approbari quicquid à Deo reuelatum est. Talisque fuit latronis sancti fides, & Cornelij centurionis, & aliorum, quotquot vnquam salutem consecuti sunt. Et quisquis respuit malitiosè quodcumque fidei dogma sufficienter propositum, nullum aliud credit fide diuinâ & supernaturali, quæ perfectè subjicit intellectum diuino testimonio, & credit propter illud generaliter acceptatum, non autem vt restrictum ad aliquod motiuum humanum

26. Quæ & qualis fides necessaria?

& fallibile, illique subiectum; vt faciunt hæretici: qui pro regula fidei non habent Dei testimonium purè sumptum, sed sensum Hæresiarcharum, aut pastorum suorum; vel spiritum priuatum, & iudicium proprium, quod ipsimet non diffitentur falli posse, & experientia id euidens facit in diuersarum, & contrariarum Sectarum hæreticis contraria dicentibus, & nihilominus spiritum illum priuatum æquè iactantibus, parique iure prætendentibus. Quare non credunt fide supernaturali, quæ motiuo fallaci, & fallibili niti nequit. Ideóque fides, quam habent, merè humana, & fallax, non sufficit ad salutem.

27. Soluuntur argum. Deistarũ & indiffer. Ad primum autem fundamentum erroris contrarij patet ex dictis num. 23. Ad secundum dico cum quibusdam eruditis recentioribus, veram Ecclesiam tot, tamque illustribus notis fuisse à Deo insignitam, vt non sit difficile eam agnoscere, & ab illa veritatem, & viam salutis addiscere. Nam, vt rectè ait S. Aug. Epist. 170. ad Seuerinum, *Facile tibi est attendere, & videre ciuitatem supra montem constitutam, de qua Dominus ait in Euangelio, quod abscondi non possit. Ipsa est enim Ecclesia Catholica, vnde καθολικὴ Græce appellatur, quòd per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet. Imò secundum verbum D. N. Iesu Christi abscondi non potest.* Et Tract. 2. in 1. Epist. Ioan. *Quid amplius dicturus sum*, inquit, *quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? Qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?* Et lib. 2. contra Parmenianum cap. 3. dicit, Palpare in meridie, quasi media nocte, qui rem manifestissimam, in lucem omnium gentium constitutam videre non possunt: Ecclesiam scilicet; extra quam affirmat ibidem salutem non esse. Et lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 16. asserit eos, qui non vident Ecclesiam, malle clausis oculis offendere in hunc montem, quàm in eum ascendere. Et concio. 3. in Psal. 30. explicans versum 21. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum*, sic ait de eadem; *Diuersæ doctrinæ personant, diuersæ hæreses oriuntur. Curre ad Tabernaculum Dei, ad Ecclesiam Catholicam: ibi protegeris à contradictione linguarum*; id est, ibi doceberis veram Christi doctrinam, & tutus eris ab hæreticorum telis. Et lib. 1. contra Cresconium c. 33. *Si quis ergo falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quàm sine ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.* Et deinceps pergit ostendere Ecclesiam illam à Scriptura demonstratam, eam esse, quæ per omnes Gentes, copiosè dilatatur, & abscondi non potest, vt ait cap. 36. libri sequentis, quæque perpetuò sedi Petri adhæret per continuam successionem Pontificum, eius locum tenentium, vt addit initio tomi 7. in Psal. contra partem Donati, & lib. contra Epist. fundamenti c. 4. alijsque locis. Et hactenus contra Deistas.

28. Mahumetanæ Sectæ falsitas. Iam verò Turcæ, & Mahumetani Christum Mahomete quidem inferiorem esse putant: Sanctum tamen, ac verum Prophetam fatentur. Hanc enim eorum de Christo confessionem refert S. Damascenus lib. de hæresibus, in fine. Qui certè vir, adeo grauis, & sanctus, neque finxit mendacium, de quo tam facilè conuinci potuisset; neque ab alijs deceptus; ita de illis falsò existimauit: scripsit enim vt testis oculatus: quippe qui fuit aliquandiu inter ipsos captiuus, & centum circiter annis post errorem Mahometis exortum floruit. Atqui si Christus verus Propheta, & sanctus est: Mahometes impostor, & eius Secta falsa est. Christus enim se verum Deum esse, suamque legem sequendam asseruit, & miraculis confirmauit: vt patet ex Euangelistis, & Apostolis noui Testamenti scriptoribus, alijsque sacris, & prophanis Auctoribus antiquissimis, quibus fides habenda est potiùs, quàm Mahometi sexcentis post annis id temerè, & gratis neganti, fingentique Christum in cœlum reducem, se apud Deum excusasse, quòd eius seruum duntaxat se professus esset. Deinde Mahometis vitia, contradictiones Alcorani, ab ipso, quippe imperito, & vitioso scripti, dogmata pleraque eiusdem manifestè rationi contraria, fœdæ libidines permissæ, & in cœlo promissæ in præmium beatitudinis, satis ostendunt falsitatem Sectæ, quæ in brutorum voluptatibus fœlicitatem æternam constituit. Talem autem esse doctrinam Alcorani patet ex eius lectione, & tacita confessione Mahumetanorum, qui Scriptoribus nostris, id passim illis exprobrantibus, nihil respondent. Imò Docti inter ipsos vel omnem religionem rejiciunt, vel damnant ipsam Mahumetanam fœdi erroris circa fœlicitatem, quam collocat in corporis voluptatibus; vt de Auerroe, & Auicenna, refert Medina lib. 1. de recta in Deum fide c. 4. folio 6.

Adde quòd Mahumetismus fraudibus, vi, & armis introductus, ac propagatus est, sine vllis miraculis, & indicijs Diuinitatis; vt videre est apud Baronium tom. 8. anno Christi 630. & Damascenum loco suprà citato, vbi refert quomodo Turcas pudore suffunderet, & tacere cogeret, exprobrans illis quòd Mahometi credidissent, fingenti se dormiendo legem à Deo accepisse, cuius rei nullum testem, nullum indicium proferebat: cùm tamen ipse in sua lege vetuerit, eos quicquam temerè aggredi; nihilque magis temerarium sit, quàm antiquam religionem tot argumentis diuinis comprobatam, mutare in aliam nullis Diuinitatis indicijs munitam. Nam Moysi quidem, quem ipsi velut Prophetam, & antiquæ legis Doctorem venerantur, Deus legem dedit coram vniuerso populo, in igne, nube, & procella. Idemque Moyses, alijque Prophetæ, Christi aduentum, & euentus in illo implendos longè antè prædixerunt, vt agnosci posset. At illi credunt Mahometi glorianti solùm se dormiendo legem à Deo accepisse: cum neque vllus eum cum Deo loquentem, & legem accipientem viderit, neque Prophetæ eum commendauerint, & gesta illius prædixerint, neque vllum aliud signum diuinum habuerit suæ missionis. 29. Quomodo introducta, & propagata?

Neminem verò turbare debet potens, & ampla Turcarum dominatio, & fœlix rerum temporalium successus. Nam Iudæorum tempore, quorum religionem approbant Mahumetani, longè, latéque dominabantur primò Assyrij, tum Persæ, & Macedones, posteáque Romani, 30. Prosperitas temporalis non eam eximit à falsitate.

Romani, à quibus omnibus Gens illa multis, magnisque calamitatibus vexata fuit. Et Gentilis superstitio, quam ipsi quoque damnant, latiùs tunc dominabatur, quàm nunc Mahumetana. Deinde, Secta sensui & carnis voluptatibus indulgens hac in vita, maioréſque promittens in altera, facilè acceptatur. Ac sicut illa cœpit armis introduci, & fraudibus; ijsdem quoque artibus propagata est: fauentibus eius propagationi Christianorum Principum dissensionibus, & Deo in pœnam peccatorum nostrorum id iustè permittente: vt fusiùs prosequitur Michaël Medina, capite suprà citato. Sed & in tota eius ditione non desunt plurimi qui Christi fidem profiteantur. Et sicut mundus quando in quibusdam sui partibus corrumpitur, in alijs reparatur: quodque vno in loco perdit, alibi acquirit; atque ita perpetuò durat, & incorruptibilis est: Sic Ecclesia, quam perpetuò duraturam esse Christus prædixit, nouarum Gentium accessione plus acquisiuit, quàm per Turcarum vastationem perdiderit. Qua de re videri potest Bosius lib. 6. de Notis Ecclesiæ, cap. 7.

SECTIO VI.

Continuatur eadem comparatio cum Sectis Iudæorum, & Hæreticorum.

31. Iudæi perperam à Christo defecerût. IVdæi ante Christum veram religionem tenuerunt. A Christo defecerunt externâ ipsius humilitate decepti, & malitiâ voluntariâ excæcati, ne tot signorum, & miraculorum lucem aspicerent, quibus Christus se Messiam esse probauit; cùm tamen Moysen, & alios Prophetas ob multò pauciora recepissent; Solus enim Christus plura patrauit miracula, & plura dedit missionis suæ signa, quàm omnes simul Prophetæ veteris Testamenti, vt constat ex historia Sacra veteris & noui Testamenti, & antiquis scriptoribus Ecclesiasticis, qui res ab illis gestas posteritati commendarunt, Ergo si Prophetæ illi admittendi fuerunt, multò magis Christus admitti debet. Si, inquam, Iudæi meritò & prudenter Moysen, tanquam verum Prophetam à Deo missum acceptauerunt, propter miracula, quæ coram illis in Ægypto edidit ad confirmandam veritatem suæ missionis; pari, ac potiori iure debent Christum agnoscere, qui plura edidit, pluráque dedit suæ missionis argumenta diuina. Neque respondeant, miracula illa à nostris tantùm esse scripta. Nam præterquam quòd illud in ipsos retorqueri potest quoad miracula Moysis, & aliorum Prophetarum: ostendimus suprà Iosephum, religione & natione Iudæum magnæ auctoritatis, Christi miraculis attestari. Et neque Apostoli ea scribere in facie Iudæorum ausi essent: neque viri maximi eorum Discipuli, Dionysius, Clemens, Ignatius, Iustinus, & alij publicare, si falsa fuissent, & mox potuissent Iudæorum testimonio conuinci. Nec denique tam multi ex Iudæis & Gentilibus, illis permoti, fuissent ad Christi fidem conuersi, & constanter pro ea mortem oppetiuissent.

Ne item objiciant miracula Christi fuisse falsa, & artibus tantùm magicis facta. Nam id pari temeritate potest objici de miraculis Mosaïcis. Quodque ipsi respondebunt, vt Mosen liberent ab hac iniusta suspicione, nos multò magis Christo conuenire ostendemus. Sanè vel sola Christi, & Apostolorum sanctitas, morúmque integritas hanc calumniam magiæ, & commercij cum diabolo satis refellit. Sanctitati autem Christi attestatur ipse Iosephus, de quo suprà, lib. 18. Antiquit. c. 4. Et Iacobus minor, Apostolus, tantæ propter sanctitatem eximiam fuit venerationi ipsis Iudæis Christo rebellibus: vt ei (quod nulli alteri, præterquàm Summo Pontifici) permitteretur ingressus in Sancta Sanctorum: & propter viri tam sancti occisionem putauerit idem Iosephus, Deum, in eius vltionem, permisisse Ierosolymorum excidium sub Vespasiano, & Tito, vt ex eodem, & alijs antiquis refert Baronius tomo 1. ad annum Christi 63. Adde quòd si miracula Christi, & Apostolorum, facta fuissent arte magicâ; pertinebat ad diuinam prouidentiam, illis resistere potentiori virtute, ne contra veram religionem præualerent. Vt fecit in Ægypto Magis Pharaonis per Moysen: & Simoni mago per Petrum Apostolum, & Elymæ per Paulum. Alioqui, sicut ex victoria super Magos Pharaonis, colligunt ipsi vera fuisse Moysis miracula, Deique digito, & virtute facta: sic, &c. Atqui Deus non modò non restitit, verùm etiam Synagogam ab eo tempore, continuis miraculis, Prophetis, templo, sacrificijs, regno, & omni honore spoliauit. Contra verò, per Apostolos, & Discipulos Christi, eorúmque successores hucvsque plurima facta sunt, & nunc etiam fiunt subinde miracula, ad cultum eius dilatandum, & confirmandum. 32. Eius miracula imprudenter rejiciunt.

Adde Christum, & quæ illi contigerunt, etiam indignissima, fuisse à Prophetis veteris Testamenti prædicta: & prophetias de Messia fuisse in illo impletas: vt breuiter suprà ostendimus, & fusiùs Chrysostom. in lib. *Quòd Christus sit Deus*, & in quinque Homilijs contra Iudæos. Idque tam apertè, vt Iudæi coacti fuerint malitiosè vitiare scripturas, quæ de Christo erant: vt constat ex eorum Talmud, & ex Galatino in lib. 6. de Arcanis, vbi plurimas refert ineptias, & Scripturæ corruptiones, aut vitiosas interpretationes, quibus se Talmudistæ contra nos tuentur. Sed quicquid dicant, & quascumque interpretationes Scripturæ affingant, negare non possunt illustrissimas prophetias de Messia, tam aptè Christo conuenire, vt tanta conformitas in tam multis euentibus contingentibus, sine diuina prouidentia euenire nequiuerit: putâ natiuitas illius eo ipso tempore, quo Messias venturus credebatur ab omnibus, & post ablatum regnum de domo Iuda, non auferendum donec veniret Messias, Gen. 49. Natiuitas eiusdem in Bethleem, Mich. 2. Prædicatio, miracula, vita, & mors patientissima, eiusdémque mortis circumstantiæ, Isaiæ 61. v. 1. & cap. 53. à versu 12. & Psal. 21. Conuersio Gentium, & destructio idolorum, Isaiæ 2. & Daniel. 9. Atqui si 33. Prophetiæ de Messia impletæ in illo.

Christus impostor erat, non potuit permittere diuina prouidentia notas veri Messiæ tam apparenter illi conuenire: ne tanta apparentia homines totâ prudentiâ humanâ vtentes induceret in errorem ineuitabilem circa religionem, & viam salutis. Et omnino pertinuisset ad Dei prouidentiam notare signa aduentus tam perniciosi impostoris, vt ab illo cauerent Iudæi. Nam si Deuteron. 18. Deus dedit signa, quibus Pseudo-prophetæ discernantur; multò magis tam insignem notasset: & de illo præcipuè verum esse debuisset signum illud generale, quod Deus ibidem, alijsque locis tradit, non esse scilicet euenturum, quod prædicunt. At è contrario, certissimè euenerunt, quæ Christus prædixit de Iudæorum excidio, de conuersione Gentium, de morte sua, de Apostolorum, & Discipulorum persecutionibus, de Ecclesiæ toto mundo propagatione, & perpetuitate, &c.

34. Iudæorũ desolatio à Christo prædicta. Adde præterea subuersionem vrbis, & Reipublicæ Iudæorum; durissimámque captiuitatem, & desolationem, quam Christus, ob sui repulsam, futuram esse prædixerat: nullum ampliùs templum apud ipsos, nullúmve sacrificium, quod non nisi Ierosolymis offerri poterat, vt colligitur ex Daniel. 3. v. 38. Contrà vero, Christianismum, Apostolorum, successorúmque prædicatione, & miraculis, per totum orbem esse propagatum. Atqui, vt rectè expendit Chrysost. in homilijs contra Iudæos, si Iudæi meritò Christum reiecissent, & morte affecissent, vt Pseudo-messiam, & nequissimum impostorem; nihil magis esset contra diuinam prouidentiam, quàm permittere, vt hæc ita euenirent. Nam potiùs ob tam egregium facinus fuissent augendi beneficijs diuinis, & ingenti laude digni. Si enim Phinees, ob interfectum Madianitem zelo diuini amoris, Deum sibi, & toti populo conciliauit, pacémque fœderis diuini, & sacerdotium sempiternum sibi, & posteris à Deo accepit, Num. 26. v. 7. & sequentib. Quantò magis ipsi, si impostor erat, quem crucifixerunt? At è contrà, Sacerdotio, & sacrificio priuati sunt; & grauiora patiuntur, quàm cùm idolis seruiebant, propriósque liberos dæmonibus immolabant. Christi verò sacerdotium, & sacrificium toto orbe floret: & crux in Regum, & Imperatorum diadematis fulget. Olim cùm grauia peccata committerent, quamdiu tamen veram religionem retinuerunt, Deus eos protegebat, propter nomen suum, ne prophanaretur inter Gentes. Si ergo legis transgressor, & euersor veræ religionis erat, quem occiderunt: quantò magis protegendi erant ob zelum illum honoris diuini: non autem priuandi beneficijs diuinis, & affligendi cladibus illis, quas Christus in pœnam suæ reiectionis venturas prædixerat: ne propter illum hæc pati viderentur, neve impostor nefarius, & eius Sectatores de illis triumpharent; ne denique illustrissima Danielis prophetia cap. 9. v. 26. & 27. de occisione Christi, & inde secutâ ciuitatis, ac sanctuarij, populique vniuersi dissipatione, vastitate, desolatione perpetuâ, videretur in illo esse impleta, quemadmodum re ipsa manifestissimè impleta fuit. Ac ne dicant Iudæi se ista esse ab hominibus passos, Deo iustè permittente propter peccata sua: Numquid peccabant, cùm idolis plerisque seruiebant, & dæmonibus immolabant, & contra Deum frequenter murmurabant in deserto? Et tamen à Deo protegebantur, & continuis beneficijs admirabilibus afficiebantur. Numquid homines erant Assyrij, Persæ, & Babylonij, contra quos tamen à Deo seruabantur, vel ab eorum captiuitate liberabantur? Et quamvis homines ciuitate, templo, regno, & rebus omnibus temporalibus spoliare illos potuerint: Nunquid etiam donis cœlestibus, vt igne de cœlo, oraculi responsis, Prophetis, & similibus, quæ antea nunquam tempore persecutionum, aut captiuitatum cessauerant, quæque manifestum est non potuisse nisi à Deo tolli, sicut non possunt nisi ab illo dari, & conseruari. Intelligant ergo non fuisse legis transgressorem quem occiderunt, sed ipsum legis conditorem, & omnium beneficiorum Auctorem: seque in eius reiectione, & iniustâ occisione longè grauiùs peccasse, quàm vnquam antea: quandoquidem pœnâ omnium, quæ vnquam fuerunt, longè grauissimâ, & nunquam finem habiturâ mulctantur. Nam quòd desolatio, & vastitas Iudæorum, quæ nunc est, & fuit illis vltimò à Romanis illata, sit perpetuò duratura, partim constat ex Danielis loco suprà citato: partim etiam ex eo quòd illius finis non fuit ab vllo Prophetarum prædictus: cum è contrario aliarum omnium terminus aliquis fuisset à Deo positus, & à Prophetis prænuntiatus. Et hoc ipsum agnouisse Iosephum refert Chrysost. homil. 5. contra Iudæos, apud quem plura, non minùs solidè & verè, quàm eloquenter, & copiosè aduersus illorum errorem dicta videri possunt: quanquam æquo lectori hæc satis, superque sufficiunt.

Iam verò, vt eandem comparationem cum Sectis hæreticorum instituamus: profitentur quidem hæretici omnes doctrinam à Christo & Apostolis traditam esse veram; in quo nobis consentiunt: Et fidem Christi non esse nisi vnam, vt affirmat Apostolus Ephes. 4. v. 5. Esséque prorsus expertem falsitatis: quia doctrina à Deo tradita, falsa esse non potest. Sed contendunt suam doctrinam esse illam ipsam, quæ à Christo, & Apostolis tradita fuit, miraculisque, & testimonio martyrum confirmata. Possunt autem conuinci falsitatis primò, quia fides Christi ab ipso Christo ducit originem, & huc vsque semper in Ecclesia viguit: iuxta illud eiusdem, Matth. 16. v. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam:* & Isaiæ 59. v. 21. *Verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, &c.* aliasque similes prophetias de perpetuitate fidei, & Ecclesiæ Christi. Atqui hæreseos cuiusque notatur initium post Christum; & locus, vbi cœpit; & auctor, à quo frequenter nomen accipit: vt in hæresibus huius temporis notissimum est: & de veteribus notauit Iustinus martyr in dialogo cum Triphone. *Quoniam,* inquit, *omnis hæresis ab aliquo ducit originem, qui à Christo desciuerit: à nomine auctoris suos sequaces nominat.* Fingunt quidem hæretici huius temporis fuisse semper aliquos, qui fidem suam

Hæreses non ducunt originem à Christo.

profiterentur: Sed impossibile est, vt vllum ante Lutherum, vel Caluinum, ostendant in omnibus fidei dogmatibus, sibi consentientem. Cùm nos è contrario fidei nostræ dogmata omnia in sanctis Patribus, & Scriptoribus Catholicis cuiusque sæculi ostendamus: vt accuratè præstiterunt Coccius tomis duobus, Sanderus lib. de visibili monarchia Ecclesiæ, Gauterius in Tabulis chronographicis, & Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Neque abnuunt interdum hæretici: vi apertæ veritatis coacti, Patres pro nobis stare; vt Lutherus in libro de abroganda missa priuata, & Caluin. lib. 1. Institut. cap. 2. §. 4. iuncto §. 9. & 15. Et lib. 3. cap. 3. §. 10. & cap. 5. §. 28. & cap. 15. §. 2. & lib. 4. cap. 12. §. 8. & 23. Sed aiunt Scripturæ potius, quàm Patribus credendum esse. In quo sanè ineptissimi sunt. Quasi verò Scriptura clarè dicat quod ipsi volunt, sicut Patres clarè nobiscum sentiunt; & quæstio sit, vtrum potiùs Scripturæ, an Patribus sit credendum: Cùm contrà, tota quæstio sit, vtri Scripturam meliùs intelligant: Patrésne Antiqui, viri Sancti, & Docti, qui ab Apostolis per manus Scripturam, & verum eius sensum acceperunt, & ad nos transmiserunt: an vero Lutherus, & Caluinus, & scioli quidam Nouatores, vel Apostatæ Monachi, temeritatis, & audaciæ pleni?

35. Hæreses oriuntur ex mala occasione. Secundò, fides Christi ab innocentia, & sanctitate duxit originem: & per humilitatem, & patientiam est propagata, non hnmanâ virtute, sed Deo prædicationi cooperante per miracula. At hæreses communiter ex aliqua humana, & mala occasione oriuntur, vt ex indignatione ob aliquid non obtentum, vel quid simile. Quemadmodum in Antiquis notarunt Eusebius lib. 7. hist. c. 33. Et Nicephorus lib. 4. c. 4. 7. & 20. & lib. 6. cap. 3. & in nouis hæreticis de Luthero, deque Henrico VIII. schismatis Anglicani Auctore notissimum est. Malis item artibus, fraude, vi, armis, seditionibus, licentiâ malè viuendi, propagantur; vt in Germania, Anglia, Gallia, alijsque locis Patrum nostrorum memoriâ visum est.

Docent multa rationi aduersantia. Tertiò, fides Christi sana, & sancta est, nihil docens rationi naturali, aut virtuti contrarium, sed potiùs ad omnem pietatem impellens. At doctrinæ hæreticorum multa continent rationi naturali, & virtuti opposita. Vt in Antiquis notarûnt Irenæus lib. 1. & 2. Epiphanius hæresi 26. & 27. & Aug. Epist. 50. In nouis autem patet ex his & similibus eorum dogmatibus. Dei mandata esse impossibilia, etiam cùm Dei gratia: Homines sola fide iustificari; & peccata quælibet, habentibus fidem, non imputari, nec quidquid ipsi faciant, posse vnquam fidem perdere: Neminem mereri bonis operibus factis cum Dei gratia; neque habere liberum arbitrium ad bene operandum. Vt omittam horrendas Caluini blasphemias, Deum esse Auctorem peccati, & ad malè agendum impellere, cogere, necessitare, & quosdam suâ merâ voluntate creâsse vt damnaret: Quemadmodum ex varijs & perspicuis eius locis luculenter ostendit Iaubertus de Barrault tom. 1. Clypei c. 31. Videri etiam possunt Claudius de Saintes in Atheismis Caluini, & Gauterius in Tabulis Cronographicis, sæculo 16. cap. de erroribus Caluini.

Quartò, fides Christi vna, & constans est; hæreses verò diuersæ, & inconstantes, & aliæ alijs aduersantes, imò & eadem sibi ipsi; vt in antiquis notarunt Irenæus lib. 1. cap. 5. Tertullian. lib. de præscript. cap. 42. Athanasius Epist. ad Liberium, & Epiphanius hæresi 47. In recentibus autem notum est, quàm multæ Sectæ ex hæresi Lutheri pullulauerint: & quàm parum cohærenter loquantur in multis. Ratio huius inconstantiæ est, quia hæresis, non in diuino spiritu, sed in humano fundatur, qui varius & inconstans est, nec semper sibi cohæret. Mirabile verò huius inconstantiæ exemplum est, quòd cùm omnes profiteantur Scripturam solam esse iudicem controuersiarum; & Ecclesiæ atque Conciliorum auctoritatem abrogent in Scripturæ sensu determinando: ipsi tamen ad dirimendas controuersias circa sensum Scripturæ inter ipsos excitatas, sua conciliabula conuocant, cogúntque omnes sibi subiectos stare illorum determinationibus, & definitionibus circa fidei dogmata: nolentésque, exilio, vel alijs pœnis grauioribus mulctant: vt in Synodo Dordracena non pridem factum omnes sciunt: in qua Arminius fuit damnatus, cum Tileno, & alijs eius Asseclis: omnibus tamen Scripturam pro se stare contendentibus. Item in eo, quòd negant Spiritum sanctum infallibiliter assistere Ecclesiæ veræ: & tamen sibi quisque assistere affirmant ad discernendum libros Canonicos, & verum illorum sensum: quod nisi certò, & infallibiliter fiat; fides eorum vacillat, & diuina fides non est. Item in eo, quòd profitentur se multa credere, quia contenta in Scriptura; & alia non minùs in ea expressa recusant credere; non alia de causâ, quam quia ipsis non ita videtur. In quo verè hæreticos se esse ostendunt, id est, credentes ad electionem, & ad placitum. Ex. gr. Scriptura Matth. 25. v. 34. & sequentibus non minùs clarè affirmat regnum cœlorum dari iustis propter opera bona, vt causam illius possidendi: quàm iniustos damnari propter opera mala, vt causam damnationis. Et tamen primum negant, cùm secundum admittant.

(Margin: 36. Sunt inconstantes, & ex vna multæ pullulant.)

37. Nulla earum est Catholica, id est, vniuersalis. Quintò, fides Christi Catholica est; vt de vera Ecclesia dicitur in Symbolo, id est, vniuersalis; tempore scilicet, & loco, & personis; quia durauit perpetuò ex quo à Christo, & Apostolis annuntiata est; & in totum terrarum orbem diffusa: & ab omni hominum genere acceptata. At hæreses initium & finem habent: & alicubi tantùm vigent: & à cuiusdam, aut paucarum nationum hominibus tantùm acceptantur. Vbi nota, cùm plurimæ nationes à Paganismo ad fidem Christianam per Catholicos olim conuersæ fuerint, atque etiam nunc quotidie in nouo orbe conuertantur; nullam gentem hactenus per hæreticos fuisse conuersam, ita vt ipsi primi notitiam Euangelij illi intulerint: sed omnem illorum operam in Catholicis peruertendis, & zizanijs semini bono superseminandis fuisse impensam. Denique

hæreses carent miraculis, quibus Christus fidem veram initio prædicationis maximè illustrauit, & illustrare non desinit: Licet hæretici, more Ethnicorum, & Iudæorum, calumnientur ea fingi, vel à dæmone fieri. Cùm tamen multa palam, in luce & plurimorum conspectu fiant per homines summâ vitæ innocentiâ præditos, quales non sunt impostores operâ dæmonis vtentes: repugnétque, vt suprà diximus, diuinæ prouidentiæ, permittere, vt tot falsis miraculis falsa doctrina confirmetur. Carent etiam illâ vitæ sanctitate, quam in plurimis, qui sine dubio nostri fuerunt, agnoscere coguntur: vt in Benedicto, Bernardo, Xauerio, & similibus, quos cum Christo in cœlo viuere miracula testantur. Cùm ipsi neminem proferre possint, de quo certò constet, quod Sectæ suæ doctrinæ insistendo, in cœlum peruenerit. Non enim Caluinum, aut Lutherum, & alios recentiores, quorum vita, à Sleidano, Bolseco, & alijs contemporaneis scripta, potiùs oppositum suadet. Non antiquiores, de quorum nullo possunt ostendere professum esse quidquid ipsi profitentur. Et de plurimis, ipsorum iudicio sanctis, & beatis, constat esse professos oppositum: vt de Basilio, Hieron. Aug. Anton. & similibus quos constat Monachos fuisse, cùm ipsi Monachorum sint hostes infensissimi, & Monastica vota affirment ex officina diaboli prodijsse, artic. 24. Confess. fidei Gallicanæ. Vnde videant quàm imprudenter illam viam insistant, quâ ne vnum quidem ad cœlum peruenisse certò possunt ostendere: relictâ aliâ, quam sancti prædicti, ipsorum confessione beati, tenuerunt. Plura hac de re videri possunt apud Lessium in Consult. de religione, & Ægidium Coninck disp. 11. de fide, dub. 3.

SECTIO VII.

Quomodo vigeat etiam nunc credibilitas fidei? & conclusio præcedentium.

38. Est adhuc sufficiens credibilitas fidei. Porro licet non tanta nunc existat credibilitas fidei, quanta initio prædicationis, tempore Christi & Apostolorum, cùm tam multa cernebantur omnis generis miracula, visibiliterque dabatur Spiritus sanctus & donum linguarum & virtus prophetandi, & morbos solo contactu, vel precibus, curandi, & alia eximia mirabiliaque præstandi, quæ ad nos tantùm per traditionem peruenêre: quanta item eorum, qui tot opera stupenda, & naturæ vires superantia fieri conspiciebant à sanctis Gregorio Thaumaturgo, Antonio, Hilarione, Basilio, Hilario, Martino, & similibus, quando Ecclesia sanctorum numero, & multitudine miraculorum magis florebat: non tamen desunt etiam nunc sufficientia argumenta, quæ qui rectè perpendunt, cognoscunt euidenter se ad credendum obligari. Et licet ea non omnes æquè percipiant; nemo tamen est tam rudis, qui cum Dei speciali auxilio, ad credendum necessario, non possit aliquem eorum sensum habere sufficientem ad fidem, & ad notitiam obligationis.

39. Viget memoria antiquorum miraculorũ. Primò enim vigent antiqua miracula, à Christo, & Apostolis, & alijs deinceps facta, in constanti, & vniuersali traditione, alijsque monumentis; in quibus vis, & fulgor eorum elucet, vt Sol apparet aliquamdiu post occasum in luce longè diffusa. Nam nisi euidentia, & vis veritatis, & fulgor miraculorum homines compulisset; non ita consensissent in illis miraculis posteritati hucusque tanto studio commendandis. Secundò, manet semper ingens illud miraculum conuersionis imperij Romani ab idololatria ad fidem, quod sine vi diuina non potuisse fieri suprà fuit ostensum. Estque ipsa Roma veluti constans, & permanens Christi trophæum, cùm ibi sedet Christi Vicarius, vbi olim supremus erat persecutorum fidei dominatus: Ibique regnat, & triumphat Christiana religio victrix antiquæ superstitionis, vbi maximè furor, & potentia Ethnicorum contra illam desæuijt. Manet item continuum miraculum perpetuitatis Ecclesiæ contra persecutiones, & hæreses. Et subinde noua fiunt. Neque tertio loco, desunt illustria miracula subinde facta singulis sæculis: vt recens de S. Francisco Xauerio vel ipsa hæreticorum confessione constare suprà vidimus, neque alijs multis non potest sine summa incredulitate, & imprudentia negari contra tot testium oculatorum fidem. Videri potest Gauterius Sæculo 15. & 16. in tabula Euentuum memorabilium, vbi nonnulla refert illustria, præsenti sæculo facta, & proximè præcedenti: & Spondanus tomo postremo continuationis Annalium Ecclesiasticorum.

40. Nec desunt viri Sancti, nec Martyres. Quartò, præter non paucos sanctitate, & doctrinâ conspicuos, qui rebus omnibus propter Christum abdicatis in magna vitæ puritate, & austeritate viuunt: non desunt etiam nunc plurimi martyres varijs locis: sed præcipuè in Ecclesia Iaponica, quæ nulli antiquæ Ecclesiæ, ne primitiuæ quidem, concedit de fidei constantia, alacritate, & patientia mirabili in ferendis tormentis, & nouorum Neronum, ac Domitianorum persecutionibus, vt testantur historiæ fide dignissimæ. Itaque ibi renouatur antiquum illud miraculum conuersionis Imperij Romani, per patientiam, humilitatem, infirmitatem, contemptum, persecutiones, egestatem, ærumnas, carceres, & supplicia Christianorum. Nec dubito fore vt sicut Roma, sic olim Iaponia futura sit insigne Christi trophæum, cùm Gentis illius Imperatores fidem amplectentur, quam nunc totâ potentiâ, atque exquisitâ crudelitate extinguere conantur.

41. Credibilitas in quibusdã nunc maior, quàm olim. Addo, quod valde notatu dignum est, rectéque obseruatum ab eruditis Recent. licet multorum signorum non tanta nunc existat lux, ac primis quatuor aut quinque Ecclesiæ sæculis; aliquorum tamen multò maiorem existere. D. Augustinus tom. 6. lib. contra Epist. Fundamenti, c. 4. de motiuis, quibus in Ecclesia tenebatur, sic scribit: *Multa sunt, quæ in eius gremio me iustissimè tenent. Tenet consensio populorum, atque Gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus mandauit, vsque ad præsentem*

Episcopatum, successio Sacerdotum. Tenet denique ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit sola: vt cùm omnes heretici se Catholicos dici velint: quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur: nullus hereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Huc vsque D. August. Si autem illum tenuit consensio populorum, atque Gentium: nunquam fuit Christiana fides æquè diffusa, & tam multarum, & variarum Gentium consensione recepta, quàm hoc tempore, quo vbi cœpit in Europa diminui propter hæreses, per totum nouum orbem mirabiliter dilatata est, & quotidie dilatatur magis, ac magis. Si item illum iustissimè tenuit continua successio summorum Pontificum in Sede Petri ad suam vsque ætatem, per tot persecutiones, & hæreses, non interrupta: ea nunc multò longior est. Iam enim non quatuor tantùm sæculis, vt Augustini tempore, sed sexdecim & ampliùs durat successio continua Summorum Pontificum vsque ad Alexandrum VII. qui nunc fœliciter Ecclesiæ præsidet: multóque plures persecutiones, & hæreses iam Ecclesia superauit. Qui euentus certiorem persuasionem facit fore vt vsque ad mundi finem æquè perduret, iuxta Christi vaticinium, Matth. 16. v. 18. & cap. 18. v. vltimo, vtque præsentes hæreses sortiantur eundem exitum, quem olim Ariana, Macedoniana, Pelagiana, Nestoriana, & aliæ omnes habuerunt.

42. Euidens est Christianismũ esse sequendũ. Hæc igitur, & cætera superiùs exposita iustissimè debent vnumquemque Catholicum in Ecclesia tenere. Debent & pari pondere hæreticos & infideles ad eius fidem amplectendam impellere. Iam enim ex horum omnium argumentorum congerie sic concludo: Euidens est, etiam euidentia simplici, hæc argumenta simul sumpta multùm præponderare argumentis aliarum Sectarum, quot & qualia occurrunt: itémque illa esse maxima, & summè credibilia, per se & absolutè sumpta. Et euidens est facere in fauorem Christianismi, vt sequendi ex obligatione graui, quam ipse prætendit, *Qui enim non crediderit, condemnabitur,* Marc. vlt. Ergo per illa fit euidens Christianismum esse sequendum. Antecedens probatur experientiâ intellectus ponderantis argumentorum vim. Sequela patet: quia tunc obligatio est euidens, quando euidens est dari in fauorem illius argumenta sufficientia, maxima in se, longéque præponderantia omnibus oppositis nobis notis. Atqui hîc est talis, vt patet ex quatuor argumentis suprà expositis: itemque ex eo, quòd in nullis alijs negotijs ad euidentiam obligationis tanta postulamus.

Ne tamen hæc videantur contradicere ijs quæ supra diximus de obscuritate fidei, nota ex simplici euidentia obligationis Christianismi sequendi, non sequi euidentiam simplicem veritatis Christianismi: quia euidentia obligationis nasci potest ex solis certis: imò ex probabilibus solis interdum. Vt in probabili suspicione, de insidijs in Regem, etiam fictis, est euidentia obligationis præcauendi. Id verò maximè verum est in periculo religionis & salutis, omnium maximo. In quo tamen non probabilitas solùm, sed summa certitudo, & euidentia moralis habetur per argumenta superius proposita, & expensa.

Objicies primò: impossibile est euidenter iudicare Christianismum esse sequendum, quin euidenter iudicetur Christianismum esse verum: quia si non est verus, non est sequendus. Ergo malè dictum fuit ex euidentia primi, non sequi euidentiam secundi. Respondeo eum, qui iudicat euidenter Christianismum esse sequendum, non posse quidem non iudicare Christianismum esse verum. Non tamen necessariò eâdem euidentiâ iudicat esse verum, quâ iudicat esse sequendum. Ratio primi est, quia qui negat Christianismum esse verum; hoc ipso in actu exercito negat sequendum, sibi saltem. Falsum enim non est sequendum, sed vitandum. Adde quòd assensus ille euidens, scilicet, Christianismus est sequendus, imperat actum eiusdem facultatis; qui actus sit ipsa assertio Christianismi, vt veri & diuini. Hoc enim est Christianismum sequi, & adhærere veritatibus à Christo reuelatis, quarum vna est, quòd Christianismus sit verus & diuinus. Ergo qui dicit esse sequendum, dicit implicitè esse verum. Et qui negat esse verum, hoc ipso implicitè negat esse sequendum: actus enim, quo dico aliquid esse falsum, æquiualet ei, quo dicerem non esse sequendum vt verum, sed respuendum tanquam falsum. Ratio verò secundi est, quia euidentia obligationis sequendi Christianismum non oritur ex euidentia veritatis obiecti, neque illam requirit necessariò: sed oritur ex euidentia motiuorum inducentium obligationem; quæ possunt esse euidentia, & sufficientia, licet veritas rei sit obscura. 43. An etiam esse verũ?


Objicies secundò: Si euidens est simpliciter Christianismum esse sequendum: Ergo nemo sanæ mentis potest contrarium iudicare, quia non potest iudicare contra simplicem euidentiam. At hoc est contra experientiam: Ergo, &c. Respondeo id esse euidens ijs, qui exactè motiua omnia, vel plurima perpendunt: at non omnes sic perpendere. Multi enim sunt, quibus non bene proponuntur: & multi eorum, quibus bene proponuntur, non ea bene expendunt; sed intellectum auertunt ab examine, & diligenti eorum consideratione, conuertúntque ad alia opposita, victi difficultate, quæ occurrit in credendis sigillatim mysterijs particularibus de se arduis plerúmque, & non modò intellectui difficilibus, verùm etiam sensui, & vitæ carnali repugnantibus. Quare metu captiuitatis molestæ intellectus in obsequium fidei, & horrore obligationis ad vitam austeriorem, vel examen refugiunt, vel motiuorum vim conantur eleuare, atque euidentiam antea sibi notam, & satis apparentem, oppositis ratiunculis obscurare; & intellectum in assensum contrarium tandem inducere. Similes illis, qui amorem finis antè expetiti abijciunt, victi horrore difficultatis alicuius medij necessarij. 44. Quomodo multi resistunt huic euidentiæ?

Objicies tertiò, euidens esse Deum prouidere rebus humanis: Ergo & non posse per- 45.

mittere tamdiu, támque vniuersaliter illudi hominibus in negotio religionis, omnium maximo, per tot motiua, quibus inuincibiliter in errorem, & falsum Dei cultum inducantur. Nam si sapiens Magistratus non potest dissimulare graues, & vniuersales abusus: Ergo neque Deus: Ergo fides est simpliciter euidens.

Prouidẽtia Dei non reddit euidentem veritatem Christianismi.

Respondeo Deum, ratione supremi dominij, posse multa permittere, quæ non potest Magistratus; & re ipsa permisisse multis annorum millibus, mundum penè vniuersum iacére in tenebris ignorantiæ, & idololatriæ; ac deludi multis in locis per oracula, & præstigias dæmonum, quibus in falsa religióne confirmaretur: non est, inquam, simpliciter euidens, non posse Deum relinquere hominem sibi, & rationi naturali, quam sequendo honestè ageret, amplectendo Christianismum prudenter persuasum. Neque tanta est euidentia diuinæ prouidentiæ particularis, & supernaturalis, quanta est generalis, & naturalis, de qua tamen hæsitanter, summi quoque philosophi Gentiles sunt locuti. Quia tamen videtur euidens simpliciter Deum rebus humanis prouidere, estque penitùs incredibile Deum hominibus deesse in potissimo; summè quoque credibile est, & euidens moraliter, Deum non posse pati falsam religionem tot sæculis, per tot, & tanta argumenta confirmari. Addo illa motiua, miracula, & similia, non videri ab omnibus, sed à primis relatoribus, quos non est euidens simpliciter non falli, neque fallere, neque potuisse ad fallendum conuenire. Quare non est tam euidens id, quod constituunt credibile, quàm est euidens per assertionem testium oculatorum v.g. Romam esse; quia euidens est tot testes oculatos, tot, & tam diuersis temporibus non potuisse conuenire ad fallendum in tot rebus contingentibus, quot respondent vnanimiter interrogati. Et aliunde non potuit tam constanter illudi à dæmone, vel ab alio, per propositionem Romæ non existentis: alioquin rueret prouidentia Dei, & omnis euidentia experimentalis.



DISPVTATIO SEXTA.

An obiectum Fidei successu temporis creuerit?

Difficultatem propositam breuiter attingit S. Thomas q. 1. a. 7. vbi docet, quantum ad substantiam articulorum fidei non esse factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quæcunque posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicitè. Omnes enim articuli continentur implicitè in aliquibus primis credibilibus, scilicet vt credatur Deus esse,

& prouident iam habere circa hominum salutem : secundùm illud Hebræorum 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Sed quantum ad explicationem creuisse numerum articulorum ; quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Vnde Dominus Moysi dicit, Exod. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob : & nomen meum Adonaï non indicaui eis.* Et Dauid Psal. 118. *Super senes intellexi.* Et Apostolus ad Ephes. 3. *In alijs generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis.* Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua de coordinatione inter obiecta fidei ; déque differentia inter obiectum, & articulum fidei.

1. Multiplex ordo inter obiecta fidei.

Circa primum, Dico primò multiplicem esse ordinem inter obiecta fidei, tum in esse rei, tum in esse credibilis. In esse rei quidem, quia quædam sunt alijs priora in existendo, & in causando ; vt æterna temporalibus, diuina creatis : & alia alijs digniora ; vt Deus Angelis, Angeli hominibus ; charitas, fide & spe. Neque tantùm inter Deum & creaturas, sed & inter ipsasmet res creatas, quæ sub fidem cadunt, multiplex ordo est dignitatis & dependentiæ aliarum ab alijs, vt consideranti facilè patebit.

In esse verò credibilis est ordo inter materiale, & formale ; & in ipso formali sunt multæ rationes, aliæ alijs priores. Nam id quod reuelatum est, creditur propter reuelationem Dei summe veracis & fide dignissimi : & hæc reuelatio creditur esse facta propter rationem sufficientem credibilitatis : vt fusius diximus Disput. 1. Sect. 2. Neque propterea fides est discursiua : quia non assentitur vi illationis, sed propter simplicem connexionem reuelati cum reuelatione : vt alibi exponemus Disp. 2. Sect. 7. Item, licet omnia obiecta materialia, id est, omnes veritates reuelatæ, credantur propter reuelationem diuinam : est tamen inter illas aliquis ordo, tum ex parte reuelationis, tum ex parte fidei, atque etiam intentionis Dei reuelantis. Ex parte quidem reuelationis : quia quædam mediatè tantùm, & in alijs, propter necessariam connexionem cum illis, reuelatæ sunt. Ex parte verò fidei, quatenus fides primò & præcipuè Deum respicit, eiusque cognitionem primariò intendit. Nam virtutes Theologicæ primò & præcipuè tendunt in Deum : & quælibet virtus magis propensa est in meliorem & nobiliorem partem sui obiecti ; quippe quæ est ordinatissima, rectissimóque modo in illud tendit. Ex parte denique intentionis Dei reuelantis ; quia præcipua Dei intentio fertur circa seipsum, prout in se est, & prout est principium & finis creaturæ intellectualis, ac circa media, quibus consequendus est : quæque de illis reuelantur, constituunt quodammodo substantiam corporis fidei : cætera verò sunt veluti adiuncta, & accidentaria, ad ornatum, vel vt humano modo proponantur substantialia, & primò, ac per se intenta. Quæ tamen omnia sunt æquè credibilia, propter eandem auctoritatem Dei reuelantis. Sed ita vt priora per se pertineant ad fidem secundùm Dei intentionem, qui primò, & præcipuè intendit sui notitiam nobis tradere, & mysteriorum, ac mediorum nostræ salutis æternæ, & supernaturalis. Cætera verò ex occasione & per accidens reuelantur, seu propter alia : vt tam multæ historiæ de Patriarchis, de Regibus, de Prophetis, & similibus, quorum vita, & series texitur, ad tradendam Christi genealogiam, vel ad figuras, & prophetias de Christo præmittendas, vel ad ornatum, & legentium voluptatem, aut ædificationem. Præterea inter obiecta fidei materialia est alius ordo quoad vniuersalitatem ; quatenus eorum aliqua sunt propositiones generales, & principia vniuersalia, vel regulæ fidei ; quæ possunt alijs plurimis esse ratio seu motiuum assentiẽdi. Nam aliquæ sunt propositiones, quæ fide tenentur, adeóque sunt obiectum materiale fidei ; quæ tamen sunt ratio, & motiuum, cur plurimis alijs credamus. Ex. g. hæc propositio, *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis*, est motiuum vt credamus quidquid ab ipsa nobis proponitur tanquam à Deo reuelatum. Et ista, *Christus est Deus*, mouet nos ad credendum quidquid ab ipso dictum fuit. Et ista, *Scriptura canonica est verè diuina*, est causa cur credamus quidquid in ipsa continetur.

Quędam fuerunt per se reuelata, alia per accidens.

Circa secundum ; non conueniunt Theologi quid nomine Articuli fidei intelligendum sit : Consentiunt quidem omnes in eo, quòd non omnes veritates reuelatæ sunt articuli fidei, sed eæ tantùm, quæ constituunt corpus fidei, pertinéntque ad principalem intentionem reuelantis ; cuiusmodi sunt illæ quæ de Deo, & de fine ac medijs reuelatæ sunt. Verùm in eo dissentiunt, quòd aliqui velint omnes id genus veritates particulares, distinctas inter se, & alias alijs non comprehensas, esse totidem articulos fidei. Alij non omnes, sed eas tantùm, quæ habent specialem difficultatem. Nam si eandem habent, volunt ad eundem articulum pertinere. Vt v. g. quòd Christus sit passus, mortuus, & sepultus, vnam habent difficultatem, ideóque vnus articulus sunt. Secus autem quòd sit mortuus, & quòd resurrexerit. Ita

2. Quid sit articulus fidei ?

D. Thom. q. 1. a. 6. Alij per articulos intelligunt eas tantùm veritates speciales corporis fidei, quas tenemur explicitè credere, quæque nos arctant, id est, obligant specialiter ad credendum: vnde putant dictum esse articulum, quasi arcticulum. Alij denique censent articulum fidei nihil esse aliud, quàm particulam aliquam symboli Apostolici, ab aliquo Apostolo, in ipsius compositione collatam; iuxta probabilem opinionem Clementis Rom. Epist. 1. ad Iacobum, & Augustini Serm. 115. de Tempore, & quorundam aliorum existimantium, singulos Apostolos singillatim aliquid contulisse in symbolum illud, quod viuâ voce tradiderunt Ecclesiæ paulò post Christi ascensionem: indéque dictum esse symbolum, à collatione plurium conferentium. Iuxta quam opinionem distinctio articulorum sumenda est per habitudinem ad personas conferentes: ita vt sint duodecim articuli, sicut fuerunt duodecim conferentes, nempe duodecim Apostoli: Nam Paulus, & Barnabas nondum illis erant aggregati, aut non interfuerunt. Negant tamen non pauci symbolum ita fuisse compositum, sed omnes omnia contulisse communi voce, atque consensu: dicique symbolum, non à collatione plurium conferentium seorsim, sed à collatione plurium collatorum, vt mauult D. Thomas q. 1. a. 8. & 9. & rectè aduertit Caiet. in commentario artic. 8. vbi etiam sanctus Doctor plures, quàm duodecim articulos distinguit in symbolo. Vel etiam dicitur symbolum, quia omnes Catholici in illud conueniunt; vt subindicat Irenæus lib. 1. aduersus hæreses c. 2. Vel quia est nota, & thessera Christianorum, quâ dignoscebantur ab alijs. Quæ omnes controuersiæ parui momenti sunt.

3. Articuli fidei quomodo distinguendi? Meliùs tamen distingui videntur articuli ex diuersitate particularium veritatum reuelatarum, corpus fidei per se constituentium, quarum vna non contineatur formaliter, aut æquiualenter in alia, siue propriam difficultatem habeant, siue non: Quæ dicantur articuli, veluti membra minuta, & concisa, & partes minores corporis credendorum inuicem coaptatæ; iuxta eius vocis significationem, quam tradit S. Thomas q. 1. a. 6. in corp. Aliæ verò propositiones secundariò tantùm, & ex occasione reuelatæ, & ad corpus fidei non pertinentes, abusiuè solùm dicuntur articuli; quia solæ propositiones per se reuelatæ inter se cohærent, & vnum corpus fidei constituunt, velut parui eius artus. Iuxta quem modum opinandi non omnes articuli fidei continentur in symbolo, sed præcipui quidam, ad quos cæteri reuocari aliquo modo possunt; sicut in decalogo ponuntur quædam præcipua Dei præcepta, ad quæ reuocantur cætera. Quod etiam in opinione D. Thomæ fatendum est. Nam ne in illo quidem ponuntur quotquot habent specialem difficultatem. Vt mysterium Eucharistiæ, numerus Sacramentorum, forma iustificationis, &c. Quòd si objicias D. Thomam

Sint-ne omnes in Symbolo Apostolorum? a. 8. & 9. videri non agnoscere articulos extra symbolum Apostolicum: Respondeo non ita esse, sed conari tantùm ostendere quòd articuli illius symboli complectantur aliquo modo omnia credenda. Verùm ad hoc, vt non sint plures articuli, quàm in symbolo, non sat est quòd aliquo modo sub illis omnia comprehendantur. Nam doctore eodem D. Thom. a. 7. omnes articuli symboli, & omnia credenda continentur his duobus, *Deus est*; &, *Deus habet prouidentiam circa hominum salutem*; & tamen non sunt tantùm duo articuli fidei. Dico igitur non omnes fidei articulos contineri in symbolo, sed præcipuos quosdam illustriores, omnibus proponendos, etiam catechumenis (qua de causâ puto non in eo fuisse factam mentionem Sacramenti, & sacrificij Eucharistiæ, quod primis Ecclesiæ temporibus, non nisi baptizatis, & prouectis in fide proponebantur) & sæpius repetendos, faciliúsque ac firmiùs memoriâ retinendos: de quorum apta dispositione fusè disserit & perspicuè D. Thomas q. 1. a. 8. quem consule.

Hoc autem symbolum verè Apostolicum esse, id est, traditum ab Apostolis, vel simul omnia, vel singillatim aliquid conferentibus, dubitari non debet, cùm id testentur antiqui Patres, Clemens, & Aug. locis suprà citatis, Chrysost. homilia 1. & 2. de symbolo, Hieron. Epist. 61. ad Pammachium, longe à fine, Leo Epist. 13. ad Pulcheriam, & alij. Neque propterea censendum est inter scripturas diuinas; quia non scripto ab Apostolis, sed verbo solo traditum fuit: neque Spiritu sancto verba ipsa dictante, sed sensum dirigente. Qua etiam de causa definitiones Conciliorum non sunt Scripturæ diuinæ. Præter hoc autem symbolum antiquissimum, alia duo edita sunt: Nicenum scilicet, in Concilio Niceno I, à quo nomen accepit: cui circa articulum de Spiritu sancto additum fuit à Concilio Constantinopolit. I. *Qui à Patre procedit*: tum deinde particula, *Filióque*, siue à Concilio Romano sub Damaso, siue à Toletano I. auctoritate Leonis I. vt censet Henric. Spondanus in Epitome Baronij, ad annum Christi 447. siue à quovis alio: qua de re diximus 1. p. Disp. 30. Sect. 1. Alterum nomine Athanasij, citatum à D. August. in Psalmum 120. vbi refert integrum versiculum istius symboli expresso etiam nomine Athanasij Episcopi Alexandrini. Sic enim ait explicans illud, *Per diem sol non vret te: De hoc Sole Pater Athanasius Episcopus Alexandrinus ita pulchrè locutus est. Filius, inquit, Dei à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*: quæ tamen verba desiderantur in quibusdam exemplaribus ?. & Epist. 174. ad Pascentium, & lib. 8. de Trinit. cap. 1. Et in Enchiridio cap. 26. vbi tacito nomine Athanasij refert integras sententias eiusdem symboli. Citatur quoque à Nazian. Orat. in laudem Athanasij prope finem, vbi affirmat eum scripsisse egregiam fidei suæ confessionem, illam scilicet, quæ post à Summo Pontifice, & Ecclesiâ approbata, symboli nomen, & auctoritatem obtinuit. Nam vt rectè affirmat S. Thom. q. 1. a. 10. non pertinet ad alium, quàm ad Summum Pontificem, vel solum, vel saltem cum Concilio generali, facere nouam editionem symboli, quando est opus ad fidei dogmata contra insurgentes errores clariùs explicanda.

4. Symbolũ illud est verè Apostolicum.

Symbolū fidei edere pertinet ad Summū Pontificem. Quia hæc auctoritas ei tantùm competit, qui est infallibilis in proponendis definitionibus fidei, & aliunde præest toti Ecclesiæ; vt possit illam obligare ad firmiter tenendum id quod statuit. Fides enim est vna, & communis toti Ecclesiæ, iuxta illud Pauli 1. Cor. 1. v. 10. *Obsecro autem vos fratres vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Nullus autem alius præter eum, qui præest toti Ecclesiæ, potest illi præscribere quid sit fide tenendum. Neque haberet Ecclesia cur id firmiter teneret, & acceptaret tanquam fidei dogma, nisi Pontifex esset infallibilis: vt verè est, iuxta illam Christi assertionem de Petro, & successoribus, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Et Luc. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Atque ita neque ipsi Apostoli sine Petro capite Ecclesiæ symbolum suum ediderunt. Quanquam & ipsi omnes erant infallibiles in fide, à die Pentecostes: & habebant iurisdictionem vniuersalem in totam Ecclesiam, licet cum aliqua subordinatione ad Petrum, vt dicemus inferiùs Disp. 9. Sect. 5.

5. Alia ad ipsū pertinentia. Addit S. Doctor ad eundem spectare omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam; vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi. Cuius doctrinæ occasione disputant hoc loco Theologi de Primatu Summi Pontificis, deque ipsius auctoritate in rebus fidei proponendis, aut definiendis, simúlque de alijs regulis, seu principijs fidei: quod breuiter præstabimus Disp. 7. & sequentibus, reiectâ longiori eorum tractatione ad controuersiarum scriptores, qui de his fusè, & accuratè disputant contra hæreticos huius temporis: præcipuè Bellarminus tom. 1. Stapleton. de principijs fidei, Gordon. Huntlæus tom. 1. Epitomes, & Valentia lib. 3. & quinque sequentibus de analysi fidei: præter Melchiorem Canum in opere de locis Theologicis, vbi de ijsdem accuratissimè disserit. Priùs verò examinandum est id, de quo D. Thom. a. 7. disputat, an scilicet articuli fidei secundùm successionem temporum creuerint?

SECTIO II.

An, & quomodo creuerit obiectum fidei per successionem temporis?

6. Obiectū fidei duplex: explicitum & implicitum. Nota primò, dupliciter posse aliquid credi, seu esse obiectum fidei. Primò expressè, & distinctè. Secundò implicitè, & confusè tantùm. Idque dupliciter, nempe vel formaliter, & æquiualenter: quo pacto qui credit propositionem vniuersalem, credit omnes particulares sub ea contentas. Vt si credit statutum esse omnibus hominibus semel mori; credit formaliter & æquiualenter statutum esse Petro mori, & Paulo, &c. Hæc enim differunt tantùm penes maiorem, & minorem expressionem eiusdem obiecti. Vel secundò virtualiter tantùm: quo pacto qui credit Deum esse; credit virtualiter quidquid pertinet ad esse Dei. Et qui credit Deum se proposuisse in remuneratorem, & in finem supernaturalem; credit virtualiter totum statum futuræ beatitudinis, & omnia media à Deo reapse constituta, vt illam assequamur.

Nota secundò, dupliciter intelligi posse obiectum fidei crescere. Primò, simpliciter, per nouam omnino reuelationem. Secundò, per maiorem explicationem, vel extensionem quandam reuelationis olim factæ, eiúsque applicationem ad singularia, quæ sub ea verè continentur, & ad quæ verè sese extendit reuelatio vniuersalis. Exempli gratia, Christus constituit Petrum suum Vicarium, & caput visibile Ecclesiæ, voluitque omnes eius successores legitimos fungi eodem officio. Hæc reuelatio successiuè extenditur ad omnes, quos Ecclesiæ constat Petro legitimè successisse. Christus reuelauit Ecclesiam suam fore semper visibilem, & perpetuam. Quæ reuelatio successiuè extenditur ad collectionem personarum, quibus visibilis Ecclesia constat successiuè. Est enim de fide, Ecclesiam istam, quæ nunc est, esse veram Ecclesiam. Deus reuelauit eos omnes, qui in gratia eximia moriuntur, esse sanctos, & eximiè Beatos. Ecclesia extendit hanc reuelationem, seu applicat ad eos omnes, quos per miracula, & sufficientia indicia diligenter inquisita, & examinata, constat in gratia eximia decessisse. 7. Potest crescere dupliciter.

Nota tertiò; quæstionem esse posse de successu temporis, vel ab Adam huc vsque; vel solùm à tempore Christi, & Apostolorum, ex quo Ecclesia Christiana fundata est. Item, quæstionem esse posse de generalibus reuelationibus toti Ecclesiæ factis; vel de priuatis, vni, aut paucis particularibus. His præmissis. 8. Creuit ab Adamo huc vsque.

Dico primò, obiectum fidei non modò quoad accidentalia, sed etiam quoad articulos corporis fidei creuisse ab Adam huc vsque. Patet, quia Deus multa successiuè reuelauit Adamo, Noë, Abrahamo Isaac, Iacob, & alijs Patriarchis: itémque Moysi, Dauidi, Isaiæ, & alijs Prophetis; ac deinde in nouo Testamento multa per Christum, Apostolos, & Euangelistas. Libri quoque sacri non omnes simul, sed successiuè scripti, & editi sunt, tum veteris, tum noui Testamenti. Inter hæc autem successiuè reuelata, aliqua sunt, quæ sine dubio pertinent ad substantiam corporis fidei; vt Sacramenta, & sacrificia Legis veteris, & nouæ, præceptáque positiua diuina circa huiusmodi.

Contrarium videtur sentire D. Thomas quæst. 1. art. 7. verbis suprà relatis in præfatione disput. quibus docet articulos fidei non creuisse quoad substantiam, per temporum successionem: quia quæcumque crediderunt posteriores de Deo, & de fine, ac medijs, continebantur in fide præcedentium, sed implicitè; nempe in his duobus primis credibilibus semper ab initio creditis, Deus est; &, Deus habet prouidentiam circa hominum salutem. Creuisse tamen articulorum numerum quoad explicationem: Quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè. Hæc ille. Licet au-

tem verum, & perspicuum sit, quod ait, quæcumque de Deo, déque fine, ac medijs creduntur, & credentur deinceps; contineri confusè, & implicitè in illis duabus propositionibus: considerandum tamen est totam substantiam articulorum fidei particularium non consistere in illa sola ratione generali, & confusa, sub qua potiùs latent, quàm secundùm se cognoscantur: sed consistere in propria & speciali cuiusque ratione, secundùm quam etiam reuelatione indigent, vt credantur. Neque enim sufficit v. g. quòd Deus reuelauerit se habere prouidentiam circa hominum salutem, vt credamus institutum fuisse Sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, &c. nisi Deus hoc ipsum reuelauerit. Quare D. Thomas intelligendus est de substantia articulorum confusè, & genericè sumpta, secundùm aliquid, in quo omnes conueniunt substantialiter: Non autem de substantia adæquata cuiusque propria, speciatim reuelata, & speciatim, ac secundùm se totam pertinente ad corpus fidei; quam propriam rationem, & substantiam speciatim reuelatam, D. Thomas intelligit nomine explicationis. Non enim loquitur de simplici explicatione, & pura, quâ particularia, formaliter contenta sub aliqua propositione generali, declarantur per inductionem. Vt quando hæc propositio, Omnis homo est mortalis, declaratur per istas, Petrus est mortalis, Paulus similiter, &c. Sed loquitur de explicatione, quæ est noua propositio, & noua reuelatio, formaliter & secundùm se à priori diuersa, de re nondum in se reuelata, neque credita, pertinente tamen reductitiè ad aliquod principium generale antea traditum.

9. *Et à tempore Christi, & Apostolorũ.* Dico secundò, Deum etiam à tempore Christi, & Apostolorum, nonnulla tum priuatim, tum etiam publicè de nouo reuelasse. Prima pars de priuatis reuelationibus constat ex multis Sanctorum historijs fide dignis, fauente Trid. Sess. 6. can. 16. vbi non obscurè admittit posse aliquos habere specialem reuelationem suæ perseuerantiæ. Secunda verò de publicis reuelationibus probatur, quia Deus ab eo tempore per miracula, & opera supernaturalia, etiam per voces de cœlo mirabiliter auditas, attestatus est multorum eximiæ sanctitati, quam per illa voluit Ecclesiæ notam fieri; vt de Sancto Alexio, & pluribus alijs notum est. Item indicio columnæ igneæ reuelauit velle se. S. Gregorium magnum eligi in summum Pontificem: aliáque id genus, quæ nota sunt ex historijs Ecclesiasticis, & constanti traditione. Quare ex eo capite creuit obiectum fidei publicæ, vel priuatæ, per reuelationem veritatum antea non reuelatarum formaliter, & secundùm se. Licet propterea non creuerint articuli fidei simpliciter: quia huiusmodi veritates de nouo reuelatæ non constituunt substantialiter corpus credendorum: vel sunt tantùm extensio articuli antea reuelati.

10. *Quid præstet Ecclesia circa veritates fidei?* Dico tertiò, licet Ecclesia Christiana ex eo tempore, quo per Christum & Apostolos fundata fuit, nihil de fide definiat, quod in antiquis reuelationibus, & traditionibus diuinis scriptis, vel non scriptis, non contineatur aliquâ ratione, iuxta verum illarum sensum; vel in aliqua propositione id formaliter continente, saltem generaliter; vel in principijs, ex quibus euidenter deducitur, aut in quibus per euidentem experientiam comprehendi cernitur; explicat tamen, vel extendit reuelationes diuinas, ad quædam certissimè fide diuinâ tenenda post ipsius explicationem, vel extensionem, ob infallibilem assistentiam Spiritus sancti, & summam eius auctoritatem in eiusmodi declaratione.

Prima pars conclusionis patet ex modo definiendi, tum Summorum Pontificum, tum Conciliorum œcumenicorum. Nihil enim definiunt; vt patet ex vsu Summorum Pontificum, & ex Concilijs nouis, & antiquis, nisi vel explicando verum Scripturæ sensum, & traditionum diuinarum, quas diligenter consulunt, & examinant, inquisitis Sanctorum Patrum, & Doctorum veterum testimonijs, à quibus, vt literam, ita & sensum Scripturæ, & alias traditiones diuinas accepimus, & alijs vel euidentibus, vel certis & infallibilibus reuelationis olim factæ indicijs: vel applicando propositiones vniuersales ad quædam obiecta particularia, quibus verè conuenit ratio contenta in propositione vniuersali, aut in principijs olim reuelatis, vt Ecclesia cognoscit per assistentiam infallibilem Spiritus sancti, à quo dirigitur in suis declarationibus, & applicationibus. Quare Ecclesia non aliam sibi datam potestatem agnoscit circa res fidei, vt patet ex vsu perpetuo Summorum Pontificum, & Conciliorum generalium. Sic Trid. Sess. 6. in fine procemij, aggrediens definire controuersias exortas circa iustificationem, affirmat se non aliud intendere, quàm exponere omnibus Christi fidelibus veram, sanámque doctrinam ipsius iustificationis, quam Sol iustitiæ Christus Iesus, fidei nostræ Auctor, & consummator docuit; Apostoli tradiderunt; & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuò retinuit. Et Sess. 13. initio, in Decreto de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, simili modo ait, se sanam, & sinceram illam de venerabili hoc mysterio doctrinam tradere, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Iesu Christo Domino nostro, & eius Apostolis erudita, atque à Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta retinuit, & ad finem vsque sæculi conseruabit. Eadémque de causa Vincentius Lirinensis lib. aduersus prophanas hæresum nouitates c. 27. & sequentibus affirmat totum progressum Ecclesiæ in doctrina fidei per nouas definitiones, consistere in eo, quòd antiqua dogmata alijs sententijs verborum clariùs explicentur. Quòd sint, inquit, eædem gemmæ, sed illis adjiciatur splendor: eadem semina, sed accessu temporis latentia germina euoluantur.

Nihil de fide definitur non contentũ in antiquis reuelationibus.

Quòd si objicias Spiritum sanctum assistere infallibiliter Ecclesiæ, sicut assistebat Prophetis, & Scriptoribus sacris. Quare per illam loquitur, & de nouo reuelat. Respondeo Spiritum sanctum assistere Ecclesiæ infallibiliter, non ad nouas, & nunquam antea traditas reuelationes condendas: sed ad antiquas infal-

libiliter cognoscendas, conseruandas, explicandas, & applicandas ad particularia sub illis verè contenta. Neque quicquam de fide est præcisè ex eo quòd Ecclesia dicit: sed ex eo quòd à Deo reuelatum est. Quæ tamen reuelatio sæpe nobis proponitur, & innotescit infallibiler per Ecclesiam.

11. Illas tamen explicat, vel extendit. Secunda pars conclusionis, quòd scilicet Ecclesia explicet, vel extendat reuelationes diuinas, constat etiam experientiâ, & ipso vsu Ecclesiæ, quæ ab Apostolis huc vsque, hac potestate vsa est. Fuitque necessarium vt illam à Christo haberet sibi concessam: Quia necesse est sensum Scripturæ obscurum explicare, quando ex illo nascuntur hæreses, quæ sæpe aliter extingui, aut vitari nequeunt. Idem dico de traditionibus non scriptis, quando de aliqua illarum, aut de vera eius intelligentia suboritur dissensio, expeditque ad pacem, & bonum Ecclesiæ, illam infallibili eius auctoritate terminari. Debet etiam fide diuinâ constare, hunc v. g. esse verè Summum Pontificem; & hoc Concilium esse œcumenicum, & verum Concilium: vt eorum definitiones auctoritatem fidei diuinæ obtineant, & ad credendum fide diuinâ obligent: quæ definitiones sunt plerúmque necessariæ ad extinguendas hæreses, & decidendas fidei controuersias, in Scriptura, & traditionibus claris, non satis expressas. Neque minùs Ecclesia debet nunc agnoscere Alexandrum VII. esse verè Summum Pontificem; quàm Ecclesia primitiua Petrum, Linum, vel Clementem. Et non minùs debet credere definitiones Conciliorum posteriorum esse à Spiritu sancto, vt illis firmiter adhæreat fide diuinâ; quàm Ecclesia primitiua credebat definitionem Concilij Ierosolymitani (de quo Act. 15.) esse à Spiritu sancto. Neque propterea condit Ecclesia nouos articulos fidei: nouos, inquam, simpliciter, & distinctos prorsus à reuelatis per Christum, & Apostolos. Cùm nihil definiat, nisi vel explicando quid olim reuelatum fuerit, & verum sensum diuinarum traditionum: vel extendendo reuelationes diuinas, & applicando ad ea, quibus conueniunt, vt antea dictum est. In quem sensum loqui debent, vt verè sentiant, Waldensis, Canus, & Alphonsus à Castro, quos citant, & sequuntur Valentia quæst. 1. de fide punct. 6. & Ægid. Coninck. disp. 12. dub. 6. quando affirmant Ecclesiam non posse condere nouum articulum fidei.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem.

12. Contrarium docent aliqui recentiores, & objiciunt primò, ex D. Thoma q. 1. art. 10. ad 1. veritatem fidei fuisse sufficienter explicatam in doctrina Christi, & Apostolorum: Ergo quæcumque nunc creduntur, fuerunt explicitè tradita à Christo, & Apostolis. Respondeo, D. Thomam ibidem addere immediatè post, *Sed quia peruersi homines Apostolicam doctrinam, & cæteras doctrinas, & scripturas peruertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2. Petri vlt. Ideo necessaria fuit temporibus procedentibus fidei explicatio contra insurgentes errores.* Sensus ergo D. Thomæ est, fidei veritatem fuisse à Christo, & Apostolis explicatam sufficienter pro illo tempore. Non tamen ita vt necesse non fuerit quædam magis deinceps explicare ad decidendas fidei controuersias, & errores vitandos, vt in Concilijs generalibus factum est. Deinde, vt à Christo & Apostolis sit facta sufficiens explicatio veritatis fidei, non est necesse Christum, & Apostolos determinasse omnia particularia, ad quæ deinceps reuelationes generales debebant applicari, & extendi: Sed sufficit expresè tradidisse veritates illas vniuersales, simúlque docuisse Ecclesiam in suis applicationibus, & determinationibus falli non posse; atque ita regulam tradidisse, quâ cætera cognosci possent.

Quo sensu fides à Christo & Apostolis sufficienter explicata fuit?

Objiciunt secundò, Concilium Trid. Sess. 4. Decreto primo, in principio, affirmare omnem salutarem veritatem, & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt. Ibidémque vocat Euangelium fontem omnis veræ, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ. In fonte autem fuit quidquid est in riuis, quatenus sunt riui fontis illius. Itaque quidquid fide diuinâ tenemus, à Christo & Apostolis deriuatum est. Addunt illud Christi ad Apostolos, Ioan. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 13.

Quomodo Euangelium fons est omnis veritatis, & disciplinæ morum? Respondeo, omnia in doctrina Christi, & Apostolorum, siue in Euangelio, contineri distinctè, vel confusè; explicitè, vel implicitè: tum in propositionibus generalibus, sub quibus continentur particulares, quæ ab Ecclesia determinantur; tum in eo quòd Euangelium commendat auctoritatem, & infallibilitatem Ecclesiæ in diuinis reuelationibus explicandis, vel applicandis; ex eáque parte supplet id quod deest distinctionis, vel applicationis, propositionibus expresè traditis in Scriptura. Et hæc sufficiunt, vt dicatur Euangelium esse fons omnis salutaris veritatis. Sicut ibidem dicitur fons omnis salutaris morum disciplinæ, quia dat generalia morum principia, & aliunde commendat auctoritatem Ecclesiæ in statuendo de moribus & disciplina: non autem quòd omnes morum reformationes salutares, à Concilijs, & Pontificibus traditæ, sint formaliter, & secundùm se à Christo, & Apostolis datæ: quod manifestè falsum est: cùm in illis magna extiterit, & nunc etiam existat variatio, atque interdum mutatio in contrarium quoad nonnulla ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia; ob contrarias exigentias, & rerum vicissitudines. Christus autem Ioan. 16. significat tantùm Spiritum sanctum suo aduentu docuisse Apostolos omnem veritatem necessariam pro statu rerum illius temporis; quod ne quidem simul fecit, sed successiuè, vt ex Actis Apostolorum & Apocalypsi constat, vbi Apo-

stoli summi Petrus, Paulus, Ioannes, & alij, multa successiuè docentur à Spiritu sancto. Et sic etiam successiuè, cùm opus est, Spiritus sanctus Ecclesiæ suggerit quæ necessaria sunt ad ipsius conseruationem, & ad errores propulsandos.

14. Objiciunt tertiò, dignitatem Apostolorum, & Ecclesiæ primitiuæ, virtutibus, & donis Spiritus sancti multò illustrioris, quàm deinceps, exigere vt omnia fuerint illis explicitè nota: neque expedire, vt habeat Ecclesia potestatem nouos articulos condendi, nouúmque, ac nouum onus fidei subinde imponendi: quasi non sufficiat fides ab Apostolis tradita, quæque Ecclesiæ primitiuæ sufficiebat. Maximè verò, cùm iam homines sint eò imbecilliores, quò magis absunt à summis illis rationibus credibilitatis per Christum, & Apostolos coram exhibitis, & nunc tantùm per relationem post multa sæcula ad nos peruenientibus. Confirmatur ex D. Thoma q. 1. a. 7. ad 1. vbi ait eos perfectius cognouisse, qui fuerunt viciniores aduentui Christi: vt nimirum magis illuminantur, qui sunt propinquiores Soli; & meliùs obiectum vident, ac distinctiùs, qui propiùs intuentur.

Debuerint ne omnia esse nota explicitè, primitiuæ Ecclesiæ?

Respondeo, ad dignitatem Apostolorum, & Ecclesiæ primitiuæ pertinere, vt omnia, quæ ad bonum illorum statum necessaria erant, fuerint illis abundè nota: cuiusmodi non erant aliqua, quæ deinceps oportuit determinare. Neque propterea habet Ecclesia potestatem condendi nouos articulos fidei: cùm nihil definiat, nisi vel explicando sensum verum diuinarum traditionum, vel extendendo reuelationes diuinas, vt antè dictum est. Sed neque obstat hominum præsentium infirmitas, cui satis adhuc suppetere subsidij ad credendum auctoritati Ecclesiæ Christianæ, patet ex dictis disputatione superiori, Sect. vlt. D. Thomas autem, loco citato in obiectione, moraliter intelligendus est; nimirum quòd tempore Christo viciniore fides distinctior & perfectior communiter fuerit, tum in plebe, tum in capitibus Ecclesiæ: quàm tempore remotiori: quatenus plebs meliùs fuit instructa, & illustrata circa fidei dogmata: Et licet quædam postea fuerint nota, quæ tunc non erant; excessus tamen ille superatur ab excessu claræ, & distinctæ notitiæ, quâ tunc plurima percipiebantur, quæ nunc vulgò tantùm obscurè, & confusè cognoscuntur. Quoad Capita verò, multò plus habuêre notitiæ mysteriorum fidei, absolutè loquendo, quàm vlli posteriorum, vt tanquam certùm docent communiter Theologi: & meritò, quia statuti sunt à Christo Patres, & Doctores, & fundamenta totius Ecclesiæ. Imò & quàm anteriores, Principes legis naturæ, vel Mosaïcæ, imperfectioris lege Euangelicâ. Inter quos etiam ferè omnes Ioannes Baptista excelluisse videtur. Dico, *ferè*: quia si cum Adamo, Abrahamo, Moyse, Dauide, Isaïa, comparetur, res est incerta. Plebs Iudaica quoque Christo vicina plura habuit explicata in libris Prophetarum, & traditionibus diuinis, quæ toto ferè tempore legis Mosaïcæ aucta sunt, nouis subinde libris Canonicis additis, quàm haberet ætas superior, & à Christo remotior. Verumtamen non est exactè, & mathematicè seruanda comparatio: quasi vel plebs, vel Capita, quò magis à Christo distant, minùs habeant luminis fidei. Nam Christus non est agens naturale, vt Sol illuminans: sed agens liberum, illustrans Capita & plebem, prout vult. Et experientia docet, fidem tam in plebe, quàm in Capitibus, postquàm aliquamdiu viguisset, diminuisse. Tum iterum Doctoribus præstantioribus, & Pastoribus diligentioribus suscitatis, idque sæpe occasione hæresum, doctrinam fidei refloruisse: quæsitis, euulgatis, & explicatis maiore studio diuinis traditionibus. Quæ vicissitudo in lege quoque naturæ, & Mosaïcâ locum habuit: Deo subinde nouos Patriarchas eximios, aut Prophetas suscitante ad fidem excitandam. Quare dictum illud D. Thomæ moraliter tantùm, & vt plurimùm, intelligendum est.

Quomodo Christo viciniores plus habuerunt luminis fidei?

SECTIO IV.

Examinatur alia sententia.

15. Aduersantur etiam aliquatenus nostræ sententiæ eruditi quidam Recentiores, quorum doctrina his tribus propositionibus continetur. Prima est, Ecclesiam nihil definire tanquam fide Catholicâ tenendum, quod non fuerit olim à Deo reuelatum per Christum, vel Apostolos; & cuius reuelationis non extent aliqua indicia, & argumenta, per quæ aliquo modo determinetur Ecclesia ad huiusmodi definitionem. Quia, inquiunt, ita verius est vniuersaliter, quòd Apostoli sint fons omnis salutaris veritatis, & disciplinæ, quódque omnis veritas contineatur in libris scriptis, & traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt; vt Trid. ait Sess. 4. Decreto 1. Si enim esset prorsus obscura Scripturæ sententia, vel traditio Christi, & Apostolorum, & non magis determinaret in vnam partem, quàm in aliam; non posset dici quòd Scriptura, vel traditio illa conferret ad nostram fidem: & si veritates definiendæ excidissent ab hominum memoria; deberet Spiritus sanctus eas ita docere, ac si nulla vnquam facta de illis fuisset reuelatio Apostolica. Quomodo ergo essent veritates, quæ ab Apostolis per manus ad nos perueniant?

Prima illius propositio.

16. Docent secundò, non semper tamen extare indicia euidentia, & infallibilia reuelationis olim factæ, seu traditionis Apostolicæ: sed aliquando esse tantùm probabiliora: illaque sufficere, vt Ecclesia possit definire. Quod probant primò, quia quicumque negant Ecclesiæ potestatem ita definiendi veritates fidei controuersas, nimis demissè sentiunt de illius gubernatione per Spiritum sanctum: faciunt enim Ecclesiam valde dependentem ab hominum memoria, vel ab humano discursu, si nihil potest definire absque indubitabili memoria

Secunda propositio.

moria præiacente traditionis diuinæ, vel discursu infallibili & euidenti ex principijs reuelatis: déntque occasionem inquirendi num ante definitionem Ecclesiæ præextiterit talis memoria: vel vtrum id, quod Ecclesia definiuit, deducatur euidenter ex principijs certò reuelatis: cùm tamen plerique Theologorum doceant non omnia argumenta, quæ aliquando afferuntur in discursu à Concilijs, esse per se conuincentia sine Ecclesiæ definitione. Probant secundò, quia si ita esset, Docti sine passione & præoccupatione iudicantes, non egerent definitione Ecclesiæ in controuersijs fidei. Quia ex consultatione Theologorum, quæ præcedit in Concilijs definitionem Ecclesiæ, facilè intelligerent id, quod euidenti discursu deducitur ex certò reuelatis: aut euidenter habetur tam constanti, & vniuersali memoriâ traditionis, vt sit infallibilis. At hoc consequens est falsum, & contra Scripturam Isaiæ 2. *Erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes Gentes, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, &c.* Nomine enim omnium Gentium, quæ debent ad montem Dei, id est, Ecclesiam ascendere, & ab ea discere fidei veritates, comprehenduntur etiam Doctores. Neque opus esset Concilia tam enixè implorare, vt faciunt, per ieiunia, sacrificia, & preces fidelium, assistentiam Spiritus sancti, vt non errent in definiendo: si per examen Doctorum euidenter constaret definitionem deduci ex antiquis reuelationibus, aut in illis contineri, vel vigere illius memoriam indubitabilem: quod facilè sciretur in Concilijs generalibus, accitis ex toto orbe Episcopis, & summis Theologis.

Amplior eius confirmatio. Probant tertiò, quia experientià id patere videtur. Nam Ecclesia definiuit aliqua, circa quæ antea non extabat memoria infallibilis traditionis diuinæ, neque discursu euidenti deducebatur ex certò reuelatis. Vt quando Concilium Trid. definiuit infundi paruulis in baptismo virtutes supernaturales; quod antea Concilium Viennense probabilius tantùm esse iudicauerat. Nam Trid. non videtur habuisse antecedenter ad suam definitionem, nisi illa quæ habuit Viennense. Si autem tunc fuissent argumenta euidentia, non latuissent Concilium Viennense. Similique modo posset nunc definire Ecclesia, num Confirmatio dari possit à simplici presbytero ex commissione Summi Pontificis: & num sufficiat oleum à presbytero benedictum in Sacramento Extremæ-vnctionis, & alia huiusmodi, ad collationem Sacramentorum pertinentia. Item, Ecclesia in Concilio Carthaginensi III. definiuit Epistolam Iacobi esse scripturam Canonicam: cuius tamen traditionis adeò debilis erat memoria, vt Hieronymus dicat Epistolam illam paulatim tempore procedente obtinuisse auctoritatem. Idémque dicendum est de Epistola Pauli ad Hebr. déque Apocalypsi Ioannis, insertis Canoni librorum sacrorum ab eodem Concilio: de quibus tamen idem Hieronymus testatur, consuetudinem Græcorum neutram recepisse longo tempore. Si autem tam vniuersalis & constans eius rei fuisset memoria, quanta esse debet vt sit infallibilis: ea certè non latuisset totam Ecclesiam Orientalem, præcipuè eo tempore tam florentem viris doctis & sanctis, traditionúmque diuinarum perstudiosis. Item, non est dubium multa contineri in libris Canonicis, præcipuè in Prophetis, & in Apocalypsi, quorum sensus est adeò obscurus, vt neque per se pateat, neque ex collatione cum alijs Scripturæ locis, infallibiliter eruatur. Quidni ergo possit Ecclesia congregata verum illorum sensum impetrare, si id expediat ad hæresim aliquam extinguendam, ortam ex occasione illius obscuritatis; sicut error Millenariorum ortus erat ex cap. 20. Apocalypsis malè intellecto. Eámque ob causam Trid. in fine præfationis Sess. 13. assignat velut tria principia distincta doctrinæ fidei, quam tenet Ecclesia; Christum, Apostolos, & Spiritum sanctum in dies, hoc est, successiuè, & subinde quando opus est, suggerentem illi omnem veritatem. Quibus verbis Trid. indicat Spiritus sancti suggestionem esse medium obiectiuum Ecclesiæ ad reperiendam veritatem; vt magisterium Christi, & Apostolorum. Sicut enim ab istis erudita; ita dicitur à suggestione Spiritus sancti in dies edocta. Ergo saltem hæc suggestio est medium necessarium, vt Ecclesia intelligat quænam contineantur in Christi Euangelio, & traditionibus. Atqui si omnia definienda ab Ecclesia reperirentur euidenter contenta in Euangelio, & traditionibus, aut ex illis euidenter colligi possent: non esset necessaria suggestio Spiritus sancti, vt medium obiectiuum; imò nullo modo esset absolutè necessaria, vt principium, ad reperiendam veritatem. Nam facilè reperiuntur quæcumque continentur euidenter in aliquo medio, quod est satis propositum. Quemadmodum quia nobis satis constant relatione Doctorum, & Prædicatorum, quæ nunc tenet de fide, Romana Ecclesia circa Trinitatem, Incarnationem, Baptismum, Eucharistiam, & similia, non egemus suggestione Spiritus sancti, vt hæc sciamus.

Docent tertiò, in eiusmodi Ecclesiæ definitionibus, quæ fiunt præiacentibus tantùm indicijs probabilibus antiquæ reuelationis, interuenire nouam Dei reuelationem, quâ scilicet Deus reuelat quid olim reuelauerit: atque ita non esse rigidè & absolutè verum, quod communiter dicitur, Ecclesiam nihil definire, tanquam de fide Catholica, quod non accipiat præcisè à reuelationibus diuinis, per Christum aut Apostolos factis, & sufficienti earum memoriâ, vel intelligentiâ: quasi nulla sit, aut fiat post tempora Apostolorum noua reuelatio Ecclesiæ circa fidei mysteria. Fiunt enim reuelationes, non quidem veritatum, quas Apostoli non nossent; sed quarum noscendarum, non sunt infallibilia vestigia, nisi de nouo, aliquo modo, Deus ea reuelet. Et quamvis ante definitionem Ecclesiæ extent semper probabilia saltem reuelationis olim factæ indicia: quia tamen ea non sufficiunt ad fidem supernaturalem, quæ certissimo, & infallibili argumento reuelationis diuinæ niti debet: necessarium est, 17. Tertia assertio.

vt quod illis deest, suppleatur noua Dei reuelatione, quâ certissime intelligatur quid olim reuelauerit. Tunc autem nouam interuenire reuelationem, & necessariam esse, probant quia quando discursu euidenti, & infallibili, non eruitur propositio definienda ex alijs propositionibus in aliqua regula fidei iam euidenter contentis, vel etiam euidenti experientiâ, & vsu terminorum non intelligitur prioribus æquiualens, aut denique non est omnino indubitabilis, euidénsque experientia, & memoria, quòd propositio definienda manauit ab Apostolis; debet esse noua reuelatio, vt illa propositio sit obiectum fidei. Debet enim constare infallibiliter Deum dixisse aliquam propositionem, vt possit esse obiectum fidei. Sed vbi neque discursu euidenti, addendo propositiones aliter euidentes, neque experientiâ, aut memoriâ infallibili, constat Deum dixisse aliquam propositionem; non superest via, quâ id constet infallibiliter, nisi Dei locutio, de qua constet euidenter: Ergo, &c. Itaque quando Ecclesia sic definit, tametsi non tradit noua fidei dogmata, sed olim antea reuelata per Christum, & Apostolos, atque ab illis per manus ad nos vsque transmissa: neque tunc fiat noua omnino reuelatio, quasi eadem res non fuerit antea per Christum, & Apostolos tradita: fit tamen renouatio antiquæ reuelationis, & noua reuelatio secundùm quid: quatenus Deus de nouo, & iterum significat quid antea reuelauerit. Quando enim deest omne aliud medium infallibile, quo constet sufficienter quid antea reuelauerit, necessarium est, vt ipse iterum reuelet. Quemadmodum si herus aliquid seruo imperasset, cuius ipse iam non haberet memoriam, neque aliunde posset scire quid imperatum sit; necessarium esset illi, vt ab hero iterum intelligeret quid imperauit.

18. *Examinatur prima propositio.* Prima propositio huius sententiæ nobis non aduersatur: non tamen satis efficaciter probatur auctoritate Trident. quam adducit. Quia, vt præcedenti Sect. notauimus, Trident. ibi loquitur æquè de morum disciplina, atque de salutari veritate, quam vtramque ait contineri in Euangelio tanquam in fonte omnis & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, id est, in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt. Est autem manifestum Ecclesiam nihilominus quædam omnino noua, & nunquam antea determinata constituere, quoad morum disciplinam, prout varijs locis, & temporibus expedire iudicat: quemadmodum ex. g. in Concilio Trid. irritauit matrimonia clandestina, quæ antea solùm erant prohibita; & impedimenta matrimonij propter consanguinitatem, aut affinitatem, ad quartum gradum restrinxit, cùm antea latiùs paterent vsque ad septimum. Itaque locus ille Trid. non probat Ecclesiam non posse similiter definire aliqua nunquam antea reuelata. Et sicut omnis disciplina morum eo tantùm sensu manauit à Christo, & Apostolis, quia illi partim expresse eam tradiderunt, partim principia quædam generalia, quibus constat Ecclesiam habere auctoritatem determinandi quæ pro tempore & loco necessaria sunt ad disciplinam Ecclesiasticam, & bonos mores fidelium: ita dici posset omnes veritates fidei partim hoc, partim illo modo ad nos vsque manâsse ab Apostolis. Aliunde igitur probanda est efficaciùs hæc assertio ex vsu, & praxi Ecclesiæ huc vsque, quæ nihil vnquam definiuit, nisi quod profiteretur se accepisse à Christo, vel Apostolis: imò etiam nihil quod non priùs contineretur infallibiliter in principijs reuelatis, & traditionibus antiquis, quarum adhuc extabat certa, & sufficiens memoria, vel haberi poterat sufficiens notitia, Spiritu sancto adiuuante ad illas bene penetrandas: vt patebit respondendo instantijs in secunda propositione aduersariorum allatis. Qua etiam de causa definitionem Conciliorum præcedit exacta, & diligens inquisitio testimoniorum Scripturæ, verique illorum sensus, & scriptorum sanctorum Patrum, aliorúmque monumentorum antiquæ traditionis: non solùm, vt nihil illis contrarium statuatur, vel ab illis accipiatur qualiscumque lux: sed vt ex illis tanquam sufficientibus argumentis intelligatur quid sit definiendum, quidve hac de re Christus aut Apostoli tradiderint.

Secunda propositio eiusdem sententiæ non satis firmis nititur argumentis, & sine sufficienti fundamento à communi recedit. Ad primum enim dicendum est, non posse meliùs iudicari quale sit regimen Spiritus sancti circa Ecclesiam in definitione fidei, & quantùm ipsa pendeat à memoria hominum conseruatrice traditionum, vel ab humano discursu applicante principia reuelata ijs, ad quæ legitimè extenduntur: non posse, inquam, meliùs id iudicari, quàm ex sensu ipsiusmet Ecclesiæ, qui per vsum eius perpetuum huc vsque, & praxim in definiendo, nobis innotescit. Sed Ecclesia in tot, tantisque controuersijs huc vsque excitatis nihil vnquam definiuit, vt tenendum fide diuinâ, sine indicio infallibili reuelationis olim factæ per Christum & Apostolos, vel in Scriptura bene intellectâ Spiritus sancti auxilio: vel in oris traditione adhuc conseruata per hominum memoriam satis constantem, & firmam: Ergo, &c. Maior patet, quia morales potestates ad agendum, quæ propter vsum frequentem & necessarium conceduntur, non possunt meliùs cognosci, quàm ex ipso vsu perpetuo. Minor verò probatur, quia si vnquam Ecclesia fuit aliter vsa potestate definiendi, maximè in illis definitionibus, quas in exemplum proferunt aduersarij. Sed neque tunc aliter definiuit, vt patebit in solutione tertij argumenti. Quòd si aliqua interdum afferuntur in discursu Conciliorum non satis firma; definitio non fundatur in illis, sed in alio certo principio. 19. *Expenditur secunda, & respondetur illius argumentis.* *Ecclesia quomodo definit aliquid esse de fide?*

Ad secundum Respondeo primò, sicut iusto non est lex posita, inquit Apostolus 1. Timoth. 1. v. 9. id est, non egent iusti lege cogente, & coërcente, quia sponte faciunt id, quod lex præcipit: ita non fore inconueniens si Docti sine passione, & præoccupatione iudicantes, 20. *Eius definitiones quibus & cur necessariæ?*

non egeant definitione Ecclesiæ cogente ad credendum: quia sponte credunt id, quod ex sufficienti consultatione vident contineri in antiquis traditionibus. Et certè multa in Concilijs definiuntur contra hæreticos, de quibus antea euidenter constabat Doctis esse de fide: cuiusmodi sunt multa in Trid. de peccato originali, de Iustificatione, de merito bonorum operum, de Sacramentis, de Purgatorio. Neque propterea verum non est quod Isaias dicit, Gentes omnes, Doctis etiam inter eas comprehensis, accipere ab Ecclesia vias Domini. Nam ab illa accipiunt antiquas reuelationes scriptas, vel non scriptas, & quidquid fide diuinâ credunt. Respondeo secundò, Doctos si passione, vel præoccupatione impediuntur ne videant veritatem sufficienter apparentem, vt plerisque contingit, egere definitione Ecclesiæ. Si verò iam tali vitio carent; sunt illius capaces, & possent aliàs in illud cadere. Quare egent definitione Ecclesiæ, vt firmentur, & constanter illi veritati adhæreant, tanquam sufficienter contentæ in Scriptura, vel traditionibus diuinis; de quo dubitare nequeunt postquam Ecclesia id clarè definiuit. Tertiò, fieri potest, vt ne doctis quidem sine passione, & præoccupatione iudicantibus satis certò appareat intelligentia veri sensus Scripturæ, in qua continetur veritas definienda: sed ille per assistentiam Spiritus sancti, & lumen ab ipso concessum, meliùs innotescat Pontifici, & Patribus ius definiendi habentibus, & quibus promissa est infallibilis assistentia Spiritus sancti. Atque ad hunc etiam finem imploratur eius lumen à Concilijs, & ad cætera omnia bene peragenda, siue consultando, siue definiendo de rebus fidei, aut de morum disciplina Ecclesiastica determinando. Hoc tamen non est noua reuelatio, propriè loquendo, vt ostendemus in fine Sectionis.

11. Soluuntur instātiæ.

Ad tertium Respondeo, definitionem illam Trid. fuisse antea sufficienter contentam in Scriptura, affirmante generaliter homines renasci per baptismum ex aqua, & Spiritu sancto, Ioan. 3. v. 5. Et Spiritum sanctum effundi in nos abundè per lauacrum regenerationis, & renouationis, Tit. 3. v. 5. Et charitatem diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, Rom. 5. v. 5. Et quotquot in Christo baptizantur, induere Christum, Galat. 3. v. 27. Et semen Dei manere in illis omnibus, qui nati sunt ex Deo, 1. Ioan. 3. v. 9. Quæ omnia generaliter dicta de baptizatis, conueniunt æquè paruulis, ac adultis. Quare illis æquè infunditur per baptismum Spiritus sanctus, & charitas Dei per Spiritum sanctum, aliæque virtutes permanentes, & habituales, in quibus consistit regeneratio spiritalis, & semen Dei, & per quas induimus Christum, id est, fimus illi similes, & diuinæ consortes naturæ, vt loquitur Petrus Apostolus Epist. 2. c. 1. Quaptopter meritò Suares lib. 6. de Gratia c. 3. n. 3. affirmat, licet ante Tridentinum non esset hoc dogma receptum, tanquam dogma fidei, quoad promulgationem & sufficientem propositionem toti Ecclesiæ factam, ne quidem quoad adultos, de quibus tamen etiam tunc id pro certo, & comperto habebatur ab omnibus Theologis, vt supponit Concilium Viennense: Nihilominus hoc idem dogma in se spectatum semper fuisse de fide: quia reuerà erat in Scriptura contentum, quamvis nondum esset per Ecclesiam apertè explicatus hic Scripturæ sensus, neque per se tam esset perspicuus, & obuius, vt omnibus pateret. Hoc tamen non obstat quo minùs in se verus esset, & satis intelligibilis, attentiùs cum ope Spiritus sancti considerantibus: sicut etiam à multis antiquis Patribus Scriptura ita intelligebatur, vt patet ex plurimis eorum testimonijs, quorum aliqua illustriora retulimus in Tract. de Iustificat. Et hoc Concilium Viennense non latuisset, si in locorum illorum Scripturæ intelligentiam exactè disquirendam, & penetrandam incubuisset, ad eúmque finem consultationem diligentem, & studium definiendi conciliariter adhibuisset. Verùm id agendum non susceperat: sed obiter tantùm pronuntiauit vtra sententia è duabus receptis inter Theologos illius temporis magis sibi placeret, propiúsque ad veritatem accederet. Neque verò tanta erat tunc temporis apud Theologos intelligentia Scripturarum, quanta nunc est, & fuit tempore Concilij Trid. post eruditos tam multorum interpretum Commentarios, quorum etiam studium acuerunt hæreses ab eo tempore suscitatæ circa iustificationem, & alia fidei dogmata nunc controuersa. Vt mirum esse non debeat verum illum Scripturæ sensum circa iustificationem paruulorum, non fuisse Theologis illius temporis obuium, aut satis certò cognitum.

12. Quo fundamento definiuit Ecclesia quosdam libros esse Canonicos. Epistolam Iacobi, & Iudæ.

Ad alteram verò instantiam de Epistola Iacobi, Respondeo Concilium Carthaginense III. vel IV. habuisse pro fundamento sufficienti ad illam Canoni inserendam consensum omnium penè Ecclesiarum. Nam Eusebius, qui fuit Hieronymo, & Concilio illo antiquior, ita scribit de Epistolis Iacobi, & Iudæ, lib. 2. histor. c. 23. *Sciendum est quòd à nonnullis non recipiuntur. Nos tamen scimus, etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Ecclesijs recipi.* Consensus autem tot Ecclesiarum, & memoria tam vniuersalis, erat sufficiens & infallibile argumentum antiquæ traditionis, quamvis nonnulli de ea dubitarent: de quibus intelligendum est quod ait Hieronymus, successu temporis Epistolam illam obtinuisse apud eos auctoritatem. Sanè illam, vt Canonicam longè antea citauerant ad confirmanda fidei dogmata Cyprianus in lib. ad Nouatianum, Dionysius c. 4. de diuinis nominibus, alijque plures, vt videre est apud Cornelium à lapide, & alios Interpretes eius Epistolæ, in Prolegomen. Epistolam quoque ad Hebræos longè ante idem Concilium, imò semper, fuisse receptam ab omnibus Græcis Patribus, excepto solùm Caio, & ab omnibus Latinis, exceptis solùm Tertulliano, Cypriano, Lactantio, & Arnobio, docet & probat Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 17. Ibidémque c. 19. ostendit de Apocalypsi fuisse semper vnanimem consensum, non modò Latinæ Ecclesiæ, vt fatetur Hieron. citatus in obiectione: verùm etiam Græcorum Patrum.

Epist. ad Hebræos.

Apocalypsi.

Nam librum illum, vt Canonicum, & verum Ioannis Apostoli fœtum citant Dionysius, Iustinus martyr, Iræneus, Theophilus Antiochenus, Melito Sardicensis, Dionysius Alexandrinus, Eusebius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Epiphanius, Chrysostomus, locis à Bellarmino ibidem relatis: qui inde meritò concludit necessarium esse Græcos illos, qui, Hieronymo teste, Apocalypsim non recipiebant, paucos, & obscuros fuisse: quorum dubitatio, aut falsa persuasio non impediebat ne tot aliorum testimonium esset indubitabile. Idemque dico de Latinis illis, quos Hieronymus ait non recepisse Epistolam ad Hebræos. *Si* quid verò in Scripturis ita abstrusum est, vt ex eo tanquam ex medio præiacente non possit euidenter, aut certò, infallibiliter colligi definitio Ecclesiæ, Spiritu sancto iuuante, & dirigente intellectum, vt vim medij cognoscat: non habet Ecclesia potestatem definiendi vi illius medij; neque definiet, si nullum aliud suppetat. Meritò tamen damnabit temeritatis eos, qui suas interpretationes circa eiusmodi Scripturæ loca pro fidei dogmatibus vellent intrudere. Nam vt sapienter ait D. Aug. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione, c. 36. *Vbi de re obscurissima disputatur non adiuuantibus diuinarum Scripturarum certis, clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio.* Loquitur autem Sanctus ille Doctor de quæstionibus obscurissimis (qualem esse putabat ipse de origine animarum) ad quas definiendas non suppetunt vlla firma testimonia, sed solùm coniecturæ aliquæ ex diuinis literis.

23. Quomodo Spiritus sanctus suggerit Ecclesiæ omnem veritatē? Ad quartum Respondeo, Spiritum sanctum suggerere in dies Ecclesiæ omnem veritatem, non de nouo reuelando fidei dogmata, sed iuuando ex parte principij, & dirigendo, atque illustrando intellectum, vt meliùs percipiat veritates iam olim à Deo reuelatas, & scripturas diuinas, aliáque fundamenta, vel argumenta, quibus satis certò & infallibiliter constare potest de reuelatione iam facta per Christum, & Apostolos. In quo non interuenit noua reuelatio, vt fatentur Aduersarij: sed solùm quando medium præiacens definitioni Ecclesiæ non sufficit ad certò definiendum, quòd in ea contineatur veritas definienda. Tunc enim, inquiunt, oportet Spiritum sanctum suppeditare medium obiectiuum nostræ fidei, in quo perspiciatur ea veritas: quod non potest esse aliud, quàm eius testimonium. Est autem necessaria suggestio Spiritus sancti, quia sine illâ, multa Scripturæ loca, & alia fidei nostræ fundamenta, non possent sufficienter intelligi. Quemadmodum etiam necessaria est singulis credentibus, ad motiua credibilitatis sufficienter, & pro merito expendenda, prudentérque discernenda. Reliqua quæ adduntur ab auctoribus illius sententiæ, vel nobis non obsunt, vel ex dictis soluta manent.



SECTIO V.

An reuelata mediatè, & quæ deducuntur ex principijs fidei, sint de fide?

24. Svperest explicandum id quod Disp. 1. Sect. vlt. hunc in locum remisimus, an scilicet ea, quæ Deus tantùm mediatè reuelauit, de fide sint? Pro quo nota primò, non esse hîc quæstionem de reuelatione mediata ex parte reuelantis, id est, facta à Deo per alium, cui ipse primò reuelauit, & per eum denunciat alijs se reuelasse. *Status quæstionis.* Certum enim est reuelationem diuinam quomodocumque factam, siue ab ipso immediatè, siue per alium, sufficere vt sit obiectum formale fidei, accedente sufficiente ratione credibilitatis. Nam testimonium diuinum quomodocumque denuntiatum, dummodò certò constet, dignum est assensu fidei certissimo, & supernaturali, ob summam Dei testificantis auctoritatem, & eminentiam. Verum tamen est, quod rectè aduertit Suares Disp. 4. Sect. 1. n. 6. in omni sufficienti propositione fidei Deum interuenire, specialiter adiuuando ad reddendam reuelationem credibilem. Nempe vel signa aliqua diuina & mirabilia, externa, vel interna operando, vt ostendat se dixisse: vel interiùs adiuuando, vt aliàs exhibita, & adhuc aliquo modo moraliter in hominum memoriâ, & in aliquo signo, vel effectu remanentia, bene quisque percipiat, & de fidei propositione dignè & conuenienter iudicet. Quia id, vt condignè fiat, eget auxilio gratiæ speciali: vt colligitur ex Trid. Sess. 6. can. 3. & clariùs ex Mileuit. & Arausic. de quibus alibi. *Vide infrà Disp. 10. Sect. 1. Num. 6.* Non est, inquam, sermo de reuelatione mediata, ex parte reuelantis; sed de mediata ex parte obiecti; quando scilicet obiectum non est reuelatum immediatè, & formaliter in seipso, id est, secundùm se sub ijsdem terminis, aut æquiualentibus; sed tantùm mediatè, & virtualiter in alio, id est, per aliud, ex quo deduci potest, & cum quo est connexum, vt lumen v. g. est connexum cum Sole, & proprietas cum essentia.

25. *Reuelatū formaliter & immediatè duplex est.* Nota secundò, duobus modis posse aliquid esse reuelatum formaliter, & immediatè: nimirum aut expresśè, quando scilicet disertis verbis exprimitur; aut confusè, vel implicitè, quando illud ipsum, etsi non sit expressum à reuelante; continetur tamen in reuelatione, vt aliquid idem secundùm sensum cum expresśè reuelato, aut de conceptu illius integro, aut tanquam pars totius reuelati expresśè, adæquatè sumpti secundùm sensum reuelantis. Sic Deus expresśè reuelans Christum esse hominem, reuelat implicitè Christum esse animal rationale: quia definitio, & definitum, secundùm sensum, idem sunt. Reuelat etiam Christum habere corpus, & animam rationalem; quia corpus, & anima rationalis sunt partes hominis adæquatè sumpti. Similiter Deus reuelans expresśè aliquam propositionem vniuersalem in sensu distributiuo, vt, *Omnis homo mendax. Statutum est omnibus hominibus semel*

mori: reuelat confusè omnes propositiones particulares contentas in illa generali adæquatè sumpta secundùm sensum Dei reuelantis. Semper enim illud omne quod continetur in aliquo toto, quà reuelatum est; reuelatur implicitè, & confusè in illo: siue illud totum sit totum essentiale: siue totum integrale: siue totum potentiale, aut vniuersale, sub se complectens multa particularia: Ratio est, quia hæc omnia sunt de pleno, & integro conceptu reuelationis.

26. Dupliciter potest aliquid deduci ex reuelatis. Nota tertiò, duobus modis posse quippiam deduci ex principijs fidei. Primò, ex illis solis; vt, Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, Ioan. 20. v. 23. Ergo Apostoli habuerunt hanc potestatem. Item qui omnia creauit, Deus est, Hebr. 3. v. 4. Christus autem creauit omnia, ibidem cap. 2. v. 10. Ergo Christus est Deus. Secundò, non ex illis solis: sed adiuncto aliquo principio naturaliter tantùm noto, euidenter, certò aut probabiliter. Vt omnis homo est visibilis: Christus est homo, Matth. 1. v. 11. & sequentibus: Ergo Christus est visibilis. Omnis infans legitimè baptizatus, est in gratia: Hic infans est legitimè baptizatus: Ergo, &c. Minor constat euidenter ei, qui baptizat; alijs verò, certò moraliter. Rursus principium naturale, quod adiungitur principio reuelato dupliciter se habere potest. Vel enim assumitur tantùm ad ostendendum, id quod ponitur in conclusione esse partem reuelati immediatè, aut esse aliquid idem cum illo secundùm sensum perfectum, & integrum: vel assumitur ad ostendendam connexionem naturalem conclusionis cum eo, quod immediatè reuelatum est. Vlteriùs, illatio syllogistica vel inseruit notitiæ conclusionis tanquam motiuum, & ratio formalis illi assentiendi: vel solùm vt manuductio ostendens id, quod in conclusione ponitur, subesse immediatè, quamvis implicitè, reuelationi, & contineri secundùm se in antecedente reuelato: itavt illatio syllogistica sit tantùm propositio, & applicatio reuelationis, propter quam immediatè assentiamur conclusioni, materialiter sumptæ, & per actum simpliciorem & non discursiuum, assentiamur illi quia reuelata est, & sufficienter proposita. His præmissis,

27. Reuelata immediatè sunt obiectũ fidei. Dico 1. quidquid immediatè, & secundùm se, subest reuelationi diuinæ, siue expressè, siue implicitè, est obiectum fidei Theologicæ, quatenus tale est. Ratio est, quia illud omne est credibile propter solam Dei authoritatem; & non eget adminiculo alterius, cùm per se solùm formaliter & immediatè connectatur atque subiaceat reuelationi.

28. Deducta ex reuelatis, vt talia, non sunt fidei obiectũ. Dico 2. Id quod deducitur ex principijs reuelatis, siue solis, siue adiuncto aliquo naturali principio, non est de fide quatenus deducitur, & cognoscitur vi naturalis illationis, tanquam motiui & rationis formalis assentiendi. Ratio est, quia illatio naturalis non est digna assensu supernaturali, neque illi satis proportionata est; vt sit illi motiuum, & ratio formalis assentiendi. Ideóque fides supernaturalis non assentitur propter illam; sed propter simplicem connexionem testimonij diuini cum veritate reuelata, quam connexionem & applicationem Deus ipse facit reuelando, seu testificando. Nam testimonium est essentialiter alicuius, & de aliquo: támque illa connexio est supernaturalis, & digna assensu supernaturali, quàm ipsum testimonium, in quo inuoluitur essentialiter. Illatio verò syllogistica est opus merè naturale, vel artis humanæ; cui non debet fides supernaturalis subjici, veluti regulæ, vel obiecto formali.

Dices, Numquid fides discurrit & infert syllogisticè, quando assentitur reuelato propter reuelationem? Ideo enim credit, quia Deus dixit: imò & alterum principium assumit, Quicquid Deus dixit, verum est. Confirmatur quia discurrere nihil est aliud, quàm ex notis ignota deducere. Atqui fides ex testimonio Dei noto deducit notitiam reuelati, per se obscuti. Ergo discurrit. Respondeo, In obiecto quidem fidei semper esse materiam discursus integri, & illationis syllogisticæ: verumtamen fides non discurrit formaliter, neque infert vnum ex alio; sed simpliciter assentitur reuelato propter reuelationem ipsi immediatè à Deo applicatam: quam reuelationem Deus implicitè affirmat esse veracem, eo ipso, quòd illam exhibet vt fidem faciat, & persuadeat. At sicut in hac propositione causali, *Quia sol lucet, dies est*, non est discursus, sed iudicium simplex de connexione effectus necessarij cum causa existente, cognoscendo vtrumque esse, & vnum esse propter aliud: sic assensus fidei supernaturalis non est discursus formalis, sed iudicium simplex de connexione veritatis reuelatæ cum reuelatione diuina: Quia Deus hoc dixit, verum est. 29. Fides nõ discurrit.

Ad confirmationem respondeo, assentiri vni propter aliud vt simpliciter connexum, non esse deducere vnum ex alio, neque discurrere. Ad hoc enim necessarium est vt assentiar vni propter aliud, non propter simplicem connexionem, sed propter illationem; quia scilicet video vnum bene sequi ex alio, & bonam esse consequentiam vnius ex alio propter bonam & aptam dispositionem terminorum in forma syllogistica, vel alio genere argumentationis, aut consequentiæ, iuxta regulas dialecticæ: quod fides supernaturalis non facit, ideoque non discurrit. Esto, fides humana possit vtroque modo assentiri, & propter simplicem connexionem, & propter illationem syllogisticam; quia vterque modus est illi satis proportionatus. 30. Quid sit discurrere?

Dico 3. Id quod ita deducitur ex principijs reuelatis, vt ipsum quoque immediatè subsit reuelationi; & deductio tantùm inseruit vt ostendat illud subesse immediatè reuelationi, est de fide, non quatenus deducitur, sed quatenus subest immediatè reuelationi. Hæc conclusio sequitur ex duabus præcedentibus. Vnde collige 1. quando conclusio benè deducitur ex puris & solis reuelatis; id quod in ea ponitur, esse de fide quia consequens est semper de conceptu totali & integro antecedentis, & in illo solo continetur implicitè. Ideóque si totum antecedens est reuelatum: consequens quoque est in illo reuelatum confusè & implicitè. 31. Deducta ex reuelatis, ita vt subsint immediatè reuelationi, sunt etiam de fide.

32. *Licet deducuntur adiuncta propositione naturali.* Collige 2. quando vni principio reuelato additur aliud naturale, quo tantùm ostenditur consequens contineri in sensu adæquato principij reuelati, cui applicando solùm inseruit: consequens illud nihilominus esse de fide, dummodò constet euidenter aut certissimè contineri in illo. Vt, Omnis homo est mendax: Psal. 115. Petrus est homo: Ergo est mendax. Omnis infans qui abluitur aquâ naturali cum his verbis, *Ego te baptizo, &c.* & intentione faciendi quod Christus instituit, est validè baptizatus, ex Florent. in decreto Eugenij. Sed hic infans abluitur tali modo, vt mihi baptizanti euidens est. Ergo hic infans est validè baptizatus. Item, Omnis infans validè baptizatus est in gratia: ex Trident. Sess. 5. in decreto de peccato originali, §. 5. & Sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere. Sed hic infans est validè baptizatus. Ergo est in gratia. In quibus syllogismis propositio minor est tantùm euidens applicatio principij reuelati ad hoc particulare euidenter contentum sub vniuersali propositione reuelata. Sic quia Ioanni Baptistæ reuelatum erat, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, hic est filius Dei:* Ioan. 1. v. 33. Hoc ipso quòd postea vidit Spiritum sanctum descendentem super Christum quasi columbam, fuit illi fide diuinâ credendum, Christum esse filium Dei. Et in fine sæculorum de fide erit, illum esse Antichristum, cui euidenter conueniant omnia de Anti-christo prædicta. Et quia Christus Luc. 11. v. 17. generaliter reuelauit, *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur:* hoc ipso quòd videmus hoc aut illud regnum esse diuisum in se ipsum, de fide est desolatum iri, eo sensu quo Christus reuelauit: nisi scilicet diuisiones maturè extinguat. Et quia in symbolo reuelatum est veram Ecclesiam illam esse, quæ est vna, Sancta, Catholica, & Apostolica: de fide est hanc Ecclesiam, cui omnes illæ notæ conuenire videntur, esse veram Ecclesiam. Item ei, qui euidenter sibi conscius est peccati mortalis, de fide est se gratiâ carere, & reum esse mortis æternæ: cùm sit reuelatum, omne peccatum mortale priuare gratiâ, & reum facere mortis æternæ. Dixi autem, dummodo euidenter aut certissimè constet: quia si tantùm probabiliter, aut certitudine morali; id non sufficit ad certitudinem assensus fidei supernaturalis.

Probatur id varijs exẽplis.

33. *Soluuntur obiectiones.* Objicies 1. talem conclusionem sequi ex vno principio non reuelato: neque enim reuelatum est, Petrum esse hominem; vel hunc infantem esse validè baptizatum. Ergo talis conclusio non est de fide: quia conclusio sequitur partem debiliorem suæ causæ; neque potest habere certitudinem supernaturalem, si vna præmissarum, à qua pendet, sit tantùm certa naturali certitudine. Respondeo fidem supernaturalem non assentiri tali conclusioni propter principium non reuelatum tanquam motiuum formale assentiendi, & provt ex eo illatæ: sed solùm propter diuinum testimonium applicatum immediatè per huiusmodi propositionem naturaliter euidentem; seu potius quia est euidens conclusionem illam contineri immediatè & implicitè in propositione à Deo reuelata, iuxta sensum & intentionem Dei reuelantis. Nam quilibet homo singularis continetur implicitè sub illa propositione generali & distributiua, *Omnis homo mendax* &, *quilibet infans*, cui aqua naturalis cum verbis & intentione debitis, applicata est, sufficienter continetur immediatè & implicitè in illa propositione vniuersali reuelata, Omnis infans, cui aqua naturalis cum verbis & intentione debitis applicatur est legitimè baptizatus, & est in statu gratiæ.

34. *Altera instantantia repellitur.* Opponit 2. Ægidius Coninck Disp. 9. de fide dub. 9. num. 123. Qui reuelat omnem infantem validè baptizatum esse in gratia, non reuelat eo ipso infantem hunc esse validè baptizatum: neque est connexio necessaria vi terminorum inter hunc infantem, & omnem infantem validè baptizatum; sed tantùm ex suppositione quòd validè baptizatus sit: quæ suppositio non est reuelata, sed tantùm nota lumine naturali: ideoque conclusio non est credibilis propter solam reuelationem diuinam, sed adiunctâ naturali cognitione de baptismo hîc & nunc legitimè applicato ac proinde ipsa non est magis reuelata, & de fide, quàm sit de fide baptismum fuisse legitimè applicatum. Confirmatur; quia talis conclusio non sequitur per se & immediatè ex propositione reuelata, sed tantùm mediatè & per accidens, ratione propositionis naturaliter cognitæ, quæ à Deo non est reuelata: atque ita conclusio illa non potest magis esse à Deo reuelata, quàm hæc propositio, naturaliter tantùm cognita, sit à Deo reuelata. Cùm enim non possit participare esse reuelatum, nisi ratione euidentis consequentiæ ex reuelatis: neque possit hanc consequentiam habere nisi ratione propositionis non reuelatæ, siue hac mediante; sequitur eam non magis participare esse reuelatum, quàm hæc id participet. Sicut quando conclusio aliqua sequitur ex vna certa, & alia tantùm probabili; quia certitudinem prioris non potest participare nisi mediante secundâ; non potest vllo modo esse istâ certior: sequitur enim debiliorem partem suæ causæ: Hæc Ægidius.

35. *Quomodo reuelatio se ad illa extendat?* Ad quæ respondeo 1. eum qui reuelat omnem infantem, cui lauando applicata est aqua naturalis cum verbis & intentione debitis; esse validè baptizatum; hoc ipso confusè reuelare hunc infantem, cui euidenter hæc omnia conueniunt, esse validè baptizatum: ideóque vi huius principij reuelati esse de fide quòd sit validè baptizatus. Sicut reuelans vniuersaliter omnem hominem debere mori, reuelat Petrum debere mori: quamvis non reuelet in particulati Petrum esse hominem, aut Petrum debere mori. Nam propositio vniuersalis distributiua æquiualet omnibus particularibus, per quarum descensum explicatur, & verificatur. Idemque est dicere, Omnis homo debet mori: ac dicere, Petrus qui est homo debet mori, & Paulus, & cæteri quotquot homines sunt. Eodemque modo dicere quòd omnis infans, cui applicatur aqua naturalis cum verbis & intentione debitis, est legitimè

baptizatus; idem est ac dicere, Hic infans, cui aqua est applicata, &c. & ille, & ille, & ille, &c. est legitimè baptizatus: quæ omnia particularia, Deo reuelanti notissima sunt: Deique testimonium extenditur iuxta eius notitiam, quam manifestat.

36. Quomodo sunt de fide eiusmodi conclusiones. Ad confirmationem respondeo, conclusionem illam non esse de fide vt conclusio est: sed prout continetur immediatè in principio reuelato: quæ continentia cognoscitur immediatè, & per se, ipso facto & experimento applicationis euidentis propositionis vniuersalis ad hoc particulare. Neque enim opus est discursu, & aliquo principio naturali assumpto; sed intuitu simplici, vt cognoscatur immediatè contineri, quatenus scilicet videtur illi immediatè & per se conuenire id, quod affirmat propositio reuelata. Quare non tantùm per discursum participat reuelationem: sed per se ipsum, quatenus euidenter cognoscitur esse inclusum in vniuersali reuelato, & esse vnum de particularibus in illo reuelatis. Sicut euidens est Petrum qui est homo, contineri in hac propositione vniuersali de fide, *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Debet quidem videri aut euidenter intelligi hoc particulare contineri in propositione vniuersali reuelata; sed hæc visio aut intellectio non est principium ascitum & obiectum formale: sed est tantùm perceptio obiecti, se tenens ex parte potentiæ, non ex parte obiecti.

SECTIO VI.

Sitne etiam de Fide propositio mediatè solùm reuelata?

37. Conclusio affirmatiua. DIco 4. Reuelatio quoque virtualis tantùm, seu mediata, sufficit etiam ad obiectum formale fidei. Quare id quod ex ea deducitur adiuuante aliquo principio naturali euidenter noto, est etiam de fide. Hæc assertio est contra Molinam 1. p. q. 1. art. 2. disp. 2. Suarem Disput. 3. de fide, Sect. 11. Ægid. q. 9. dub. 9. Caiet. Valent. Cordub. & alios quos isti citant: traditur verò à Cath. in opusc. de certitudine gratiæ, assert. 6. Cano lib. 6. de Locis cap. vlt. ad 10. §. *Sed & id postremò*, Vega lib. 9. in Trident. cap. 39. & Mœratio 1. p. Disp. 2. de Deo, Sect. 5. qui meritò affirmat eandem esse sententiam D. Gregorij Nazian. Orat. 37. quæ est 5. de Theologia, Non longè à fine affirmantis esse fide tenenda etiam ea quæ *vel nullo modo, vel certè non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi, colligique reperiuntur.* Neque enim satisfacit quod respondet Molina suprà §. *Pro solutione argumentorum*, Nazianzenum debere intelligi quòd sint de fide latè & impropriè; nimirum eo sensu, quo fides extenditur ad habitum & assensum Theologicum.

38. Probatur ex sanctis Patribus. Nam (vt rectè obseruauit R. P. Michaël Camain, Religione, amicitiâ, & diuturnâ Theologiæ professione mihi coniunctissimus, à quo lucem & opem mutuatus sum in hac graui difficultate, in quâ alijsque pluribus, per eruditos recentiores, eum subintellexi) Nazianzenus argumentatur eo loco contra hæreticos negantes diuinitatem Spiritus sancti, eo quòd per Scripturam id non expressè constaret; & tamen fatentes Patrem esse ingenitum, & anarchum, hoc est, principij expertem; quod tamen in Scriptura expressum ostendere non poterant; affirmatque illos aut suis armis opprimi; aut non ita hærendum esse vocabulis, vt non habeatur æquè ratio sensus, & eorum quæ ex illis colliguntur, tametsi vel nullo modo, vel certè non satis exprimantur vocabulis. Minus verò satisfaceret huic authoritati qui diceret Nazianzenum loqui tantùm de ijs quæ colliguntur ex vtraque propositione reuelata, & in Scripturis expressa. Nam vt idem rectè instat, cùm nihil sit in conclusione, quod non sit in præmissis, ex quibus legitimè deducitur; & tota conclusio contineatur in præmissis simul sumptis; si ambæ præmissæ dicuntur in Scriptura, conclusio quoque dicitur aliquo modo in Scriptura. Atqui Nazianzenus loquitur etiam de ijs quæ nullo modo dicuntur in Scriptura, vt patet ex eius verbis supra relatis.

Secundò, vt idem rectè argumentatur, ille sufficienter reuelat aliquid, qui vult hoc haberi pro vero vi sui testimonij. Deus autem reuelans aliquid, vult haberi pro vero vi sui testimonij, illud omne quod ita videt esse cum illo connexum, vt sine illo veritas sui testimonij stare non possit. Ergo illud omne, quod necessariò & euidenter est connexum cum principio reuelato, est sufficienter à Deo reuelatum. 39. Probatur 2. ratione.

Probatur 3. quia vt rectè ait Mœratius suprà citatus, quando duo aliqua sunt necessariò inter se connexa vel absolutè, vel ex hypothesi quæ de facto in rerum natura est, aut esse supponitur, qui dicit vnum, alterum quoque dicit. Sed propositiones, de quibus loquimur, sunt ita connexæ necessariò cum re aliqua à Deo reuelata, vel absolutè, quando vtraque propositio, maior scilicet & minor, reuelata est: vel si alterutra tantùm, saltem ex hypothesi veritatis alterius propositionis naturæ lumine euidentis. Ergo Deus propositionem illam reuelans, simul etiam reuelat conclusionem. Minor est euidens. Maiorem probat exemplis. 40. Probatur inductione per varia exempla. Primò, quia ridiculus esset, qui audiens aliquem referentem fuisse Petro caput abscissum, quæreret ab illo. An Petrus sit mortuus? Quasi id non satis dixerit, licet tantùm causam mortis expresserit. Secundò, quis neget fore hæreticum, qui negaret Christum habuisse flendi & ridendi facultatem? Cùm tamen de ridendi facultate id in se reuelatum non sit: sed vtraque facultas sit proprietas inseparabilis naturæ humanæ: ita vt sine illa nequeat esse natura humana. Tertiò sacerdos qui auditâ plurium confessione sic diceret: Primus qui mihi confessus est, confessus est de homicidio: Iste autem primus mihi confessus est: esset sine dubio reus confessionis reuelatæ, quamvis non adderet: Ergo ille mihi confessus est de homicidio. Imò licet vnam tantùm ex his duabus propositionibus proferret, sciens alteram esse audienti notissimam, esset perinde reus. Et tamen hic non reuelat nisi virtualiter, & mediatè, propter alteram veritatem, quam sciebat audienti esse notam. Ergo hoc sufficit vt quis verè dicatur reuelare. Si autem sufficit, vt homo censeatur reuelare, multò magis vt Deus.

Confirmatur quia, ad veritatem testimonij non minùs requiritur vt vera sint quæcumque sunt necessariò connexa cum ijs quæ testificatur; quàm vt ipsummet testimonium verum sit. Quia non potest vna veritas sine alia subsistere. Vnde inter homines in vtroque foro, ciuili, & Ecclesiastico, falsus testis iudicatur ille, qui conuincitur in aliqua circunstantia, sine qua veritas testimonij ipsius subsistere non potest. Ergo connexa reuelantur simul cum eo cui necessariò connexa sunt.

41. Probatur 3. ex varijs definitionibus Ecclesiæ. Denique vt idem rectè addit eodem loco, omnis illa propositio est à Deo reuelata, & de fide, quam Ecclesia vt reuelatam & credendam definire & proponere potest. Atqui Ecclesia potest vt talem proponere omnem propositionem de qua loquimur, mediatè scilicet reuelatam. Ergo, &c. Maior est certa: quia Ecclesia in definitionibus de fide non potest errare. Minorem probat experientia. Multas enim tales propositiones Ecclesia proposuit: vt quòd in Eucharistia fiat transsubstātiatio;id est, mutatio substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, manentibus ijsdem speciebus seu accidentibus panis & vini. Quia scilicet substantia corporis & sanguinis Christi non potest demonstrari sub accidentibus alterius substantiæ, nisi hæc substantia cum suis accidentibus instituta sit vsu communiter recepto,ad aliam cōtinendam; (sic enim ostenso dolio demonstratur vinum in eo cōtentum.) Cuiusmodi non erant panis & vinum respectu corporis & sanguinis Christi quando ipse pronuntiauit *Hoc est corpus meum, &c. Hic est calix sanguinis mei, &c.* vnde fit vt ad veritatem horum verborum necessaria fuerit transsubstantiatio. Item, Ecclesia proposuit tamquam de fide,quod confessio Sacramentalis debeat esse singillatim omnium peccatorum mortalium,& fieri sacerdoti habenti iurisdictionem erga pœnitentem: quia Sacramentum pœnitentiæ fuit à Christo institutum in modum iudicij: iudicium autem non potest ritè exerceri & sententia pronuntiari, nisi causâ cognitâ, & nisi iudex habeat iurisdictionem erga eum,quem iuridicè absoluit. Quæ propositiones non habentur in Scriptura,sed cognoscuntur euidenter lumine naturali. Alia quoque multa his similia ab Ecclesiâ proponuntur credenda:& tamen deducuntur solùm per discursū Theologicum ex vnâ de fide, & altera naturali. Hæc igitur omnia sic deducta debent censeri reuelata,& de fide;idque non solùm quia Ecclesia definit & proponit illa (nam Ecclesia non condit nouos articulos fidei,neque facit esse de fide id,quod antea non erat;cùm tātùm declaret id fuisse à Deo reuelatum)sed maximè quia illa benè deducuntur ex aliquo principio reuelato,cùm alioqui nō sint in se reuelata.

42. Rejicitur aliud exēplum. Aliud exemplum addit Mœratius, quòd scilicet Ecclesia definiuerit Christum habere duas voluntates: quod tamen non est per se reuelatum. Sed contrà, id satis habebatur in Scriptura, antequam definiretur in 6. Synodo contra Monothelitas, in his duabus propositionibus: Deus habet suam propriam, diuinam & increatam voluntatem. Christus est Deus. Ergo habet propriam, diuinam, & increatam voluntatem. Cuius syllogismi maior & minor erant de fide. Rursus, Christus habet aliam voluntatem diuersam à diuina, humanam scilicet; vt dicitur Luc.22. *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Ergo Christus habet duas voluntates.

Objicies cum Ægidio dispur. 9. dub. 9. num. 122. ex nostra sententia sequi, posse aliquem testificari id quod penitus ignorat. Hoc autem falsum est. Ergo & illud vnde sequitur. Maior probatur: quia si rusticus testificetur v. g. hanc herbam esse Rhabarbarum; hoc ipso,iuxta nostram sentētiam testificabitur eam herbam purgare melancholiam;quia hæc proprietas est necessariò cum illâ connexa. Minor autem probatur, quia testificari est asserere ex animo id, quod testificamur, ex scientia vel notitia propria rei; & illam notitiam præ se ferre, verè vel falsò. Respondeo 1. discrimen esse inter Deum, & homines: quia Deus aliquid testificans, nouit euidenter quicquid cum illo necessariò connexum est, ita vt sine illo veritas sui testimonij subsistere non possit: homines autem multa eiusmodi ignorant. 43. Potest ne aliquis testificari quod nescit?

44. Respondetur obiectioni. Respondeo 2. rusticum illum, hoc ipso quòd affirmat hanc herbam esse rhabarbarū, affirmare implicitè non autem expressè illam purgare melancholiam:idque sufficere absque alio testimonio cuicumque scienti necessariam connexionem huius proprietatis cum rhabarbaro:qui autem nescit, eget tantùm instructione, & notitiâ talis connexionis. Respondeo 3. hoc argumentum retorqueri posse in aduersarios, qui dicunt, hoc ipso quòd aliquis affirmat Christum esse hominem, affirmare Christum habere corpus & animam rationalem, quibus homo constituitur essentialiter. Et tamen potest aliquis rusticus affirmans Christum esse hominem, ignorare Christum habere animam rationalem, credereque ipsam diuinitatem illi esse loco animæ rationalis, vt olim senserunt hæretici Apollinaristæ. Retorquetur obiectio.

45. Altera obiectio quòd hæ propositiones non sunt in seipsis reuelatæ. Opponit 2. idem Ægidius ibidem, eiusmodi propositiones non esse à Deo reuelatas in seipsis, sed tantùm in alio ex quo deducuntur. Ergo non sunt de fide in seipsis, sed tantùm in alio, ex quo deducuntur, iunctâ aliâ propositione naturaliter cognitâ: quæ cum non sit à Deo reuelata, ergo neque istæ, quæ solùm eâ mediante participant esse reuelatum. Confirmatur quia, vt rectè addit Suares Dispur. 3. de fide Sect. 11. num. 7. Illa ratio assentiendi non est merè diuina & supernaturalis, qualis requiritur ad assensum fidei diuinæ, & ad obiectum illius formale. Nimirum quia sumitur ex parte ab altera præmissa naturali. Vnde etiam assensus ille non potest esse certior, quàm præmissa naturalis: ac proinde non est certa certitudine fidei diuinæ.

46. Ostenditur esse sufficienter reuelatas. Ad 1. respondeo huiusmodi propositiones esse sufficienter à Deo reuelatas, cùm tales sint, vt sine illarum veritate stare nequeat veritas diuini testimonij. Nam, vt suprà diximus, Deus reuelans aliquid, videt quicquid cum illo est necessariò connexum: & simul affirmat illud omne, quod cum illo ita connexum est, vt sine illius veritate stare nequeat veritas diuini testimonij. Ad confirmationem respondeo cum eruditis recentioribus, suprà nominatis num. 38. rationem illam assentiendi

esse sufficienter diuinam, & supernaturalem, quantùm requiritur ad assensum fidei, & obiectum formale ipsius: quia non est alia, quàm reuelatio diuina sufficienter proposita: quamvis inter ea, per quæ sufficienter proponitur, sit propositio naturaliter cognita, quâ ostenditur connexio conclusionis, cum veritate integrâ reuelationis: sicut in plurimis alijs fidei actibus interuenit aliquid naturaliter cognitum, ad constituendam propositionem sufficientem reuelationis, ita vt prudenter debeat
47. Probatur inductione. acceptari tanquam diuina. Quando enim credimus fidei mysteria, quia Ecclesia docet esse à Deo reuelata (qui modus credendi communissimus est) notum est experientiâ quòd Ecclesia sic doceat: non autem per reuelationem, quia Deus non reuelauit Ecclesiam id docere. Quando etiam credimus propter miracula, vel alia signa coram nobis exhibita, vel aliorum relatione sufficienti accepta; interuenit hæc propositio non reuelata, sed naturæ lumine cognita, vera sunt miracula, quæ talia apparent, postquam sunt diligenter & prudenter expensa: vel, relatio tot & talium testium fallax esse non potest. Et denique in illis ipsis pro-
48. Et ex cõsensu aduersariorum. positionibus, quas Suares eadem Sectione admittit esse de fide: vt quòd infans, quem euidenter mihi constat esse legitimè baptizatum, sit in gratia: quòd ille, cui euidens est se peccasse mortaliter, & non pœnituisse, sit obnoxius damnationi: quòd hic, putà Vrbanus VIII. legitimè electus, sit verus Pontifex: quòd Ecclesia Romana sit vera Ecclesia, &c. In illis, inquam, propositionibus non minùs interueniunt propositiones naturaliter notæ: istæ scilicet, quòd hic infans sit legitimè baptizatus: quòd ille peccauerit mortaliter: quòd Vrbanus sit legitimè electus. Similiter in istis, quas esse de fide admittit Ægidius cum Suare: Ego sum resurrecturus in carne, Ego sum sistendus ante tribunal Christi, vt recipiam secundùm opera; interuenit ista non reuelata, sed naturaliter cognita, Ego sum homo.

Ad id verò quod vltimò additur in obie- 49. Qualis & quanta sit certitudo fidei?
ctione, dico certitudinem fidei non transcendere per se quamcumque naturalem certitudinem: siue loquamur de certitudine obiectiua, id est, considerata ex parte obiecti, quoad illius necessitatem & constantiam, firmamque & immutabilem eius veritatem: siue de subiectiua & formali, id est, considerata quoad firmitatem adhærendi, ratione euidentiæ, aut meriti argumentorum, quibus veritas innotescit. Est enim euidens non esse certius ex parte obiecti quòd Petrus sit resurrecturus, quàm quòd Petrus sit homo: nosque non esse magis certos Christum esse in Eucharistia, quia Ecclesia sic docet; quàm simus certi Ecclesiam sic docere. Et generaliter quotiescumque assensus fidei supernaturalis, includit aliquam veritatem naturalem, aut virtualiter illam præsupponit: non potest esse certior eadem veritate, prout illam includit, aut prout in illa fundatur. Quia non potest esse firmius ædificium, quàm fundamentum. Quomodo autem nihilominus ex parte voluntatis, assensus fidei sit aliquo modo certior formaliter quocumque assensu purè naturali, & merè naturaliter considerato; atque etiam sit certior obiectiuè quacumque alia veritate naturali de rebus creatis; dicemus inferiùs Disput. 10. Sect. 8. vbi de certitudine actus fidei ex professo disputabitur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Regulis, quibus obiectum Fidei proponitur infallibiliter; & primò de Scriptura.


Vlla est grauior de fide disputatio, nec maioris momenti, quàm de regulis fidei: quippe ex qua pendet omnium controuersiarum decisio, hæresum extinctio, & fidei Catholicæ firmitas

atque certitudo. Quare quo res maioris est momenti, eo diligentiùs in ea solidè & accuratè tractanda elaborandum erit. Semper tamen retenta breuitate Scholastica, & fusiori expositione Controuersiarum scriptoribus relicta. Quoniam autem non vnica est infallibilis regula fidei, sed multiplex: præmittemus primùm quædam illis communia: tum de singulis agemus in particulari in præsenti disputatione, & tribus sequentibus. De his autem breuiter admodum disserit S. Thomas quæst. 1. art. 10. fusè verò & accuratè Cardinalis Bellarm. tom. 1. Controuers. Valentia tom. 3. quæst. 1. puncto 7. Stapleton. de principijs fidei; Melchior Canus in Opere de locis Theologicis; Gillius lib. 1. tract. 7. Regiæ disput. de Analysi Theologiæ. Ex quibus præcipua quæque selegimus quæ ad veritates tanti momenti confirmandas & illustrandas, impetusque hæreticorum frangendos aptiora nobis visa sunt, & efficaciora ad eos de tenebris in viam lucis & veritatis reuocandos.



SECTIO I.

Prænotantur aliqua de Regulis fidei in communi.

1. Quid dicatur Regula fidei? NOta primò, per regulas fidei intelligi vias quasdam generales, quibus reuelationes diuinæ olim factæ, signísque sufficientibus confirmatæ, nobis infallibiliter innotescunt. Deus enim, qui non immediatè singulis singula reuelat, & miraculis confirmat; vias aliquas instituit, per quas ea, quæ reuelauit quibusdam, & sufficientibus argumentis credibilia reddidit, possint alijs proponi cum sufficienti, id est, infallibili auctoritate, & tali, vt ipsis indubitanter fide diuinâ debeant adhærere. Quotuplex sit? Huiusmodi regulæ, vt patebit ex sequentibus, sunt omnino sex. Ex quibus tres inanimatæ sunt, quæ sensum suum viua voce explicare non possunt: nempe Scriptura, Traditio, & Consensus sanctorum Patrum. Tres verò animatæ, & loquentes; nempe Summus Pontifex, Concilium, & Ecclesia. Vnde collige locos Theologicos, ex quibus scilicet argumenta Theologi eruere solent, patére latiùs, quàm regulas fidei. Nam præter superiora numerantur in locis Theologicis consensus Scholasticorum, auctoritas Philosophorum, ratio humana, & historia humana. Per humanam intellige etiam Ecclesiasticam, spectatam scilicet citra eam partem, quæ in traditione includitur. Quæ omnia quia non habent auctoritatem infallibilem, nec plusquàm humanam, non sunt regula fidei, quæ infallibilis esse debet; licet vtilia sint ad principia, & conclusiones Theologicas probandas fidelibus, & infidelibus, etiam Ethnicis, & Atheis, qui rationibus tantùm naturalibus, & auctoritatibus humanis mouentur, à quibus proinde incipiendum est, quando cum illis agitur.

2. Earum vsus. Circa vsum verò huiusmodi regularum nota secundò, posse quidem Deum quamcumque volet ex illis primùm proponere, & sufficientibus argumentis credibilem reddere: Communiùs tamen hic ordo seruatur quoad nos in hæc loca Catholicorum, & in hæc posteriora sæcula coniectos, in quibus noua miracula, & illustria opera supernaturalia, sunt infrequentiora. Primò, ex motiuis Christianismi expositis disp. 5. habemus Christianismum esse euidenter credibilem, vt verum: & ex obligatione, euidenti simpliciter, esse sequendum, vt verum, & diuinitùs traditum: idque cum exclusione omnis voluntariæ dubitationis, aut suspicionis de falsitate. Nam Christianismus, illis omnibus notis diuinis insignis & commendatus, nobis se proponit vt talem; & inter ea, quæ necessariò credenda tradit, vnum illud est, quòd ipse sit necessario acceptandus, neque possit absque salutis æternæ discrimine rejici. Atque ad hoc ipsum confirmandum, profert argumenta illa, & motiua diuina euidenter credibilia, quæ loco suprà citato exposuimus.

Secundò, veritates fidei, quæ docentur à Christianismo, quædam sunt particulares, vt de Christo, eiúsque vita, miraculis, morte, & resurrectione, de baptismo, & alijs Sacramentis, de Trinitate personarum diuinarum, & similibus fidei mysterijs. Quædam sunt generales, quæ plurimas alias comprehendunt, illisque certò, & infallibiliter cognoscendis inseruiunt. Vt quòd Scriptura sacra, Ecclesia, Concilia, Summus Pontifex, traditio, & consensus Sanctorum Patrum sint regulæ fidei infallibiles: ita vt si quid proponant, tanquam à Deo reuelatum, & de fide, illud infallibiliter tale sit. Per quas propositiones generales Christianismi, habemus regulas fidei, quibus adhærendum esse sequitur euidenter ex eo, quòd Christianismus, qui eas tradit, est euidenti necessitate sequendus.

Tertiò, inter has regulas ordo duplex considerari potest. Vnus est ordo temporis, seu modi sensim & successiuè deducendi cognitionem nostram ab vna ad aliam. Alter est ordo dignitatis, seu præeminentiæ: secundùm quem scilicet vna præcellit alteri iurisdictione, & superioritate. Prima ordine temporis, seu modi persuadendi, ducendique nostram cognitionem ab vna veritate ad aliam, solet esse respectu 3. Multiplex ordo inter illas.

nostri Ecclesia notis suis illustris, euidentérque credibilis, qualem se profitetur, diuinam, infallibilem, directam à Spiritu sancto, &c. Inter quas notas illustrissima est, & ad persuadendum aptissima, vniuersalitas, id est, eius diffusio per totum orbem, per quam reddi Ecclesiam maximè cognoscibilem, & visibilem, affirmat D. Augustin. in libris contra Donatistas, pluribus locis: & perpetuitas, seu continua, & nunquam interrupta successio Pastorum in sede Petri, & populorum Christianorum, à Christo & Apostolis huc vsque, illis adhærentium: per quam etiam præcipuè cognosci veram Ecclesiam affirmant Sancti Patres, Irænæus lib. 3. cap. 3. & lib. 4. c. 43. & 45. Tertullianus in lib. de præscriptionib. cap. 19. 20. & 32. Hieronym. aduersus Lucifer. in fine. Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Cyprian. Epist. 52. & lib. de Vnitate Ecclesiæ, non longe ab initio, & Augustin. lib. 3. contra Epist. Fundamenti cap. 5. & in Psalm. contra partem Donati, qui habetur initio tomi sexti. Nimirum quia, supposito vt certo, & euidenti quòd Christianismus sit necessariò amplectendus: sequitur amplectendum illum esse qualis à Christo, & Apostolis huc vsque fuisse, & perstitisse nobis innotescit: quia alium sequi non possumus, quàm nobis notum: neque prudenter acceptari potest, nisi qualis prudenter acceptabilis, & notis diuinis illustris apparet. Iam verò Ecclesia ita cognita, vt à Christo, & Apostolis ad nos vsque continuata, dat nobis pro regula, quasi sui vice, alia, quæ consultemus faciliùs in singulis materijs; nempe Summum Pontificem, Concilia, Scripturam, & traditiones diuinas, sanctorumque Patrum consensum. Inter quas regulas est aliqua subordinatio. Nam Concilia pendent à Summi Pontificis auctoritate, & approbatione. Eadémque Concilia cum Summo Pontifice dant nobis pro regula consensum sanctorum Patrum, cui tanquam infallibili in rebus fidei stare nos iubent. Item, quia omnes, & singulæ Scripturæ partes non fuerunt ab omnibus ab initio huc vsque acceptatæ: neque in tali versione, vel sensu: & quia singulis sæculis vitiari possunt: non sumus certi infallibiliter Scripturam tot libris, & partibus, & periodis, verbisque constantem, esse verè diuinam: & hanc versionem esse authenticam, & conformem originali: vel in dubijs circa sensum occurrentibus, hunc esse verum, & à Spiritu sancto intentum; nisi per definitionem, & determinationem Ecclesiæ, per summum Pontificem, aut per Concilia loquentis. Ideóque Scriptura ita determinata, est posterior respectu nostri, ordine persuasionis, quàm Ecclesia, vel Pontifex eam ita determinatè acceptans, & vt talem nobis proponens: iuxta illud D. Aug. lib. contra Epist. Fundamenti c. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoueret auctoritas.* Idemque dico de traditionibus non scriptis: quarum plurimarum cognitio, & determinatio, pendet à definitione Ecclesiæ, vel à Summo Pontifice: ideóque ordine persuasionis posterior est. Quoad ordinem verò superioritatis, seu dignitatis, summus Pontifex est prior dignitate, & iuridicâ potestate, singulis fidelibus, eorúmque consensu: ad quem in dubijs circa Scripturam, & traditiones, vel consensum Patrum, aut fidelium, non satis notum, recurrendum sit. Idémque debet præesse Concilijs, illáque approbare, vt vim & auctoritatem habeant. Atque eatenus non tantùm superioritate, sed etiam persuasione, prior est huiusmodi regulis, ita determinatis: vt patebit ex sequentibus disputationibus.

Quartò, in vsu harum regularum, quo vna per aliam probatur, non committitur circulus vitiosus, quando vna aliunde satis nota, vel concessa ab aduersarijs, assumitur ad probandam aliam minùs notam, vel ab illis negatam. Non enim fit circulus vitiosus, nisi quando ad probandum assumitur aliquod medium non aliunde notum, quàm per illud ipsum, ad quod probandum assumitur. At verò quando v. g. per Ecclesiam probamus Scripturam: non sumimus Ecclesiam, vt non aliunde notam, quàm ex Scriptura: sed vt insignem miraculis, & alijs factis diuinis, quibus illam Deus illustrem, & sufficienter credibilem reddidit. Notandum tamen, quòd habitâ per Ecclesiam notitiâ confusâ, quòd hæc Scriptura, quam nobis tradit, sit tota diuina, & authentica; ex eius lectione, & expressiori cognitione possumus multa cognoscere, & inferre de ipsa Ecclesia. Ad eundem modum, quo si Regis legatus diploma regium nobis exhibeat, & sufficienter nobis probet regium esse: poterimus ex illius lectione multa cognoscere de potestate illi à Rege concessa, quæ nobis antea erant ignota in notitia confusa diplomatis, & legati. Neque tunc habetur notitia eiusdem per idem. Nam rationes illæ, quæ de nouo cognoscuntur de legato, vel de Ecclesia, non sunt illæ ipsæ, per quas habita fuit notitia confusa diplomatis, vel Scripturæ diuinæ. Tunc tamen non intenditur certitudo de auctoritate Ecclesiæ; sed potiùs omnis certitudo quæ habetur in notitijs peculiaribus, quibus Ecclesia distinctiùs cognoscitur, ab ipsa pendet, & in ipsam resoluitur, si Scriptura tanquam diuina non nisi per Ecclesiam certò constet. Secus autem si Scriptura ab Ecclesia tradita, iam aliunde constet esse diuina, v. g. ex miraculis si quæ fiant specialiter in ipsius confirmationem. Possumus enim vice versa probare simpliciter & absolutè Ecclesiam ipsam per Scripturam, sine circulo vitioso. Per Scripturam, inquam, non cognitam vt diuinam, testimonio, & auctoritate ipsius Ecclesiæ; sic enim foret circulus: sed notam aliunde vt antiquam (quod aliunde sciri potest, quàm testimonio Ecclesiæ) & continentem Prophetias non paucas, quas esse impletas euidens est ipsâ experientiâ: ex quo aliquod argumentum diuinitatis Scripturæ confusè sumptæ haberi potest, præsertim iunctâ sanctitate doctrinæ, quam continet, efficacitate mouendi ad meliorem vitam, & alijs, quæ de illa expendimus Disput. 5. Sect. 2. Sicut autem non erat circulus vitiosus, quando v. g. Ioannes Baptista, notus aliunde vt vir magnæ auctoritatis, ob vitæ sanctitatem, testimonium præbebat Iesu Christo, tanquam vero Messiæ: & rursus Christus,

4. Quomodo vna per aliam probatur sine circulo?

vt notus per sua miracula, præbebat Ioanni Baptistæ testimonium, tanquam vero Prophetæ: non erat, inquam, in eo circulus vitiosus: quia Ioannes non dabat testimonium Christo per auctoritatem à Christo ipso acceptam: neque Christus dabat testimonium Ioanni Baptistæ per auctoritatem à Ioanne acceptam, sed aliunde partam, & ab illo independentem: sic, &c.

Præterea quando ad hominem argumentamur contra hæreticos, & alios fidei nostræ Aduersarios, non fit circulus vitiosus, si ab vna regula, quam illi admittunt, argumentamur ad aliam probandam. Quemadmodum contra Iudæos ex veteri Testamento, quod ipsi admittunt, argumentum sumimus ad probandam veritatem Noui; & contra Caluinistas, ex Scriptura, quam solam fidei regulam esse volunt art. 5. confessionis suæ, probamus infallibilitatem Ecclesiæ, auctoritatem summi Pontificis, & Conciliorum, aliáque fidei dogmata, generalia, vel specialia: & ex libris proto-canonicis, quos vt diuinos agnoscunt, probamus alios deutero-canonicos, quos rejiciunt: & denique ex vero sensu aliquorum locorum Scripturæ, quem recipiunt, conamur illis ostendere verum sensum aliorum, quem non admittunt: in quo nullum est vitium.

5. Qualis sit analysis fidei ordinariè.

Hinc collige, & nota tertiò, analysin fidei nostræ talem esse solere: Cur credis fide diuinâ hunc aut illum articulum particularem, v. g. Deum esse trinum? quia Scriptura, vel traditio diuina id docet. Cur credis Scripturam illam, aut traditionem esse diuinam? quia Ecclesia vt talem proponit. Per Ecclesiam intelligo, non tantùm strictè sumptam, sed & Pontificem, vel Concilium, vel consensum Christianismi generalissimum à principio, in quæ omnia fieri potest hæc resolutio. Cur denique credis Ecclesiam verè & infallibiliter proponere? quia Deus signis, & argumentis supernaturalibus id fecit sufficienter, euidentérque credibile. Et in hoc tanquam per se sufficienter credibili est quies. Hæc igitur fidei nostræ analysis esse solet. In qua eruditiores, qui possunt meliùs argumenta credibilitatis agnoscere, & expendere, facilè conquiescunt. Mediocres verò, quorum pars longè maior est, vident motiua notabilissima, & omnibus contrarijs præponderantia, si bene illis proponantur à Pastoribus, & Prædicatoribus, & cum ope Spiritus sancti expendantur. Rudiores autem habent etiam pro captu suo sua motiua, quibus prudenter pareant: Pastorum auctoritatem, & Doctiorum consensum, plurimorúmque bonorum, & prudentium, sanctitatem multorum Christianam fidem profitentium, iuxtáque illius dictamen exactè viuentium, famam constantem miraculorum, monumenta antiquitatis, & alia huiusmodi, quæ cum speciali auxilio Spiritus sancti, sufficiunt illis ad credendum, supplente Deo interiùs si quid deest exteriùs, modò velint ipsi cooperari gratiæ præuenienti, & non ponant impedimentum Spiritui sancto. Dixi analysin nostram talem esse solere: quia non necessariò & semper talis est: sed interdum proponuntur articuli particulares, redduntúrque sufficienter credibiles, miraculis, vel alijs signis ad ipsos immediatè applicatis, non interpositis regulis generalibus. Et quidem infidelibus, extra notitiam Ecclesiæ Catholicæ viuentibus in media barbarie, vel infidelitate, non potest primùm proponi Ecclesia vt regula: cùm sit illis planè ignota: sed ad eius notitiam, vel aliorum articulorum, per aliam viam deducendi sunt. Nos quoque licet notam habeamus Ecclesiam, aliásque fidei regulas: possumus tamen in multis, si volumus, fidem nostram resoluere in argumenta credibilitatis, immediatè applicata, & sufficienter, multis fidei articulis, sine interuentu, aut necessitate vllius regulæ generalis. Secus autem ad plurima, non ita ex argumentis immediatè cognita, & distincta, de sensu Scripturæ, de explicatione mysteriorum fidei & quorundam specialium dogmatum, ad quæ, Ecclesiæ & Conciliorum, vel summi Pontificis determinatione opus est.

Nota denique quartò, longè aliam esse fidei analysin Caluinistarum; qui cùm non aliam fidei regulam esse volunt, quàm Scripturam, vt cognitam, & intellectam priuato spiritu, siue interiori, vt putant, persuasione Spiritus sancti; planè circulum vitiosum & nugatorium committunt, atque idem per idem inutiliter probant. Nam si ab illis quæras, Cur credant v. g. paruulos fidelium sine baptismo saluari posse per fidem parentum? Respondent, quia Scriptura id affirmat. In quo tamen falluntur, cùm ipsa potiùs doceat oppositum. Ioan. 3. vbi Christus generaliter sic asserit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sed dato, & non concesso, quòd Scriptura id affirmet: quære rursùm ab illis, vnde habeant Scripturam illam esse diuinam, & fide dignam? Respondent, quia interior persuasio Spiritus sancti hoc illis notum facit. Aiunt enim art. 4. Confessionis suæ Gallicanæ, se Scripturam diuinam, & libros eius Canonicos esse agnoscere, non tam ex communi Ecclesiæ consensu, quàm ex testimonio, & interiori persuasione Spiritus sancti, quâ illos discernunt à non Canonicis. Si rursus quæras, vnde noscant se habere internam persuasionem Spiritus sancti, siue persuasionem illam, quam prætendunt, esse verè diuinam? Respondent se id nôsse ex Scriptura, quæ sic affirmat 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt quisquam doceat vos, sed vnctio eius docet vos de omnibus:* & alijs locis, in quibus Scriptura dicit Spiritum sanctum habitare in fidelibus: *Spiritualis autem iudicat omnia* 1. Cor. 2. Itaque à primo ad vltimum, probant Scripturam esse verè diuinam per interiorem persuasionem Spiritus sancti, non aliunde sibi notam, quàm ex ipsamet Scriptura diuina: quod est idem per idem probare, & nugatorium circulum committere. Præterquàm quòd Scriptura locis illis loquitur de fidelibus, & in Christum iam credentibus, vt ipsimet hæretici fatentur: de illis enim dicitur quòd habeant vnctionem Spiritus sancti, quódque Spiritus sanctus in illis habitet: neque ad alios pertinet infallibilis eius assistentia. Ergo vt habeant internam illam persuasionem

6. Analysis fidei Caluinistarũ circulatoria.

suasionem Spiritus sancti, debent priùs esse fideles, & credere in Christum. Atqui non possunt credere nisi per Scripturam, quam vnam dicunt esse fidei suæ regulam. Ergo priùs debent nôsse Scripturam esse diuinam, quàm habeant internam illam persuasionem Spiritus sancti. Atqui non possunt certò cognoscere Scripturam esse diuinam, nisi per internam persuasionem Spiritus sancti. Ergo priùs debent illam persuasionem habere, quàm cognoscant Scripturam esse diuinam : & consequenter priusquam credant, quia non possunt credere nisi per Scripturam cognitam vt diuinam. In quo non tantùm est circulus; sed etiam manifesta contradictio, & præsuppositio eiusdem ad seipsum in eodem genere. Quis autem sit verus sensus locorum Scripturæ, quibus abvtuntur, dicemus Sect. 4.

7. Quomodo cognoscant libros Canonicos? Neque illos iuuat quod dicunt in eodem art. 4. suæ Confessionis, se cognoscere libros verè diuinos & Canonicos, non tam ex communi Ecclesiæ consensu, quàm ex testimonio, & interiori persuasione Spiritus sancti: quibus verbis significare videntur se per vtrumque id cognoscere. Nam cùm addunt paulò pòst, art. 5. Scripturam illam esse regulam omnis veritatis, cæteráque omnia esse per illam examinanda, antiquitatem, consuetudines, multitudinem, sensum & iudicia hominum, Concilia, decreta, miracula, & denique quæcumque alia: sequitur communem Ecclesiæ consensum, qui per illam, vt cætera omnia, examinari debet, non habere vim, & auctoritatem sufficientem, nisi ab illa. Medium enim quod debet examinari per aliud, non habet vim sufficientem ad probandum, nisi per illud. Sequitur præterea internam illam persuasionem Spiritus sancti, quam se habere putant, per Scripturam examinari debere; adeóque non habere vim sufficientem persuadendi, nisi ab illa cognita vt diuina. Atqui non norûnt illam esse verè diuinam, nisi per internam persuasionem Spiritus sancti. Ergo non aliter norûnt sufficienter Scripturam esse verè diuinam, quàm per internam persuasionem notam vi Scripturæ: & internam persuasionem esse verè diuinam, non aliter norûnt sufficienter, quàm per Scripturam notam vi persuasionis internæ. In quo est manifestè circulus nugatorius.

8. Et suam internam persuasionem esse diuinam. Dicere quoque iure non possunt se sufficienter cognoscere persuasionem illam internam esse verè Spiritus sancti, per seipsam, aut per reuelationem internam. Quia vt hoc prudenter crederent, & sufficienter ad fidem supernaturalem, quæ prudentissima, & infallibilis est; deberet illa persuasio, vel motio interna, tanta & talis esse, & tam diuinum aliquid reddens; vt nihil tale possit aliunde, quàm à Spiritu sancto proficisci; atque hoc cum euidenti saltem credibilitate appareat; ne alioqui leuiter credatur, & cum periculo deceptionis. Nam ad prudenter credendum, necessaria sunt vel externa signa, & miracula, id est, opera solius omnipotentiæ Dei propria, quibus attestetur se reuelâsse: vel aliquid aliud internum illis æquiualens: sine quorum altero, non possunt homines prudenter, neque tenentur credere mysteria fidei, humanum captum superantia, & per se incredibilia: iuxta illud Christi, Ioan. 15. *Si non venissem, & opera in eis fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent:* quia nimirum non habuissent obligationem credendi. Deberet ergo illa interna persuasio esse tam potens, & tam supra naturæ facultatem; vt miraculis, & signis externis sufficientibus ad prudenter credendum, æquiualeat. Videant ergo hæretici an talem, & tantam motionem in se sentiant; & num potiùs credant hos libros esse Canonicos, propterea quòd in suis Biblijs continentur, vel quia id asseritur in præfationibus ad singulos libros, vel quia ita docent Caluinus, & Ministri, vel denique quia ita decernit articulus 4. Confessionis Gallicanæ : quæ tamen omnia, nullam sufficientem auctoritatem habere putant, nisi à Scriptura per internam persuasionem Spiritus sancti cognita. Estque experientiâ manifestum quòd si sententiæ ex libro aliquo Canonico decerptæ, interserantur alijs ex libris non Canonicis; non possunt illas ab istis discernere certò, & infallibiliter.

Est quoque euidens experientiâ multas esse contradictiones inter eos, qui talem persuasionem merè internam, & alijs ignotam prætendunt : etiam inter ipsos eiusdem Sectæ hæreticos. Nam Lutherus, eiusque Sectatores, qui de Spiritus sancti persuasione in discernendis libris Canonicis, non minùs confidunt, aliquos rejiciunt, quos Caluinistæ recipiunt, vt Epistolas ad Hebr. Iacobi, & Iudæ, & Apocalypsin: Et Caluinus à Beza dissentit de initio capitis 8. Ioannis, quod iste apocryphum, & suppositium; ille Canonicum, & Euangelicum esse vult. Quare manifestum est illos non Spiritu sancto, qui sibi non contradicit, sed suo priuato sensu niti in negotio tanti momenti, contra omnem prudentiam; & totam fidem suam resoluere in fundamentum fallibile, quod vel ipsâ euidenti experientiâ possunt falsi conuincere. 9. Quàm incertus & fallax spiritus ille priuatus hæreticorum. Denique, nullus sanctorum Patrum, vel antiquorum Ecclesiæ Doctorum, & scriptorum, Canonem illum integrum edidit, quem tradunt Caluinistæ art. 3. suæ Confessionis. Canon hæreticorum Patribus ignotus. Quis autem credat illos omnes caruisse interna persuasione Spiritus sancti, quâ libros Canonicos verè discernerent? Et è contrariò plurimi Sanctorum Patrum agnouerunt vt Canonicos, eos, quos Caluinistæ eodem articulo è Canone rejiciunt, vt ostendemus Sect. 3. Quis autem credat persuasionem internam Spiritus sancti Caluinistis potiùs, quàm sanctis illis Patribus affuisse? Plura contra hunc spiritum priuatum dicemus alibi. Eodémque argumento refelluntur Lutherani, qui volunt Scripturam sufficienter cognosci, & discerni ex internis eius criterijs, siue indicijs. Nam illis non obstantibus sancti Patres, quibus non minùs erant nota interna illa criteria, quàm Lutheranis, de nonnullis Scripturæ partibus dubitauerunt. Et ipsi Lutherani non de illis omnibus inter se consentiunt : vt fusiùs videri potest apud Tanner. quæst. 5. de fide dub. 1. n. 13. & sequentibus.

SECTIO II.

Vtrum Scriptura sacra sit regula fidei?

10. Conclusio affirmat.

Respondeo Scripturam sacram esse infallibilem regulam fidei in textu authentico, & quovis eius sensu intento à Spiritu sancto, vel euidenter cognito, vel per interpretem infallibilem declarato. Quod vt probetur, supponendum est Scripturæ sacræ nomine intelligi scripturam instinctu Spiritus sancti scriptam, non modò sensum, sed etiam verba dictantis: iuxta illud 2. Petri 1. v. 20. & 21. *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et 2. Timoth. 3. v. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, est vtilis ad docendum.* Et Psalm. 44. v. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quæ verba de scriptore Canonico respectu Spiritus sancti exponunt sancti Patres relati à Genebrardo, Bellarmino, & Lorino in Psalmos, ad v. citatum. Adeò vt, sicut lingua non eloquitur, & calamus non scribit, nisi verba priùs in mente loquentis, aut scribentis concepta, & ab ea suggesta & dictata: sic verba ipsa, quæ scribuntur à scriptore Canonico, dictantur à Spiritu sancto. Quâ vltimâ particulâ differt Scriptura sacra à definitionibus Conciliorum, vel summi Pontificis, quæ dictantur quidem à Spiritu sancto quoad sensum, quando sunt definitiones de rebus fidei: non tamen quoad verba. Atque ea de causa Scriptura sacra vocatur verbum Dei, Rom. 9. v. 6. &, eloquia Dei, Rom. 3. v. 2. & Scriptura antonomasticè, Rom. 9. v. 17. & Ioan. 10. v. 35. Hinc etiam maior Scripturæ veneratio, & fœcunditas sensuum mirabilium, in quibus eruendis, & explicandis sancti Patres, & interpretes tot sæculis laborant.

Scripturæ diuinæ nomine quid intelligatur?

11. Dictenturne à Spiritu sancto singula eius verba?

Probabile tamen est quod Suares Disp. 5. Sect. 3. n. 5. & alij quidam affirmant, non omnia, & singula verba dictari specialiter à Spiritu sancto; sed cùm de rebus sensui notis, & familiaribus sermo est, permitti vt scriptor Canonicus ea verbis suis scribat, cum speciali tamen assistentia Spiritus sancti, vt nihil falsum aut indecens loquatur. Nullus tamen liber est, in quo non sit aliquid dictatum à Spiritu sancto quoad verba. Permittit etiam Spiritus sanctus interdum, vt Auctor Canonicus vtatur suâ diligentiâ, & industriâ in scribendo; vt patet ex Luc. 1. v. 3. & lib. 2. Machab. c. vlt. v. 39. & 40. Atque etiam quando verba dictat, accommodat se cuiusque ingenio: vnde varius stylus scriptorum Canonicorum. Frequenter tamen Scriptores sacri sine labore scribunt, & non tam agunt, quàm aguntur à Spiritu sancto: vt Baruch de Ieremia sibi dictante testatur, Ierem. 36. v. 18. *Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me, omnes sermones istos, & ego scribebam in volumine atramento.* Et Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* In quo differunt à definitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum, quæ vt fiant, & scribantur, diligentiâ & proprio labore, magnáque consultatione opus est.

12. Probatur conclusio.

Ex hac Scripturæ sacræ definitione facile est probare responsum datum initio huius Sectionis. Cùm enim Scriptura sit inspirata, & dictata à Spiritu sancto; necessariò vera est in omni sensu, quem Spiritus sanctus intenderit: quia Spiritus sanctus nec falli potest, nec mentiri. Neque potest esse maior auctoritas, vel certior regula fidei, quàm veracitas diuina per Scripturam applicata. Ideóque tum Concilia, & Summi Pontifices, tum omnes sancti Patres, & Doctores Catholici, vtuntur passim Scripturâ, tanquam certissimâ regulâ, ad confirmanda fidei dogmata. Et Christus ipse Iudæos ad eandem prouocat, Ioan. 5. v. 39. *Scrutamini scripturas, &c.* Et c. 10. v. 35. ait Scripturam solui non posse, id est, mendacem, aut falsam esse non posse. Et Matth. 5. v. 18. grauiter affirmat vnum iota, vel apicem non præteriturum à lege, donec omnia fiant, vt enuntiata sunt.

13. Debet constare quòd sit verè diuina.

Nihilominus, vt Scriptura sit regula fidei, debet esse certa, & nota: ita vt certum infalliviliter, & notum sit, tum scripturam illam esse verè diuinam: tum sensum illum esse verum illius sensum, intentum à Spiritu sancto. Nam si de litera, vel de sensu non certò constet; fides illis innixa vacillabit, & non erit fides diuina, quæ verbo Dei, certò cognito vt tali, infallibiliter, & certissimè assentitur. Idcirco addidi in responso dato initio Sectionis, Scripturam esse regulam fidei in textu authentico, & quovis sensu intento à Spiritu sancto. Quæ particulæ vt declarentur, & obiectionibus varijs occurratur, multa circa notitiam veri & authentici textus Scripturæ, ac veri eius sensus, breuiter explicanda sunt.

SECTIO III.

An, & quæ sit Scriptura diuina?

14. Vnde id constat?

Quæritur ergo primò, vnde constet Scripturam sacram esse verè diuinam: & libros, quos Ecclesia agnoscit pro Canonicis, esse verè Canonicos? Respondeo id constare communiter, & vniuersaliter, partim Apostolica traditione ad nos vsque continuata, & partim Ecclesiæ definitione, quæ certissimâ fide digna esse ostenditur ijs argumentis, quibus euidenter credibile fit, religionem Catholicam esse veram, & amplectendam. Declaratur, & probatur responsum.

Primò, licet verbum Dei externum, id est, externa eius reuelatio, cuius auditu fides percipitur, iuxta illud Apostoli, Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Licet, inquam, verbum illud diuinum, siue scriptum, siue non-scriptum, sit per se solum necessariò verum eo ipso quòd diuinum est: & in sua veritate intrinseca non pendeat ab vlla probatione, & confirmatione alterius: tamen vt illud prudenter acceptemus tanquam diuinum, & obligemur ad illi firmiter, & indubitanter credendum, vt tali, debet nobis certò

Non constat sufficienter ex ipsa sola. constare esse diuinum. Debet igitur nobis certò & sufficienter innotescere vt tale, vel per seipsum, vel per aliquid aliud. Non innotescit autem sufficienter per se. Quia licet Scriptura, aliquâ sui parte, diuinitatem præ se ferat, quatenus continet prophetias rerum liberè futurarum, pòst euidenter impletarum: vnde mirabilem auctoritatem in toto orbe adepta est, vt rectè ait S. Aug. lib. 12. de ciuit. c. 9. in fine; tamen nec sine traditione, vel auctoritate humana constat Scripturam tam antiquam esse, ac prætenditur; & præcessisse euentum huiusmodi rerum, quæ creduntur fuisse ab ea prædictæ: neque in omnibus libris, & partibus Scripturæ continentur tales prædictiones, ex quibus fiat credibile, omnes & singulas illius partes, non nisi à Deo rerum omnium præscio dictari potuisse. Licet etiam concordia Scripturarum, & sanctitas, puritasque doctrinæ, magno argumento sit diuinas esse; id tamen non videtur sufficere ad fidem certam, & indubitatam. Tum quia non desunt Antilogiæ, & apparentes contradictiones in aliquibus locis. Tum etiam quia nonnulla sunt, quibus turpia, & illicita suaderi videntur: vt circumcisio præputij, interfectio Isaac, Ozeæ fornicatio, & similia. Neque omnes libri, in quibus nihil est dissonum, & repugnans bonis moribus, sunt propterea diuini, & Canonici. Præterea, licet Scriptura ipsa se diuinam esse profiteatur, 2. Petri 1. v. 21. & 2. Timoth. 3. v. 16. alijsque locis: tamen & dubitari potest an hoc ipsum verè profiteatur, cùm multi multa falsò scribant; & nullibi affirmat omnes libros, qui pro Canonicis habentur, & omnes eorum partes, esse verè tales: quare id debet aliunde constare. Quod verò Nouatores aiunt Scripturam sacram seipsâ proprio sapore discerni, vt dulce ab amaro, & album à nigro discernitur, figmentum est euidenter refutatum experientiâ manifestâ tot controuersiarum circa verum Scripturæ textum, tum inter ipsos fideles, & Catholicos, etiam prudentes, & Doctos, vt olim inter sanctos Patres circa aliquos Scripturæ libros: tum etiam nunc inter Catholicos & Hæreticos; & inter ipsosmet Hæreticos, etiam eiusdem Sectæ, vt supra dixi num. 9. & fusiùs prosequitur Tannerus quæst. 5. de fide, dub. 2.

15. Neque speciali reuelatione vnicuique factâ. Sed neque secundò id constat communiter, & vniuersaliter immediatâ vel speciali reuelatione diuinâ; quasi verò Deus vnicuique fidelium reuelet immediatè, aut credibile faciat per miracula, & alia signa specialiter eo fine edita, scripturam illam verè diuinam esse, & tot libris ac partibus, & periodis constare. Licet enim Deus id possit, si velit; & Euangelistæ, alijque Scriptores sacri, miraculis, vel alijs signis sufficientibus, vt vitæ sanctitate mirabili, probauerint olim, cùm scriberent, se Spiritus sancti instinctu scribere: alioquin vt impostores rejiciendi fuissent: In præsens tamen non eduntur eo fine speciali miracula, & signa diuina ordinariè, & vniuersaliter, quæ id vnicuique faciant credibile. Nec præter miracula, & signa, quibus generatim fit credibile Christianismum esse verum, & acceptandum; & specialiter traditionem antiquam, hos libros esse diuinos asserentem, fideque dignam esse Ecclesiæ definitionem sic statuentem; vllum aliud communiter suppetit argumentum certum diuinitatis Scripturæ; iuxta illud Aug. contra Epist. Fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.*

Attamen tertiò, quæcumque valent ad probandum efficaciter Christianismum esse verum: probant pariter scripturam illam verè esse diuinam, quod vnum est è præcipuis, & generalibus fidei Christianæ dogmatibus. Speciatim verò, vt Canus lib. 2. de Locis c. 7. rectè argumentatur, pòst D. Augustinum lib. 33. contra Faustum c. 6. Sicut in libris Ethnicorum non aliâ ratione magis veros auctores exploramus, quàm ex communi consensu & testimonio eorum, qui vixerunt ante nos: vnde enim Platonis, Aristotelis, Ciceronis libros nouimus, nisi eorum, qui nos ætate antecesserunt, testimonijs continuis? Sicut, inquam, in cæteris omnibus hæc via tutissima, & certissima est ad cognoscendum cuiusque libri auctorem: sic agnoscendi libros Canonicos via certissima est traditio continua ab ijs vsque, qui scriptores sacros nouerunt, & ab ipsis libros Canonicos sufficientibus signis probatos esse diuinos acceperunt, atque ad nos per manus vt tales transmiserunt. Nullus autem est liber Canonicus, de quo non extent multa sanctorum Patrum, & aliorum Catholicorum testimonia ab Apostolis huc vsque. 16. Sed continuâ traditione. Quia tamen de omnibus inter omnes Catholicos non semper conuenit, sed de quibusdam ab aliquibus etiam Patribus dubitatum olim fuit: Necesse fuit accedere Ecclesiæ definitionem, quæ per infallibilem assistentiam Spiritus sancti, ob quam in rebus fidei errare non potest, controuersiam illam dirimeret, & certum vndequaque librorum sacrorum Canonem constitueret. Necessaria fuit pro quibusdam libris definitio Ecclesiæ. Hoc enim iudicium ad quemlibet priuatum pertinere nequit, cùm quilibet falli queat, vt ostendunt priuatorum dissidia, & contrariæ sententiæ. Quod cùm fateantur Hæretici, atque confirment ex Apostolo Rom. 3. v. 4. *Omnis homo mendax*: & nihilominus velint libros Canonicos iudicio cuiusque priuati discerni, art. 5. Confess. Gallicanæ: planè dubiam reddunt Scripturam, & indignam fide diuinâ, quæ certissima & infallibilis esse debet.

17. Canonis nostri antiquitas. Porro Scripturæ Canon ab Ecclesia in Tridentino approbatus Sess. 4. decreto primo, sub pœna anathematis in eos omnes, qui libros illos integros cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, & Canonicis non susceperint: idem, inquam, Canon fuerat priùs editus à Florentino in decreto Eugenij, & ante mille centum annos à Concilio Carthaginensi III. c. 47. & ab Innocentio I. in Epist. 3. ad Exuperium. Et à S. Augustino lib. 2. de doctrina Christiana c. 8. qui prædicto Concilio Carthaginensi interfuit, & subscripsit. Hi tamen Baruch expressam mentionem non faciunt, sed eum sub Ieremia comprehendunt, quia Baruch fuit scriba Ieremiæ, vt patet ex Ieremiæ 36. v. 4. ideòque veteres propheticam

Baruch citantes, citant sub nomine Ieremiæ, vt pluribus exemplis Clementis Alexandrini, Basilij, Ambrosij, August. Chrysost. Cassiodori, Synodi IV. & aliorum antiquorum, ostendit Canus lib. 2. de locis Theolog. cap. 11. initio. Nec vllus est eorum librorum, qui non prioribus sæculis pro Canonico citatus fuerit à multis Patribus, vt idem Canus ostendit c. 9. eiusdem libri, & Valentia q. 1. p. 7. §. 42. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, & Gretserus in eius defensione. Vnde non dubito quin idem Canon sit ab ipsis Apostolis traditus. Tum quia vix tam multi Patres, tam Docti, & prudentes, habuissent pro diuinis libros illos, sine traditione, quæ ab Apostolis manârit, maximè cùm inter eos sint aliqui Apostolorum Discipuli: (quanquam, vt dicam paulò pòst, quidam nonnullos citârunt non Canonicos.) Tum & præcipuè quia Christus Euangelium per Apostolos, vt fontem omnis veræ & salutaris veritatis prædicari iussit, vt ait Trid. Sess. 4. initio. Quod maximè verum est de fundamentis generalibus fidei, inter quæ est auctoritas librorum diuinorum. Quare Apostoli definierunt de Testamento veteri, (quod etiam Christus, & ijdem, sæpe citando vt diuinum, confirmârunt) & Noui Testamenti libros à se, vel ab Euangelistis scriptos, vt diuinos posteris commendârunt. Postea verò potuit per obliuionem, vt in tam multis definitionibus contingit, serpere inter multos fideles inscitia, vel dubitatio circa libros aliquos, quæ fuit decidenda infallibili iudicio Ecclesiæ, cuius est de controuersijs fidei iudicare. Quin etiam Antiqui, sed pauci, reperiuntur qui tertium Esdræ, & tertium Machab. citarint, vt Canonicos, qui tamen in Canone à Concilijs suprà citatis edito non sunt enumerati. Vnde duplex successu temporis orta est dubitatio, & controuersia. Vna, & generalior, de quibusdam non admittendis, qui nunc extant in Canone; altera de quibusdam admittendis, qui nunc non sunt in Canone. Hinc etiam est orta diuisio librorum diuinorum in Proto-canonicos, id est, eos, qui ab initio indubitanter recepti fuerunt ab omnibus Catholicis, vt diuini; & in Deutero-canonicos, id est, eos, qui per nouam definitionem Ecclesiæ recepti fuerunt; quales sunt Esther, Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Danielis Appendix, id est, historia Susannæ, & Draconis, & hymnus trium Puerorum, Machabæi, Marci caput vltimum, Historia de Christi agone, & Angelo consolante, Luc. 22. & de Adultera, Ioan. 8. Epistola ad Hebræos, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis, Epistolæ Iudæ, & Iacobi, & Apocalypsis: de quibus aliquæ Ecclesiæ particulares, & aliqui Patres dubitârunt, aut negârunt esse Canonicos: licet alioqui adhærerent Ecclesiæ vniuersali, neque dubitassent, aut negâssent, si fuisset definitio intimata toti Ecclesiæ, ipsisque nota. De quibus plura vide apud Bellar. lib. 1. de verbo Dei c. 4. & sequentibus.

Traditus est ab ipsis Apostolis.

Libri sacri duplices, Proto-canonici, & Deutero-canonici.



SECTIO IV.

Soluitur prima obiectio Hæreticorum.

Contra responsum suprà datum sentiunt Hæretici huius temporis: quorum aliqui, vt Caluinistæ art. 3. Confessionis, admittunt quidem libros omnes Testamenti noui, quos in Canone habemus: sed è veteri Testamento rejiciunt omnes Deutero-canonicos. Alij, vt Lutherani, rejiciunt etiam nonnullos è nouo Testamento, vt Epistolas Iacobi, & Iudæ, & Apocalypsim. Alij quosdam etiam è Proto-canonicis veteris Testamenti, vt Anabaptistæ, qui librum Iob fabulam vocant, comicis & tragicis legibus intermixtam: & Castalio, qui Canticum Canticorum nihil aliud esse vult, quàm narrationes amorum Salomonis, & filiæ Pharaonis. Nituntur autem omnes internâ persuasione, & Spiritus sancti testimonio, quo se libros Canonicos discernere profitentur, potiùs quàm ex consensu Ecclesiæ. Sed hæc persuasio manifestè fallax est, cùm qui eam prætendunt, sibi inuicem aduersentur. Et si Nouatores eam habent; sanctos Patres eam potiùs habuisse credendum est: quorum tamen permulti agnoscunt pro Canonicis libros omnes ab eis rejectos. Deinde si Spiritus sanctus adest cuique priuato, vt veram Scripturam certò discernat; quantò magis toti Ecclesiæ, illius assistentiam promissam imploranti. Cùmque nullus priuatorum falli non possit, vt ipsi fatentur: vnde habent infallibiliter libros illos esse Canonicos, non alios? cùm falli possint existimando sensum suum erroneum, esse internam persuasionem Spiritus sancti: & certè, cùm sibi contradicant, falluntur aliqui necessariò. Adde Canonem Caluinistarum à nullo tradi Antiquorum, præterquàm à Ruffino, Hieronymi aduersario, & de fide suspecto. Imò etiam Ruffinus, Baruch annumerat sacris libris, quem Caluinistæ rejiciunt. Quare Canonem suum à nullo prorsus Antiquorum habent.

18. Canon hæreticorum qualis?

A nullo antiquorum traditur.

Contra id verò quod diximus Scripturæ certitudinem pendere quoad nos à traditione, & definitione Ecclesiæ, objiciunt primò illud Christi, Ioan. 5. v. 34. *Ego non ab homine testimonium accipio.* Ergo Scriptura diuina non eget hominum testimonio. Et 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut eius vnctio docet vos de omnibus, & verum est.* Ergo vnctio, id est, interna persuasio Spiritus sancti docet nos, quæ sint Scripturæ Canonicæ. Et Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit.* Ergo cognoscet Scripturam esse diuinam. Et Ioan. 10. v. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ergo ipsæ oues, id est, fideles, habent per se idoneam discernendi Scripturas facultatem. Item illud 1. Ioan. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se:* Ergo in his, quæ ad fidem pertinent, non est recurrendum ad aliena testimonia, sed ad diuinum, quod in nobis habemus. Et Deuter. 18. v. 20. & se-

19. Argumenta hæret. ad probandum certam notitiam Script. non pendere à traditione Ecclesiæ.

quentibus, Deus dat signum discernendi falsum Prophetam à vero, si quod ille prædixit, non euenerit. Quo significat non ad iudicium Ecclesiæ recurrendum esse, sed ex ipsa rerum euidentia iudicandum. Addunt illud 1. Cor. 2. v. 12. *Nos autem non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Scriptura autem sacra nobis à Deo donata est: Ergo, &c. Et v. 15. *Spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Et c. 14. v. 37. *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quoniam Domini sunt mandata.* Quicumque igitur habet Spiritum Dei, cognoscit verba Domini, potéstque illa discernere.

10. Quomodo non egeat Christus hominũ testimonio? Ad primum, Respondeo Christum ibi non loqui de Scriptura, sed de seipso: & tantùm affirmare, se tunc non vti hominum testimonio ad suam diuinitatem probandam Iudæis, quo etiam non egeat, sed diuinis operibus, & miraculis eam satis probare; propter quod subdit v. 36. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Quòd tamen Christus, licet non egeret hominum testimonio, posset illud accipere, & acciperet aliquando, patet ex eo quod habetur Ioan. 1. *Fuit homo missus à Deo, &c. vt testimonium perhiberet de lumine.* Et Ioan. 15. *Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis.* Et Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.*

Quo sensu fideles non habẽt opus doceri? Ad secundum, responsum est alibi, Ioannem fidelibus loqui iam edoctis à se, & ab alijs Apostolis: & per *vnctionem* intelligere doctrinam, quam acceperant, cum auxilio Spiritus sancti ad eam firmiter, ac sicut oportet, acceptandam, & retinendam contra fraudes hæreticorum, quos Ioannes ibidem accusat: sensúsque illius est, quòd fideles non habeant opus discere aliquid ab hæreticis: cùm vnctio Spiritus sancti, id est, Spiritus sanctus per se, vel per Ecclesiam eius instinctu, & auctoritate loquentem, doceat illos quæcumque ad salutem scire concedit. Ad tertium: Sensus Christi est, quicumque fecerit voluntatem Patris mei, sinendo se prudenter, & dociliter persuaderi operibus, quæ ipse per me facit ad persuadendum doctrinam meam esse diuinam, cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit. Quarti similiter sensus est, Oues meæ, quæ mites sunt, & dociles, vocem meam, tot signis & miraculis probatam esse verè diuinam, audiunt, & acceptant vt talem: quo sensu dixerat duobus versibus præcedentibus, *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis*, id est, quia non ouinâ docilitate parétis, sed ferinâ duritie maliciosè resistitis.

11. Et habẽt testimonium Dei in se? Ad quintum: sensus est, vt patet ex contextu, eum, qui credit in filium Dei, admittere testimonium diuinum, propter quod in eum credit: vt è contrario, qui non credit filio, mendacem facit eum (Patrem scilicet) quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo, vt subditur verbis immediatè sequentibus. Ad sextum: Non est recurrendum ad Ecclesiæ iudicium, quando res manifestè patet: sicut patet illum esse falsum Prophetam, à quo prædicta non eueniunt. At non ita constat euidenter hos, aut illos libros esse Canonicos: vt patet ex tot controuersijs antiquis, & nouis. Ad septimum dico, sensum Pauli esse, vt liquet ex antecedentibus, & consequentibus in textu, Nos Apostoli, qui vobis prædicamus bona illa supernaturalia, nobis à Deo proposita, & donata sub conditione, quæ non potest animalis homo, id est, carnalis, & prophanus intelligere, quæque nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Nos, inquam non spiritum huius mundi, qui non potest hæc percipere, accepimus; sed Spiritum, qui ex Deo est, id est, lumen fidei, vt sciamus, id est, credamus, & intelligamus quæ à Deo donata sunt nobis, id est, bona illa, & dona supernaturalia, proposita scilicet per diuinas reuelationes, & per motiua, & regulas credendi à Deo constitutas.

Ad octauum Respondeo primò, Paulum ibi comparare hominem spiritualem cum animali tantùm; & asserere spiritualem omnia iudicare, id est, discernere, tam humana, quàm diuina; quia vtraque nouit: & à nemine animali iudicari, quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, & non potest intelligere, vt ibidem additur, adeóque nec de illis iudicare. Secundò, Paulus non asserit quòd homo spiritualis omnia iudicet spiritu priuato: sed secundùm vias, ac regulas à Deo institutas. Alioqui non vt spiritualis, sed vt animalis ageret. Non dicit, inquam, Apostolus vnumquemque spiritalem, & habentem Spiritum sanctum posse per se solum omnia dijudicare: sed habere viam dijudicandi omnia, quantum est opus, per regulas fidei, & prudentiæ Christianæ, quæ dictat, certò quidem & sufficienter proposita, pro talibus habenda esse: in dubijs autem, ad Pastores, & Doctores Ecclesiæ, legitimam definiendi potestatem habentes, recurrendum esse, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Ephes. 4. *Quosdam dedit Pastores, & Doctores, vt non simus sicut paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ:* & iuxta exemplum ipsorummet Apostolorum, qui ortam controuersiam de obseruatione legalium, non reliquerunt dijudicandam singulis fidelium, tametsi spiritales essent: sed illam in Concilio determinarunt, Act. 15. *Conuenerunt enim Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*: & magnâ conquisitione factâ pronuntiarunt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris &c.* Tertiò denique, non negat Apostolus, posse hominem spiritalem iudicari, & instrui à Iudice verè spirituali; Cùm ipse alibi iudicium in fideles exercuerit: & in eâdem Epistola c. 5. v. 12. & 13. dicat, *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* Item,

12. Quomodo spiritualis omnia diiudicat?

vel nullus Christianorum, ad quos Paulus scribebat, erat spiritalis: vel perperam laborasset in illis instruendis; si spiritalis homo à nemine prorsus instrui potest. Sed, vt dixi, comparat tantùm Paulus hominem spiritalem cum animali; à quo affirmat non posse instrui, quia non habet sensum Domini. Vel, si hæc verba generaliter intelligenda sunt, sensus est, quòd spiritalis, quà spiritalis, id est, quatenus agit vt spiritualis, à nemine iudicatur, id est, à nemine iure reprehenditur.

23. Ad nonum: Apostolus ibi loquitur de homine verè Propheta, & verè spirituali, deque rebus ibidem à se propositis, quas facile erat intelligere Domini esse mandata, id est, Dei voluntati, & rectæ rationi conformia. Quod & per se notum erat ex Pauli discursu: & poterant iam aliunde viri illi spirituales, aut Prophetæ, doctrinâ voce traditâ id didicisse. At hinc non sequitur, quemlibet Spiritus sancti inspirationem iactantem, vt Nouatores omnes faciunt, posse libros Canonicos discernere infallibiliter; imò illi ipsi, in quibus Spiritus sanctus verè inhabitat, non eos discernunt immediatè per Spiritus sancti inspirationem; sed per iudicium Ecclesiæ, cui Spiritus sanctus illud commisit, & ad quod eos remittit, vt seruetur ordo, quem in Ecclesia statuit. Certè negare non possunt Aduersarij quin sancti Patres fuerint spirituales; & tamen inter eos fuit dissensio de libris Canonicis: vt & nunc est inter Nouatores, qui tamen omnes se spirituales putant. Iuuat quidem Spiritus sanctus, vt assentiamur obiecto fidei proposito legitimè: sed illius inspiratio supponit obiectum esse tale, habere Dei reuelationem sufficienter credibilem, vel testimonio Ecclesiæ, vel aliunde, vt propter illam assentiamur obiecto tanquam diuinitùs reuelato.

SECTIO V.

Aliæ hæreticorum obiectiones refelluntur.

24. OBjiciunt secundò, Si Ecclesia de Scripturis diuinis iudicare debet, Ergo est superior Scripturis. Nam neque æqualis, neque inferior de superiore iudicare potest authenticè. Deinde, Ecclesia fundatur supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, Ephes. 2. v. 20. id est, supra doctrinam Apostolorum, & Prophetarum. Ergo priùs huic doctrinæ sua certitudo constare debet, quàm sit Ecclesia super eam fundata. Ergo non accipit suam certitudinem ab Ecclesia. Tertiò, si Scripturæ sacræ veritas ab hominum testimonio penderet, & ex eo comprobaretur: Ergo tunc vltima fidei nostræ resolutio fieret in hominum testimonium: atque ita fides non esset diuina, sed humanâ. Quartò, Scriptura ipsa est regula, quâ Ecclesia in controuersijs definiendis vti debet. Ergo non pertinet ad Ecclesiam statuere, quænam sit Scriptura Canonica. Alioqui iam Ecclesia erit regula Scripturæ, non Scriptura Ecclesiæ: & perinde nobis erit, si Ecclesia ex Scriptura, tanquam ex regula definiat; atque si absque vlla regula definiret; siquidem ipsa Ecclesia propriâ auctoritate sibi constituit talem regulam. Quintò, fit circulus vitiosus, si per iudicium Ecclesiæ infallibile, probatur Scriptura, & per Scripturam probatur infallibile iudicium Ecclesiæ.

Ad primum Respondeo duplex esse iudicium: discretionis scilicet, quo vnum discernitur simpliciter ab alio; & auctoritatis, quo authenticè aliquis damnatur, vel absoluitur, &c. cum obligatione subeundi sententiam iudiciariam. Primum iudicium non requirit auctoritatem, & superioritatem in iudicante. Et illud tantùm exercet Ecclesia circa Scripturam secundùm se spectatam: discernendo scilicet veram Scripturam diuinam ab adulterinâ, & falsò ementitâ: vt si quis Regem sibi optimè notum discerneret ab alijs se Regem esse simulantibus. Alterum verò iudicium exercet circa nos tantùm, quos obligat ad acceptandam Scripturam, quam discernit; & contradicentes condemnat. *Quomodo Ecclesia de Scriptura iudicat?*

25. Ad secundum Respondeo primò, Totam doctrinam Apostolicam non consistere in Scriptura, sed & in traditione, quam Ecclesia sequitur, & quâ vtitur ad discernendos libros Canonicos. Secundò, certitudinem esse duplicem, vnam obiecti; alteram cognitionis: siue vnam ex parte rei secundùm se, alteram respectu nostri; & doctrinam quidem Apostolicam habere certitudinem secundùm se, id est, veritatem necessariam, & longè remotam ab omni falsitate, priùs quàm sit Ecclesia. Imò etiam quando per Apostolos Ecclesia fundabatur, doctrina Apostolica respectu eorum, qui conuertebantur, & ad Ecclesiam inchoandam se aggregabant, habebat certitudinem aliunde, quàm ab Ecclesia; nempe à miraculis & signis, quibus Apostoli ostendebant esse diuinam. Atque ita Ecclesia fundabatur in doctrina Apostolica, non tantùm quatenus certâ secundùm se, sed etiam quatenus certâ secundum nos, id est, respectu hominum. Postea verò Ecclesia per hanc doctrinam constituta potuit esse posteris fundamentum credendi doctrinam illam esse diuinam; & esse causa certitudinis ex parte ipsorum, cur scilicet certò illam Scripturam, vt diuinam acceptarent, quia Ecclesia testabatur sibi esse ab Apostolis traditam. Atque ita Ecclesia potest esse, & re ipsa est causa, cur nobis Scriptura certò innotescat. Et quidem Paulus, qui Ephes. 2. ait Ecclesiam ædificari supra doctrinam Apostolicam; affirmat pariter 1. Timoth. 3. v. 15. Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, Apostolicæ scilicet, & Euangelicæ. Quod intellige, inquit ipsemet Beza ibidem, hominum respectu, non simpliciter. Et Caluinus ibidem, stultè initio in nostram sententiam debacchatus, in eam paulò post incidit, cùm ait: *Itaque hominum respectu sustinet Ecclesia veritatem, quia eam praeconio suo celebrat: quia puram, & sinceram retinet: quia transmittit ad posteros.* Sic igitur Scriptura, & nunc fundatur in Ecclesia respectu nostri; & illam olim fundauit secundùm se, vt nota per miracula, & alia opera Apostolica, planè diuina. *Quomodo dat, & accipit certitudinem à Scriptura?*

26. Ad tertium Respondeo, testimonium Ecclesiæ non esse purè humanum, sed diuinum, ob infallibilem assistentiam Spiritus sancti. Ad quartum: Ecclesia non proprerea est regula Scripturæ secundùm se; sed tantùm respectu nostri: id est, Ecclesia est nobis regula, quâ cognoscamus infallibiliter veram Scripturam diuinam, & verum eius sensum. Ipsa verò Scriptura secundùm se spectata, & verus eius sensus, per infallibilem Spiritus sancti assistentiam cognita, sunt illi regula, quam in definiendis fidei controuersijs sequi debet. Neque propterea perinde est, ac si sine regula definiret, nec illam sibi propriâ auctoritate constituit; sed constitutam habet à Spiritu sancto, à quo ad illam cognoscendam iuuatur, vt per eam instruatur, & dirigatur. Ac licet Spiritus sanctus posset per seipsum immediatè Ecclesiam docere quæcumque illam edocet per Scripturam, sicut illam immediatè iuuat ad Scripturam dignoscendam: voluit nihilominus id facere per Scripturam, per quam tamen Ecclesia doceri non potest infallibiliter, nisi dirigatur à Spiritu sancto ad illam discernendam, & ad verum eius sensum agnoscendum. Quare hæc duo bene conueniunt, imò secundum cum primo necessariò cohæret: quòd scilicet Scriptura sit regula Ecclesiæ; & tamen Ecclesia Spiritus sancti auxilio infallibiliter Scripturam discernat.

Sit-ne regula Scripturæ?

27. Ad quintum iam alibi responsum fuit, quando Scripturam primò cognoscimus per iudicium infallibile Ecclesiæ; aliunde nobis esse notum Ecclesiæ iudicium esse infallibile, quàm per Scripturam: nimirum per signa intrinseca Ecclesiæ, vel extrinseca, quibus euidenter credibile fit ipsam esse diuinum opus admirabile, & planè talem, qualem se profitetur. Cuiusmodi sunt doctrinæ puritas, miracula, constantia martyrum, victoria persecutionum, & alia alibi enarrata. Et sic non fit circulus vitiosus: quasi verò non cognoscamus iudicium Ecclesiæ esse infallibile, nisi per Scripturam: & Scripturam non cognoscamus, nisi per Ecclesiam. Priùs enim nobis nota est Ecclesia, quàm Scriptura, vt certò diuina. Quamvis (vt alibi notauimus) habitâ iam notitiâ Scripturæ confusè, per Ecclesiæ testimonium infallibile; possimus ex Scripturæ lectione, & notitia distincta, cognoscere multa de ipsa Ecclesia, etiam non antè nota: ad eum modum, quo si Pontifex, aut Rex Legatum mitteret cum diplomate continente multa ipsi commissa; possent illi, ad quos mittitur (postquàm aliunde satis constaret, ipsum à Rege verè mitti, & diploma, adhuc confusè cognitum, esse verè regium) omnia ipsi commissa cognoscere ex lectione diplomatis, quæ antè ignorabant. Atque ita Ecclesia, & Scriptura, aliæque fidei regulæ mutuam sibi opem præstant sine circulo vitioso. Porro si comparetur auctoritas Ecclesiæ cum Scripturæ auctoritate, dico vtramque æqualem esse intensiuè, quia vtraque diuina est. Scripturam tamen habere quid diuinius quoad modum. Quatenus Scriptores sacri non tam agunt, quàm aguntur à Spiritu sancto frequentissimè dictante verba ipsa, ita vt totum à Deo sit. At verò Ecclesia definiens eget labore, ac diligentiâ: nec verba ipsa, quibus definit, dictantur à Spiritu sancto: vt alibi notauimus. Aliunde verò Ecclesiæ auctoritas extensiuè maior est, quia ad plures controuersias decidendas se extendit. Non enim omnia quæ decidit, habentur clarè & expresè in Scriptura, vt alibi ostendimus.

Quomodo cognoscimus Scripturam per Ecclesiam?

Maiór-ne auctoritas Script. quàm Ecclesiæ?

Tertiò denique, multa speciatim objiciunt contra singulos libros quos Apocryphos esse contendunt, partim desumpta ex ipsis libris, vt eos falsitatis, vel indecentiæ arguant: partim ex antiquis Patribus, qui de illis dubitàrunt, aut negàrunt esse Canonicos. Quæ quia persequi longum esset, & à multis accuratè tractata sunt, satis erit eos indicare, à quibus accuratius. Videantur ergo Bellarminus lib. 1. de verbo Dei à cap. 7. & Gretserus in eius defensione. Canus lib. 2. de Locis, à cap. 10. Serarius in libros Tobiæ, Iudith, &c. & qui recens accuratissimè, Iaubertus de Barrault Tom. 1. Clypei, cap. 14. Tantùm moneo circa Patres, nullum eorum definitionem Ecclesiæ sibi notam impugnâsse, aut reiecisse libros ab ea receptos, postquam eius definitio sibi innotuit. Cùm è contrario doceant omnes iudicium Ecclesiæ sequendum esse. Quare quod ait Hieronym. Epist. 115. librum Iudith ab Ecclesia non recipi inter Canonicos, dictum ab illo est, antequam nôsset definitionem Concilij Nicæni, cuius postea meminit in præfatione in Iudith: neque ordo scriptorum Hieronymi seruat ordinem temporis, quo scripta sunt. Nisi quis malit Hieronymum per Ecclesiam intelligere Iudaïcam. Laodicense verò Concilium eumdem librum Iudith in Canone omittens, fuit antiquius Nicæno, vt ostendit Baronius tom. 4. in Appendice. Et hactenus de Canone. 28.

SECTIO VI.

An & quis textus Scripturæ sit authenticus?

QVæres secundò, an & quis textus Scripturæ sit authenticus, id est, certò diuinus, & habens auctoritatem, vt talis? Ratio dubitandi est: quia non habemus Scriptorum sacrorum autographa, sed exemplaria, quæ per infinitas transcriptiones, vel editiones ad nos peruenerunt, in quibus error multiplex contingere potuit incuriâ, vel inscitiâ, vel malitiâ hominum. Item habemus varias translationes è textu originali in alias linguas. Atque etiam non rarò varias & repugnantes lectiones eiusdem textus, tum in eadem, tum in diuersis linguis. 29.

Ratio dubitandi.

Respondeo, ad prouidentiam diuinam circa Ecclesiam suam pertinuisse, vt Scriptura (cui veluti regulæ infallibili conformatur Ecclesia, & ipsa infallibilis) incorrupta permanserit: ita vt non omnes editiones corruptæ sint. Quænam verò sit incorrupta, cæterisque dissentientibus præferenda, discernere non est cuiusque priuati fallibilis, sed id quoque ad iudicium Ecclesiæ pertinet, non minùs quàm librorum Canonicorum discretio, quæ sine dis-

Ecclesiæ est illum discernere.

cretione textus authentici non sufficit ad fidem in Scriptura velut diuinam fundandam. Neque enim fundatur in Scriptura confusè, sed in his, aut in illis Scripturæ verbis, quæ proinde constare oportet esse Scripturæ verba, à Spiritu sancto dictata, non autem alia per hominum inscitiam, vel incuriam, vel malitiam substituta.

30. Vulgata statuitur authentica à Tridentino.

De hac verò controuersia grauissima Trid. Sess. 4. Decret. 2. initio sic pronuntiat: *Insuper eadem sacro-sancta Synodus, considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus, Latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat: Statuit, & declarat, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & vt nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Huc vsque Trid. Ex quibus collige primò, eam cæteris versionibus, ex quocumque textu deriuatæ sint, præferri: quandoquidem illa vna inter omnes declaratur authentica. Collige secundò, licet Hebraïcus, aut Græcus textus magis conformes videantur alij versioni: tamen horum textuum, & versionum auctoritatem non præiudicare vulgatæ, ita vt propterea rejicienda sit: quia ex Trid. non licet quovis prætextu vulgatam rejicere. Ergo neque eo prætextu, quòd aliter vertendo foret sensus conformior Græcis, aut Hebraïcis. Collige tertiò, Hebraïcum, aut Græcum textum, qualem iam habemus, non esse authenticum. Quia sæpe non habet quæ sunt in vulgata, etiam integra capita, & libros. Item habet passim quæ contrario modo, aut planè diuerso sunt intelligenda, ita vt nullo modo possint à peritis trahi ad sensum vulgatæ. Iam verò, ille codex, qui est talis, vt ex eò quòd aliquo careat, non liceat inferre Scripturam veram eo carere; item ex eo quòd aliquid asserat, non liceat inferre à Scriptura asseri; non est authenticus, id est, certò diuinus. Atqui talis est Græcus, & Hebraïcus, qui nunc est. Ergo, &c. Quæ vt magis declarentur, & vt Nouatorum obiectionibus occurratur.

31. Textus Hebraïcus Script. qualis sit?

Nota primò, Textum Hebraïcum veteris Testamenti, ad quem vnum velut originalem prouocant Nouatores, fuisse quidem initio planè diuinum & authenticum; quia Hebræis Hebraïcè primùm, & originaliter traditus fuit, ab ijsque ad Græcos, & Latinos deriuatus: mansisséque integrum, & authenticum vsque ad Christi tempora, & Apostolorum, qui passim Hebræos, Scripturas citantes, nunquam admonent de corruptione: imò & vsque ad tempora Hieronymi (communiter saltem) qui ex Hebræo Scripturam vertit, vt sæpius ipse testatur, & speciatim in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, & August. 18. de Ciuit. c. 43. At nunc certissimè non esse diuinum absolutè, & vniuersaliter, ob certissimas corruptiones. Nam, vt fatetur ipsemet Caluinus in caput Zachariæ 11. v. 6. Biblia fuerunt punctis à Iudæis vitiata, id est, punctorum, quæ apud Hebræos sunt loco vocalium, additione, perperam facta à Rabbinis infidelibus, & Spiritu sancto destitutis, ac ne interesse quidem consentientibus, anno post Christum natum 514. Deinde inscitia linguæ Hebraïcæ, quæ à multo tempore non adeò fuit communis; & affinitas summa quarundam literarum Hebraïcarum, causa fuit cur aliæ pro alijs literæ substituerentur, & interdum duæ dictiones in vnam coniungerentur, aut in duas vna diuideretur, cum magna sensus variatione; vt multis exemplis ostendit Genebrardus in Psalmum 4. & plures alios. Quod interdum etiam à Rabbinis de industria factum docet Galatinus lib. 1. de Arcanis c. 8. Idque probat ex ipsorummet Rabbinorum, qui alios huius fraudis carpserunt, confessione, & antiquiorum lectione. Aliunde verò non est vllus codex Hebraïcus, quem à tanto tempore incorruptum infallibilis iudex acceptet. Exempla deprauationum plurimarum, ab ipsis quoque Nouatoribus agnitarum, habent Galatinus suprà varijs locis, Salmeron tomo 1. Prolegom. 4. Iaubert. de Barrault tomo 3. Clypei, in Tract. de Euasionibus, cap. 9. §. 12. & Gordonus Huntlæus Controuer. 1. c. 10. qui etiam c. 11. notat, & varijs exemplis probat, loca in nouo Testamento citata ex veteri à Christo, & Apostolis, non conuenire cum textu Hebræo, qui nunc est: sed cum septuaginta, & cum nostra vulgata.

32. Textus Græcus noui Testam. cuius sit auctoritatis?

Secundò, circa textum Græcum noui Testamenti, ad quem etiam vnum prouocant Nouatores, tanquam originalem (quanquam Euangelium Matthæi non Græcè, sed Hebraïcè ab eo scriptum fuit) Nota vel ipsis Nouatoribus consentientibus esse nunc multis in locis corruptum. Nam ipsimet textum Græcum noui Testamenti corruptionis arguunt non rarò: & interdum eo reiecto vulgatam nostram editionem sequuntur. Cuius rei exempla vide apud Iaubertum suprà, & Gordonum Controuer. 1. cap. 13. n. 8. Adde Bezam ipsum in Præfat. in nouum Testamentum ad Elizabetham, fateri vulgatum interpretem ex emendatiori exemplari vertisse, quàm sint nunc vulgò Græci Codices. Quin etiam, inquit, aliquot locis animaduertimus veteris Interpretis lectionem, quamvis cum nostris Græcis exemplaribus interdum ei non conueniat, tamen ipsis rebus multò melius quadrare. Nempe quòd ille, quisquis fuit, emendatius aliquod exemplar nactus esset. Hæc Beza: qui etiam in cap. 8. Lucæ, v. 54. testatur inter suos vetustos codices Græcos, duos fuisse, quorum mirificus erat cum vulgata editione consensus. Et in caput 1. Luc. v. 1. Veterem nostrum interpretem summâ religione sacros libros interpretatum esse fatetur. Extat etiam nunc in Bibliotheca Vaticana vetus exemplar Græcum, in omnibus cum vulgata consentiens, teste Gordono suprà, cap. 13. n. 9. Licet autem textus Hebraïcus veteris Testamenti non sit authenticus, neque versio Septuaginta, & aliæ Symmachi, Aquilæ, Theodotionis, &c. Vt neque etiam textus Græcus, qui vulgò extat, noui Testamenti, in plerisque à vulgata dissen-

tiens (idemque dico de paraphrasi Chaldaïca veteris Testamenti, & de versione Syriaca noui, de quibus omnibus vide Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 3. & sequentibus) vtiles tamen sunt ad varios errores bibliopolarum corrigendos, conferendo Codices inter se, & ad terminos ambiguos vulgatæ intelligendos, ad emphasim, & proprietatem vocum meliùs agnoscendam, ad conuincendos hæreticos, qui tales Codices admittunt; qui Codices in omnibus deprauati non sunt: Item quando Latini Codices ita variant, vt nequeat certò statui, quænam sit vulgata versio; quemadmodum fusiùs docet, & pluribus exemplis confirmat Bellarm. libro suprà citato, cap. 11.

33. Quanta vulgatæ versionis auctoritas? Tertiò, circa auctoritatem vulgatæ editionis, id est, versionis illius Latinæ, quam in Trid. Ecclesia approbauit, & authenticam declarauit, Nota versionem illam esse antiquissimam. Quippe quæ, quoad vetus Testamentum, partim est Itala illa, D. Augustino laudatissima lib. 2. de doctrina Christiana c. 15. partim Hieronymiana, ab eodem Augustino laudata lib. 18. de Ciuitate, c. 43. Quoad nouum autem Testamentum, est Itala illa vetus, & certissimè antiquissima, sed ab Hieronymo emendata iussu Damasi Papæ; vt fusiùs docent, & veterum testimonijs probant Baronius tom. 2. an. 231. & Bellar. lib. 2. de verbo Dei c. 8. & sequentibus. Atque hinc sequitur vulgatæ auctoritatem maximam esse debere; quippe quæ tam longo sæculorum vsu in Ecclesia probata est, tum integra, vt nunc est; tum quoad partes, ex quibus conflata. Nam Italam fuisse in antiqua Ecclesia prælatam cæteris omnibus testatur Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. versionem verò, & emendationem Hieronymi fuisse pariter iam-pridem receptam testantur Gregorius lib. 20. Moral. c. 24. & Isidorus 6. Ethymolog. cap. 5. & lib. 1. de diuinis officijs, verbis relatis à Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 10. Non potuit autem in officijs diuinis, in lectionibus, & prædicationibus, in Concilijs generalibus, & similibus, spurium verbum Dei pro vero recipi in Ecclesia infallibili, præsertim tanto tempore. Cúmque Ecclesia Hebraïca habuerit semper, vsque ad Christum, Scripturam in sua lingua authenticam: Et Ecclesia Græca similiter aliquandiu textum Græcum authenticum habuerit, nempe vetus Testamentum ex versione Septuaginta, quam Apostoli cum nouo Testamento Græco Ecclesiæ Græcæ tradiderunt (absurdum enim esset existimare illos non tradidisse textum authenticum Ecclesiæ Gentilium, ignaræ Linguæ Hebraïcæ; Græca verò tunc passim etiam Latinis nota erat) Cum, inquam, Ecclesia Græca & Hebraïca habuerint textum suâ Linguâ authenticum, est prorsus incredibile Latinam Ecclesiam nullum vnquam textum Latinum habuisse authenticum. Quòd si quem habuit, maximè illum, quem Ecclesia tot sæculis approbauit. Est item prorsus incredibile, Ecclesias Hebræam, & Græcam, quæ iam-pridem à vera fide defecerunt, habere Scripturam puriorem, & magis authenticam, quàm Ecclesiam Latinam, quæ sola constans in fide perstitit, longéque latiùs Euangelium propagauit, quàm Hebræa vel Græca Ecclesia. Quasi verò Ecclesiæ Apostatæ, vel Schismaticæ, fideliores fuerint, & diligentiores in vero Dei verbo conseruando, quàm vera Ecclesia, quæ teste Apostolo, est columna, & firmamentum veritatis: quæque, vt ait S. Aug. lib. 33. contra Faustum c. 6. meritis suis, & sanctitate persuadere satis vnicuique potest se libros sacros integros custodisse.

Nota quartò, errores, quos contra vulgatam objiciunt Nouatores, vel esse errata Librariorum, quæ in exemplaribus correctioribus, saltem in omnibus non leguntur, possúntque facilè corrigi consulendo alia exemplaria, etiam originalia: vel esse versiones receptas à multis sanctis Patribus, fierique conformes textui Hebræo, qui nunc est, mutatis punctis, aut literis simillimis, aut vnâ dictione diuisâ in duas, vel duabus in vnam coniunctis, prout olim à Septuaginta interpretibus, & ab alijs, in exemplaribus Hebraïcis emendatioribus legebatur: vel denique sensum eumdem esse: aut saltem esse intentum à Spiritu sancto. De quibus singillatim Bellarminus lib. 2. de verbo Dei, à cap. 12. & Gordonus Controuersia 1. à cap. 16. Porro Trid. vulgatam approbans, non approbauit Librariorum errores; sed vulgatam, præscindendo ab erroribus, qui à Doctis ex collatione Codicum, itémque originalium, forent dignoscendi: sicut iussu Pij IV. & Pij V. & Sixti V. & Clementis VIII. multi sunt, etiam post Tridentinum, correcti. Neque etiam asserit vulgatam esse authenticam, quasi sit omnium versionum possibilium optima. Hoc enim non est necessarium ad Scripturam authenticam: sed tantùm quòd in ea nihil sit contrarium fidei, & bonis moribus, & ille sensus fuerit intentus à Spiritu sancto, quem præfert versio. Quamvis possit sensus à Spiritu sancto intentus, exprimi pleniùs, tum ratione significationis, per versionem clariorem; tum etiam ratione significati, quatenus nihil vetat in vulgata non omnes sensus fuisse expressos, imò nec primarium, & potissimum: quanquam donec Ecclesia talem alium sensum approbet, non habet tantam auctoritatem, quantam versio vulgata. Si tamen ab Ecclesia in Concilijs, aut aliter, data esset alia versio; esset authentica non minùs quàm vulgata hodierna: quia par est quovis tempore infallibilitas Ecclesiæ. Quòd si objicias ex Trid. nefas esse rejicere vulgatam versionem. Respondeo non ideo rejici, quòd alia versio non repugnans acceptetur. Nam eiusdem loci vt duplex sensus esse potest, quemadmodum infra ostendemus: ita multò magis duplex versio. Dixi, *alia non repugnans*: quia nunquam ab Ecclesia recepta est vlla versio, quæ sit in vllo contraria alicui in vulgata acceptatæ.

34. Eiusdem sinceritas.

Nota quintò, ab Hieronymo emendatas fuisse versiones, etiam tunc ab Ecclesia receptas: non quòd in eis foret error receptus, sed emendando iuxta Codices integriores, approbatos ab Ecclesia, quæ potiùs inuita pateretur irrepsisse errores, quàm approbaret. Sicut inuita patitur pronunciationes vitiosas verbi Dei,

35. Emendatio Hieronymi & necessaria?

Adde emendasse restituendo clariori significationi, aut sensui potiori intento à Spiritu sancto, & magis conformi verbis, quibus primò vsus est Spiritus sanctus per scriptorem Canonicum.

Assistentia Spiritus sancti in emendando.

Nota sextò, non esse opus, vt interpres, siue Hieronymus, siue alius, sit actus Spiritu sancto ad modum Canonici Scriptoris, cum omnimoda infallibilitate: sed sufficere, vt Ecclesia habuerit talem assistentiam in approbando, sicut quando Synodicè approbat priuatorum dicta. Quanquam, cùm interpretatio sit donum Spiritus sancti, 1. Cor. 12. v. 10. maximè in arduis Scripturæ locis, & facientibus insigniter, & tam vniuersaliter ad commune bonum; non dubito quin Deus adfuerit specialiter Hieronymo in inspirando multa per vices, permittendo de cætero iudicio proprio, & erroribus, propter quos fortè Ecclesia non vtitur integra versione Hieronymi, sed quædam ex Itala retinuit. Nemo autem sanæ mentis dubitare potest Ecclesiæ iudicium per tot iam sæcula, omnibus cauillationibus Criticorum, & Hæreticorum præferendum esse: quorum versiones quàm iure merito sint suspectæ Catholicis, vide apud Gordonum Controuersia 1. c. 14.

SECTIO VII.

Vtrum Scripturæ sensus sit obscurus?

36. Error hæreticorũ.

HÆretici huius temporis affirmant sensum Scripturæ facillimum, & clarissimum esse; ne, si difficilis sit, & obscurus, præsertim in rebus ad salutem & fidelium regimen necessarijs, cogantur admittere viuum aliquem eius interpretem infallibilem, ad quem in dubijs recurrendum sit; ne alioqui manca sit diuina prouidentia circa Ecclesiam; eiusque puritati, & stabilitati in fide, ac perpetuitati, non satis prospexerit; contra illud Apostoli Eph. 4. *Quosdam dedit Apostolos, &c. Alios autem Pastores, & Doctores, &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Ita Lutherus in Præfat. assertionis articulorum à Leone X. damnatorum, vbi generatim, & absolutè pronuntiat Scripturam ipsam esse per se certissimam, facillimam, apertissimam sui ipsius interpretem; omnia probantem, iudicantem, & illuminantem, multóque clariorem omnium Patrum Commentarijs. Et Brentius in Prolegomenis contra Petrum à Soto, *Nugantur* (inquit de Doctoribus Catholicis) *Scripturam esse obscuram, ideóque interpretatione indigere.* Et paulò pòst addit, impijs & incredulis tantùm Scripturam esse obscuram, non autem pijs, & credentibus.

37. Eorũdẽ effugia.

Cùm autem viderent se hac in parte repugnare manifestæ experientiæ, quatuor excogitarunt effugia, quibus euaderent, aut potiùs illuderent simplicioribus. Primum est, Scripturæ sensum in se clarissimum esse, sed aliquando obscurum apparere propter idiotismos, seu proprios loquendi modos Linguæ originalis, id est, Hebraïcæ, & Græcæ: illis scilicet dumtaxat, quibus hæ Linguæ non sunt satis notæ. Secundum est, Scripturam, licet per se claram, pijsque & fidelibus facilè intelligibilem; esse tamen obscuram impijs, & incredulis, voluntariè cæcutientibus, prauoque affectu laborantibus. Tertium, Scripturam alicubi esse obscuram, sed clarè alibi seipsam explicare. Quartum, saltem nihil esse ad salutem necessarium, quod in Scriptura non clarè contineatur, ita vt facilè possit à quolibet intelligi.

Hic error generatim repugnat primò ipsimet Scripturæ, quæ affirmat illustrationem Spiritus sancti necessariam esse ad verum eius sensum intelligendum; nimirum propter obscuritatem, & difficultatem illum assequendi: Nam ad intelligendum id quod clarissimum est, non est magis necessaria illustratio Spiritus sancti, quàm ad videndum colorem in clara luce expositum. Psalm. 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Et Luc. vlt. v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Si autem Dauid, & Apostoli indiguerunt illustratione Spiritus sancti: multò magis alij. Et Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ, interrogatus à Philippo, num intelligeret, quæ legebat? respondit: *Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* Locus autem, quem legebat, erat Prophetia Isaiæ de Christi morte & passione, quod est vnum è præcipuis fidei nostræ dogmatibus, & magis necessarijs. Et 2. Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro, & caliginoso loco. Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propriâ interpretatione non fit:* id est, vt ipsimet hæretici vertunt, Scripturæ diuinæ, non sunt proprio cuiusque ingenio interpretandæ, sed Spiritu diuino, sicut ab illo scriptæ sunt. Qui Spiritus interpretandi Scripturam, non datur vnicuique fidelium, sed vt docet Apostolus 1. Cor. 12. *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, &c. Alij prophetia, alij interpretatio sermonum.* Quare Scripturæ diuinæ interpretatio non est vnicuique fidelium committenda. Si autem Scripturæ essent facillimæ, & clarissimæ; facilis esset earum interpretatio, & posset cuilibet committi. Nam sermonis facillimi, & clarissimi interpretatio facilè à quocumque fit. Notandum autem Petrum ibi loqui specialiter de Christi diuinitate, quod dogma ad salutem necessarium esse non negant Aduersarij: & Dauid loco primùm citato loquitur de lege diuina, cuius obseruatio est necessaria ad salutem, necessitate præcepti.

38. Scriptura testatur se obscuram esse.

39.

Idem Apostolus Epistolâ suâ posteriore cap. vltimo, de Epistolis Pauli sic loquitur: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Vbi nota Petrum non affirmare solùm mysteria Incarnationis, Prædestinationis, Iustificationis, & alia, de quibus loquitur Paulus in Epistolis, esse in se difficilia intellectu; sed etiam ea,

quæ de illis ipse scribit, siue ipsius modum loquendi, & scribendi. Nam ait illa (quæ affirmat esse difficilia in Epistolis Pauli) deprauari ab indoctis, & instabilibus, sicut & cæteras Scripturas. At indocti, & instabiles non deprauant ipsa fidei mysteria in seipsis; sed deprauant, id est, iuxta vim verbi Græci, trahunt in prauum sensum ea, quæ de illis scripta sunt. Nota secundò, Petrum generaliter affirmate quædam esse in illis difficilia intellectu, omnibus scilicet: quamvis addat deprauari solùm ab indoctis, & instabilibus; quia nimirum docti, & stabiles, non eas temerè ex proprio sensu interpretari præsumunt. Nota tertiò, Petrum loqui etiam de necessarijs aliquo sensu ad salutem: quandoquidem affirmat indoctos, & instabiles deprauare scripturas ad suam ipsorum perditionem.

40. Patres idem affirmant. Secundò, repugnat idem error sanctis Patribus, quorum plura testimonia videri possunt apud Valentiam in Controuersijs lib. 5. de Analysi fidei, cap. 5. & Bellarminum lib. 3. de verbo Dei cap. 1. Origenes quidem Homil. 12. in Exodum, ait Scripturam esse librum illum signatum, quem nemo potest aperire, præter Agnum de tribu Iuda, Apocalypsis 5. Chrysostomus homilia 40. in Ioannem, eam comparat thesauro profundè recondito, in quo scrutando sit opus summo labore, summaque diligentia. Ambrosius Epist. 44. ad Constantium, eandem dicit esse similem mari profundo, propter altitudinem propheticorum ænigmatum. Aug. lib. 2. de doctrina Christiana c. 6. & Gregor. homil. 6. in Ezechielem, dicunt sapienter ita à Deo factum fuisse, ne Scripturæ sacræ facilitate vilescerent, & superbia nostra inquirendi labore domaretur. Et lib. 12. Confess. c. 14. Sic exclamat idem August. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! Horror est intendere in eam: horror honoris, & tremor amoris.* Qua etiam de causa lib. 3. contra Faustum c. 13. & Vincent. Lirinensis lib. aduersus Hæres. c. 2. affirmant, omnibus, sed maximè paruulis in Christo, qualem se quisque existimare debet, consulendam esse perpetuò visibilem, & eminentem Ecclesiam, ad discernendam inter tam varias interpretationes Scripturæ veritatem.

41. Ratio, & experientia id cõfirmant. Tertiò, repugnat etiam manifestæ rationi, fundatæ in experientia. Quia si non solùm indocti, & imprudentes, qui vel malis affectibus excæcati, de rebus etiam satis claris dubitare possunt, vt quòd Deus sit, quódque vniuersi curam habeat: verùm etiam docti, prudentes, & pij dubitant interdum de sensu Scripturæ, fatentúrque se non satis illum assequi posse, attentâ licet significatione verborum, comparatione cum alijs Scripturæ locis, alijsque omnibus prudenter expensis, quæ ad Scripturæ intelligentiam faciunt: manifestum est Scripturæ sensum esse in locis illis obscurum. Atqui experientiâ ipsâ, & sanctorum Patrum, Doctorumque Ecclesiæ, imò & ipsorum aduersariorum confessione, manifestum est talia esse multa Scripturæ loca. Ergo, &c.

Ex Patribus sufficiet referre duorum Scripturæ bene intelligendæ studiosissimorum testimonium, Augustini, & Hieronymi. Quorum ille Epist. 119. c. 21. affirmat, in Scripturis solis se multò plura nescire, quàm scire. Iste in cap. 7. Ecclesiast. circa finem, sic ait, *Vir qui eruditus fuerit in Scripturis, quanto plus scire cœperit, tantò ei in his quotidie oritur maior obscuritas.* Et in Epist. 151. ad Algasiam quæst. 8. in fine, ait totam Epistolam ad Romanos nimijs obscuritatibus inuolutam esse. Ex aduersarijs verò Lutherus in Præfat. in Psalmos, dicit impudentissimæ temeritatis eum esse, qui audeat profiteri vnum Scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum. Et paulò antè de se ipso ibidem sic scribit: *Nolim ab vllo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit sanctissimorum, & doctissimorum:* id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, & docere.

Contra primum effugium aduersariorum Dico primò, Dauidem, & Apostolos non fuisse ignaros Linguæ originalis sibi familiaris, & in qua ipsi scripserunt: & tamen opus habuerunt illustratione Spiritus sancti, vt Scripturam intelligerent; quemadmodum patet ex locis citatis num. 38. & fatentur Centuriatores Lutherani Centuria 1. lib. 2. c. 4. his verbis. *Senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu sancto, & interprete.* Itaque aliunde est illa difficultas, quàm ab ignoratione Linguæ originalis. 41. Causa huius obscuritatis, an ignoratio linguæ originalis?

Contra secundum Dico secundò, eundem Dauidem, Apostolos, Eunuchum Candacis Reginæ, & sanctos Patres suprà citatos non fuisse impios, incredulos, prauisque affectibus voluntariè excæcatos. Et tamen illis Scriptura fuit obscura, neque sine speciali ope Spiritus sancti potuit ab illis intelligi: imò nec tantam eius intelligentiam cum auxilio Spiritus sancti sibi collato assecuti sunt, vt non plurima ignorauerint, quemadmodum Augustinus suprà de seipso fatetur: Petrus quoque Epist. 2. c. vlt. affirmat. Paulum in Epistolis suis quædam scribere difficilia generaliter & absolutè omnibus, vt paulò antea notauimus. Et denique Lutherus ipse ait, nullum sanctissimorum, & doctissimorum potuisse huc vsque verum Psalterij sensum in omnibus assequi. Ergo Scriptura non est tantùm obscura impijs, & incredulis voluntariè cæcutientibus, prauòque affectu laborantibus: sed etiam pijs, & fidelibus, non vulgaribus solùm, sed etiam valde prudentibus, eximiéque sanctis, & doctis. Vel impietas, & incredulitas.

Contra tertium Dico tertiò, sanctos Patres, aliósque Scripturæ interpretes eruditissimos, non ignorasse loca Scripturæ esse inter se conferenda, vt alia lucem ab alijs accipiant. Et tamen non obstante illa collatione non potuerunt verum Scripturæ sensum in omnibus, ac ne vnius quidem libri assequi, vt affirmat Lutherus suprà citatus. Ergo collatio locorum Scripturæ inter se, non sufficit ad omnia clarè intelligenda. Deinde cùm loca illa, quæ inter se comparantur, vt vnus ab altero lucem accipiat, sæpissimè parem claritatem præ se ferant; 43. Vel imperitia conferẽdi inter se loca Scripturæ?

obscurum manet, vtet potiùs sit per alium explicandus, & in sensum illius trahendus: quæ obscuritas, & controuersia non potest tolli per solam illam collationem. Præterea, ad ostendendum certò & infallibiliter, (sicut ad fidem diuinam opus est) vnum Scripturæ locum debere per alium specie tenus repugnantem, explicari, potiùs quàm hunc per illum; oporteret constare certò & infallibiliter, non posse illum alio sensu intelligi: quod in paucis contingit vi solius Scripturæ. Rursus ea Scripturæ loca, quæ singillatim, & solitariè sumpta apparent per se clara, trahunt interdum obscuritatem ab alijs, quibuscum comparantur. Ex. gr. Deus Exod. 20. sic loquitur: *Ego sum Deus Zelotes, visitans peccata patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.* Quibus verbis Deus clarè significat se vlcisci peccata parentum in filijs. At Ezech. 18. videtur æquè clarè contrarium asserere, cùm sic ait: *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Similiter clarus est iste locus seorsim sumptus, Rom. 3. *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Et tamen æquè clarus est alter locus Iacobi 2. specie tenus illi contrarius, *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Denique experientia manifesta ostendit collationem locorum Scripturæ non sufficere ad extinguendas dissensiones, & controuersias, quæ circa sensum Scripturæ oriuntur, siue inter Catholicos, siue inter hæreticos ipsos, quorum mos est Scripturæ loca per se clara trahere in sensum improprium, propter alia obscuriora, magis erroribus suis fauentia. Verissimum enim est quod de illis iam-pridem notauit S. Aug. lib. 3. de doctrina Christiana c. 10. *Si animum occupauerit alicuius erroris opinio, quicquid aliud asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur.* Et lib. 2. de Nupt. & Concupisc. c. 31. idem S. Doctor affirmat, non tantùm obscura loca Scripturæ, sed etiam clara & aperta, solere corrumpi ab hæreticis: vt hodie quoque experimur circa præsentiam Christi in Eucharistia, veram peccatorum remissionem, meritum bonorum operum, & similia in Scripturis satis clarè expressa. Clara sunt enim verba illa Christi seorsim sumpta, *Hoc est Corpus meum,* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Quæ tamen plerique hæreticorum huius temporis contendunt esse impropriè & metonymicè accipienda, propter alia loca 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus*; & cap. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, & alia similia, quæ non sunt clariora, imò possunt faciliùs, & meliùs per priorem locum in sensu proprio acceptum explicari; lucémque potiùs ab illo mutuare, quàm eius claritati officere. Vnde ergo habent infallibiliter priorem locum esse metonymicè explicandum propter posteriora, & non posse vllo modo in sensu proprio accipi: ac non potiùs posteriora debere per priorem exponi: cùm vi solius Scripturæ non sit euidens non posse ita intelligi?

44. Sint-ne clara salutem omnia ad salutem necessaria?

Contra quartum, & vltimum effugium Dico quartò, duplicem esse necessitatem fidei ad salutem: vnam medij, & alteram præcepti. Priori modo valde pauca sunt singulis priuatis ad credendum necessaria; nempe, quòd Deus sit; & quòd inquirentibus se remunerator sit, quódque Christus Deus & homo sit ab ipso constitutus mediator nostræ salutis. Quæ fatemur clare in Scriptura contineri. Tametsi Ariani loca Scripturæ per se clara de Christi diuinitate Ioan. 1. v. 1. iuncto versu 14. Et 1. Ioan. 5. v. 20. conati sint obscura reddere, & in sensum improprium trahere, propter alia Scripturæ loca, quæ videntur ei negare omnium rerum scientiam, Marc. 13. v. 31. & omnipotentiam independentem, & absolutam, Ioan. 5. v. 19. & veram essentiæ vnitatem, siue consubstantialitatem, Ioan. 10. v. 35. & æqualitatem cum Patre, Ioan. 14. v. 28. ac proinde veram diuinitatem. Sed, vt suprà dixi, non est existimandum locum aliquem Scripturæ esse obscurum ex eo solùm quòd hæretici de illo dubitent, aut aliter eum intelligant: quia cùm prauo affectu ducantur; solent illa etiam, quæ in Scripturis clariora sunt, in sensum alienum, suis erroribus accommodatum trahere. Necessitate verò præcepti multò plura sunt necessaria ad salutem, siue priuatis fidelibus singulis, siue Pastoribus & Prælatis, qui tenentur multò plura scire de fidei dogmatibus: nimirum quæcumque necessaria sunt, vt docendi, & regendi officio ritè fungantur. Ad illos enim pertinet instruere fideles, & contra fraudes hæreticorum defendere, atque in fide stabilire, ne sint veluti paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, & astutia ad circumuentionem erroris, vt ait Apostolus Eph. 4. Ad eosdem etiam pertinet Sacramenta fidelibus debito modo ministrare: quod fieri nequit sine notitia materiæ, formæ, subiecti, & aliorum omnium, quæ secundùm Christi institutionem necessaria sunt. Denique ad eosdem pertinet curare, vt veritas, & puritas doctrinæ fidei de Trinitate, Incarnatione, & alijs dogmatibus conseruetur, & proponatur alijs fidelibus. Qui etiam tenentur Prælatis suis & Pastoribus in fide adhærere: & saltem confusè approbare quidquid Ecclesia per illos proponit tanquam à Deo reuelatum, nihilque ab illa propositum rejicere. Hæc autem omnia nego in Scriptura clarè contineri. Nam ex. gr. quòd Baptismus ab hæreticis collatus sit validus, nusquam in Scriptura clarè expressum est, vt fatetur S. Aug. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas c. 7. & lib. 1. contra Cresconium c. 33. Ideóque, vt eos reuinceret, fuit illi recurrendum ad Ecclesiæ traditionem. Denique Petrus Apostolus Epist. 2. c. vltimo, ait indoctos, & instabiles deprauare difficilia Scripturæ loca ad suam ipsorum perditionem. Ergo ad salutem aliquo modo necessarium illis erat non ea deprauare. Quæ autem in contrarium opponuntur ab hæreticis, tam solidè & perspicuè refelluntur à Bellarmino lib. 3. de Verbo Dei c. 2. vt inutile sit in illis ampliùs refutandis immorari.



SECTIO

SECTIO VIII.

De vero sensu Scripturæ agnoscendo.

45. Rationes dubitandi. SVperest quærere quomodo possit dignosci verus Scripturæ sensus, intentus à Spiritu sancto? Ratio dubitandi est, quia eiusdem loci multi possunt occurrere sensus literales, neque facile est discernere vter melior sit. Item, præter sensum literalem, dicitur esse plerumque alius mysticus. Et aliquando quidem literalis sequendus est: aliquando litera occidit, vt ait Apostolus 2. Cor. 3. Item, Scriptores sacri videntur interdum loqui ex proprio sensu, vt quando minuta quædam, & familiaria de seipsis loquuntur: interdum ex mente aliorum, quorum dicta referunt, aut quorum personam suscipere videntur. Non constat autem an huiusmodi velut à Spiritu sancto inspirata dicantur. Vt v.g. quod refertur Ioan. 9. v. 31. dictum à cæco nato, *Scimus quia peccatores Deus non audit*, non constat vtrum ab illo dictum fuerit instinctu Spiritus sancti? an verò ex sensu ipsius proprio? quod non sufficit ad fundandam fidem diuinam.

46. Si est obscurus, recurrendum est ad iudicium Ecclesiæ. Dico primò, quando Scripturæ sensus intentus à Spiritu sancto non potest euidenter per Scripturam ipsam cognosci, vt non potest sæpissime; ad infallibile iudicium Ecclesiæ recurrendum esse: non autem proprio, aut cuiusque priuati iudicio fallibili credendum. Probatur, quia fides diuina debet esse certissima, & erroris expers. Atqui talis non esset, si proprio, aut priuati cuiusque iudicio niteretur; quia priuatus quisque falli potest, neque habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, vt patet ex dictis Sect. 3. contra priuatum Spiritum Nouatorum, de quo alibi fusiùs. Et Confirmatur experientiâ tot hæresum, Scripturis suo sensu explicatis, hactenus innixarum. Verissimum enim est quod ait August. Tract. 18. in Ioan. *Non natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene: & quod in his non bene intelligitur, temere & audacter asseritur.* Et Epist. 222. ad Consentium, *Omnes hæretici, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potius sectentur errores: ac per hoc, non quòd eas contemnant, sed quòd non intelligant, hæretici sunt.* Et Hieronym. in c. 1. ad Galat. circa illa verba, *Notum enim vobis facio fratres Euangelium*, sic affirmat. *Omnes hæreses è Scripturis sibi consuunt ceruicalia, quæ ponant sub cubito vniuersæ ætatis.* Posset quidem Deus verum Scripturæ sensum reddere alijs modis credibilem per signa, & miracula; sed id communiter non facit.

47. Sensus multiplex eiusdem loci Script. Dico secundò, eiusdem textus sensum esse plerúmque multiplicem; & quemlibet intentum à Spiritu sancto, sufficienter cognitum, esse regulam fidei. Ratio secundæ partis est, quia quilibet sensus intentus à Spiritu sancto, est æquè verbum diuinum, & æquè dignum fide, dummodo sufficienter innotescat, vel ex ipsa obiecti euidentia, vel ex iudicio infallibili Ecclesiæ. Prima verò probatur ex ipsa Scriptura, quæ sæpius explicat in sensu multiplici eundem textum; vt quod dicitur Genes. 15. & 21. de duobus Abrahæ filijs, Isaac & Ismael, historicè, explicatur allegoricè ab Apostolo ad Galat. 4. à v. 22. de nouo, & veteri Testamento. Et illud Deuteron. 25. v. 4. *Non alligabis os bouis triturantis*, literaliter dictum de bobus (fert enim ibi Deus legem de singulis) 1. Cor. 9. v. 9. explicatur tropologicè de laborantibus in Ecclesia, alendis ab eadem; vbi cùm Paulus ait, *Nunquid de bobus cura est Deo?* non negat sensum historicum, sed significat non esse in eo sistendum. Et illud Oseæ 11. v. 1. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, literaliter scriptum de populo Israël, dicitur Matth. 2. v. 15. fuisse in Christo impletum. Item illud Exodi 12. v. 46. *Os non comminuetis ex eo*, literaliter vsurpatum de Agno Paschali, dicitur in Christo impletum, quando eius crura non fuerunt in cruce fracta, Ioan. 19. v. 36. & alijs locis permultis, ea quæ gesta sunt in lege noua, dicuntur fuisse in veteri præfigurata.

Dices Apostolum, & Euangelistas, hæc tantùm dicere per applicationem in sensu accommodato, qui est, cùm aliquid nonde signatur ex intentione Spiritus sancti, sed tantùm ob magnam similitudinem appropriatur Scriptura ad illud, quasi de eo intellexisset. Sicut v.g. Ecclesia, suppresso Mosis nomine, accommodat Confessoribus illud Ecclesiastici 45. v. 1. *Dilectus Deo, & hominibus Moses, &c.* Ergo non bene probatum est exemplis allatis, multos esse Scripturæ sensus. Respondeo nihil vetare, vsos esse aliquando Apostolos sensu merè accommodatitio: sed quando indicant Scripturam impleri in sensu quem afferunt, aut argumentantur contra Iudæos ex Scriptura sic intellecta, vt Paulus sæpe facit in Epistola ad Hebræos; aut dicunt vetera fuisse aliorum figuram; euidenter indicant, Scripturam eos sensus intendisse. Talia verò sunt exempla superiùs allata. Adde Theodorum Mopsuestenum damnari anathematis in Constantinopolitano II. siue Generali V. Actione 5. & in Concilio Romano (cuius acta ex Vaticano se descripsisse testatur Villalpandus, Isagoge in Ezechielem, Sect. 3.) quòd veterem legem assereret in sensu tantùm accommodatitio, siue (vt ipse loquebatur) per euentum, translatam esse ab Apostolis in legem nouam; non autem in vero Scripturæ sensu. 48.

Distinguitur autem sensus Scripturæ generatim in duplicem: literalem scilicet, & mysticum. Et hic iterum in triplicem subdiuiditur: allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Vel enim sensus à Spiritu sancto intentus, est primus negatiuè, ita vt priorem, cui subordinetur, non supponat; vel non est. Sic est primus, dicitur literalis, vel historicus. Si non primus, sed per iam assertum vlteriùs indicatus & assertus; dicitur mysticus, symbolicus, & spiritualis. Rursus sensus ille mysticus, vel est de pertinentibus ad mores practicè conformandos, vel non. Si primum; est tropologicus, siue moralis. Si secundum; vel est de per- 49. Sensus Scripturæ quadruplex.

tinentibus ad statum vitæ futuræ, diciturque anagogicus; vel non, sed ad statum viæ, siue legis nouæ, siue veteris, scriptæ, aut naturalis; diciturque allegoricus, restricto ad id nomine, quod de se omni mystico conueniret. Exemplum huius sensus quadruplicis hoc tradit Cassianus Collatione 14. c. 8. Secundum historiam, seu literaliter, Ierusalem est ciuitas Iudæorum: allegoricè, ciuitas Christi, seu Ecclesia: anagogicè, patria cœlestis: tropologicè, anima hominis.

Eiusdem loci possunt esse plures sensus literales.

Porro non tantùm eiusdem loci Scripturæ potest esse multiplex sensus, vnus literalis, & alij mystici: sed etiam multi literales, vt docent S. Thom. parte 1. q. 1. art. 10. Vasques tomo 1. Disp. 17. & 18. Valent. Tom. 1. Disp. 1. q. 1. Punct. 5. Gill. lib. 1. de Doctrina sacra, Tract. 7. cap. 7. num. 7. & alij. Siue enim per plures sensus literales intelligamus plures à Deo intentos, quibus per verba res immediatè significat, vt S. Thomas ibidem intelligit; siue (quod eodem redit) plures non subordinatos: probabile est his, & similibus exemplis dari plures æquè primos, & immediatos respectu eiusdem literæ; Isaiæ 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* quod æquè primò referri potest ad æternam generationem Verbi, & ad temporalem Christi, vtramque inenarrabilem: & Psal. 2. v. 7. *Ego hodie genui te:* quod de æterna, & de temporali generatione, atque etiam de resurrectione immediatè potest intelligi. Et hæc sensuum multiplicitas, non est ex imperfectione, hoc aut illud ambiguè significante; sed ex fœcunditate, plures sensus afferente per eadem verba.

50. *Sensus mysticus valétne ad probandum, vt literalis?*

Cæterùm, non minùs facit ad fidem sensus mysticus, quàm literalis, dummodo constet esse à Deo intentum. Nam vis est in assertione diuina, non in signo. Sic Paulus Hebr. 1. v. 3. probat Christum esse verum filium Dei, ex eo quod historicè de Salomone dicitur 2. Reg. 7. v. 14. *Ego ero illi in Patrem, &c.* Quòd si objicias ex D. Thoma art. cit. ad 1. ex solo literali sensu trahi posse argumentum efficax ad probanda fidei dogmata. Respondeo sensus mysticos non valere ad probationes efficaces per se præcisè sumptos, sed si aliunde constet à Deo fuisse intentos: quia verò non constat, nisi tandem ad literalem explicationem aut Scripturæ, aut Ecclesiæ, aut traditionis veniatur; tandem probatio respectu nostri resoluitur in sensum literalem, per quem nobis de mystico constat.

Instabis, quia etiam literalis potest nobis esse incertus. Respondeo, potest, sed communiter est certior ex litera, & adiunctis, neque est tam varius: ac debet esse vnus aliquis vniuscuiusque loci, cùm super eum fundentur mystici: non ita verò constat, an semper sit aliquis mysticus. Vnde facilius est assequi literalem, quàm mysticum à Spiritu sancto intentum; cùm de quovis mystico ambigi possit, nisi aliunde explicetur; non de literali.

51. *Omnia formaliter dicta à Scriptore sacro, sunt vera.*

Dico tertiò, omnia asserta à scriptore Canonico per verba, esse vera, etiam minima, eo sensu, quo ab illo sunt asserta. Patet, quia asseruntur, & dicuntur ex instinctu Spiritus sancti; vt liquet ex Scripturæ definitione allata initio Sect. 2. Dixi autem, *eo sensu, quo asseruntur;* quia quædam asseruntur tantùm materialiter, tanquam scilicet ab alijs dicta, vel facta. Et verum est fuisse ab illis dicta, vel facta, vt asseritur. Alia verò asseruntur formaliter, ita vt scriptor ipse affirmet ea, vt vera: & hæc quidem sunt semper vera.

Secus, si materialiter tantùm.

Illa verò quæ narrantur dicta ab alijs, vel in persona aliorum dicuntur, possunt esse falsa in se. Quale est illud Psal. 13. v. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* & quæ in persona impiorum dicuntur ab Ecclesiast. c. 3. v. 19. & sequentibus. *Vnus interitus est hominis, & iumentorum, &c.* Quanquam si loquentes inducantur personæ infallibiles in fide, vt Prophetæ, & Apostoli, vel personæ sanctiores laudatæ à Scriptura, & ex quarum dictis Ecclesia & sancti Patres solent argumentari; vera sunt quæ ab illis asseruntur dogmaticè in materia fidei. Dixi secundò, *asserta per verba:* quia non est necesse, vt scriptor mentaliter asseruerit, imò neque vt nouerit absolutè quidquid asserit per verba. Licet August. lib. 12. Confess. cap. 26. & sequentibus, contendat Moysi fuisse à Deo reuelatum omnem verum sensum, qui à quocumque deinceps formari potuit super Pentateucho. Quod si verum est, speciale illius priuilegium esse potuit. Certè quidem ad scribendum Canonicè non est id necessarium.


52. *Soluuntur rationes dubitandi.*

Ex his patet responsio ad rationes dubitandi, initio Sectionis propositas. Ad primam enim diximus, verum Scripturæ sensum in dubijs ex iudicio Ecclesiæ discernendum esse; siue vnus ille sit, siue multiplex, literalis, aut mysticus. Ad secundam patet ex dictis, ex eodem cognosci debere, nisi aliunde euidens sit, quando vnam sensus Grammaticus sit relinquendus, iuxta illud Pauli *Litera occidit:* si de sensu literali, seu potiùs Grammaticali à Spiritu sancto non intento, illud dictum Pauli intelligendum sit, vt ab aliquibus exponitur. Quo sensu etiam Patres interdum literalem sensum rejiciendum esse dicunt. Interdum verò non sunt intelligendi rejicere, licet id verbis præ se ferant; sed significare non esse in eo sistendum. Vt quando Hieronymus Epist. 2. historiam Dauid, & Abisag, de qua 3. Reg. 1. figmentum vocat de Mimo: si nimirum in eo sistatur: Credidit enim non fuisse, cur Deus hanc historiam præcisè ab vlteriori sensu dictaret: simili modo, quo Paulus suprà dixit, *Nunquid de bobus cura est Deo?* Ad tertiam diximus, scriptorem nunquam ex sensu proprio scribere, sed ex Spiritus sancti instinctu: ideóque infallibiliter vera esse quæcumque asserit, eo modo, quo asserit.

Scriptores sacri interdum faciunt vel statuunt aliquid sensu proprio.

Aliud autem est Scriptorem Canonicum aliquid suo sensu scribere, aut spiritu humano: & aliud, humano spiritu aliquid statuere, vel facere. Possunt enim Scriptores Canonici aliquid spiritu humano statuere: cuiusmodi est illud 1. Cor. 7. *Præcipio ego, non Dominus, &c.* Quod præceptum proinde erat iuris tantùm humani, non diuini, siue Paulus Spiritus sancti inspiratione id præceperit, siue non. Cuiusmodi etiam putant aliqui esse illud Matthæi 5. *Ob duritiam vestram scripsit vobis Moyses* (id est permisit) *libellum repudij:* sed verius est libel-

lum illum repudij fuisse à Deo ipso permissum, & verè licitum. Quæcumque tamen agant, aut statuant Scriptores sacri, humano spiritu, cùm ea scribunt in libris Canonicis, non scribunt spiritu humano, sed instinctu, & ductu Spiritus sancti, qui totius Scripturæ Auctor est. Vnde veritas omnium est certa & infallibilis, cùm à Spiritu sancto moueri nequeant ad falsum asserendum. Plura de regulis Scripturæ intelligendæ, vide apud D. Augustinum in quatuor libris de Doctrina Christiana, & apud Scripturæ Interpretes, præcipuè Salmeronem Tom. 1. à Proleg. 9. & Cornelium à lapide in suis Canonibus in Pentatheucum, & in alios Scripturæ libros, initio suorum commentariorum præfixos.




DISPVTATIO OCTAVA.

De Traditionibus, & consensu Patrum.

MAgni semper momenti fuisse in Ecclesia traditionem, & consensum SS. Patrum liquet ex Tertull. lib. de Præscriptionibus; Augustino passim in libris contra Donatistas, & Pelagianos; Vincentio Lirinensi in lib. aduersus profanas hæresum nouitates; alijsque Patribus, hoc argumento frequenter vtentibus ad refellenda noua hæreticorum dogmata, quæ (vt ait auctor postremò nominatus) *Vetus testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consueuit: eò quòd scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à Gentilibus Dij sui obseruentur.* Deque illis interpretatur quod ait Moyses Deuter. 13. v. 1. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, &c. Et dicat tibi, Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignorabas* (id est, dogmata peregrina, & inaudita) *& seruiamus eis*, id est, fidem illis habeamus: *non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris.* Contrà verò, hæretici omnes traditionum non scriptarum, & SS. Patrum auctoritatem, tanquam suis nouitatibus aduersam, infirmare conati sunt. Idque maximè faciunt Lutherani, & Caluinistæ: quorum præcipuum dogma est, nihil præter Scripturas sacras, auctoritatem diuinam obtinere: cætera omnia infirmiora esse, quàm vt ductis inde argumentis, fidei dogmata confirmari possint. Traditiones illas, quas à Christo, & Apostolis manasse contendimus, incertas esse, & vel ad placitum excogitatas, vel temporum vitio corruptas. Patres verò homines fuisse; &, vt pluribus locis affir-

mat Auguſtinus, præcipuéque Epiſt. 48. ad Vincentium contra Donatiſtas, eorum ſcripta ab auctoritate Canonis diſtinguenda eſſe. *Non enim ſic leguntur, tanquam ita ex eis teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſicubi fortè aliter ſtatuerint, quàm veritas poſtulat.* Neque, vt idem addit Epiſt. 111. ad Fortunatianum, *quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſaluâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi fortè inuenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis.* Duo itáque contra illos nobis probanda ſunt. 1°. Præter Scripturam ſacram, de cuius veritate, & auctoritate hucvſque dictum fuit, dari traditiones non ſcriptas verè diuinas, à Chriſto, & Apoſtolis acceptas; quæ proinde non minoris ſint auctoritatis in rebus fidei confirmandis, quàm verbum Dei ſcriptum. 2°. Communem quoque conſenſum ſanctorum Patrum, in rebus fidei ſequendum eſſe: illumque planè certum, & infallibilem exiſtere.



SECTIO I.

An præter Scripturam ſint aliquæ Traditiones non ſcriptæ, quæ ſint etiam regula Fidei?

1. Concluſio affirmans. Reſpondeo, præter ea quæ ſunt expreſsè contenta in Scriptura ſacra, admittenda eſſe alia fidei dogmata, in eadem non expreſsè contenta, ſed per Chriſtum, vel Apoſtolos, aut ipſam Eccleſiam tradita à Spiritu ſancto; quæ Traditiones diuinæ non ſcriptæ appellantur; & ſunt regula fidei, quia ſunt verbum Dei non ſcriptum, cui non minùs, quàm verbo ſcripto, fides haberi debet, modò ſufficienter innoteſcat.

Probatur ex Script. Probatur primò ex Scriptura, 2. Theſſ. 2. v. 14. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Vbi nota primò, ſermonem eſſe de rebus ad fidem pertinentibus, & non tantùm ad externam politiam Eccleſiaſticam; vt Caluinus fatetur in hunc locum: & patet, quia hoc ideo dicit Apoſtolus Theſſalonicenſibus, vt maneant firmi in fide veritatis: quemadmodum liquet ex verbis præcedentibus. Nota ſecundò, Paulum neque ibi, neque alibi vſpiam ſignificare ea, quæ per ſermonem illos ait didiciſſe, fuiſſe vel à ſe, vel ab alijs ſcripta; neque id ex vllo alio Scripturæ loco conſtat; ſed à Nouatoribus diuinando aſſeritur: & disiunctio illa, *ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam*, magis indicat Paulum loqui de mera traditione oris & ſermonis. Alioqui dicendum potiùs erat, ſiue per alias Scripturas, ſiue per Epiſtolam noſtram. Nota tertiò, Apoſtolum æquiparare vtramque traditionem; Scriptam, & non Scriptam: & ſignificare vtramque æqualiter tenendam, & vtrique æquè firmiter ſtandum eſſe. Nimirum quia verbi diuini auctoritas, & credibilitas non pendet ex eo quòd ſit ſcriptum, vel non ſcriptum, quæ differentiæ ſunt illi accidentariæ; ſed ex eo quòd ſit verbum Dei, qui nec fallit, nec fallitur; & pro ſua ſumma veracitate, auctoritate, & maieſtate, fide digniſſimus eſt. Nota quartò, Apoſtolum id præcipere, non ſolis Theſſalonicenſibus illius temporis, ſed omnibus fidelibus. Nam, vt bene notat Tertullianus, vnuſquiſque ſcriptor diuinus loquitur omnibus populis, & omnibus ſæculis, & in paucis fidelibus docet orbem terrarum, & totam poſteritatem. Nota quintò, ſanctos Patres ex hoc Pauli loco, ſimili modo, quo nos, argumentari. Chryſoſt. hom. 4. in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſal. ad v. 15. *Hinc patet*, inquit, *quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint Apoſtoli, ſed multa ſine literis; eâdem verò fide, digna ſunt tam iſta, quàm illa. Quare Eccleſiæ traditionem fide dignam exiſtimemus. Traditio eſt: nihil ampliùs quæras.* Et Baſilius lib. de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 29. initio. *Apoſtolicum eſſe arbitror, traditionibus etiam non ſcriptis inhærere. Laudo enim vos*, inquit, (ſupple Apoſtolus, 1. Cor. 10. v. 2.) *quòd per omnia Chriſti memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea ſeruatis. Et 2. Theſſ. 2. v. 14. Tenete traditiones, quas didiciſtis. ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Huc vſque Baſilius. Huc etiam facit efficaciter illud 2. Timoth. 1. v. 14. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide & dilectione.* Et cap. 2. v. 2. *Quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Vbi nota primò, Paulum loqui de pertinentibus ad fidem, & dilectionem. Secundò, non dicere, quæ habes ſcripta, aut quæ ſcripta dedi; ſed, *quæ à me audiſti*; id eſt, quæ ore tradidi. Tertiò, non præcipere Timotheo, vt ea ſcribat; ſed vt ea commendet fidelibus. Quartò, vt commendet non quibuſlibet, ſed idoneis alios docere. Quibus verbis, oris traditio, & doctrina viuæ vocis apertè ſignificatur: non autem ſimplex Scripturæ exhibitio,

quæ à quolibet fieri potest. Denique Paulus locis citatis tam apertè fauet traditionibus non scriptis, vt propter hæc nonnulli veteres hæretici traditionum osores eas Pauli Epistolas reiecerint, teste Clemente Alex. lib. 2. Stromat.

2. Confirmatur ex Concil. & Patrib.

Secundò, ad idem confirmandum adduci possent plurima Conciliorum antiquorum, & sanctorum Patrum testimonia, quibus consensus generalissimus antiquæ Ecclesiæ huc vsque nobis innotescit circa hanc generalem propositionem, & fidei regulam à Christianismo traditam. Sed ea, quæ, vt breuior sim, prætereo, vide, apud Coccium tom. 1. lib. 6. art. 32. Baron. tom. 2. anno 109. Bellarm. lib. 4. de verbo Dei c. 6. & 10. & Perronium lib. 2. Replicæ, obseruat. 5. c. 6. Præcipua verò, & magis illustria sunt quæ ab illis referuntur ex Concilio Gangrensi, Can. 21. & Nicæno 2. Actione 6. tom. 4. & ex Origene in cap. 6. Epist. ad Rom. Tertull. lib. de Corona militis. Basil. lib. de Spiritu sancto c. 27. Chrysost. in cap. 2. Epist. 2. ad Thess. Epiphan. lib. 2. aduersus hæreses, hæresi 61. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatist. c. 7. & lib. 5. c. 23. & lib. de vnit. Ecclesiæ cap. 19. quorum aliqua suprà retulimus, reliqua apud antea citatos videri possunt.

Ostenditur multa quæ creduntur, non exprimi in Scriptura.

Tertiò, probatur ex multis quæ non sunt in Scripturis expressa, & tamen tenentur de fide, ab ipsis quoque Nouatoribus. Cuiusmodi est, dari etiam nunc certos libros Canonicos authenticos, & eos esse integros, & incorruptos in fidei assertionibus. Item, cùm eorum verba sensum tam multiplicem ferre possint, saluâ literâ; hunc tamen esse diuinum præ alijs. Cuiusmodi item sunt multa, quæ dicuntur in symbolis Nicæno, & Athanasij, receptis à Nouatoribus art. 5. Confess. Rupellanæ; de processione Spiritus sancti à Filio; de tribus Personis distinctis tantum in hypostasi, &c. Item, non esse rebaptizandos, quos hæretici, & infideles baptizarunt, cuius traditionis ignorantiâ errauit Cyprianus cum alijs Episcopis Africanis in Concilio Carthaginensi. Vnde D. Aug. lib. 2. contra Crescon. c. 32. *Non accipio quod de baptizandis hæreticis beatus Cyprianus sensit: quia hoc Ecclesia non accepit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Denique, cùm quæcumque Christus, & Apostoli, Spiritus sancti afflatu dixerunt, sint materia fidei; prorsus incredibile est Christum & Apostolos nihil aliud dixisse, & docuisse posteros, quàm quæ sunt scriptis tradita. Adde Christum non præcepisse Apostolis vt scriberent quidquam, præter Apocalypsim; sed vt docerent, & prædicarent, Matth. & Marc. vlt. Et ferè omnes non nisi datâ occasione scripserunt, vt constat ex historia Ecclesiastica. Atqui si fides in sola Scriptura fundata erat; præcipua cura scribendi esse debebat, idque præcipuè debuit commendari.

3. Quartò, nullibi scriptum est quòd omnia fide tenenda sint expressa in Scriptura. Ergo hæretici apertè sibi contradicunt, si hoc tenent vt de fide; & tamen tenent nihil fide tenendum esse, nisi expressum in Scriptura: cùm hoc ipsum in scriptura expressum non sit.

Fides & Ecclesia fuit aliquandiu sine Script.

Quintò, verbum diuinum est æquè credibile, siue sit scriptum, siue non. Neque enim vim habet ab atramento, & characteribus; sed à Dei auctoritate. Et quidem in tota lege naturæ fuit fides, & Ecclesia, sine Scriptura. In Mosaica verò, multa & præcipua fidei dogmata non fuerunt à Moyse expressa, sed diu sine scripturis credita, de corporum resurrectione, de gloria cœlesti, &c. De quibus nihil expressè habetur in Pentateucho, vt rectè ostendit Peronius Cardinalis, initio refutationis Tileni. In lege verò Euangelica fuit fides, & Ecclesia Christi, aliquot annis, priusquam quidquam de illa scriberetur à Matthæo, qui primus Euangelium scripsit, & ab alijs deinceps. Denique, non repugnat diuinæ prouidentiæ, nec perfectioni legis Euangelicæ, vt quædam non-scriptis traditionibus commissa fuerint. Licet enim in ea multò plura tradita sint, quàm in lege naturæ, in qua proinde non adeo fuit opus Scripturâ, quia pauca credenda tradebantur: non tamen est necesse, vt omnia sint expressè scripta in lege Euangelica: sufficit enim quòd multa, & præcipua. Cætera verò potuerunt committi traditioni, quæ tamen in Scriptura continentur implicitè & virtualiter, vt mox dicam. Imò ipsa Scriptura traditioni commissa est: nam secundùm prouidentiæ modum, qui nunc est, communiter non constat, nisi ex Ecclesiæ traditione, hos, & tot libros esse Canonicos; & inter multos sensus possibiles, hunc esse verum, & diuinum. Quòd si in traditionibus non scriptis potest contingere variatio, & corruptio; potest & in scriptis. Deus autem qui prouidet conseruationi, & integritati traditionum scriptarum, æquè prouidet conseruationi, & integritati traditionum non scriptarum.

4. Quæcunque sunt de fide continẽtur implicitè in Scriptura.

Dixi in conclusione, *præter ea, quæ sunt in Scriptura expressè scripta*: quia si loquamur de Scriptura, quoad ea omnia, quæ quocumque modo continet, expressè, vel implicitè; & formaliter, aut virtualiter: traditiones ipsæ sunt in Scriptura implicitè, & virtualiter. Hoc enim ipso quòd Scriptura commendat doctrinam, & auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, Matth. 16. v. 18. & cap. 18. v. 17. Luc. 10. v. 16. Ephes. 4. v. 11. & sequentibus, eámque audire nobis præcipit: hoc ipso implicitè, & virtualiter affirmat, omnes traditiones nobis ab Ecclesia propositas vt diuinas, esse tales: sicut Pater æternus de Christo dicens, *Ipsum audite*, Luc. 9. v. 35. hoc ipso totam Christi prædicationem approbauit. Ideòque D. August. lib. 1. contra Cresconium c. 33. *Quamuis*, inquit, *de scripturis Canonicis non proferatur exemplum: earumdem tamen scripturarum etiam in hac re* (nempe in non rebaptizandis quos hæretici baptizassent) *a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam scripturarum commendat auctoritas. Vt quoniam Scriptura sacra fallere non potest: quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Eodem sensu intellige Patres, cùm dicunt omnia in Scripturis contineri: nempe saltem virtualiter, quatenus loquuntur de traditionibus, vt Paulus locis supra citatis, & commendant Ecclesiæ auctoritatem.

Dixi secundò, admittenda esse alia fidei dogmata non-scripta: quia hîc loquimur de traditionibus ad fidem pertinentibus, id est, quæ continent, & prout continent aliquam veritatem à Deo reuelatam, siue purè speculatiuam, siue practicam, & ad mores informandos pertinentem.

5. Traditionum diuio. multiplex differentia. Dixi tertiò, has traditiones haberi, vel per Christum, vel per Apostolos, aut Ecclesiam ipsam à Spiritu sancto: quia vltra diuisionem iam datam traditionum, in speculatiuas, & practicas: tres aliæ sunt differentiæ traditionum diuinarum. Quædam enim sunt immediatè à Christo traditæ, & expressæ: vt institutio septem Sacramentorum, ex Trid. Sess. 7. can. 1. Et hæ specialiùs vocantur diuinæ. Aliæ ab Apostolis, quas non acceperunt à Christo, sed à Spiritu sancto dictante, ex eodem Trid. Sess. 4. Decreto 1. Vbi definit sub disiunctione admittendas esse traditiones, vel ore Christi acceptas, aut ab ipsis Apostolis dictante Spiritu sancto. Tertiæ sunt neque à Christo, neque ab Apostolis expressæ, sed ab Ecclesia acta à Spiritu sancto, quæ licet non faciat noua fidei dogmata, noua, inquam, omnino, nec in alijs implicitè contenta, nimirum in traditionibus scriptis, vel non scriptis, Christi, & Apostolorum, quas in suis definitionibus sequi debet; facit tamen noua quoad maiorem expressionem, & determinationem. Sic enim v. g. cultus Sanctorum est traditionis Apostolicæ: huius verò in particulari, Laurentij, aut Francisci, est traditionis Ecclesiasticæ: Esse in Ecclesia perpetuò Supremum Pastorem visibilem, est traditionis diuinæ Scriptæ: Syluestrum, aut Vrbanum, vel Innocentium, aut Alexandrum esse talem, est Ecclesiasticæ. Sic de Concilijs legitimis, & de alijs similibus. Vnde collige traditiones alias esse perpetuas à Christo, vel ab Apostolis hucvsque; alias temporales, quæ exinde cæperunt, vt Ecclesiasticæ. Regula verò discernendi traditiones Ecclesiæ temporales à traditionibus Christi & Apostolorum, datur ab Augustino lib 4°. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. *Quod vniuersa*, inquit, *tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* Huc facit etiam consensus Patrum, si ad Christum, vel ad Apostolos traditionem referant; vel si ex ea, non interpositâ Scripturæ, vel Ecclesiæ definitionis auctoritate, hæreticos damnent: vel si aliquod dogma fidei ab initio secundùm successionem suorum temporum concordissimè tenuerunt, contrariùmque vt hæreticum refutârunt, cùm tamen in Scriptura non sit expressum: cuiusmodi est virginitas perpetua B. Virginis, de qua Scriptura tantùm id affirmat ante partum, & in partu: descensus animæ Christi ad inferos, vt Patres liberaret, & similia. Item si id, quod traditione præscribitur, excedit Ecclesiæ auctoritatem, ad Christum, vel ad Apostolos qui à Christo acceperint, referendum est: vt quod baptismus datus ab hæreticis sit validus. Id enim neque Ecclesia, neque Apostoli instituere potuerunt, sed solus Christus auctor Sacramentorum.

Vnde dignoscantur traditiones Christi & Apostolorum?

6. Debent certò constare, vt sint regula fidei. Vltimò dixi, traditiones non-scriptas esse regulam fidei, modò sufficienter innotescant. Ad quod requiritur, vt nisi per se sint euidenter notæ, discernantur à spurijs, & ementitis per iudicium infallibile Ecclesiæ: vt suprà diximus, de vero sensu Scripturæ discernendo. Multa enim, vt verè ait August. lib. 15. de Ciuit. c. 23. sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur: ac nisi recurratur ad iudicium infallibile in illis discernendis, fides innixa dubijs traditionibus, incerta erit. Quòd si objicias, traditiones esse regulam Ecclesiæ in suis definitionibus, ex Tridentino Sess. 4. non autem Ecclesiam traditionum. Respondeo, vt dixi superiùs de Scriptura, Ecclesiam quidem dirigi per traditiones sibi notas, vt per regulam definitionum suarum plurimarum; ad hoc tamen priùs necessarium esse, vt eas cognoscat infallibiliter; ad quod dirigitur à Spiritu sancto. Neque traditio est sola regula Ecclesiæ: neque prima, si dubia est: eget enim alia priori, & notiori, quâ constet Spiritum sanctum assistere infallibiliter Ecclesiæ in dubijs fidei decidendis. Vt constat ex locis Scripturæ indubitatis ab initio Ecclesiæ, & ex euidenti traditione, argumentisque credibilitatis, quæ faciunt euidenter credibile Ecclesiam Christi esse perpetuam, & infallibilem in fide, qualem se profitetur.

SECTIO II.

Occurritur generatim argumentis Nouatorum contra traditiones.

7. Sufficiatne sola Scriptura? ADuersus hæc multa objiciunt Nouatores, quæ vt soluas, nota primò, aliud esse Scripturam esse vtilem ad docendum, vt ait Paulus 2. Timoth. 3. v. 16. & aliud, solam sufficere: multa enim sunt vtilia ad aliquem effectum, ad quem tamen non sola sufficiunt. Vt Sol v. g. est vtilis ad animalium perfectorum generationem; solus tamen non sufficit. Quòd si scriptura Sola sufficeret ad perficiendum hominem, non esset opus Sacramentis, & alijs medijs à Christo institutis. Secundò, Scripturam iam notam ex traditione, vt diuinam, esse sufficientem, si sumatur cum ijs omnibus, quæ continet implicitè, & virtualiter: nempe quatenus commendat traditiones, & iudicium Ecclesiæ, cui parere nos iubet. Tertiò, non obesse perfectioni Scripturæ quòd non omnia contineat expresśè: sufficit enim quòd expresśè, vel implicitè. Quartò, cùm Scriptura prohibet addi quicquam Scripturæ, aut verbo Dei: intelligi debet prohibere, ne quid Scripturæ addatur tanquam Scriptura diuina; aut verbo Dei, tanquam verbum Dei, quod tale non sit, aut quod sit illi contrarium. Et quidem illis ipsis libris, quibus prohiberi videtur ne quid addatur, additi sunt alij libri Canonici, post illos scripti. Quàm multi enim post Deuteronomium scripti sunt, in quo tamen, c. 4. v. 2. sic habetur, *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis.* Quòd verò dicitur Apocalyps. vltimo, v. 18. *Si quis apposuerit*

Quo sensu prohibet Scriptura nihil sibi addi?

(id est, addiderit) *ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto* : sensum hunc habet: quòd si quis addiderit ad ea, quæ Ioannes scripsit in Apocalypsi aliquid aliud tanquam ab ipso ibidem scriptum, falsando illius librum (vt erant tunc nonnulli librorum falsarij) apponet Deus super illum plagas libro illo
8. contentas. Quintò denique nota, ineptè contra traditiones diuinas proferri ea, quæ dicuntur à Christo contra traditiones Pharisaicas, & à quibusdam Patribus contra traditiones hæreticorum. Quod verò ait Augustinus initio tractatus 49. in Ioan. electa fuisse quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent, hunc sensum habet : non fuisse opus ad fidelium salutem, vt ex dictis, factisque Iesu alia scriberentur, quàm quæ scripta sunt. Præterquam quòd scripta sunt sufficientia, sumpta quoad id totum, quod continent, explicitè, vel implicitè, & virtualiter, vt suprà diximus. Quando verò ait lib. 2. de peccatorum meritis, c. 36. cohibere se debere humanam præsumptionem, vbi de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus Scripturæ diuinæ claris certisque documentis : per humanam præsumptionem intelligit priuatorum iudicia, qui suas interpretationes, aut opiniones, pro fidei dogmatibus volunt intrudere : non autem iudicium Ecclesiæ actæ Spiritu sancto, cui parendum esse docent clara, & certa Scripturæ documenta ; vt ipsemet affirmat lib. 1. contra Cresconium c. 33. Sed de his omnibus vide Bellarm. lib. 4. de verbo Dei c. 10. 11. & 12. Gordonum Controuer. 1. c. 34. & sequentibus. Pertonium lib. 3. Replicæ. Et Iaubertum de Barrault tomo 1. Clyp. c. 23. & quinque sequentibus, qui singillatim omnibus hæreticorum obiectionibus fusè, & accuratè respondet.

9. *Euasio recentiũ hæreticorum.* Porro Nouatores, qui primò quidem specioso prætextu aiebant se regi solo Dei verbo scripto, idque solum esse regulam fidei, & cætera omnia per ipsum esse regulanda. Nunc coacti argumentis Catholicorum aiunt etiam esse de fide quæcumque ex Scriptura per consequentiam deducuntur. Imò admittunt traditiones circa multa ad salutem non necessaria, & tantùm contendunt Scripturam continere quidquid ad salutem necessarium est : vt videre est apud Petrum Molineum in Clypeo fidei, circa articulum 5. Confess. Rupell. Quanquàm pleraque ipsorum argumenta plus probare intendunt.

Refutatur. Sed contrà : primò, Si loquantur de necessarijs ad salutem necessitate medij, id est, sine quibus explicitè creditis nemo adultus saluari potest ; quæ paucissima sunt : vel etiam de necessarijs ex præcepto respectu omnium & singulorum fidelium, id est, de ijs, quæ ex præcepto debent expresse credi ab omnibus ; quæ pauca sunt : Hæretici mutant statum quæstionis, & iam admittunt non esse in Scriptura multa fidei dogmata, quæ sine hæresi, & dispendio salutis negari nequeunt, eóque sensu sunt necessaria ad salutem. Deinde, si loquuntur de continentia, etiam implicita & virtuali : fatentur quod volumus. Nam, vt paulò ante diximus, omnes traditiones diuinæ continentur in Scriptura implicitè, quatenus præcipit Ecclesiam esse audiendam, vt infallibilem in fide. Sin autem loquuntur de explicita & formali : falsum est omnia necessariò credenda, id est, quæ sine hæresi, & peccato infidelitatis negari non possunt, contineri in Scriptura ; vt exemplo mysterij Trinitatis suprà ostendimus : & exemplo baptismi hæreticorum, pro quo necesse fuit D. Augustino, & alijs Catholicis Orthodoxis recurrere ad traditionem, contra Episcopos Africanos, & contra Donatistas : vt videre est lib. 2. de Baptismo, c. 7. Deinde, vel intelligunt consequentias deductas ex regulis Dialecticæ, & rationis humanæ : vel ex regulis reuelatis. Non secundum ; quia nullæ sunt regulæ argumentandi reuelatæ : & Christus non docuit argumentari, sed captiuare intellectum in obsequium fidei. Primum etiam iuxta illorum doctrinam dici nequit. Nam tametsi verum est pertinere ad fidem ea omnia, quæ legitimè deducuntur ex principijs reuelatis, siue solis, siue adjuncto alio principio euidenti, vt alibi ostendimus : tamen id non potest asseri cohærenter ab aduersarijs : quippe qui articulo 5. suæ Confess. Rupell. volunt Scripturam esse vnicam regulam fidei, quæ de omnibus iudicet ; & sapientiam humanam, sicut & alia omnia, regulandam esse vnâ Scripturâ. Itaque ratio bene argumentandi erit petenda ex Scriptura : & prima consequentia, quam ducent Aduersarij, debebit inniti regulis consequentiæ in Scriptura expressis. Consequens autem est impossibile : ergo & antecedens. Præterea, cùm in materia religionis sæpe deducantur malæ consequentiæ, quis circa illas erit iudex in controuersijs fidei ? Non Scriptura, quia antecedens non iudicat de bonitate consequentiæ. Non consequentia ; quia de illa est quæstio : & illa non est Scriptura diuina, quam solam Aduersarij volunt esse regulam infallibilem fidei, & supremum iudicem Controuersiarum. Quæri etiam iure potest à Nouatoribus, cur consequentias Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ respuunt potiùs, quàm suas, in quibus tamen deducendis valde absurdos se ostendunt, & ignaros Dialecticæ : vt quando sic paralogizant : Fides iustificat : ergo sola. Scriptura est vtilis ad hominem perficiendum : Ergo est sufficiens : Christus ex eo quòd palparetur, intulit verum corpus : Ergo cùm in Eucharistia non palpetur, non est verum corpus. Quasi valeat illatio à negatione antecedentis ad negationem consequentis. Denique, vt aliquid ex Scriptura certò deducatur, præsupponendum est ipsam esse diuinam. Et hoc non habent certò Nouatores ex ipsa Scriptura, vt sæpius ostendimus : neque per consequentiam ex illa ductam : quia omnis consequentia, ex illa ducta, supponit illam esse notam, & certam, vt consequens certum sit. Ergo debet Scriptura aliunde innotescere certò vt diuina : quod non habetur communiter, nisi ex traditione, & Ecclesiæ testificatione, ad quam proinde necessariò recurrendum est in notitia ipsiusmet rei, quâ Nouatores contendunt contineri omnia ad fidem & salutem necessaria.

Consequentiæ ex Script. inconsequenter admittũtur ab hæreticis.

Vide Disput. 6. sect. 5. & sequentib.

Porro, quod aliqui Recentiores dicunt, hoc 10.

Occurritur obiectioni. vltimo argumento non probari admittendas esse traditiones diuinas non scriptas, distinctas à Scriptura cognita vt diuina, de quibus tamen est nobis Controuersia cum hæreticis, & quas dari supponit Tridentinum Sess. 4. Decreto 1. cùm ait veritatem doctrinæ, & disciplinam Christianam contineri in libris scriptis, & traditionibus sine scripto: significans distinctas esse veritates scriptas ab illis, quæ scripto traditæ non sunt: imo etiam probandum esse dari eiusmodi veritates, quæ ne quidem per legitimam consequentiam possunt deduci directè ex Scriptura: Nam quæ possunt ex illa directè deduci per legitimam, & euidentem consequentiam, non sunt distinctæ reuelationes à non scriptis, neque eiusmodi veritates egent nouâ, distinctâque reuelatione. Hoc, inquam, nobis non obest; & alijs Catholicis, qui similibus argumentis vtuntur aduersus Hæreticos, vt probent dari, & necessarium esse admittere traditiones non scriptas, eo omni sensu, quo illas negant Hæretici, contra quos disputamus, & non illo solo, quo de illis loquitur Tridentinum verbis suprà relatis. Dari verò aliquas etiam stricto illo sensu, atque etiam quæ ex sola Scriptura directè non possunt deduci, id est, (vt puto eos velle, & vt debent intelligere) separatim ab attestatione Ecclesiæ, vt proponentis traditionem: Nam illâ adjunctâ, nulla est veritas fidei non scripta, quæ directè non deducatur ex Scriptura commendante Ecclesiam vt infallibilem in fide, & præcipiente vt illam audiamus, habeamúsque pro reuelato à Deo quidquid illa proponit vt tale. Dari, inquam, illo etiam sensu traditiones non scriptas ad fidem pertinentes, ostendimus suprà alijs argumentis, & præcipuè exemplo traditionis de baptismo validè ab Hæreticis collato. Quod dogma fidei fatetur Augustinus locis suprà citatis, non posse satis ex sola Scriptura colligi, proptereáque ad Ecclesiam recurri debere, quam Scriptura commendat. Verba illius sunt libro 5. de Baptismo contra Donatist. c. 23. *Apostoli nihil quidem exinde preceperunt:* scripto scilicet: *sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiuntur.* Et lib. 1. contra Cresconium c. 33. verbis suprà relatis num. 4. ait licet Scriptura sacra nihil certi statuat de non rebaptizandis Hæreticis; eius tamen veritatem à nobis teneri, *cùm hoc facimus, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam Scripturarum commendat auctoritas. Vt quoniam Scriptura sacra fallere non potest; quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.*

SECTIO III.

An consensus sanctorum Patrum sit etiam regula fidei?

11. CErtum est nullum ex sanctis Patribus, vel Doctoribus, seorsim sumptum (abstrahendo à Summis Pontificibus ex cathedra definientibus) esse regulam fidei: cùm nulli sit promissa infallibilitas; & singuli ferè in quibusdam errauerint, vt Cyprianus in hæreticis rebaptizandis, Hieronymus in aliqua parte Danielis rejicienda, Hilarius, Ambrosius, & Augustinus in asserenda Angelorum corporeïtate, Gregorius Nazianzen. Basilius, & Origenes in adstruenda eorum creatione ante mundum corporeum, & alij in alijs. Duo tamen genera testimoniorum distinguenda sunt. Vnum eorum, in quibus Patres loquuntur ex proprio sensu. Alterum eorum, in quibus testantur quæ sit fides Ecclesiæ sui temporis, neque ex suo, sed ex illius sensu se loqui significant; vt cùm aliquid asserunt tanquam fide certum, & receptum ab Ecclesia, aut velut communem traditionem: & contrarium sentientes notant, & damnant vt hæreticos. Quod secundum genus testimoniorum magnum pondus habet, cùm sancti Patres pro eximia sua prudentia, & doctrina vix potuerint falli, etiam singuli, in eo, cuius erant testes quodammodo oculati. Errauit tamen Irenæus, putans ex veterum traditione Christum mortuum esse anno ætatis 50. Et Papias ex eadem traditione, Millenariorum errorem prætexens, quem aliqui alij sancti Patres secuti sunt. Quare in his etiam vnius testimonium non est infallibile. Nullus Patrum seorsim sumptus est regula fidei. Duplex eorum testimonium.

His prænotatis de Patribus seorsim sumptis, iam de eorumdem simul sumptorum consensu distinguendum est. Vel enim loquuntur ex proprio sensu, non asserendo rem tanquam de fide, sed iudicium suum de ea proferendo: & sic non sunt regula fidei: quia non habent infallibilitatem in eo, neque transcendunt humanam auctoritatem, intra quam ipsi se continent. Vnde & in his petunt ab alijs corrigi, si errent. Vt facit D. Augustinus in Procemio libri 3. de Trinit. eandémque libertatem in alijs corrigendis sibi tribuit lib. 11. contra Faustum cap. 5. & Epist. 48. ad Vincent. longè ante finem, & lib. 2. de Bapt. contra Donatistas, cap. 3. Vel secundò conueniunt asserendo rem vt de fide. Quod non faciunt, nisi applicando diuinam aliquam auctoritatem, cuius sunt testes sufficientes. Nimirum vel Scripturam in vero sensu explicatam, vel traditionem, aut sensum Ecclesiæ: Et ita dico vnanimem Patrum consensum in vero sensu Scripturæ explicando, vel traditione referenda, vel Ecclesiæ sensu, & dogmate fidei, vt tali indubitanter asserendo, esse regulam certam, quâ fidei obiectum proponitur infallibiliter. Ita Valent. q. 1. de fide, Punct. 7. §. 45. Stapleton. in relectione de principijs fidei, Cont. 6. q. 4. Canus lib. 7. de Locis cap. 3. & alij. Probatur autem, quia quicquid Ecclesia vniuersalis sequitur, & sequi tenetur in materia fidei, est regula certa, quâ fidei obiectum proponitur infallibiliter. At Ecclesia vniuersalis sequitur, & sequi tenetur consensum prædictum: Ergo, &c. Maior patet ex Ecclesiæ infallibilitate: neque enim infallibilis esset, si sequeretur, & sequi teneretur ducem, qui posset errare in propositione obiecti. Minor probatur ex Concilio Lateranensi centum quinque Episcoporum sub Mar- 12. Vnanimis eorũ consensus quomodo est regula fidei?

tino I. Consultatione 5. *His ita se habentibus:* Vbi ex quinta Synodo generali referuntur hæc verba: *Super his autem in omnibus sequimur sanctos Patres, Doctoresque Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenensem, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum; & suscipimus omnia, quæ ab eis pro recta fide, & in condemnationem hæreticorum exposita sunt. Suscipimus autem & alios sanctos, & orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsque ad finem vitæ prædicauerunt, &c.* Subiungitur damnatio eorum, qui contradixerint. Post quæ verba ex Concilio V. relata, Martinus Summus Pontifex subjicit. *Nobis manifestatur ex ijs, quæ relecta sunt, sine definita à sancto venerabili Concilio, condemnatum esse, & alienum sanctæ Dei Ecclesiæ vnumquemque, qui non susceperit verbo, & mente omnes sanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctáque quæ ab illis pro fide orthodoxa exposita sunt in destructionem omnium hæresum.*

13. Etiam extra Cōcilium generale. Quòd autem hæc intelligantur de Patribus, etiam extra Concilium Oecumenicum, patet primò ex testimonijs Ambrosij, Augustin. Gregorij Nysseni, Basilij, Cyrilli, & aliorum, quæ mox citantur ex varijs eorumdem libris. Patet secundò, quia hæc omnia relata sunt ex Concilio V. Generali, & à Martino approbata, ad ostendendam auctoritatem eiusmodi testimoniorum, quibus sit nefas contradicere. Iuxta illud Leontij, paulò ante sic à Martino postulantis, *Si placet Beatitudini vestræ, ante exhibitionem paternorum testimoniorum, de actibus sancti V. Concilij illa pars nobismet relegatur, vbi synodaliter promulgauit, omnes sanctorum Patrum sermones, & dogmata, ab omnibus suscipi Christianis, & confiteri: & contradicentes his, aut negantes quæ ab eis prædicata sunt, condemnationi submisit.* Cui postulationi Martinus annuens, iussit relegi quæ ex Concilio retulimus. Ex his igitur omnibus sic argumentor: Ecclesia, quæ est infallibilis in fide, tenetur, & iubetur sequi tanquam de fide, quidquid communis sanctorum Patrum consensus iudicat esse de fide: & respuere vt hæreticum, quidquid ipsi vt hæreticum damnant. Ergo quidquid communis consensus Patrum dicit esse de fide, est infallibiliter tale; & quidquid damnat vt hæreticum, est infallibiliter hæreticum. Ergo ille communis consensus est infallibilis regula fidei: quia infallibiliter proponit doctrinam fidei.

Probatur ex Lateran.

14. Et ex praxi Conciliorum. Probatur secundò ex praxi Conciliorum Oecumenicorum, vbi ante definitionem diligenter exquiri solet communis sanctorum Patrum consensus, & secundùm eum definiri; vt patet ex Concilio Nicæno 1. contra Arrianos celebrato, in quo, teste Athanasio in Epistola ad Afros, *Episcopi non sibimetipsis voces* (quibus Arriani damnati sunt) *excogitarunt; sed eas à Patribus contestatas acceperunt, & scriptis suis inseruerunt.* Et ex Ephesino pro vnica Christi persona, contra Nestorianos: Ex Chalcedonensi pro duabus Christi naturis, contra Eutychianos: Ex Constantinop. Generali VI. pro duabus Christi voluntatibus, contra Monothelitas: Ex Nicæno II. Generali VII. pro Imaginibus, contra Iconomachos: Ex Florent. de processione Spiritus sancti à Filio, aduersus Græcos. In Viennensi quoque sub Clemente V. cap. 1. de Summa Trinit. cùm orta esset quæstio, & ad Concilium delata de sensu versus 33. c. 19. Ioannis: Pontifex sic pronuntiat: *Nos ad sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem conuertentes, sacro approbante Concilio declaramus, &c.* Et Trident. Sess. 4. in Decreto de editione & vsu sacrorum librorum, decernit vt nemo contra vnanimem Patrum consensum Scripturam interpretari audeat. Adeóque non asserat non esse verum sensum, quem illi vnanimiter, vt talem & de fide, tradunt.

Ex his collige primò, non modò consensum omnium Patrum Ecclesiæ, sed & eorum solùm, qui fuerunt ante V. Concilium Generale, esse regulam fidei. Quandoquidem in Concilio illo statutum est, eorum consensum esse sequendum toti Ecclesiæ. Nomine autem Patrum intelligendi sunt Doctores antiqui, quorum scripta ad nos peruenere: non omnes, sed illi, quos Ecclesia veneratur propter eximiam vitæ sanctitatem, vel propterea quòd in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deuiauerunt, nec ab eius fideli prædicatione seiuncti sunt: sed communionis ipsius, gratiâ Dei, vsque ad vltimum diem vitæ suæ participes fuerunt, vt loquitur Gelasius Papa dist. 15. cap. *Sancta Romana Ecclesia*, vbi speciatim nominat Cyprianum, Athanasium, Gregor. Nazianzenum, Basilium, Chrysost. Theophilum Alexandr. Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Prosperum, Leonem, & plures alios. Rejicitque vt Apocrypha opera quædam Origenis & Ruffini, Chronicum Eusebij, librum Pastoris, librum Canonum Apostolorum, & alia plurima. Perperam vero Glossa in caput *Noli*, dist. 9. asserit, post hanc definitionem Gelasij, verba Augustini, & similium esse ad minimum iota recipienda. Nam quod ibi Gelasius dixit solùm de Epistola sancti Leonis Papæ ad Flauianum, vsque ad minimum iota recipiendâ, transfert ineptè ad omnia singulorum aliorum Doctorum, & Patrum à Gelasio nominatorum scripta. 15. Sufficit consensus Patrū qui vixerunt ante V. Synodum.

Collige secundò, consensum vnanimem sanctorum Patrum esse infallibilem, saltem à posteriori. Pro quo nota, scripta esse posse dupliciter infallibilia. Primo, à priori: quando in scriptore per se est infallibilitas, id est, ipsimet immediatè à Deo data: vt fuit in scriptoribus canonicis, noui & veteris Testamenti. Secundò, à posteriori: quando infallibilitas non est in ipso scriptore, sed in eo qui postea scripta illius approbat. Vt quando priuatorum Epistolæ approbantur in Concilijs. Ratio autem cur Ecclesia vnanimem Patrum consensum approbauerit, & tanti fecerit, multiplex esse potuit. Primò & probabiliter, traditio aliqua non scripta de non permittenda à diuina Prouidentia, vniuersali eorum deceptione in asserendis rebus fidei. Secundò, quia antiquissimi inter illos fuerunt coætanei Apostolis, aut eorum Discipulis, & ab illis 16. Est infallibilis à posteriori.

Cur Ecclesia tāti faciat cōsensum Patrum?

edocti res fidei: alij verò deinceps fuerunt ab istis eruditi. Tertiò, quia in frequentibus conuentibus, & Concilijs olim habitis sensum Ecclesiæ cognouerunt, in ijs etiam, quæ nondum erant definita, & omnibus proposita. Quartò, quia habuerunt insigne studium rerum fidei, & intelligentiæ scripturarum diuinarum, cui assequendæ magnâ diligentiâ incubuerunt. Quintò, quia fuerunt omnes magnis dotibus humanis, & diuinis præditi: quorum sanctitas & prudentia fecit, vt non temerè, nec nisi consulto Ecclesiæ sensu loquerentur in fidei dogmatibus indubitanter asserendis: de illis enim hîc loquimur quæ vt de fide tradunt, ex Scriptura, vel ex traditione, vel ex sensu Ecclesiæ, non autem quæ asserunt vt propriò sensu excogitata: quanquam & his, in rebus Theologicis resistere, si communiter consentiunt; valde sit temerarium. Sextò denique, quia Ecclesia ab illis potissimùm accepit traditiones. Et tantus numerus tot & talium antiquæ fidei, & sensus Ecclesiæ testium, est sine dubio magnum, & sufficiens credibilitatis argumentum: præsertim quia à principio Ecclesiæ huc vsque, nullam hæresim non damnauit vnanimis Patrum sententia; in nullo etiam fidei dogmate errauit.

17. Soluuntur argumenta cõtraria. Aduersus hæc nihil faciunt quæ objiciuntur ex D. Augustino, lib. 11. contra Faustum c. 5. alijsque locis, superiùs obiter exposita: de jis scilicet quæ Patres ex proprio sensu asserunt. Nisi etiam intelligi debent latiùs, sed de Patribus seorsim sumptis, quos interdum errare non diffitemur. Communi verò Patrum consensui quantùm tribuat Sanctus Augustinus patet ex lib. 1. contra Iulianum c. 2. & lib. 2. c. 8. & alibi. Videri potest Melchior Canus lib. 7. c. 3. conclus. 5. & 6. Vbi hac de re plurima colligit Augustini, & aliorum sanctorum Patrum testimonia. Non item obest quod D. Thomas part. 1. qu. 1. art. 8. ad secundum ait, ex Doctorum auctoritate non nisi probabiliter argui posse, quia reuelationi illis factæ fides nostra non innititur. Loquitur enim D. Thomas, similiter vt Augustinus de Patribus, & Doctoribus ex suo sensu loquentibus, & non ex diuina reuelatione, quam communi consensu sufficienter applicent. Vel etiam loquitur de reuelatione per singulos tantùm, vel paucos applicata, vel prætenta. Nihil quoque obsunt quæ objiciuntur de priuatis singulorum erroribus. Neque enim sequitur, si possint singuli errare, posse simul omnes. Sicut Ecclesia subjecta, id est, præcisè sumpta à summo Pontifice, nequit tota errare, licet singulæ illius partes errare possint. Vnde ineptè inferunt Nouatores, licere sibi communem Patrum consensum rejicere, si nobis licet singulos, in priuatis quibusdam erroribus, aliorum sensui communi & vero postponere.



SECTIO IV.

An etiam consensus aliorum Doctorum & præcipuè Theologorum Scholast. sit regula fidei?

QVæres an de Doctoribus Scholasticis idem sentiendum sit, ac de sanctis Patribus? Respondeo negatiuè, defectu tantæ auctoritatis, & approbationis Ecclesiæ. Idémque dico de Doctoribus Canonicis, déque ipso Iure Canonico, in quo quæcumque referuntur, non plus habent auctoritatis ad faciendam fidem, quàm habeant illi, ex quibus referuntur. Quare si sunt definitiones Summorum Pontificum ex Cathedra, vel Conciliorum, aut consensus vnanimis sanctorum Patrum; faciunt dogma fidei. Si secus; non faciunt: etiam post emendationem Gregorij XIII. qui non propterea omnia Pontificiè approbauit, & proposuit toti Ecclesiæ, vt fide tenenda: sed tantùm publicari voluit, vt essent regula viuendi, pro cujusque Doctoris in decreto allegati auctoritate. Imò nec ipse decretum emendauit per se: sed velut suo iussu conformius factum autographo à Doctoribus priuatis, tradidit, retentis etiam auctoris Gratiani erroribus, qui falsò Patribus aliqua tribuit, & interdum Hæreticos pro Catholicis citat: quorum exempla vide apud Bellarminum lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Gratiano, & apud Baronium tom. 9. anno Christi 774. num. 13. 18. Conclusio negans. Auctoritas iuris Canonici.

Glossæ quoque siue Scripturæ sacræ, siue Iuris Canonici, non plus habent momenti, quàm Auctores, à quibus editæ fuerunt. Notandum tamen quòd si omnes Docti, quotquot sunt in Ecclesia, quocumque tempore conuenirent in ijs rebus fidei, quarum notitia non traditur populo, sed peritis tantùm committitur; non possent in eo errare. Alioqui tota Ecclesia erraret, quod esse impossibile ostendemus Disput. seq. Sect. 8. Sed ille consensus non est regula fidei diuersa ab ipsa Ecclesia. Imò in alijs, quorum notitia traditur omnibus, impossibile est, & incredibile, omnes doctos simul errare, & populum, qui ab illis hæc accipit, bene sentire. Est quoque temerarium, si soli Theologi Scholastici, etiam pro tempore existentes, consentiant vnanimiter in aliquo tanquam de fide, resistere positiuè, & contradicere: quamvis hoc argumentum non sit penitùs infallibile, ac proinde non sit Regula Fidei. Est enim temerarium non credere peritis in qualibet arte, præsertim omnibus in vnum conspirantibus. Cúmque inter Scholasticos tanta sit in rebus dubijs, vel incertis, sententiarum varietas, atque discordia; certè nunquam omnes conuenirent in aliquo tanquam de fide asserendo, nisi certissimis argumentis ad id permouerentur. Vt meritò dixerit Canus lib. 8. de locis Theolog. cap. 4. Non minùs mirandum esse varias scholæ factiones, Doctorésque, tam inter se discrepantes, in vnam eandémque sententiam concurrisse: quàm septuaginta interpretes, 19. Et Doctorum cuiusque sæculi.

diuersis (vt ferunt) cellulis inclusos, in vnam eandémque conuenisse interpretationem. Addit ibidem paulò post, si qua in quæstione ad fidem, vel ad bonos mores pertinente, vni-
20. uersi Theologi errarent, fore vt Ecclesiam errandi periculo exponerent. Siue enim qui confessiones audiunt; siue qui ad populum habent conciones; vtrique plebem instituunt, vt à Theologis acceperunt: nec aliud populus imperitus facturus est, quàm illos sequi, quos pro illo tempore Ecclesiasticæ Doctrinæ Magistros accepit. Et hoc quidem verè à Cano dicitur, si Theologorum nomen latiùs sumat, quàm pro solis Scholasticis: nimirum pro omnibus Theologiæ peritis. Nam alioqui caueri posset hoc periculum, si Prælati, & alij Doctores Ecclesiæ, illis resisterent. Quamquam id numquam contigit, neque moraliter saltem contingere potest, vt aliter omnes Doctores Scholastici doceant & sentiant de Fide, & moribus: aliter Ecclesia per omnes Prælatos, aut maiorem eorum partem; imò nullus huc vsque pro vero Catholico habitus, inuentus est, qui omnium Doctorum Scholasticorum iudicium hac in parte contempserit. Nullum eorum dogma, communi omnium consensu receptum tanquam de Fide, proferri potest, quod verè tale non sit. Et Concilium Viennense, vt habetur in Clementina vnica de summa Trinitate, tanti fecit consensum maioris partis Theologorum Scholasticorum sui temporis, vt illum in quæstione proposita de effectu Baptismi circa paruulos, statuerit esse sequendum: illúmque hactenus tota Ecclesia secuta est. Quanti ergo faciendum est illorum iudicium, in dogmatibus firmiter omnium consensu receptis tanquam de fide? Quamvis ergo, vt suprà dixi, solus ille consensus, non sufficiat, vt sit regula fidei: valdè tamen imprudens & temerarium foret illi resistere.

Objicies, Concilium Lateranense sub Leone X. Sess. 11. præcipere fidelibus sequi Doctores, quos in posterum Ecclesia recipiet. Ergo approbat illorum consensum; atque ita ille est infallibilis à posteriori. Respondeo Concilium loqui de nouis non seiunctis à prioribus, sed qui cum illis consentiant: neque enim alios Ecclesia recipit, neque illis dat authoritatem in rebus fidei, si ab illorum vnanimi consensu discrepent. Quin potiùs ibidem expressè iubet, vt antiquorum Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, doctrinæ insistatur. Verba illius hæc sunt: *Mandamus omnibus, qui hoc onus sustinent*, concionandi scilicet, *quique in futurum sustinebunt: vt Euangelicam veritatem, & sanctam Scripturam iuxta declarationem & interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendósque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent: nec quidquam ex proprio sensu, contrarium, vel dissonum adijciant: sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ Scripturæ verbis, ritè ac sanè ex præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis, non discordant.* 21. Soluitur obiectio.

Superest Dubium de Canonibus Apostolorum, qui numero octhaginta quinque fuerunt primùm editi à Clemente Romano, in libris Constitutionum Apostolicarum. De quibus breuiter dico non esse authenticos, nisi qui à Concilijs legitimis citantur vt tales, vel ab alia fidei regula authoritatem accipiunt. Quare non sunt per se regula fidei. Quia per se non constat Apostolicos esse, quales habemus. Et liber Canonum Apostolicorum recensetur inter apochryphos à Gelasio, dist. 15. cap. 3. Videri potest de illis Franciscus Turrianus in libro pro eis edito. 22. Quid sentiendum de Canonibus Apostolorũ?




DISPVTATIO NONA.

De Summo Pontifice, Concilijs & Ecclesia.

Rgumentum huius disputationis breuiter tantùm attigit Sanctus Thomas quæst. 1. art. 10. Vbi docet ad solam authoritatem summi Pontificis pertinere nouam editionem Symboli, interdum necessariam ad compescendos errores, contra fidem insurgentes: sicut & congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi, quæ ad totam Ecclesiam pertinent. Quia ipse præest toti Ecclesiæ: & ad illum majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur: vt dicitur cap. *Oppressus*, 2. q. 6. Petróque Apostolo dixit Dominus, Lucæ 22. *Rogaui*

pro

pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cúmque vna fides debeat esse totius Ecclesiæ, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata:* non posset vnitas illa seruari, nisi Controuersia de Fide exorta determinaretur per eum, qui præest toti Ecclesiæ: vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur. Hæc Diuus Thomas: quorum occasione disputant hoc loco Theologi, de authoritate summi Pontificis in definiendis rebus fidei, & decidendis quæstionibus circa illam exortis: déque ipsius Ecclesiæ authoritate, & infallibilitate, siue in Concilio generali, siue extra Concilium. Quod nos sequentibus Sectionibus, Deo duce, præstabimus: omissis alijs, quæ de Pontifice, Concilijs, & Ecclesia dici possent, quia præsentis instituti non sunt, in quo solùm de fide eiusque regulis disputamus.



SECTIO I.

Vtrum in Ecclesia sit aliqua Regula viua, & loquens, quæ sit Iudex Controuersiarum, & cuius iudicio fideles stare debeant?

1. Talis regula est necessaria.

RESpondeo affirmatiuè, & Dico primò talem Iudicem in Ecclesia necessarium esse. Probatur, quia Ecclesia est perpetua, & infallibilis in fide, iuxta illud Matth. 16. vers. 18. *Portæ Inferi non praeualebunt aduersus eam:* Et Isaiæ 59. vers. 21. *Verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum.* At Ecclesia non potest perpetuò stare firma in fide contra insultus Inferorum, & infidelitatis; & numquam recedere à verbo Dei, quod non in sola litera, sed in sensu præcipuè consistit; nisi in ea sit aliquis Iudex, qui veritatem fidei discernat infallibiliter, inter tot sententias, & graues Controuersias, quæ circa Scripturam, eiusque verum sensum, & alias fidei Regulas inanimatas, exoriuntur sæpissime; tum propter ipsarum rerum obscuritatem; tum propter hominum, dæmonúmque malitiam. Ergo non deest talis aliquis Iudex. Alioqui enim Christus Ecclesiæ suæ (optimè sine dubio & sapientissimè) constitutæ, defuisset in rebus necessarijs. Confirmatur: quia sine tali Iudice impossibile est vnitatem fidei in Ecclesia conseruari: nisi enim sit aliquis Iudex infallibilis, quem omnes sequi teneantur in Controuersijs fidei; sumet quisque pro Iudice iudicium, & sensum proprium, vel iudicium Doctorum, qui, vt fert naturalis hominum conditio, non consentiunt inter se in iudicijs de rebus obscuris, quales sunt materiæ fidei, de quibus tam frequenter dubitationes, & Controuersiæ oriuntur: vt de Trinitate, tempore Arrianorum; de Incarnatione, tempore Nestorianorum: de Gratia, tempore Pelagianorum. Quas Controuersias Deus non semper dirimit per se immediatè nouis reuelationibus, & miraculis. Quare nisi accedat Iudex aliquis infallibilis, omnia tandem ad diuersitatem opinionum humanarum deuoluerentur, vt satis docet experientia Hæreticorum huius temporis, qui à Lutheranismo in tot sectas diuisi sunt. Ideóque meritò Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *Ecclesia salus*, inquit, *in Summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot futura sunt Schismata, quot Sacerdotes.* Et Cyprian. Epist. 55. multò post initium: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata Schismata; quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur* (loquitur de Summo Sacerdote) *nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

Objicies primò, ad credendum sufficere reuelationem diuinam sufficienter propositam per argumenta credibilitatis. Ergo non est opus aliâ regulâ. Respondeo illam sufficere ad ea credenda, quæ per eam distinctè & expresè proponuntur. Secus tamen ad ea, quæ confusè tantùm, aut non ita expresè, vt locus esse possit dubitationi, & Controuersiæ de vero sensu reuelationis, cuius sufficientia ad credendum distinctè, completur per talem regulam. 2. Quare est necessaria?

Objicies secundò, Regulam illam non esse ipsammet auctoritatem diuinam, per se immediatè definientē controuersias. Ergo est aliquid creatum. Ergo cùm non habeat ex se infallibilitatem, debet habere aliundè: & id debet constare fide diuinâ. Ergo erit opus aliâ Regula, per quam id constet infallibiliter. Neque enim potest ipsamet id de seipsa credibile facere, cùm testimonium cuiusque de seipso sit suspectum. De hac autem secunda Regula fiet eadem quæstio: & procedetur in infinitum: vel dabitur circulus in probatione Regularum per se inuicem. Respondeo auctoritatem infallibilem illius Regulæ satis per se constare aliundè sine alia Regula, per signa, & argumenta credibilitatis, quibus Deus fecit euidenter credibile, se talem Regulam instituisse, eique infallibilem auctoritatem impertiuisse. Id autem factum esse euidenter credibile sufficienti reuelatione diuinâ, patebit ex dicendis inferiùs, vbi proferemus certa, & clara tradi- Vnde cōstet illius auctoritas?

tionis diuinæ hac de re testimonia. Ad illa verò credenda, quæ clarè continentur in diuina traditione, facta sufficienter credibili, non est opus aliâ Regulâ: cùm sit per se notum, & euidens credendum esse reuelationi diuinæ sufficienter propositæ: neque est opus declaratione, vbi reuelatio diuina clara est.

3. Fuit-ne in Lege Naturæ, & Mosis? Objicies tertiò, nullam eiusmodi Regulam fuisse in lege naturæ & Mosaica: in qua tamen erat obligatio ad credendum, & fidei veritas conseruata est. Ergo non est necessaria in lege Euangelica. Respondeo negando maiorem. Fuit enim in lege etiam Naturali, & Mosaïca, talis aliqua Regula: nempe iudicium, & sententia Maiorum, & Sacerdotum, circa diuinas Traditiones scriptas, vel non scriptas, vbi dubitatio occurrebat; iuxta illud Deuter. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c.* Quæ verba expendemus paulò post: Et Malach. 2. v. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius.*

Vide, inferius num. 12.

Quomodo probetur per Script. sine circulo? Dices, committi circulum vitiosum in probatione huius Regulæ. Nam probatur ex Scriptura Deum illam instituisse. Ipsa verò Scriptura, & verus eius sensus cognoscitur infallibiliter per illam Regulã. Ergo Regula illa sibiipsi præsupponitur, & probatur per seipsam. Respondeo non ita esse; Sed quod Scriptura sit diuina, constare ex continua traditione, confirmata miraculis, & alijs argumentis factis in fauorem eorum, qui illam vt diuinam agnoscunt. Quæ traditio, sic munita, est per se credibilis. Scriptura verò illa in ijs libris, quos constanti, & perpetuâ traditione constat esse diuinos, & de quibus nullus Christianorum vnquam dubitauit, nobis tradit Regulam istam verbis adeò claris, & perspicuis, vt non egeant declaratione, neque aliâ Regulâ. Simili modo, quo ex literis regijs ab aliquo prolatis, quas ex certis indicijs regias esse constat, putà ex sigillo, vel nuntijs certis & fama constanti plurimorum fide dignorum, qui id testantur; potest clarè intelligi ipsum eundem constitutum esse à Rege interpretem suarum literarum, si quid aliud sit in illis obscurum.

4. Soluitur obiectio. Instabis, quia Ecclesia eadem est, cuius traditione nobis constat Scripturam esse diuinam; & quæ iudicat de fidei cõtrouersijs, vt dicemus Sect. 5. Ergo non vitatur circulus. Respondeo Ecclesiam vt testem, notam aliter quàm ex Scriptura, prout scilicet est hominum plurimorum multitudo credibilis ob adiuncta grauissima, sanctitatem, miracula &c. esse illam, cuius traditione nobis constat Scripturam esse verè diuinam. Eandem verò Ecclesiam, vt habentem auctoritatem decidendi dubia fidei, & vt iudicem controuersiarum in suo capite, vel membris præcipuis in Concilium generale congregatis, innotescere nobis per scripturam dinam id apertè significantem. In quo nullus est circulus. Sicut non est in exemplo allato, de eo, qui literas Regis proferret, sigillo regio & signis sufficientibus cognoscibiles, per quas clarè & sine vlla ambiguitate, Rex illum constitueret interpretem suæ voluntatis, & sensus, quoad ea, quæ in ijsdem literis obscura, & dubia occurrerent.

In præcedentem conclusionem tanquam fide certam, consentiunt omnes Catholici; imò & Hæretici verbo tenus: re ipsâ tamen negant, cùm Regulam assignant, quæ talis esse non potest. Aiunt enim aliqui, spiritum internum veritatem nobis inspirantem, esse Regulam nostræ fidei, & iudicem omnium cõtrouersiarum. Alij Spiritum Sanctum loquentem nobis publicè per Scripturam. Alij Scripturam intellectam, prout cuique dictat interiùs Spiritus Sanctus, quæ est sententia Caluinistarum, vt colligitur ex art. 4. Confess. Gall. Contra quos errores.

Dico secundò, huiusmodi iudicem non esse spiritum priuatum, siue vt loquuntur Nouatores, persuasionem internam Spiritus Sancti, quâ vnusquisque discernat veritatem in fidei Controuersijs. Probatur, quia Iudex controuersiarum debet primò esse infallibilis: alioqui fides vacillaret. Debet secundò, sententiam suam ita pronuntiare, vt vtraque pars clarè cognoscat cui causa adiudicetur. Alioqui vanum esset illius iudicium, si veritas, vt antè, obscura remaneret. Neque lis posset terminari: sed sicut in Republica si talis esset iudex, qui non clarè litem dirimeret, eiúsque sententiam quælibet pars ad se trahere posset, replerentur omnia litibus: Sic in Ecclesia; vt contingit Hæreticis, qui alij alijs contradicunt, & ex vna Secta diuiduntur in plurimas, dum vnus alio plus videre se putat: & Spiritum sanctum, vel Scripturam, quam fidei Regulam vnicam esse volunt, fauere sibi affirmat. Iam quòd spiritus priuatus cuiusque, neutram harum conditionum habeat, manifestum est. Non primam: quia vel ipsi Aduersarij fatentur, nullum esse priuatum hominem, cui Spiritus sanctus assistat infallibiliter, quique non possit in suo iudicio aliquando errare. Cúmque omnes Hæretici huius temporis, variarum Sectarum, profiteantur se spiritum illum habere, & sequi; atque inter se contraria doceant, & in fide dissideant; manifestum est aliquos falli, & spiritum veritatis non assistere vnicuique infallibiliter. Quòd etiam desit secunda conditio, probatur: quia licet dubium non sit, quin Spiritus sanctus, loquens per eum, cui assistit infallibiliter ad eum finem, sit Iudex controuersiarum; non apparet tamen, quòd loquatur in quolibet priuato. Imò id apertè falsum est, cùm priuati contraria loquantur: Spiritus sanctus autem sibi ipsi contrarius non est. Secundò, soli prædestinati, secundùm Aduersarios, habent spiritum illum, sicut & veram fidem. At prædestinati soli Deo noti sunt, iuxta illud 2. Timoth. 2. v. 19. *Nouit Dominus qui sunt eius,* vt Caluinus fatetur lib. 4. Instit. c. 1. n. 2. Ergo ignotum nobis est in quibusnam sit ille spiritus. Tertiò, multò magis nobis est ignotum, quid interiùs loquatur, & inspiret illi, in quo est. Quare talis inspiratio non potest esse Iudex, cum neutra pars scire possit, quid alteri inspiretur, & sæpe vtraque sibi contrarium inspirari affirmet, vt fit inter hæreticos. Quartò, ne ipsi quidem clarè, vel certò infallibiliter cognoscimus, an quæcumque nobis inspirantur, sint à bono spiritu: & quidam spiritu er-

5. Spiritus priuatus non est Iudex Controuersiarũ.

totis seducuntur, vt ait Paulus, 1. Timoth. 4. v. 1. Ideóque D. Ioannes Epistolâ 1. c. 4. v. 1. ait probandos esse spiritus si ex Deo sint; probandos, inquam, per regulas à Deo institutas, præcipuéque per infallibile iudicium Ecclesiæ. Quintò, si quilibet fidelis est Iudex: Ergo recipere debent antiquos Patres, vt Iudices, quos negare non audent fuisse fideles. Quod quia non faciunt, sibi temerè, & imprudenter arrogant id, quod sanctis Patribus negant. Sextò, spiritus ille priuatus, est seminarium omnium hæresum, quibus aperit viam. Suos enim errores, quisque hoc spiritu prætexit. Septimò denique refutatur hic error vsu Scripturæ contrario. Nam Act. 15. ortâ inter fideles controuersiâ, vtrùm legalia seruari deberent à Gentilibus ad fidem conuersis: nemo ausus est ad spiritum priuatum prouocare: sed conuenientes Apostoli in vnum, rem sensibili, & humano modo definiuerunt his verbis: *Visum est spiritui sancto, & nobis, &c.* Aduersus hæc nihil objiciunt Nouatores præter ea, quæ Disp. 7. Sect. 4. in fauorem spiritus priuati allata, & soluta sunt.

6. Nec Scriptura sola. Dico tertiò, Scripturam sacram, siue solam, siue spiritu priuato cuiusque intellectam, non esse talem Regulam. Prima pars probatur: quia Scriptura sola, id est, præcisè sumpta, nec viuit, nec loquitur. Atqui Regula viua, & loquens, necessaria est ad decidendas fidei Controuersias. Secundò, Scriptura ipsa eget Iudice viuo, & loquente, quo nobis constet infallibiter ipsam esse diuinam, & tot libros esse verè Canonicos, & puros esse, atque integros. Id enim nobis non certò constat, & infallibiliter, nisi Ecclesiæ auctoritate, iuxta illud Aug. lib. contra Epistolam fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret auctoritas.* Tertiò, Scriptura non omnia continet, quæ debent fide diuinâ credi: vt v. g. quòd Hæretici non sint rebaptizandi. *Credo* (inquit Aug. lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 7.) *Consuetudinem*, non rebaptizandi Hæreticos, *ex Apostolica auctoritate venire: sicut multa non inueniuntur in literis eorum*: Apostolorum scilicet, *neque in Concilijs posteriorum: & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur*: Ergo Scriptura, quæ hoc & alia huiusmodi non continet, non potest sola de illis iudicare. Quartò, Scriptura in multis est obscura, vt de Pauli Epistolis speciatim affirmat Sanctus Petrus Epist. 2. c. vlt. v. 16. in quibus ait esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Idem confirmat experientia tot dissensionum inter Catholicos, & Hæreticos, & inter ipsosmet Hæreticos: Ergo opus est interprete, & Iudice infallibili veri sensus Scripturæ, qui circa huiusmodi difficultates, & Controuersias sententiam ferat. Quintò, Auctoritas illa quæ est fidei Iudex, debet esse talis, vt quicumque illam recipiunt, & agnoscunt eius auctoritatem, facilè possint & efficaciter finire omnes Controuersias per eius sententiam claram, & apertè pronuntiatam. Quorsum enim Iudex constituitur, nisi vt Controuersijs finem imponat? At Scriptura sola non est huiusmodi, vt patet experientiâ Sectariorum, qui omnes Scripturam pro Iudice admittunt, & tamen inter se dissentiunt de rebus fidei, neque per eam solam Controuersias suas irreconciliabiles finire possunt. Sextò, nihil absurdius est, quàm in rebus tanti momenti, quanti est salus æterna, agnoscere solum Iudicem surdum, & mutum, cuius sententiâ vtraque pars vti potest, eámque ad suum sensum trahere, & corrumpere. Talem autem iudicem esse Scripturam solam, manifestum est: neque enim potest audire, & loqui: & omnes tam Catholici, quàm Hæretici, Scripturâ vtuntur, & suam esse clamant. Denique, vt rectè ait Ægidius Coninck Disput. 12. dub. 5. num. 48. pessimè gubernaretur Respublica, quæ leges quidem bonas haberet, sed nullos Iudices, qui ius dicerent litigantibus, præter ipsum librum legis, ad quem omnes mitterentur, vt ex eo discerent vter haberet ius. Sic enim numquam lites terminarentur: sed vterque tamdiu disputaret, donec alter se victum fateretur; quod vix vnquam fieret. At Christus Ecclesiam sapientissimè constituit: Ergo præter librum legis, qui est Scriptura, de Iudice illi prouidit. Adde quòd illi qui legere nesciunt, non possunt consulere talem Iudicem.

Refutantur Euasiones Hæreticorum.

His argumentis pressi Nouatores, confugiunt ad Spiritum particularem, id est, vt putant, persuasionem interiorem Spiritus sancti, quæ facit, vt discernant veram Scripturam à non vera, & verum sensum à falso: atque ita Iudicem esse volunt Scripturam, intellectam, vt dictat illa interior persuasio. Sed refelluntur argumentis iam factis, quòd Scriptura non contineat omnia: Quòd varij Hæretici spiritum illum iactantes, dissentiant in fide, & in Scripturæ interpretatione: Quòd talis Iudex non possit lites terminare, cùm sit ignotus alteri parti; neque clarè causam alteri adjudicare, cùm alter eius sententiam ignoret: Quòd hoc perinde sit, ac tollere Iudicem de Republica, & pro Iudice assignare librum legum, priuato cuiusque spiritu & iudicio intellectum: Quòd hoc sit aperire viam omnibus hæresibus, illum spiritum prætendentibus, & Scripturam suo sensu interpretantibus: Quòd sancti Patres multò magis habuerint spiritum Dei, quibus Hæretici non credunt: Quòd ipsimet fateantur se esse fallibiles, ita vt nullius eorum iudicio standum sit, quia omnis homo mendax: Quòd ita nunquam Controuersiæ finiri possint, defectu Iudicis infallibilis, clarè sententiam pronuntiantis de rebus fidei. Adde Scripturas ipsas ab Aduersarijs acceptatas, nos mittere ad Ecclesiam visibilem, vt columnam, & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. v. 15. vt audiendam sub anathemate, Matth. 18. v. 17. vt præualituram portis Inferi, Matth. 16. v. 18. vt perpetuò retenturam omnem veritatem, Ioan. 14. v. 16. & 17. In qua perpetua sit successio Doctorum, & Pastorum ad fidem retinendam, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & cir-

7. Neque vt Spiritu priuato intellecta.

Scriptura nos mittit ad Ecclesiam.

cumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris, Eph. 4. v. 11. & sequentibus. Ergo non est cuiuslibet fidelis ex proprio sensu metiri Scripturam, & eius sensum, & consequenter Ecclesiæ iudicium. Ergo ruit spiritus particularis. Prima consequentia patet, quia si Ecclesiæ iudicium sit metiendum Scripturâ vnicâ, idque tantùm vt acceptatâ, & intellectâ spiritu particulari: Ergo quisque priuatus est regula Ecclesiæ suprema, non contrà: & iam non erit quisquam ad Ecclesiam mittendus, sed Ecclesia ad priuatum quemvis; contra Scripturæ loca citata. Deinde, si Scriptura est Iudex controuersiarum, vt intellecta secundùm internam persuasionem Spiritus sancti cuiusque priuati; iam non Scriptura, sed illa persuasio præsumpta, erit iudex supremus. Nam illa ipsa iudicat de sensu Scripturæ, de quo est controuersia: æquè ac de litera, seu de libris ipsis Canonicis: atque ita Nouatores quemlibet priuatum faciunt iudicem supremum fidei, quod est absurdissimum. Incidúntque in circulum, cùm Scripturam, eiúsque sensum verum non certò agnoscunt, nisi ex spiritu priuato; & spiritum priuatum non aliunde probant, quàm ex ipsa Scriptura, ipsomet spiritu priuato intellecta in hunc sensum. Incidunt denique in id quod Manichæis exprobrat Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 19. *Videtis*, inquit, *id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet: id est, vt non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem: sed vt sibi Scripturas ipse subjiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur; sed ideo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quò te committis?*

8. Refellitur euasio. Ineptè verò respondent primò, Scripturam esse claram, & facilem in omnibus ad salutem necessarijs; ita vt nullum sit dogma necessarium, quod non contineatur clarè alicubi in Scriptura; quæ autem dicuntur obscurè, ea non esse necessaria, neque temerè definienda, sed iudicio Dei relinquenda: ideóque non esse opus iudice. Nam hoc effugium vanum esse iam alibi ostendimus, Disp. 7. Sect. 7. vbi ex doctrina communiter ab omnibus recepta, supposuimus duobus modis dici posse aliquid necessarium ad credendum vt salus obtineatur. Primò simpliciter, ita vt sine illo in nullo casu salus haberi possit ab adultis; cuiusmodi est credere quòd Deus sit, & inquirentibus se remunerator sit, & alia fortè perpauca de fide Trinitatis, & mediatoris; de quibus dicemus Sect. 11. sequentis disputationis. Secundò, ex suppositione quod proponatur sufficienter cum obligatione credendi, & rejiciendi errorem contrarium. Deus enim grauiter præcipit, vt pareamus tali obligationi: & *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marci vltimo. Quo pacto longè plura ad salutem necessaria sunt. Et hæc omnia non esse clara, ac facilia in Scriptura, ostendunt euidenter tam graues Controuersiæ de præcipuis quibusque mysterijs, de Trinitate cum Arrianis, Macedonianis, & Sabellianis: De Incarnatione cum Eutychianis, & Nestorianis: De alijs, cum alijs Hæreticis; de quibus etiam ipsi inter se dissident, vt etiam hodie experimur in Lutheranis & Caluinistis. Quomodo enim tot, & tantæ dissensiones forent in rebus claris, & facilibus, atque fuerunt, & sunt inter Catholicos, & Hæreticos, qui non negant dissensionem esse, etiam de rebus ad salutem necessarijs? Quomodo, item sancti Patres, quos sæpe damnant, res tam claras, & faciles non viderunt?

Alterum effugium rejicitur. Respondent secundò, licet quædam Scripturæ loca sint obscura præcisè sumpta: tamen alibi explicari, aut in textu originali clara esse; atque ita Scripturam claram esse ijs, qui sciunt loca inter se conferre, vel linguarum periti sunt; qui idcirco non opus habent ad alium iudicem recurrere. Sed hoc effugium non minùs vanum esse, quàm præcedens, patet ex dictis citatâ Sect. 7. Et breuiter hîc iterum refelli potest, primùm argumento iam facto de dissensione tam graui, & frequenti inter Catholicos, & Hæreticos; & ipsosmet etiam inter se; quamvis loca Scripturæ conferant, & linguarum periti sint. Secundò illa ipsa collatio vocatur in dubium; & controuertitur vter meliùs conferat. Opus est ergo Iudice. Tertiò, quando textus Latinus discordat ab Hebræo, vel Græco, controuersia esse potest vter sit corruptus. Neque enim vllibi Scriptura affirmat textum Græcum, vel Hebraicum, qualem habemus, non esse corruptum. Quartò, quid facient qui legere nesciunt, vel linguarum notitiam non habent? Quem Iudicem adibunt? Dices debere, eos sequi, qui Scripturam meliùs interpretantur. At quæstio est quinam meliùs interpretentur. Cúmque multi se iactent spiritu Dei agi, & meliùs interpretari: quomodò iudicabunt quibusnam credendum sit? Eligant, inquies, meliorem, auditis diuersis eorum explicationibus. At hoc est, rudes, & imperitos constituere iudices Doctorum, & Pastorum, vt ipsi iudicent quis meliùs Scripturam explicet; quod stultissimum est; ac si ab alijs, quàm à Scriptura ipsa, sensus ipsius accipiendus est, an non potiùs accipiendus est ab illis, qui Scripturam, & verum eius sensum ab Apostolis immediatè acceperunt, & continuâ successione ad nos transmiserunt, quàm ab ijs, qui tamdiu post, Scripturam ab illis acceptam suo sensu exponunt? Atque vt sapienter ait D. August. lib. de vtilitate credendi cap. 14. *Cur non apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate permotus Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? Túne mihi melius expositurus es quid ille dixerit?* Et cap. 5. contra Epistolam fundamenti, *Qui obtemperaui dicentibus, Crede Euangelio; cur eis non obtemperabo dicentibus, Noli credere Manicheo?*

Propter hæc non desunt tertiò, qui respondeant huiusmodi controuersias non posse certâ regulâ, vel iudicio definiri: sed vnumquemque saluari posse, credendo ea, quæ Spiritus sanctus sibi interiùs dictat: & modò aliquis Deum, & Christum, & alia quædam præcipua fidei 9. Refutatur aliud responsum Indifferentium, seu Libertinorum.

capita fateatur, nihil interesse præterea quid credat, aut quorum disciplinam sequatur. Imò eò vsque progrediuntur aliqui, vt putent in quavis religione posse hominem saluari, modò nihil agat contra propriam conscientiam, id est, modò sibi falsò blandiatur, & securitatem affecter. Qui error perniciosissimus sumptus est ex Alcorano c.2. & repugnat manifestè Scripturæ, affirmanti, sine fide impossibile esse placere Deo, Hebr. 11. v. 6. Fide, inquam, verâ & rectâ; nam alia Deo non placet, nec illi gratum hominem reddit. Omnino enim absurdum est existimare errores, & hæreses Deo placere, & Deum velle contraria, & contradictoria; grauitérque in Scriptura prohibere errores, & hæreses, si eas vult, & amat. Quomodo autem Dei amore dignæ, cùm sint turpes, & indecentes? Fides igitur, quâ Deo placemus, est fides vera, & recta. Hæc autem fides vna est, sicut vnum baptisma, Ephes. 4. v. 5. Non est autem vera & recta, neque vna in omnibus, si diuersi diuersa, & contraria credunt: sed aliquos falli necesse est, & fidem diuersam habere. Deinde fides, quâ Deo placemus, quæque ducit ad salutem, non habetur sine speciali ope Spiritus sancti, & donum Dei est, vt ait Paulus. Ephes. 2. v. 9. At Spiritus sanctus non mouet ad fidem falsam; neque error contra fidem veram, est speciale donum Dei. Vlteriùs Scriptura perspicuè docet eos, qui falsas doctrinas circa fidem recipiunt, vel disseminant, non consequi salutem, nisi resipiscant, Rom. 16. v. 17. *Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula prater doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt.* Et Tit. 3. v. 11. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita: Sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Et ad Galat. 1. v. 9. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit.* Et cap. 5. v. 19. *Manifesta sunt opera carnis, fornicatio, inuidia, dissensiones, sectæ, &c. Quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Ostenditur apertè repugnare Scripturæ.

Occurritur euasioni.

Neque dicas hæc de illis tantùm intelligi debere, qui scienter, & liberè veræ fidei resistunt: non autem de ijs, qui per ignorantiam inuincibilem excusantur. Nam licet verum sit requiri aduertentiam, & libertatem ad peccandum, & aliquos posse in quibusdam, esto etiam, in omnibus, in quibus errant, laborare ignorantiâ inculpabili: tamen falsum est, & contra Scripturam citatam, omnes Sectarios, & hæreticos hac ignorantiâ laborare, & esse coram Deo excusabiles. Deinde illi ipsi, qui excusantur, non saluantur propterea in falsis religionibus, in quibus destituuntur Sacramento baptismi, vel pœnitentiæ, & alijs medijs, quibus medeantur peccatis à se commissis, propter quæ sunt damnationi expositi, etsi non propter infidelitatem inculpabilem, vt supponimus. Nam Sectæ, vt plurimùm, Sacramenta, vel omnia, vel pleraque, rejiciunt: & pleræque nihil docent de contritione perfecta, eiusque vi ad remissionem peccati, quam Nouatores huius temporis vni fidei tribuunt. Denique in Symbolo Athanasij ab hæreticis Galliæ recepto art. 5. Confessionis Rupellanæ, sic dicitur: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque integram, inuiolatámque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.*

10. Concluditur Iudicem viuum esse necessariũ.

His igitur figmentis hæreticorum explosis, concludendum est, omnino debere admitti in Ecclesia Christiana aliquam fidei regulam viuam, quæ humano, & sensibili modo possit infallibiliter proponere res fidei, & controuersias definire; & Iudicem aliquem certum, atque visibilem, qui Christi nomine, & consequenter infallibili & irrefragabili auctoritate, lites circa fidem exortas, tam perspicuè dirimat, vt partes facilè intelligant, cui veritas adiudicetur, siue quid sit credendum in quavis controuersia. Quisnam autem sit ille Iudex, deinceps inquirendum est, eò diligentiùs, quòd hæc quæstio grauissima sit, & à qua semper disputatio cum hæreticis inchoanda esset. Vt enim rectè ait Ægid. disp. 12. dub. 5. Sicut in rebus ciuilibus, de Iudice primùm conueniendum est, cuius sententiæ clarè pronuntiatæ, partes stare teneantur; alioqui frustra litigabitur: Sic initio controuersiarum de fide, conueniendum est de Iudice; quem tollentes hæretici, perinde faciunt, ac si tollerent è republica omnia tribunalia, quæ ius dicant litigantibus: iuberéntque litigantes solo codice legum esse contentos, & tamdiu altercari, dum altera pars se victam fateretur; quod nunquam faceret, quotiescunque ius obscurum, & dubium est.

SECTIO II.

An publica illa potestas iudicandi de controuersijs fidei, pertineat ad totum cœtum fidelium, vel ad Magistratum sæcularem: an potius ad Prælatos Ecclesiæ?

11. Non pertinet ad totum cœtum fidelium.

Dico primò, publicam illam potestatem iudicandi de controuersijs fidei non pertinere immediatè ad totum cœtum fidelium. Probatur primò, quia nusquam legitur in Scriptura, neque aliunde certâ traditione habetur, quòd fuerit toti multitudini fidelium concessa à Deo eiusmodi potestas. Aliunde autem non potuit illam habere. Cùm enim auctoritas iudicandi infallibiliter de controuersijs fidei, sit diuina, & supernaturalis; nulli potest, nisi Dei beneficio, & institutione competere. Secundò, nusquam legitur controuersias fidei fuisse ad totam plebem fidelium delatas, vt de illis iudicaret authenticè; sed potiùs vsu perpetuo Ecclesiæ constat, tale iudicium fuisse ad Pastores, & Prælatos delatum: exemplo ipsius primitiuæ Ecclesiæ, quæ controuersiam de legalibus ad Apostolos, & Presbyteros detulit, vt de illa decernerent, Act. 15. Neque alij præter illos huic solemni decisioni, & sententiæ ferendæ affuerunt. Idémque factum est deinceps in alijs fidei controuersijs, occasione hæreticorum subortis: quarum discussio, & decisio authentica, non à tota fidelium multitudine, sed ab Ecclesiæ Prælatis facta est: vt videre est in

Concilio Nicæno I. cõtra Arrianos: in Constantinopolitano I. contra Macedonianos: In Ephesino contra Nestorianos: In Chalcedon. contra Eutychianos; & sic de alijs. Tertiò, non est credibile Deum dedisse Ecclesiæ potestatem inutilem, & quæ non possit ad vsum reuocari. Et pessimè Deus illi consuluisset, si non aliam ei dedisset potestatem decidendi controuersias fidei, nisi prorsus inutilem. Esset autem inutilis, & nunquam ad vsum reuocabilis, si tota multitudo fidelium deberet ad ferendam sententiam conuenire: cùm sit impossibile tantam multitudinem, quanta est totius Ecclesiæ, cogi in vnum locum ad simul deliberandum. Et iam, vel omnes deberent conuenire in eandem sententiam: vel maior pars. Si primum: est impossibile tantam multitudinem in rebus obscuris & controuersis conuenire, per se, in eandem sententiam. Si secundum: facile, & pronum est maiorem partem (quæ semper est multitudinis imperitæ) errare in rebus obscuris, & difficilibus, nisi à meliore regatur, id est, à Prælatis, & Doctoribus Ecclesiæ, quibus illa potiùs impedimento, quàm adiumento erit. Neque dicas, sufficere, vt vndequaque coeant aliqui, qui totam multitudinem sufficienter repræsentent. Nam ad illam sufficienter repræsentandam, deberent multi de plebe conuenire. Sicut multi Episcopi, vt repræsentent sufficienter omnes Prælatos Ecclesiæ. Tanta autem multitudo non potest, vel omnino, vel sine iam dicto incommodo conuenire ad iudicandum de rebus fidei obscuris, & controuersis. Quartò, ipsa ratio naturalis dictat iudicium authenticum de fidei controuersijs, non debere ad quosvis de plebe, cuius maxima pars est ignara legendi, pertinere: sed ad eos, quibus à Deo mandata est potestas docendi, & regendi Ecclesiam. Hæc autem non fuit mandata priuatis quibusque fidelibus; sed Petro, & alijs Apostolis, eorúmque successoribus, Matth. 16. v. 16. & sequentibus, & cap. 18. v. 18. & cap. 28. v. 20. Marc. 16. v. 15. Luc. 10. v. 16. Ioan. 21. v. 15. 16. & 17. Act. 20. v. 28. Ephes. 4. v. 11.

12. Neque ad Principes seculares, sed ad Prælatos Ecclesiæ.

Dico secundò, potestatem illam non pertinere, etiam ad Principes sæculares, & Magistratum politicum: sed ad Prælatos Ecclesiasticos, quibus Ecclesiam regendi, & docendi auctoritas, fuit à Deo data. Probatur primò ex Scriptura, quæ solis illis hanc potestatem tribuit in vtroque Testamento, veteri, & nouo. Deuteron. 17. v. 8. *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem: causam & causam: lepram & lepram: & Iudicum inter portas tuas videris verba variare: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis: qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta Legem eius; sequerísque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur.* Vbi per Iudicem, intellige Principem Sacerdotum, Summum Pontificem, cuius erat sententiam, audito aliorum iudicio, pronuntiare. Vt exponunt Vatablus, & Abulensis; vel si de Iudice sæculari sermo est, vt malunt Liranus, Caietanus, à Castro, & quidam alij, debebat ille sequi sententiam Sacerdotum, & Pontificis, eiusque tantùm approbator & executor erat. Quò attendens Iosephus lib. 2. contra Appionem, inter medium & finem, ait Sacerdotes fuisse à Mose constitutos inspectores omnium, Iudices controuersiarum, & punitores damnatorum: nimirum in dubijs circa leges diuinas, morales, ceremoniales, aut iudiciales. Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Et 2. Paralip. 19. Rex Iosaphat, optimus, & sapientissimus, sic alloquitur Sacerdotes: *Omnem causam, quæ venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem, & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Domino. Amazias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Quibus verbis clarissimè distinguit officium Regis, ab officio Pontificis, & Sacerdotum: & istis solis tribuit iudicium de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, & regimen eorum, quæ ad Deum pertinent.

Probatur ex veteri Testamento.

In nouo autem Testamento illustre eiusdem veritatis testimonium habetur Eph. 4. v. 11. Vbi Paulus sic loquitur de Christo: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Vbi nota primò, loqui Apostolum de regimine Ecclesiæ duraturo vsque ad sæculi consummationem, & à Christo præcipuè instituto, vt fideles stabiliat in fide, & cum auctoritate contineat, contra fraudes, & versutias hæreticorum. Nota secundò, inter illos à Christo constitutos, & ad hoc munus destinatos, nullam fieri mentionem Regum, & Principum sæcularium, vel politici Magistratus: sed Apostolorum, Pastorum, & Doctorum. Et Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Eodem pertinent alia Scripturæ loca, quibus inferiùs ostendemus, supremam potestatem docendi, & regendi, siue pascendi Ecclesiam, fuisse datam Petro, & successoribus, Matth. 16. v. 16. iuncto capite vltimo Ioannis, v. 16. & 17. 13. Idē ostenditur de nouo Testament.

Probatur secundò ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ iudicium de fidei Controuersijs nunquam detulit ad Reges, & Principes sæculares, aut quemcúmque alium Magistratum Politicum: 14. Probatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ.

ſed ad Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, alioſque Prælatos tunc Eccleſiam regentes. Veriſſimum enim eſt quod ait Ambroſius Epiſt. 22. ad Valentinianum Imperat. Nunquam in cauſa fidei Laïcos de Epiſcopo iudicaſſe. Et paulò poſt: *Certè*, inquit, *ſi vel Scripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Tum ſubinde addit; *Si conferendum de fide: Sacerdotum debet eſſe iſta collatio: ſicut factum eſt ſub Conſtantino Augustæ memoriæ principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Et Athanaſ. in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, aliquantò poſt medium: *Quando*, inquit, *à conditio æuo auditum eſt, quòd iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuam ab Imperatore acceperit? Aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antea Synodi fuere: multa iudicia Eccleſia habita ſunt. Sed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt: nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Et inferiùs prope finem eiuſdem Epiſtolæ, loquens de Conſtantio Imperatore contrarium faciente: *Quis*, inquit, *videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non meritò dicat eum illam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Et quidem ſæculo primo ipſis Apoſtolorum temporibus, prima Controuerſia orta in Eccleſia de legalibus, non ad Principes ſæculares, aut Magiſtratum politicum, ſed *ad Apoſtolos & Presbyteros in Ieruſalem* delata fuit, Act. 15. v. 2. Ab iiſdémque definita in hunc modum, v. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c.* Sæculo ſecundo, Controuerſia exorta de celebratione Paſchæ, à Victore Pontifice Romano, poſt multa Concilia, determinata fuit: & excommunicati primùm, ac deinde habiti pro hæreticis, qui eius decreto parére recuſarunt. Sæculo tertio, hæreſis Nouatianorum, negantium pœnitentiam lapſis poſt baptiſmum; & Africanorum affirmantium baptiſmum datum ab hæreticis eſſe inualidum, damnata fuit à Cornelio Papa cum Concilio Romæ habito. Sicut & hæreſis Arrianorum ſæculo quarto, à Syluestro cum Nicæno Concilio. Et Sæculo quinto, hæreſis Pelagiana, ab Innocentio, Cæleſtino, Zozimo & Bonifacio: & hæreſis Neſtoriana ab eodem Cæleſtino, & Concilio Epheſin. Sæculo ſexto, hæreſis Eutychiana, à Leone I. & Chalcedonenſi Concilio. Sæculo ſeptimo, Monothelitæ, à ſexta Synodo generali ſub Agathone ſummo Pontifice. Sæculo octauo, Iconomachi, à Nicæno II. Et ſic de reliquis vſque ad hæreſim Lutheranam, & Caluinianam, præcedenti ſæculo damnatam à Trident. Synodo, & Ianſenianam recentiſſimè proſcriptam ab Innocentio X. & Alexandro VII.

15. Confirmatur ratione Theologica.

Probatur tertiò ratione. Nam auctoritas illa infallibilis iudicandi de Controuerſijs fidei, debet cenſeri pertinere ad Succeſſores illorum, quibus Chriſtus initio Eccleſiæ eam dedit. At Chriſtus non illam dedit Regibus, & Principibus ſæcularibus, qui nulli tunc erant in Eccleſia: ſed Apoſtolis, & Epiſcopis, quos poſuit regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, Act. 20. & Paſtoribus; atque Doctoribus, quibus alios vſque ad mundi conſummationem ſuccedere voluit, vt non ſimus ſicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, Epheſ. 4. Ergo penes iſtos hæc poteſtas reſidere cenſenda eſt, non autem penes Reges, & Principes ſæculares. Eſtque planè rationi conſentaneum, vt iudicium ſupremum, & authenticum de dubijs fidei, iiſdem conueniat, quibus à Deo datum eſt ſupremum regimen Eccleſiæ, & ſpiritalium rerum adminiſtratio. Atque vt rectè dixit Baſilius Imperator in VIII. Synodo generali: *Hæc inueſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi, & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas adepti ſunt claues. Non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui egemus.* Et Theodoſius Iunior in Epiſt. ad Synodum Epheſ. *Illicitum eſt*, inquit, *eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus.* Et Conſtantinus magnus apud Ruffinum lib. 10. hiſtor. c. 2. ſic ait Epiſcopis, qui ad Nicænam Synodum conuenerant: *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur, &c. Et ideo his omiſſis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, abſque vlla animorum contentione diſtinguite.* Refert quoque Athanaſius ſupra cit. Hoſium Cordubenſem Epiſcopum, grauiter admonuiſſe Conſtantium Imperatorem, diſceptationibus Eccleſiaſticis de fidei rebus ſe immiſcentem, his verbis. *Tibi Deus imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit; contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, crimini obnoxius fias. Date*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Et Fælix Papa in Epiſt. ad Zenonem datâ, *Certum eſt*, inquit, *hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, vt cum de cauſis Dei agitur, iuxta ipſius conſtitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre: & Sacroſancta per eorum Præſules, diſcere potiùs, quàm docere: Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitùs ſequenda iura præfigere: neque eius ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiam tuam piæ deuotionis colla ſubmittere. Ne dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* Plura his ſimilia videri poſſunt apud Gregor. Nazianzen. Orat. 17. Chryſoſt. hom. 15. in 2. ad Corinth. Syneſ. Epiſt. 53. Iſidorum Peluſ. lib. 3. Epiſt. 249. & Ambroſium lib. 5. Epiſt. 35.

Confirmatur, quia poteſtas Regum, aut 16.
Principum, & Magiſtratus ſæcularis, eſt ab hominibus, à quibus inſtituti ſunt: paucis exceptis à Deo ipſo inſtitutis. Atqui poteſtas, & auctoritas iudicandi infallibiliter de rebus fidei, eſt poteſtas diuina, & ſpiritalis, quæ non poteſt eſſe ab hominibus, ſed à Deo ex ſpeciali eius inſtitutione, & conceſſione. Ergo

non conuenit Regibus, & Principibus, aut Magistratui sæculari, vi solius potestatis, quam à suis institutoribus acceperunt. Sed neque etiam à Christo illis tradita est. Nam Christus regiam, & sæcularem potestatem approbauit quidem, sed non auxit, cùm dixit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo:* vt rectè Salmeron ibi notauit. Et alibi Scriptura præcipit quidem honorem illis habere, & tributa reddere, Rom. 13. v. 7. Sed nunquam illis spiritalem iurisdictionem tribuit. Confirmatur secundò, quia si auctoritas illa infallibilis est penes Magistratum politicum inferiorem: multò magis est penes Reges, & Principes supremos, à quibus isti auctoritatem suam acceperunt. Iam verò, vel omnes Principes supremi illam habent, vel non. Hoc secundum dici nequit: quia non est maior ratio, aut sufficiens fundamentum, cur vnus è Principibus Christianis dicatur potiùs illam habere, quàm alius: neque vllus est illorum, cui cæteri eam concedant. Sed primum etiam dici nequit. Nam cùm manifestum sit experientiâ, Principes Christianos posse sententiam fidei contrariam ferre, suósque omnes subditos ad adhærendum suis erroribus cogere: euidens est illos non habere auctoritatem infallibilem iudicandi de rebus fidei.

17. Ex opposito sequerentur multa incommoda.

Deinde, si suprema potestas spiritalis esset in singulis Regibus temporalibus, vt volunt Angli hæretici, qui contendunt illos esse supremos Iudices Controuersiarum fidei: tot essent in Ecclesia supremi Principes spiritales, quot sunt supremi Principes temporales. Ex quo sequeretur primò Ecclesiam Christi non esse vnum corpus, contra Apostolum 1. Cor. 12. Ephes. 1. & 4. Coloss. 1. 2. & 3. alijsque locis. Nam vnius corporis, vnicum debet esse caput, cui cætera omnia membra sint subdita: id est, suprema aliqua potestas, à qua regatur: siue illa resideat in vna aliqua persona, siue in vna congregatione ex multis. Nam sine eiusmodi potestate non potest esse debita vnio, & conformitas inter illius corporis membra. Neque dicas Regem quemlibet esse caput Ecclesiæ sui Regni: Christum verò esse caput omnium Ecclesiarum particularium cuiuslibet regni: & sic omnes vnum corpus constituere sub vno capite Christo. Nam contra: tota Ecclesia militans est vnum corpus, vt docet Apostolus locis citatis, & vnum regnum, vt dicitur Daniel. 2. v. 44. Luc. 1. v. 33. Matth. 13. v. 24. 33. & 44. Ergo debet habere in terris vnam supremam auctoritatem, à qua gubernetur: alioqui non magis omnes Ecclesiæ essent vnum corpus, & vnum regnum, ex eo quòd subjiciantur Christo vt capiti & supremo Pastori inuisibili: quàm omnia regna temporalia sint vnum corpus, & vnum regnum, ex eo quòd omnia subjiciantur Deo Regum Regi; & supremo, etiam in temporalibus, regnorum omnium Domino. Sequeretur secundò, non posse vnitatem fidei conseruari in Ecclesia sine magno miraculo. Nam si diuersi Reges diuersa & contraria sentiant de fidei dubijs, quomodo poterunt ad vnitatem reuocari? Neque dicas eiusmodi Controuersias posse in Concilio Regum definiri. Nam cùm sint omnes supremi, independentes, quis alios ad Concilium conuocabit, & venire compellet? Quis Concilio præsidebit? Et, vel Concilium habet potestatem distinctam, & superiorem potestate singulorum, quæ decidere possit, & cogere ad sequendam sententiam maioris partis: vel non habet talem potestatem, sed tantùm adhibetur ad prudentem consultationem, & publicum examen Controuersiarum. Si hoc secundum dicatur, Concilium erit plerumque inutile: neutra enim pars adhærebit alterius sententiæ: neque habet fundamentum credendi fide diuinâ, id est, infallibili, id quod altera determinat: quandoquidem vtraque fallibilis est, cùm non habeant maiorem potestatem & auctoritatem, quàm singuli Reges, quorum singulorum auctoritas fallibilis est, vt patet experientiâ. Si verò primum dicatur: Ergo iam nullus Regum habet supremam spiritalem potestatem, sed illa residet penes Concilium, à quo omnes pendent. Et deinde si Regum Concilium talem habet potestatem, debet illam à Deo accepisse: Nam, vt suprà dixi, potestas infallibilis iudicandi de rebus fidei, non potest dari ab hominibus. Atqui huius institutionis diuinæ nullum est fundamentum. Non oritur autem ex sola rei natura, dato licet, quòd quisque illorum habeat supremam potestatem spiritalem, sicut habent omnes, & singuli supremam temporalem. Sed potiùs quemadmodum si simul omnes conuenirent ad comitia, non propterea fierent subiecti comitijs, seu congregationi voluntariæ plurium, tanquam habenti superiorem potestatem: sic, &c. Denique sicut vnitas & iustitia in rebus temporalibus non posset seruari in toto orbe Christiano, vt manifestum est, si ad illam seruandam opus esset huiusmodi Regum omnium Christianorum comitijs; ita nec vnio fidei, & religionis.

Objiciunt Angli hæretici primò exemplum Mosis, Iosue, Dauidis, & aliorum quorumdam Regum veteris Testamenti, qui in causis spiritualibus interdum Iudices egerunt. Respondeo, quod attinet ad Moysem, illum fuisse Ducem, & Sacerdotem, iuxta illud Psalm. 68. *Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius.* Iosue verò nunquam de causis spiritualibus iudicauit. Dauid, tanquam Propheta, illud interdum extraordinariè, & ex speciali instinctu Spiritus sancti facere potuit, quod in regulam, & exemplum commune trahi non debet. Alij quidam temerè Sacerdotum officium sibi arrogarûnt: vt Ozias, 2. Paralip. 26. quem ob audaciam Deus leprâ percussit. Idémque iure ordinario sibi non licuisse fatetur Dauid, 1. Paralip. 15. v. 12. & 13. Et Iosaphat Rex optimus, & sapientissimus, vtraque officia, Regis, & Sacerdotis, manifestè distinxit verbis suprà relatis ex 2. Paralip. 19.

18. Soluitur 1. objectio de Regulis veteris Testamenti.

Secundò objiciunt exempla quorumdam Principum Christianorum, qui Concilia conuocarunt, illisque præfuerunt: quibúsve ipsa Concilia vltimam sententiam, & approbationem detulerunt: vt Carolo Magno Concilium Arelatense, cuius verba hæc sunt, c. vlt. post

2. De Principibus Christianis.

Decreta omnia: *Hac Domino Imperatori præsentanda decreuimus, poscentes eius Clementiam, vt si quid hic minus sit, eius prudentiâ suppleatur. Si quid secus, quàm se ratio habet, eius iudicio emendetur. Si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio, diuinâ opitulante clementiâ perficiatur.* Aliqui etiam Imperatores Christiani, leges sanxerunt circa fidem, & res Ecclesiasticas; vt videre est in Codice lib. 1. Tit. 1. & aliquot sequentibus, & in Nouellis Iustiniani.

19. Respondeo Imperatores aliquos Christianos hortatos quidem esse Pontifices ad conuocanda Concilia: atque etiam suam auctoritatem interposuisse ad executionem, quoad adiumenta, vel impedimenta temporalia ponenda, vel tollenda. Sed tamen nullum Concilium legitimum, sine auctoritate Summi Pontificis fuisse vnquam conuocatum, & celebratum, ad quem solum vsus supremæ iurisdictionis spiritualis ea conuocandi pertinuit: vt fusè, & eruditè ex antiquorum testimonijs, & ex historia Ecclesiastica, probat Eminentissimus Cardinalis Perronius lib. 1. Replicæ cap. 42. Patres verò Concilij Arelatensis (& si qui alij simile quid dixerunt) petierunt ab Imperatore protectionem, & executionem suorum Decretorum, vt ex vltimis eorum verbis constat. Reliqua verò modestiæ & vrbanitatis causâ, dixerunt Imperatori doctissimo, religiosissimo, & sapientissimo, de cuius approbatione non dubitarunt. Ex quibus nullum sumi potest indicium vel spiritualis potestatis in Imperatore, vel subiectionis Concilij, ipsius sententiæ in dubijs fidei, aut rebus alijs spiritualibus. Denique constitutiones Iustiniani, & aliorum Imperatorum circa fidem, & res Ecclesiasticas; non sunt nouæ sanctiones, sed intimationes Canonum iam ab Ecclesia latorum, vt Iudices sæculares, & alij ipsorum potestati subiecti, intelligerent quid circa illos tenendum, aut exequendum esset, sciréntque suæ voluntatis esse, vt exactè seruarentur. Debet enim potestas regia, in eo iuuare spiritalem, & Ecclesiasticam. Vt rectè Leo I. Epist. 81. Imperatorem Leonem admonuit his verbis: *Debes incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solum ad Mundi regimen, sed etiam maximè ad Ecclesiæ Præsidium esse collatam: vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas: & veram pacem ijs, quæ sunt turbata, restituas.* Si quid vltra præsumpserunt pauci aliqui, vt de Iustiniano affirmat Baronius ad annum Christi 528. & 549. paucorum abusus non est sufficiens fundamentum, affirmandi hanc potestatem fuisse concessam Principibus sæcularibus, quam optimi quique Principes, & Imperatores non sibi, sed Episcopis, & Pontificibus Ecclesiæ, datam esse agnouerunt, vt suprà ostendimus de Constantino Magno, Theodosio, & Basilio: deque pluribus alijs videri potest apud Bellar. lib. 3. de verbo Dei c. 7.

20. Objiciunt tertiò, iure naturæ Regiam potestatem, & Sacerdotalem iunctas esse. Nam tempore legis naturalis, quo ius tantùm naturale seruabatur, ijdem erant Reges, & Summi Sacerdotes: vt Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob: & primogeniti ex stirpe Noë, regnique hæredes, erant simul Sacerdotes, vt bene aduertunt Hieronymus Epist. 116. ad Euagrium, & Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 6. Ergo etiam nunc eædem potestates iunctæ sunt. Gratia enim non destruit Naturam, sed perficit. Respondeo potestates illas non fuisse necessariò coniunctas iure naturali; sed sicut illo permittente potuerunt iungi tempore legis naturæ: ita & separari. Quare apud quos iunctæ fuerunt, id factum est accedente hominum institutione liberâ. In lege autem Mosaïca, manifestum est fuisse disiunctas, vt ostendimus num. 12. Quare mos ille antiquus siue omnium, siue plurium nationum legis naturæ, fuit à Deo mutatus in lege Mosaïca: potuitque mutari similiter in lege Euangelica: & reipsa mutatum fuisse patet ex dictis num. 13. Est autem differentia inter potestatem Sacerdotalem legis naturæ, & legis Mosaïcæ, vel Euangelicæ; quòd illa erat purè humana: Deus enim tunc non determinauerat aliquos specialiter, per quos solos vellet sacrificia sibi offerri, & res sacras tractari. Secus autem in lege Mosaïca, & in Euangelica, in qua vtraque, potestas Sacerdotalis includit spiritalem iurisdictionem, quam non habebant Sacerdotes legis naturæ: quippe quorum potestas erat merè humana, id est, humanæ institutionis, quæ non transcendit limites ordinis, & regiminis humani. Vlterius verò, in Euangelica, potestas Sacerdotalis consistit ex parte in potestate ordinis planè supernaturali, in corpus Christi verum, & mysticum; id est, ad consecrandum & offerendum sacrificium corporis Christi, & ad peccata remittenda pœnitentibus. Quæ potestas neque ex iure naturali prouenire potest, neque hominum voluntate institui: sed debuit à Deo specialiter dari. Non constat autem fuisse datam alijs, quàm Apostolis, & eorum successoribus, Luc. 22. v. 19. & 1. Cor. 11. v. 24. & Ioan. 20. v. 23.

Potestas Sacerdotalis & Regia nō sunt iunctæ iure naturali.

21. Objiciunt quartò, Reges esse Dei Vicarios in suo regno, iuxta illud Rom. 13. v. 4. *Dei enim minister est, &c.* Et v. 6. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Vnde Ambros. ibidem affirmat Principem vicem Dei agere, ideóque subiectionem, & obedientiam esse illi præstandam. Et auctor quæstionum veteris, & noui Testam. apud Aug. q. 91. de Rege sic ait: *Adoratur in terris quasi Vicarius Dei.* Et Eleuther. Papa in Epist. quadam ad Lucium Britanniæ Regem, sic eum alloquitur, *Vos in regno vestro Vicarius Dei estis.* Respondeo Reges esse Vicarios Dei in temporalibus, & Pontifices in spiritualibus. Deus enim, qui quoad vtraque supremus Dominus omnium regnorum est, habet in vtrisque vicarium. Et quidem Paulus, loco citato, loquitur de Regibus Ethnicis (nam Christiani adhuc nulli erant) quos tamen nemo sanæ mentis dixerit fuisse Vicarios Dei in rebus spiritalibus, & in regimine Ecclesiæ Christianæ. Auctor verò quæstionum cit. non est Augustinus, vt Docti omnes consentiunt. Et Epistola illa Eleutheri spuria est, recénsque ab hæreticis conficta, vt notat Sander. lib. 5. de claue Dauid, c. 6. Quamquam verba ex vtroque loco obiecta, nobis non obsunt;

Reges quomodo sunt Dei vicarij?

quia nihil amplius dicunt, quàm quod ex Paulo, & Ambrosio suprà relatum, & explicatum fuit. Auctor quoque illius Commentarij in Epist. ad Roman. non est Ambrosius, vt bene probat Bellarm. in lib. de Scriptoribus Ecclesiast.

22. Quatenus illis parendum. Quod verò Paulus eodem cap. v. 1. præcipit vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non fauet Anglicano errori. Nam Paulus loquitur generatim de omnibus superioribus; & cum accommoda partitione intelligi debet, vt scilicet quisque subditus illis sit, & obediat in ijs omnibus, in quibus sunt legitimi superiores, & quæ iustè præcipiunt. Ineptum enim esset existimare Paulum præcepisse Christianis illius temporis, vt obedirent in spiritualibus, & in rebus fidei, Principibus Ethnicis, de quibus etiam ibidem loquitur, & quibus solis temporaliter tunc suberant fideles: pro quibus etiam orari iubet 1. Timoth. 2. v. 1. & 2. Alia quæ objiciunt sunt similia præcedentibus, aut minoris momenti; & ex dictis facilè solui poterunt.

SECTIO III.

Vtrum potestas illa sit penes Summum Pontificem: ita vt saltem cum Concilio generali sit infallibilis Regula fidei, & Iudex Controuersiarum?

23. Conclusio affirmans. RESpondeo Summum Pontificem cum Concilio generali legitimo, id est, cum cœtu Episcoporum totam Ecclesiam repræsentantium, esse Iudicem Controuersiarum, & infallibilem Regulam fidei. Probatur primò ex sensu & vsu perpetuo Christianismi, euidenter credibilis, & euidenter sequendi. Nam Ecclesia vniuersa Conciliorum generalium definitiones, vt indubitabiles & diuinas semper habuit; & semper habiti sunt pro hæreticis, qui à talibus Concilijs damnati fuerunt: ipsáque Concilia contradicentes suis definitionibus, damnârunt semper vt Hæreticos, & anathematizarunt. Quod ex historia Ecclesiastica tam euidens est, vt à Nouatoribus non possit dissimulari. Quinimo expressè admittunt prima Concilia generalia vt legitima: Beza enim in 3. volumine Tractatuum Theologicorum, Tract. 6. de Ecclesiæ notis, sex prima Concilia generalia à se, & à suis recipi affirmat. Caluinus autem 4. Institut. c. 9. n. 8. veneratur quatuor prima Concilia, Nicænum, Constantinop. Ephesin. Chalced. & similes, inquit, priscas Synodos: quibus verbis vix potest intelligere aliud, quàm quintam, & sextam: Nam rejicit septimam contra Iconoclastas. Verùm, cùm septima, & aliæ deinceps vsque ad Tridentinam, celebratæ fuerint eodem modo, quo quatuor primæ; sunt æquè legitimæ, & infallibiles, adeóque non minùs admittendæ. Quare Nouatores contradicunt sibi, cùm has rejiciunt, & illas admittunt. Neque dicant se primas illas recipere, quia sunt conformes verbo Dei. Vel enim intelligunt se eas recipere, quia, & quatenus cognoscunt spiritu priuato eas loqui conformiter ad verbum Dei scriptum, (quod vnicum agnoscunt:) Et sic non plus illis darent auctoritatis, quàm quibuslibet Scripturæ interpretibus: & nihil ipsis prodesset earum auctoritas contra Seruetianos, Anti-trinitarios, & similes, contra quos vtuntur earum decisionibus. Vel intelligunt eas infallibiliter regi à Spiritu sancto, vt sentiant, & definiant iuxta verbum Dei: & hoc intendimus. Sed cùm omnes Synodi generales, & legitimæ, æquè regantur à Spiritu sancto; debent omnes æquè admitti. Addo ipsos vti Synodis quoad fidei dogmata, & Controuersias circa illa decidendas; quo remedio nullum certius, & melius esse (si quæ de dogmate incidat disceptatio) ait Caluinus cap. suprà cit. num. 13. Et eodem lib. 4. cap. 1. n. 4. & 10. in fine, admittit Ecclesiam visibilem esse matrem nostram, extra quam nulla salus, à qua discessio sit semper exitialis, vtpote discessio à Christo, quâ nullum atrocius crimen fingi possit. Et n. 5. ait in eadem Ecclesia esse Pastores, & Doctores, donec occurramus, &c. Ephes. 4. hanc esse notam regni Christi: dignos fame, qui respuunt diuinum prædicationis cibum porrectum ab Ecclesiæ visibilis Pastoribus: sicut olim non ad Angelos populum docendum allegauit Deus, sed Sacerdotibus commisit, ita & nunc: sicut olim legi scriptæ addidit interpretes Sacerdotes, ita & nunc. Et cap. 3. n. 4. in fine, dicit Pastores, & Doctores, quibus nunquam carere potest Ecclesia, præesse Scripturæ interpretationi, & Sacramentis administrandis. Hæc ille: quæ omnia Ecclesiæ auctoritatem contra Spiritum priuatum manifestè commendant.

Probatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ.

Probatur secundò ex Scripturis ab initio indubitatis. Nam Eph. 4. v. 11. & sequentibus, dicitur Christum dedisse Ecclesiæ Pastores, & Doctores, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Vbi nota primò continuam successionem Pastorum, & Doctorum in Ecclesia verbis illis, *Donec occurramus, &c.* vt Caluinus suprà fatetur, & necessitas Ecclesiæ postulat. Licet enim Apostoli, & Euangelistæ, de quibus ibidem loquitur Paulus, non sint perpetuò in Ecclesia, quia eorum munus non est semper Ecclesiæ necessarium. Secus tamen officium pascendi, seu regendi, & docendi. Semper enim eget Ecclesia doctrinâ, & regimine: quare Christus non satis illi prouidisset, nisi perpetuam successionem Pastorum, & Doctorum instituisset. Nota secundò infallibilitatem eorum in definiendo, & discernendo verum à falso, verbis illis, *Vt non simus fluctuantes, &c.* Fluctuaremus enim, nisi certi essemus ipsorum iudicium esse verum, & infallibile: ac nisi re ipsa tale esset, circumueniremur errore aliquando. Tertiò, nota consequenter obligationem sequendi ipsorum iudicium: quia tenemur ad cauendos errores, & ad non fluctuandum, sed firmiter standum in fide: Ergo & ad adhærendum ijs, qui nobis à Christo dati sunt, vt non fluctuemus, & non 24. Et ex Scriptura.

circumueniamur erroribus. Quartò, nota Episcopos esse præcipuos Pastores, & Doctores, quorum munus est docere, & pascere verbo Dei, & arcere lupos, id est, impostores, à grege, pabulaque noxia auertere. Iuxta illud Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quintò, nota Episcopos, si vnquam habent vim, & auctoritatem infallibiliter definiendi, & iudicandi: saltem, & maximè, quando ex tota Ecclesia conueniunt, eámque repræsentant; vt regnum Repræsentatur in comitijs; & Respublica, per capita communitatis conuenientia ad deliberandum, vel iudicandum. Tunc enim maximè locum habere debent promissiones Christi de assistentia Spiritus sancti, mansuri cum Ecclesia in æternum, & docturi omnem veritatem, Ioan. 14. v. 16. & cap. 16. v. 13. alijsque locis: Et illud Matth. 18. v. 20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quibus verbis Christus promittit cuilibet congregationi legitimæ, in nomine suo coactæ, auxilium muneri suo necessarium: vnde à fortiori colligunt Sancti Patres nil defuturum Concilio generali legitimo ad definitiones vniuersales, muneri suo necessarias. Est enim Concilij generalis, & Pastoris vniuersalis definire de rebus fidei: quia causa fidei est causa generalis, & ad totam Ecclesiam pertinens. Quare meritò Apostoli, & seniores in Concilio 1. Ierosolymit. sic pronuntiant. *Visum est Spiritui sancto & nobis:* significantes Concilij definitiones esse à Spiritu sancto, ac proinde esse infallibiles. Adde quod, vel Ecclesia omni Regulâ viuâ, & Iudice Controuersiarum sufficienti destituta est: vel id Concilio generali legitimo, id est, capiti, & præcipuis membris, sufficienter Ecclesiam totam repræsentantibus, concedi debet. Neque enim hæc Regula potest esse totum corpus Ecclesiæ, vt comprehendit omnes Catholicos; propter impossibilitatem omnes cogendi, vel consulendi; & propter insufficientiam, quia non omnes Pastores, & Doctores. Denique, tale Concilium habet vim obligandi omnes fideles ad credenda quæ definit: cum nulla maior in Ecclesia possit esse auctoritas ad fideles in officio fidei continendos, & terminandas dissensiones subortas. Ergo quæ definit, sunt infallibilia, aut obligabitur Ecclesia ad errandum.

25. Et exemplo legis Mosaicæ.

Probatur tertiò, quia in lege antiqua, summus Sacerdos cum suis, erat iudex Controuersiarum legis, cuius iudicio standum erat: iuxta illud Deuteron. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. Venies ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, &c. qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Neque obsunt verba illa, *& docuerint te iuxta legem eius.* Non enim sensus eorum est, quòd parendum esset Sacerdotibus, quando quisque priuatus iudicasset esse iuxta legem locutos; sic enim esset vanum id tribunal, cuius singuli essent supremi iudices, & Deus eos constituisset Iudices suorum iudicum: sed sensus est absolutus, quòd Sacerdotes tales, forent locuturi iuxta legem. Vel illud, *iuxta legem:* non refertur ad *docuerint:* sed ad, *facies:* vt indicat clarè textus Hebraïcus, qui ad verbum sic habet: *Secundum legem quam docebunt te, & secundum iudicium quod dicent tibi, facies.* Et versio Septuaginta, *Et custodies valde facere secundum omnia, quæ statuta fuerint tibi. Secundum legem, & secundùm iudicium quod dixerint tibi, facies.*

Probatur quartò, quia Christus Matth. 18. ita constituit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic Ecclesiæ, &c.* Vnde sic argumentor: Non minor est necessitas supremi alicuius Iudicij in causis publicis, & religionis, per quod finiantur difficultates; quàm in negotijs aut iniurijs priuatis vnius, aut alterius. Nam & illæ sæpe incidunt, & sunt grauiores, quàm priuatæ. Ergo si Christus pro priuatis constituit modum agendi, & recurrendi tandem ad Ecclesiam: multò magis, &c. Causa autem publica religionis, non potest a particulari quadam Ecclesia definiri, sed hoc pertinet ad Ecclesiam vniuersalem, abstrahendo interim ab vniuersali, & supremo ipsius Pastore seorsim sumpto. Ea verò, vt iudicet, debet conuenire. Non potest autem tota, nec maior illius pars, ob multitudinem. Ergo debent illi conuenire, qui capita sunt Ecclesiarum, vt Pastores, seu Episcopi, qui repræsentant Ecclesias sibi commissas; Nam si alij essent necessarij; foret impossibilis, & inutilis conuentus: Illa ergo Congregatio habet locum Ecclesiæ vniuersalis, apud Deum, & homines, eiusque iudicio standum est in causis religionis. Cùm autem obtineat Ecclesiæ auctoritatem: & Ecclesia errare in fide non possit, Matth. 16. v. 18. & alibi: Ergo nec illa Congregatio seu Concilium totam Ecclesiam repræsentans, & habens auctoritatem obligandi fideles ad credendum quicquid decernit in materia fidei. 26. Et ex necessitate talis iudicij.

Præcedenti doctrinæ valde aduersantur hæretici huius temporis, qui more cæterorum omnium, nolunt agnoscere vllam infallibilem in Ecclesia pro dirimendis fidei Controuersijs auctoritatem, propterea quòd illius iudicio statim condemnarentur. Vt enim rectè notauit S. Augustinus Epist. 56. prope finem, *Omnium hæreticorum, quasi regularis est ista temeritas, vt conentur auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi ratione, & pollicitationis nomine superare. Et hoc facere coguntur, quia alioqui iacere se abiectissimè sentiunt.* Primò autem ad locum citatum ex Ephes. 4. quo maximè vrgentur, respondent Christum dedisse Ecclesiæ Pastores, & Doctores, solùm vt proponant fidelibus ea, quæ credenda sunt, quæque in Scriptura, vnica fidei Regula, continentur: & proponendo, illos iuuent ad formandam rectam eorum apprehensionem; non autem, vt fideles moueantur vllo modo eorum auctoritate ad credendum: quasi verò ipsi commendentur à Deo in Scriptura, tanquam fideles verbi sui interpretes, & Controuersiarum fidei legitimi Iudices. Totam enim credendi auctoritatem in Dei verbo positam esse volunt, eó- 27. Error hæreticorũ negans.

que solo dirimendas esse omnes fidei Controuersias.

28. Christus non iam exercet illud officiũ per seipsum. Sed contrà: primò, Apostolus loco citato significat Christum ascendentem in cœlum, & subtrahentem Ecclesiæ visibilem suam præsentiam, neque ampliùs illam per seipsum immediatè regentem, & docentem, dedisse illi Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores vsque ad mundi consummationem, qui illam in fide continerent, impediréntque ne fideles fluctuent, aut circumferantur omni vento doctrinæ. Itaque sicut Christus, & Apostoli confirmabant fideles sui temporis, à quibus immediatè audiebantur: ita deinceps vsque ad mundi consummationem, debent Pastores & Doctores confirmare fideles, quibus præsunt. At Christus & Apostoli confirmabant fideles non solùm proponendo illis dogmata fidei, quæ ipsi examinarent, & viderent num essent verbo Dei conformia: sed suâ etiam auctoritate, tanquam diuinitùs commendatâ; & cui fideles deferre tenerentur, illique adhærere: Ergo, &c. Maior liquet partim ex ipsis Apostoli verbis: partim quia sine huiusmodi auctoritate non satis prospectum fuisset stabilitati fidelium, vt ostendemus paulò post. Minor probatur ex his Scripturæ locis, de Christo quidem, Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Apocalyp. 1. v. 5. *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ.* De Apostolis verò, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis quæcumque alligaueritis, &c.* Et 1. Ioan. 4. v. 6. *Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos. Qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris:* nempe per adhæsionem ad Apostolos vt Pastores legitimos. Et 2. Cor. 5. v. 20. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Et Ephes. 2. v. 19. *Iam non estis hospites, & aduenæ; sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu:* id est, super Apostolos, & Prophetas, qui sunt fundamentum vestræ fidei, innixum Christo Iesu, tanquam supremo, & angulari lapidi illius fundamenti. Paulus enim hæc duo distinguit. Et Christus ipse Petro Apostolo sic ait, Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Itaque Petrus, & alij Apostoli erant fundamentum Ecclesiæ. Quò etiam pertinet illud Apocalyp. 21. v. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Vt autem fides credentium niteretur Apostolis tanquam fundamento, debebant ipsi non proponere solùm quocumque modo fidei dogmata, quod quilibet alius facere potest; sed habere commendationem à Deo per signa sui Apostolatus, tanquam legati Christi, & fidelis, ac legitimi verbi illius interpretis. Itaque non tantùm eos mouebant ad credendum, nudâ, & solâ propositione verbi Dei, sed etiam auctoritate illis datâ diuinitùs.

Pastores confirmare debent fideles.

29. Confirmatur, quia Christus ipse eo fine per illos multa edebat miracula, vt illis auctoritatem conciliaret, ac deinceps quæ ab illis proponerentur tanquam à Deo dicta, acceptarentur. Alioquin opus fuisset, vt ad singula dogmata, quæ successiuè proponebant, ederent noua miracula. Quod non faciebant. Sed sicut Moyses, postquam initio per signa diuina probauit se à Deo missum fuisse, conciliauit apud Iudæos fidem ijs, quæ postea successiuè illis proposuit: sic Christus ipse non edebat noua miracula ad singula, quæ dicebat: sed signis priùs editis, & testimonio, quod à lege, & Prophetis, atque à Deo ipso, voce sæpius, & palam de cœlo delapsâ acceperat, sufficientem dabat auctoritatem, & credibilitatem ijs quæ postea proponebat. Sic Apostoli, &c.

30. Pastores non proponunt tantùm fidei dogmata. Secundò, si Apostoli, & Prophetæ, & deinceps Pastores, & Doctores, qui illis successerunt, nihil aliud faciunt, quàm proponere fidei dogmata fidelibus, quæ ipsi examinent per verbum Dei, vt credant, si ei conformia videbuntur, nullo habito respectu eorum auctoritatis; atque hoc tantùm modò impediunt ne fideles, velut paruuli fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum: Sequitur primò quoslibet alios Doctores, & Pastores, quamvis non à Christo positos, æquè posse id facere, dummodò Scripturam, & fidei dogmata proponant, vt certè possunt proponere. At hoc est falsum, & contra mentem Apostoli, qui quasi proprium id tribuit Pastoribus & Doctoribus à Christo constitutis, & in Ecclesia nunquam vsque ad consummationem sæculi defuturis. Sequitur secundò, Christum non satis prospexisse stabilitati fidelium. Nam si vltimum Iudicium fidei penes ipsos stat, nec vlla est auctoritas in Ecclesia, cui teneantur deferre in controuersijs fidei, & difficultatibus circa veritatem literæ, aut sensus Scripturæ; manifestum est patére fideles hæreticorum fraudibus, & astutiæ hominum, circumueniendi artem callentium, qui plebem facilè in suos errores, prætextu verbi diuini, inducent: vt experientiâ notum est, & assertum à Cypriano Epist. 55. *Non enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata: quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Sequitur tertiò, minùs bene, & sufficienter consultum fuisse Ecclesiæ, quàm vlli hominum Societati bene institutæ. Nulla enim est Respublica bene constituta, in qua præter leges scriptas, & præter priuatam doctrinam, & scientiam subditorum, qui possunt ius proponere: non sit aliqua publica, & communis auctoritas, penes quam sit summa potestas iudicandi, & cuius sententiæ de subortis controuersijs, & difficultatibus, stare omnes debeant, ac cogantur; vt pax, & iustitia seruetur. Atqui absurdum est existimare minùs bene constitutam fuisse à Christo Ecclesiam, quàm ciuilem Rempublicam; præsertim cùm experientiâ liqueat, graues, & obscuras sæpe oriri de rebus fidei

fidei controuersias, æquè ac de rebus ciuilibus. Quartò, ipsimet hæretici hoc suæ Sectæ conseruandæ necessarium esse experiuntur; eáque de causa Ministri, & si qui fortè alij inter eos præcipui, ad Synodum, seu Conciliabulum coacti, de controuersijs fidei iudicant, aliósque suæ sententiæ stare iubent, & cogunt excommunicationibus, aut etiam pœnis temporalibus: vt patet exemplo Synodi Dordracenæ contra Arminianos, & alijs similibus. Quintò denique, sancti Patres hac præcipuè de causa rejiciendos esse docent hæreticos cuiuscumque Sectæ, quòd non adhæreant Pastoribus Ecclesiæ supremis, continuâ successione à Petro hucvsque sibi succedentibus. Vt videre est apud Origenem in proœmio lib. 1. Periarchon. Iren. lib. 3. c. 3. Tertull. lib. de præscript. contra hæreses, c. 19. 20. & 31. & lib. 3. contra Marcion. c. 9. Cyprian. Epist. 52. & lib. de vnitate Ecclesiæ c. 8. Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmen. Epiphan. hæresi 27. August. initio tomi 6. in Psalmo contra partem Donati, & lib. contra Epistolam fundamenti c. 4. Verba Irenæi c. 3. supra cit. hæc sunt: *Maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam omnibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præterquam oportet colligunt* (id est, cætus, & conuenticula instituunt.) *Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam conuenire, hoc est, eos, qui vndique sunt fideles: in qua semper ab his, qui sunt vndique fideles, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est iunge traditio.*

Hæretici coguntur talem auctoritaté sibi inter suos tribuere.

31. Objiciunt præterea hæretici primò, frustra fore Scripturam, si habemus viuum oraculum, quo res fidei clarè proponantur, & controuersiæ dijudicentur. Respondeo, regulam viuam, & iudicem controuersiarum non excludere regulam Scripturæ, & traditionum diuinarum: imò ijs vti debere: quia non docet per nouas, & priuatas reuelationes, sed per explicationem, vel applicationem antiquarum traditionum diuinarum. Vnde semper his regulis vtuntur Pontifices, & Concilia, eásque in definiendo consulunt diligenter, & præ oculis habent; vt patet ex Concilijs Oecumenicis antiquis, & nouis, & Tridentinum id de se affirmat initio Sess. 4ª. Sic etiam iudices supremi in foro ciuili non excludunt leges scriptas; sed eas supponunt & sequuntur.

Non propterea frustra est Scriptura

32. Objiciunt secundò, Papam cum Concilio fore supra Scripturam; quippe de qua iudicet quoad literam, vel quoad sensum. Respondeo id minimè sequi. Sicut enim iudex constitutus à Principe, non est supra leges Principis, licet habeat supremam potestatem sub illo iudicandi, & explicandi leges: sic, &c. Adde hoc argumentum in hæreticos retorqueri posse, qui sibi arrogant id, quod Ecclesiæ negant. Iudicant enim de litera, & sensu Scripturæ: & obligant suos ad acceptandum eum Scripturæ sensum, quem ipsi tradunt; ac refragantes vt hæreticos damnant; cuius rei exemplum recens habemus in Arminianis damnatis in Synodo Dordracena. Præterquam quòd damnant ipsi Catholicos, & quosvis alios, qui aliter, quàm ipsi, interpretantur hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, & alia de quibus exorta est dissensio.

Neque Papa, vel Conciliū est supra Script.

33. Opponunt tertiò, Pontifices Iudæorum errasse in Concilio contra Christum inito, Ioan. 11. v. 47. & in Concilijs œcumenicis, quædam contradictoriè fuisse definita. Respondeo Pontifices errasse quidem in illo Concilio, non agnoscendo Christum vt Messiam. At constat illos non processisse more dogmatico, & Conciliari; sed apertâ inuidiâ fuisse ductos, non vocato Christo; qui tot insignibus miraculis se Messiam esse, & caput Ecclesiæ, confirmauerat. Quamquam nec propriè fuit illud Concilium, sed conspiratio; id est, non conuenerunt Principes, & Pharisæi ad deliberandum de rebus fidei, & de bonis moribus, imploratâ suppliciter ope diuinâ; sed ad perdendum Christum iam habitum pro impostore; vt patet ex propositione ibidem facta v. 47. *Quia facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, venient Romani, &c.* Idémque dicendum de alio Concilio, seu conuentu Iudiciali contra Christum inito, Matth. 26. v. 59. non alio fine, quàm vt quoquo modo reum mortis eum pronuntiarent: vt patet ex modo quo processerunt, subornatis falsis testibus; & ex illis Caiphæ verbis, auditâ Christi confessione: *Quid adhuc desideramus testes, &c.* Adde præterea consequentiam non valere: quia non erat promissa Iudæis perpetua infallibilitas; sed è contrario prædictum erat regnum Dei ipsis ablatum iri, & Christum ab illis repulsam esse passurum: Daniel. 9. v. 26. & 27. & Matth. 21. v. 43. At de Ecclesia Euangelica, dictum est portas inferi aduersus eam nunquam præualituras, Matth. 16. v. 18. & verbum Dei nunquam ab eius ore recessurum, Isaiæ 52. v. 21. & spiritum veritatis cum ea mansurum in æternum, Ioan. 14. v. 18. & Christum cum illa futurum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, Matth. 28. v. vltimo.

Errauerintne Concilia Iudaicæ Ecclesiæ.

34. In Concilijs verò œcumenicis Ecclesiæ Christianæ, legitimis & approbatis, nihil est circa fidem, quod non concilient viri docti multò faciliùs, quàm antilogias apparentes Scripturæ sacræ; sed potiùs vbique claræ sunt definitiones controuersiarum, quæ tractantur, & determinantur conciliariter: ita vt nec sententiæ perspicuitas desit, nec infallibilitas Ecclesiæ promissa: quas duas conditiones requirebamus in iudice, Sect. 1. huius disput. conclus. 2. Addunt verò tertiam hæretici, vt Papam, & Concilia rejiciant; scilicet, iudicem talem esse debere, vt nullo ducatur studio partium; in quo Papam, & Concilia suspectos habent. Sed cùm, iuxta Christi promissionem, regantur infallibiliter à Spiritu sancto in huiusmodi definitionibus; non est timendum quin ducantur studio veritatis; licet alioqui, vt homines possent aliter affici. Sunt nihilominus, & erunt

Falsum est Christiana Concilia errasse circa fidem.

semper hæreticis suspecti; sed eo modo, quo latronibus, & reis Iudices: eòque magis, quò plus mouentur & agunt studio iustitiæ. Vide Bellarminum lib. 2. de Concilijs, cap. 8. vbi apertè ostendit ea omnia, quæ objiciuntur ab hæreticis, vt probent errasse Concilia, vel esse falsa, vel non pertinere ad legitima Concilia generalia, definientia in materia fidei. Dico, *in materia fidei*: quia in alijs, vt in quæstionibus facti, vel reformationibus politiæ Ecclesiasticæ, vel alijs huiusmodi, non asserimus Conciliorum infallibilitatem; sed præcisè in fidei definitionibus. Ac ne quidem in rationibus, quibus aliquando vtuntur. Quandonam autem loquantur Concilia, & definiant de rebus fidei, facilè intelligitur, vel ex ipsa materia, & quæstione proposita, vel ex ordine & modo loquendi.

35. Suntne fallaces qui sic definiunt Controuersias fidei?

Opponunt quartò, fidei Controuersias non posse definiri auctoritate hominum; cùm sint fallaces, & mendaces: iuxta illud Psal. 115. *Omnis homo mendax*: sed Dei solius auctoritate, cui fides nostra inniti debet. Confirmatur, quia non potest illis inniti, qui si dicerent contraria verbo Dei, non essent audiendi: iuxta illud Pauli ad Galat. 1. *Si nos, aut Angelus de cælo, &c.* Quare potiùs eorum dicta debent examinari per verbum Dei, vt videatur sint-ne illi conformia. Quo pacto Beræenses, Act. 17. v. 11. examinabant per Scripturas num vera essent quæ Paulus & Silas prædicabant. Et Christus Ioan. 5. v. 39. ad illas remittebat Iudæos, dicens, *Scrutamini scripturas, & illæ testimonium perhibent de me.* Et Paulus 1. Cor. 10. v. 15. *Vt prudentibus loquor*, inquit, *vos ipsi iudicate quod dico.* Quare ad fideles pertinet iudicare num vera sint, & conformia verbo Dei, quæ proponuntur à Pastoribus.

Respondeo, homines naturaliter spectatos, esse fallaces, & mendaces: sed vt directos à Spiritu sancto, & vt eius instinctu, ductúque loquentes non posse fallere, neque mentiri. Sanè Apostoli erant homines: & tamen illis fides credentium innitebatur, vt paulò antè ostendimus; & ad illos delata fuit Controuersia de legalibus, Act. 15. Ipsique sententiam super illa pronuntiarunt in hunc modum v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, &c.* Fides autem nostra semper quidem innititur auctoritati, & verbo Dei. Verùm vt illi innitatur, constare nobis debet certò, & infallibiliter esse verbum Dei, illud, quod velut tale proponitur: & talem esse verum illius sensum. Hoc autem sæpissime nobis non constat sine auctoritate Ecclesiæ, & legitimorum eius Pastorum.

Soluuntur alia argum.

Ad confirmationem respondeo primò indirectè, eodem argumento probari fidem non potuisse inniti Apostolis: imò nec ipsi Christo, nec Euangelio. Nam si Apostoli contraria verbo Dei docuissent, non fuissent audiendi; vt Paulus de seipso ait verbis supra relatis, *Si nos, aut Angelus de cælo Euangelizauerit vobis, præter id quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et Christus Ioan. 7. v. 17. & 18. significat se non fuisse audiendum, si ex semetipso tantùm loqueretur, & non ex Patre, proponendo doctrinam ab illo acceptam. Et denique Euangelium ipsum non esset audiendum, si contraria loqueretur veteri Testamento: vt neque vetus Testamentum, si loqueretur contraria Euangelio. Imò neque Deo ipsi credendum esset si loqueretur contraria veritati. Respondeo secundò directè, maiorem illius argumenti esse veram, quando hypothesis est possibilis: secus autem quando est impossibilis. Sicut autem erat impossibile Scriptores sacros, & Apostolos, atque Prophetas, loquentes ex instinctu Spiritus sancti, dicere contraria verbo Dei: sic impossibile est Pastores, & Doctores Ecclesiæ, loquentes sub ijs signis, & conditionibus, quibus nobis à Deo commendantur, tanquam fideles verbi sui interpretes, & audiendi vt tales, dicere quidquam verbo Dei contrarium. Vt tales autem commendantur Isaiæ 59. v. 21. Matth. 18. v. 17. & 18. alijsque locis alibi examinandis, quando agemus de infallibilitate Ecclesiæ. Berœenses verò scrutabantur Scripturas, vt viderent, si hæc ita se haberent, Act. 17. v. 11. id est, vtrum fideliter allegarentur, & in ea verè continerentur, quæ de Christo ex illis referebantur à Paulo, & Sila, quorum auctoritas, & fidelitas nondum erat illis satis nota, tanquam diuinitus commendata, & infallibilis in proponendo res fidei. Christus etiam Ioan. 5. mittebat Iudæos ad Scripturam, vt in ea legerent testimonia de seipso scripta, & notas sensibiles de Messia prædictas, quas in Christo viderant esse impletas. Quo pacto nos quoque remittimus fideles, & quoscumque alios ad Scripturam, vt in ea legant notas sensibiles veræ Ecclesiæ, & testimonia pro auctoritate, & infallibilitate ipsius tradita. Possúntque ijdem, vt Berœenses scrutari Scripturas, vt videant num hæc ita se habeant. Paulus denique 1. Cor. 10. v. 15. petit tantummodo iudicium approbationis, seu consensum fidelium circa dogmata fidei, quæ sufficienter, & perspicuè proponebat. Quod etiam Pastores, & Doctores Ecclesiæ petunt, & exigunt à suis auditoribus: sed non iudicium auctoritatis, seu decisionis: cum potestate rejiciendi si non eis viderentur esse consentanea verbo Dei, iudicarèntque illud aliter esse intelligendum. Neque enim Paulus volebat, vt de sua doctrina iudicarent authenticè, magisque suo ipsorum examini, & priuato iudicio fiderent, quàm Apostolicæ prædicationi. Quando enim auctoritas aliqua, iam cognita tanquam diuina, & infallibilis loquitur; non debent eius dicta subjici examini priuatorum, vt de illis iudicent authenticè, ne quidem per alias regulas, quibus debeant esse conformia, vel cum potestate rejiciendi, nisi talia videantur. Atque ita licet decisio Apostolorum de legalibus, Act. 15. deberet esse conformis scripturæ veteris Testamenti; non permiserunt tamen Apostoli fidelibus eam examinare cum auctoritate, vel potestate eam rejiciendi, nisi ipsis appareret esse conformis: sed præceperunt vt acceptarent, & seruarent. Et quamvis Euangelium debeat consentire veteri Testamento, & vetus nouo: non licet nobis vnum cum altero conferre, vt rejiciamus quæ videbuntur esse contraria. Ac

Quo sensu Iudæi, & Berœenses mittebantur ad Scripturas?

denique, licet tota Scriptura diuina debeat esse consentanea veritati: non licet nobis ea rejicere, quæ iudicio nostro apparent dissentanea: cum aliunde nobis notum, & certum sit totam esse diuinam.

SECTIO IV.

An Summus Pontifex etiam sine Concilio Generali sit Iudex Controuersiarum, & infallibilis Regula fidei?

36. Conclusio affirmatiua. RESpondeo Summum Pontificem ex cathedra loquentem, id est, vt Pastorem vniuersalem aliquid authenticè proponentem toti Ecclesiæ, tanquam credendum fide diuinâ, esse Regulam fidei, & Iudicem Controuersiarum. Ita docent hoc tempore omnes teste Suare Disp. 5. Sect. 8. qui meritò censet rem esse de fide. Vt autem id probetur, tria ostendenda sunt. Primum est, Petrum Apostolum accepisse à Christo primatum, & iurisdictionem in totam Ecclesiam. Secundum est, accepisse quoque infallibilitatem in fide. Tertium est, hanc potestatem supremam, & infallibilem, fuisse transmissam ad Pontifices Romanos Petri Successores.

Dico igitur primò, Petrum accepisse à Christo primatum, & iurisdictionem in totam Ecclesiam. Probatur primò ex Ioan. 21. v. 15. Vbi Christus Petrum sic alloquitur: *Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce Agnos meos, pasce oues meas.* In quibus verbis nota primò, in Græco esse *ποίμαινε*, quod significat pascere, non præbendo cibos quomodocumque, sed ex officio Pastoris, & Superioris. (Petrus accepit à Christo primatum.) Nota secundò, sine vlla exceptione dici Oues, Agnos, Ouile Christi. Ergo Ecclesiam vniuersaliter, & sine limitatione ad certum tempus, locum, vel personas; imò Apostolos, & Pastores omnes comprehensos. Per Agnos enim, Populus; per Oues, Pastores significantur, & Patres populi. *Prius Agnos*, (inquit Eusebius Emisenus sermone de Natiuit. S. Ioannis Euangelistæ) *deinde Oues Petro commisit; quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus Agnos, pascit & oues. Pascit filios, pascit & matres: Regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est: quia præter Agnos, & Oues, in Ecclesia nihil est.* Et Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 8. *Age* (inquit Eugenio Papæ) *indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum pastores: sed tu tantò gloriosius quantò differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? Ex Verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè, totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni: Oues meas*, inquit. *Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur vbi distinguitur nihil.* Et S. Leo serm. 3. de assumptione sua, *Omnes propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Nota tertiò, Christum Petro singulariter loqui præsentibus alijs Apostolis; quem proprio ipsius, & patris etiam nomine, singulariter designat, atque distinguit ab omnibus alijs: *Simon Ioannis diligis me plus his?* id est, plus quàm hi socij tui Apostoli. *Pasce Agnos meos, &c. Cum esses iunior, cingebas te, &c.* Antea verò, & alio loco, missio ad prædicandum Euangelium, fuerat à Christo data omnibus simul Apostolis, Ioan. 20. v. 21. Quare cùm iam vni Petro committat oues pascendas, alijs præsentibus, veluti nouum beneficium illius proprium; debuit esse prærogatiua specialiter illi concessa, & à priori beneficio missionis, communi omnibus Apostolis, distincta. Quod etiam bene colligitur ex eo quòd Christus, antequam Petro munus illud pascendi oues suas, & Agnos generatim committeret, ter illum interrogauit, num plus quàm alij diligeret? Nam vt rectè notarunt Chrysostomus, & Theophylactus in locum illum Ioannis, & Bernardus sermone 76. in Cantica, non erat causa cur ab illo maiorem amorem requireret ad beneficium, commune alijs Apostolis, & missionem iam omnibus mandatam; sed nimirum idcirco plus amoris ab illo requisiuit, quia rem charissimam, nempe Ecclesiam, pro qua sanguinem fudit, totam illi pascendam, & regendam committebat.

Nota quartò, Christum duo promisisse, vnum Petro singulariter, Matth. 16. *Tu es Petrus, &c.* Vbi Petro amplissimam potestatem in Ecclesiam promisit, vt ostendam paulò post; alterum omnibus Apostolis, Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, &c.* Posteriorem promissionem Christus impleuit Ioan. 20. v. 22. dicens: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Priorem, Ioan. 21. v. 15. & sequentibus, vbi quod antè promiserat Petro propter excellentem fidei confessionem, dedit post trinam protestationem excellentis amoris.

Nota denique, hunc esse sensum omnium Patrum Antiquorum, qui ab Apostolis Scripturam, & verum eius sensum acceperunt. Sicut enim Christus non nudis verbis mysteria fidei tradidit Apostolis, sed verum eorum sensum illis aperuit: Sic Apostoli posteris, & successoribus suis non nudam Scripturam, sed verum simul eius sensum dederunt. Alioqui non tam Doctorum, quàm Librariorum munere functi essent; neque Christi intentioni, & muneri suo satisfecissent. Testimonia Patrum vide apud Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontifice c. 14. & sequentibus, Suar. lib. 3. defensionis fidei, c. 10. Gauterium in Chronographia, singulis sæculis,

O 2

veritate 11. Canum lib. 7. de locis Theolog. Sanderum lib. 6. de visibili Monarchia cap. 4. Pighium lib. 3. cap. 3. Baron. tom. 1. Annal. ad annum Christi 33. & 34. Coccium tom. 1. lib. 7. de Ecclesiastica hierarchia.

37. Et claues regni cœlorum. Secundò probatur eadem veritas ex Christi verbis Matth. 16. v. 17. & sequentibus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Circa quæ verba, nota Christum singulariter alloqui Petrum inter alios Apostolos præsentes, vt patet primò, quia singulariter eum laudat ob confessionem fidei ab vno illo editam, *Beatus es, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.* Secundò, quia Pronomine singulari secundæ personæ sæpius illum designat, *caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Tertiò, quia duplici nomine proprio illum compellat, addito etiam nomine Patris. *Beatus es Simon Bariona*, id est, filius Ioannis: &, *Tu es Petrus, &c.* Quartò, quia vicem illi rependit illustris fidei professionis, *Et ego dico tibi, &c.* Vt enim rectè expendit Hieronymus in hunc locum: *Testimonio de se Apostoli reddidit vicem. Petrus dixerat, Tu es Christus Filius Dei viui. Mercedem recepit vera confessio: Beatus es Simon Bariona, &c. Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus Filius Dei viui, ego dico tibi non sermone casso, & nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.* Et Hilarius can. 16. in Matthæum, *Dignum planè confessio Petri præmium consecuta est; quia filium Dei in homine vidisset.*

38. Super eũ fundata est Ecclesia. Nota præterea, Christum verbis allatis promisisse Petro, se super illum, veluti petram immobilem, fundaturum Ecclesiam suam, futuram portis inferorum, & omnibus eius hostibus, inuincibilem. Nam quòd verba illa, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, dirigantur ad Petrum, qui sit illa ipsa Petra, super quam tota ædificanda erat Ecclesia, probatur primò ex ipso verborum contextu, etiam iuxta Latinam versionem spectato. Scripturæ enim locutiones iuxta communem, & familiarem, atque vsitatum hominibus loquendi modum accipiendæ sunt, quantum fieri potest. Communis autem & familiaris loquendi modus est, vt quando designatâ certâ personâ, Tu es hic, vel ille, subiungitur pronomen demonstratiuum, relatum vel ad idem nomen denuo repetitum, vel ad aliud habens cum illo similitudinem, & allusionem, demonstretur eadem persona, de qua priùs sermo erat. Vt quando dicitur, Tu es Rex Galliæ, & sub hoc Rege Gallia triumphabit de hostibus: Tu es columna, & firmamentum regni, & super hanc columnam regnum stabit inuictum. Tu es Vrbanus, & hæc vrbanitas totius orbis amicitiam sibi conciliabit, & omnes ad pacem, & concordiam rediget. Tu es Clemens, & hæc clementia toti Ecclesiæ magno erit solatio. Nemo enim est, qui non videat hæc omnia ad eandem personam pertinere. Idem etiam clariùs patet in textu Græco, in quo πέτρος, & πέτρα, ex vi vocis idem significant, nempe petram, vel saxum, solâque differunt terminatione. Quare perinde est, ac si Christus dixisset, Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Tu es saxum, & super hoc saxum, &c. Nec obest quòd Christus, vel potiùs Interpres Græcus verborum Christi, genus, & terminationem vocis mutauit, dicens σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Hoc enim fecit, ne nomen *Petrus* bis repetendo, solam Petri personam designare videretur: sed insuper exprimeret proprietatem nominis appellatiui a quo Petrus denominatus est, & causam, cur nomen Simonis in Petrum mutaretur, ob similitudinem scilicet cum petra in fundando Ecclesiæ ædificio. Clarissimè verò, id, quod intendimus probare, patet ex textu Syriaco, quo idiomate Christus, & Iudæi illius temporis vtebantur: Nam in illo vox *Cepha*, seu *Cipha* respondens vocibus Latinis *Petrus*, & *Petra*, prorsus eadem est, & rupem significat. Quare Christus Syriacè loquens dixit, Tu es Cepha, & super hanc Cipha ædificabo Ecclesiam meam; id est, Tu es rupes, & super hanc rupem, &c. Atque ita denique sancti Patres Græci, & Latini communi consensu verba Christi exponunt, vt videre est apud Tanner. q. 4. de fide, dub. 2. n. 54. & sequentibus. Bellarm. lib. 1. de Summo Pontifice c. 10. & alios suprà citatos. Cum ergo Christus super Petrum, vt petram immobilem, pronuntiet se ædificaturum Ecclesiam portis inferorum inuincibilem, & hæc non fundetur super eius personam nudè sumptam, sed vt docentem, & pascentem pabulo verbi Dei, & doctrinæ fidei: consequens est Ecclesiam inniti Petro vt docenti. Et vt Ecclesia sit inuincibilis portis inferi, necessarium est illius fundamentum non esse ruinosum, id est, Petrum in docendo verbo Dei, & fidei doctrina esse infallibilem. Qua de re plura paulò pòst.

Vlteriùs aduerte, iisdem Christi verbis promitti Petro claues regni cœlorum, id est, potestatem vniuersalem in Ecclesiam; metaphorâ ductâ à communi consuetudine, quâ cùm vrbes deduntur alicui Principi, offeruntur ei claues in signum subiectionis: & claues domus solent tradi ei, qui œconomus instituitur. Quo sensu dicitur de Christo, Apoc. cap. 3. v. 7. *Qui habet clauem Dauid, &c.* Vnde Gregorius lib. 4. Epist. 32. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominicâ, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, Petre amas me? Pasce oues meas, &c. &, Tibi dabo claues regni cœlorum.* Simili modo loquuntur alij Patres. Notandum est autem diligenter, quod antea diximus, verum Scripturæ sensum fuisse cum litera traditum successoribus ab Apostolis: alioqui Apostoli non Doctorum Ecclesiæ, sed Librariorum munere functi essent. 39. Claues regni cœlorum quid significent.

Nota denique, hunc semper sensum Ecclesiæ fuisse de primatu Petri, & Successorum; vt videre est ex plurimis eorum testimonijs fideliter relatis à Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 25. Gauterio in tabulis Chronogr. Verit. 11. Et nos alibi multa retulimus tom. 5.

Disp. 56. Sect. 1. 2. & 3. & Disp. 68. Sect. 5. Neque potest ostendi ab Hæreticis, quando primùm post Apostolos hæc persuasio in Ecclesiam inducta sit, & quis Antiquorum eius initium notauerit; quod certum signum est manâsse ab ipsis Apostolis: Est enim incredibile nullum huic primatui malè præsumpto, & vsurpato, se opposuisse: nullum sanctorum Patrum hunc errorem notâsse, nec vllum alium Scriptorem Catholicum. Quæ autem in contrarium opponuntur à Nouatoribus, diluentur Sect. sequenti.

40. Petrus accepit infallibilitatem in fide. Dico secundò, Infallibilitatem in fide Petro fuisse datam à Christo. Probatur ex verbis proximè relatis, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Nam vt Ecclesia sit inuincibilis portis inferi, adeóque infallibilis in fide; necesse est Petrum, cui vt Doctori nititur, infallibilem esse; subuerso enim fundamento rueret ædificium. Deinde, cùm Petro, vt Pastori vniuersali, tota Ecclesia subiecta fuerit, vt suprà ostendimus ex alio loco Ioan. 21. tenetur tota Ecclesia in dubijs fidei, ductum illius sequi. Ergo si Petrus potest errare in fide, vt Pastor vniuersalis docens totam Ecclesiam, poterit etiam, imò & tenebitur errare tota Ecclesia, atque ita portæ inferi præualebunt. Præterea Christus Luc. 22. v. 31. sic alloquitur Petrum: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vbi nota primò, compellari bis Simonem, vt attendat ad proprium priuilegium. Secundò, Christum priùs omnes Apostolos allocutum, dicere Petro specialiter, se orasse pro ipsius fide. *Ego autem oraui pro te vt non deficiat fides tua.* Indicat verò orasse efficaciter, & fuisse exauditum, quia per illud: *Ego autem*, constituit oppositionem sui fauoris contra vim dæmonis tentaturi. Tertiò, per iussionem illam, *Confirma fratres tuos*, designare se loqui Petro, non vt priuato, sed vt Pastori paulò pòst constituendo, & confirmatori eorum omnium, qui fratres dici possent, nec exceptis Apostolis. Quartò, sicut Christus locutus est Petro, vt Pastori, per illud, *Confirma fratres tuos*: ita eidem locutum esse, vt Pastori, per priora illa, *vt non deficiat fides tua*: quia hæc sunt fundamenta confirmationis illius, id est, instructionis firmæ in rebus fidei; ita vt Petrus, quâ Pastor docens totam Ecclesiam, falli non possit.

41. Potestas Petri & infallibilitas transeunt ad successores. Dico tertiò, primariam, & vniuersalem potestatem in Ecclesiam Petro concessam, & infallibilitatem in fide, non desijsse cum ipso; sed transiuisse ad successores, qui sunt Romani Pontifices. Prima pars probatur, quia Ecclesia Christi militans, perpetua est: Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt, &c.* Ergo eius fundamentum à Christo institutum, debet esse perpetuum, & semper infallibile. Neque enim staret ædificium sine fundamento. Vel ergo est perpetua in persona Petri, vel in Successoribus. Non primùm, quia per martyrium mox desijt ab exercitio Pastoris, clauigeri, & fundamenti. Ergo in Successoribus. Neque dicas Petrum adhuc esse fundamentum, quia manent ipsius Epistolæ, quibus Ecclesiam instruxit in fide, & instruet vsque ad finem mundi. Hoc enim non sufficit, præsertim cùm Petrus tam pauca scripserit præ Paulo, & Euangelistis: sed necessarius est Pastor, & Doctor, qui in dubijs clarè definiat, & portis inferi, atque erroribus inuincibiliter se opponat. Ac sicut Christus, qui est Summus Ecclesiæ Pastor & primarium fundamentum, cámque iuuare non desinit; quia tamen discessurus de mundo non ampliùs erat visibiliter recturus illam, Vicarium habere voluit: sic Petro mortuo, eandem ob causam Successorem dari oportuit. Probatur quòd in Petro non deficit. Secundò Christus, teste Apostolo Ephes. 4. v. 11. constituit in Ecclesia Pastores, & Doctores duraturos vsque ad mundi finem, *donec occurramus, &c.* Ne fluctuemus in fide, & circumferamur omni vento doctrinæ in astutia hominum. Ergo munus Pastoris est munus ordinarium, vt etiam fatentur Hæretici; & perpetuò duraturum; & quamdiu erunt oues Christi, tamdiu erit qui eas pascat, quique infallibiliter regat. Quòd si Pastores alios voluit Christus esse perpetuos, multò magis caput Pastorum. Nam supremus Pastor non est minùs necessarius post mortem Petri, quàm antè: Imò magis, ad vitanda schismata ex coniunctione ad vnum: ad Concilia cogenda, & dirigenda: ad curam propagandi Euangelium per totum orbem: ad Prælatos immediatos in officio continendos: ad leges ferendas, in quibus consentiamus, vtpote vnum corpus mysticum: & ad alia officia Pastoris: maximè in tanto numero Christianorum. Cúmque Christus in terris viuens Ecclesiam rexerit, vt supremum caput Monarchiæ, & Petro eandem potestatem communicauerit, vt suprà vidimus: non est existimandum statum illum Hierarchicum, & Monarchicum, à Christo inceptum, & in Petro continuatum, cum ipso desijsse; sed potiùs optimum illud genus regiminis in Petri Successoribus perpetuo durasse, secundùm Christi intentionem, & institutionem. Confirmatur, quia in lege veteri fuit Summum Sacerdotium per continuam successionem; quamdiu lex illa durauit. Ergo à fortiori in lege noua, quæ perfectior est, nec minùs eget Summorum Sacerdotum successione perpetuâ, ad bonum statum, & regimen. Iam verò, summum illum, & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, esse in fide infallibilem, necessarium est, ne Ecclesia vniuersa, quæ in dubijs fidei ipsum sequi tenetur, exponatur erroris periculo: Ergo non tantùm primaria, & vniuersalis potestas, sed & infallibilitas ad Successores transmissa est. Tertiò denique, pro eadem parte conclusionis afferri, possent innumera Sanctorum Patrum, & totius antiquitatis testimonia clarissima, quæ vide apud Bellarm. lib. 2. de Pontifice, cap. 13. & sequentibus, Gauterium Sæculo 1. & sequentibus, veritate 11. Canum, Sandetum, & alios supra citatos num. 36. in fine. Tantùm aduerto, Patres non id solùm ex suo sensu asserere, sed Scripturæ loca suprà citata ex Matth. 16. Luc. 22. & Ioan. 21. ita interpretari. Verus autem sen-

sus horum locorum sine dubio ille est, quem successores Apostolorum, à quibus eum cum litera acceperunt, constantissimè tradunt.

42. Probatur transire ad Successores. Secunda pars conclusionis, quod Romani Pontifices sint Petri successores in summa potestate, & infallibilitate, probatur primò: quia successio supremi Pastoris infallibilis, ex dictis, perpetua est à Christo huc vsque. Non est autem alibi, quàm in Ecclesia Romana: neque enim vlla alia Ecclesia Catholica, vel secta Hæreticorum, eam sibi vendicàt. Secundò probatur ex continua successione Pontificum Romanorum in Petri Sede, descripta, & testata ab antiquissimis Scriptoribus, Irenæo lib. 3. c. 3. Tertull. in carmine contra Marcionem lib. 3. in fine. Epiphanio hæresi 27. Optato lib. 2. contra Parmenianum, Aug. tom. 6. libro contra Epistolam fundamenti c. 4. & tom. 7. Psalmo contra partem Donati, in fine, & plurimis Historicis, quibus non minùs credendum est, quàm referentibus continuam seriem Imperatorum, & Regum. Nec enim in oculis orbis scribi potuisset tam constanter singulis sæculis, eiusmodi successio, si labâsset veritas. Illi verò enumerant determinatos homines successores Petri, non modò in regimine priuatæ Ecclesiæ, quæ est Romæ, sed etiam vniuersæ. Quorum seriem ex omnium sæculorum testimonio collectam, vide apud Coccium tom. 1. lib. 7. & 8.

Ex continua successione Pontificum.

Et ex Cōcilijs generalib. Probatur secundò ex Concilijs generalibus, in quibus aduerte non potuisse Ecclesiam infallibilem deferre falsò talem primatum, neque se submittere, nisi superiori, in rebus fidei, nec dissimulare iniquam vsurpationem supremæ potestatis. Atqui successionem in Petri Sede, & primatu, generalemque iurisdictionem in totam Ecclesiam, tribuunt Romano Pontifici Concilium Nicænum 1. Can. 39. iuxta translationem factam ex codice Arabico, de cuius auctoritate, & fide, vide Turrianum tom. 1. Concilium Chalcedon. Act. 16. in Epist. Synod. ad Leonem Papam: Generale VI. Act. 4. in Epist. Agathon: Papæ, quæ approbatur Act. 8. c. 18. vt omittam alia Concilia posteriora, quæ Hæretici, licet immeritò, non admittunt. Verba Conciliorum locis citatis, & plura alia antiquorum testimonia relata, vide apud Coccium lib. 7. de Hierarch. Ecclesiast. art. 4. Gauterium in tabulis Chron. Verit. 11. Cardinalem Perron. lib. 1. Replicæ c. 34. & Suar. Disp. 10. de fide, Sect. 2.

43. Confirmatur testimonio Patrum. Probatur tertiò ex consensu, & testimonio Sanctorum Patrum, atque ipsorummet primorum, & antiquissimorum Pontificum Romanorum: qui, licet in propria causa, suspecti esse non debent, propter eximiam sanctitatem: cùm eorum plurimi fuerint sancti, & martyres, neque tantam dignitatem falsò sibi arrogare voluerint: Est enim notatu dignissimum, triginta tres primos, qui Pontificatum in Romana Ecclesia gesserunt, fuisse omnes martyres, qui pro sua eximia sanctitate non sibi falsò arrogarunt dignitatem Pastoris supremi, quam passim sibi tribuunt in suis Epistolis, & decretalibus, quæ habentur collectæ tom. 1. Conciliorum, maléque in dubium vocantur à Nouatoribus, cùm pleræque (etsi non omnes,) sint certò certiùs antiquissimæ, & à multis iam sæculis admissæ. Qua de re videri possunt Franciscus Turrian. in Epist. Pontific. & Baronius in Annalib. Ecclesiast. Eorumdem autem Pontificum, & Sanctorum Patrum testimonia diligenter collecta, videri possunt apud Coccium suprà, Sanderum lib. 2. de visibili Monarchia, & Bellarm. lib. 2. de Pontifice c. 14. 15. & 16.

Probatur quartò ex multiplici vsu, & exercitio huius potestatis. Primò in recursu ad Romanos Pontifices ex toto orbe in causis hæresis: quippe ad quos vndique missi fuerunt hæretici, vt vel errores suos retractarent, vel eorum damnationem subirent. Quemadmodum videre est apud Baronium in Annalibus Ecclesiasticis: de Marcione quidem, anno 146. de Valentino, an. 155. de Origene, & eius fautoribus, an. 248. & 400. de Africanis, an. 254. de Vrsacio, & Valente, an. 350. de Vitali, an. 373. de Pelagio, & Celestio, anno 418. & 430. & de alijs deinceps, ijsdem sæculis, & annis quibus eorum hæreses exortæ sunt. Secundò, in consultatione Romanæ Sedis, ex omni orbe Christiano in causis fidei, & morum. Sicut Anicetum Papam à Polycarpo, & Eleutherum ab Irenæo consultum fuisse scribit Hieron. in lib. de Viris illustribus: & Hieronymus ipse Damasum Papam consuluit super tribus hypostasibus, Epist. 57. & Cyprianus Cornelium, vt constat ex varijs eius Epistolis ad eundem Pontificem: & Augustinus, cùm alijs Episcopis Africæ, recurrit ad Innocentium I. in quæstionibus fidei, Epist. 90. & 91. Quod idem Innocentius initio Epistolæ 91. affirmat Sedi Apostolicæ deberi. Tertiò, in approbatione, vel reprobatione Conciliorum, etiam generalium. Nam omnia Concilia generalia legitima, fuerunt indicta, vel saltem confirmata à Romana Sede, & ipsamet confirmationem postularunt. Quæ verò Sedes Apostolica rejecit, fuerunt quoque ab Ecclesia rejecta. Qua de re vide Baronium ad singulos annos quibus habita sunt Concilia, & Bellarminum lib. 1. de Concilijs. Quartò, in exercitio supremæ iurisdictionis spiritualis summi Pontificis in totum orbem: cuius rei testimonia, & exempla antiquissima, videri possunt apud Concilium Sardicense Can. 3. 4. & 7. Athanasium Apologia 2. de sua fuga: Chrysostomum Epist. ad Innocentium: Hieronymum Epist. 16. Nicephorum lib. 11. cap. 48. & lib. 13. cap. 34. Leonem Papam Epist. 89. ad Episcopos Galliæ. Idémque patet ex plurimis alijs Decretalibus summorum Pontificum antiquissimorum, quæ habentur tom. 1. Conciliorum; & ex alijs quæ diximus in tractatu de Sacramento Ordinis, tom. 5. Disp. 68. Sect. 5. num. 48. & sequentibus. 44. Et ex vsu perpetuo.

Ex his autem omnibus euidenter conuincitur, Pontifices Romanos esse Petri successores, habeŕeque iurisdictionem vniuersalem in totam Ecclesiam, non per tyrannicam inuasionem, aut vsurpationem, sed per Christi institutionem, in Scripturæ locis initio citatis expressam, & continuo vsu Ecclesiæ, ac perpetua traditione declaratam. Sequitur præterea, & 45. Pontifices Rom. sunt Petri successores.

conuincitur id quod initio Sectionis proposuimus, summi Pontificis definitionem etiam solius, absque generali Concilio, esse Regulam fidei infallibilem, quando loquitur ex Cathedra, & vt Pastor vniuersalis, proponens aliquid authenticè, vniuersæ Ecclesiæ tanquam de fide. Probatur, quia Petro (& consequenter Successoribus) soli, id est, vt præcisè sumpto ab Ecclesia ei subiecta, & super ipsum extructa, adeóque à Concilio generali Ecclesiam repræsentante, dictum est, *Tu es Petrus, &c.* Eidem soli, & vt distincto à fratribus, id est, à reliquis, etiam ab Apostolis ipsis, & Episcopis (qui ad Concilium vocari debent) eorumque confirmatori, & pastori dictum est, *Ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, &c.* Eidem soli data est cura generalis totius ouilis Christi, cum potestate pascendi, & regendi totam Ecclesiam: & consequenter imposita est Ecclesiæ obligatio ipsum audiendi, & sequendi, verbis illis; *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Hæc, inquam, omnia dicta sunt Petro singulariter, non Petro & Ecclesiæ; vel Petro & Concilio generali. Ergo Petrus, & successores, habent in seipsis præcisè sumptis à reliquo corpore Ecclesiæ, potestatem, & infallibilitatem, super quam reliqua Ecclesia fundatur, & cui parére tenetur.

46. *SS. Patres ad illos recurrerunt.* Confirmatur primò auctoritate SS. Patrum, qui hanc Summorum Pontificum infallibilitatem clarè agnoscunt, & ad illam in dubijs, velut ad sacram anchoram, aut confugiunt, aut confugiendum esse docent. Vt S. Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam. *Hic in tres partes*, inquit, *scissa est Ecclesia. Me ad se festinat rapere Meletius: Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Quisquis extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.* Et Bernard. Epist. 190. ad Innocentium Papam de erroribus Abaillardi, *Dignum arbitror*, inquit, *ibi resarciri fidei damna, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi aliquando dictum est, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?* Et cap. *Quoties*, 24. q. 1. sumpto ex Innocentio I. Epist. 26. ad Episcopos Concilij Mileuitani, *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere.* Et Agatho Papa in Epistola approbata in VI. Synodo generali, Act. 8. *Ecclesia Romana*, inquit, *nunquam errauit a tramite Apostolicæ traditionis: quia dictum est Petro, Ego rogaui pro te, &c. Sic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos mea exiguitatis prædecessores fecisse semper cunctis est agnitum.* Et S. Lucius I. Papa, & Martyr, in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ; *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum; quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis deprauata nouitatibus succubuit, secundum ipsius Domini pollicitationem, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Similia habet Felix I. Papa, & Martyr, in Epistola ad Benignum.

47. Propter quæ, & alia plurima id genus, meritò Schola Parisiensis in errorum Malesoni refutatione, quæ habetur in fine libri 4. Sententiarum, ita pronuntiauit conclus. 1. *Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali supremâ, circa ea quæ sunt fidei, iudicialiter definire: ex eo quòd fides nunquam ex vi promissionis Christi Petro factæ poterit deficere.* Et vt refertur in Summa Conciliorum, in vita, & gestis Sixti IV. damnatus fuit Petrus Oxomensis Clericus sæcularis, & Doctor Parisiensis, in congregatione Doctorum 52. Compluti habitâ, per Alfonsum Carillum Archiepiscopum Toletanum, anno 1479. eò quòd inter cætera assereret Vrbis Romæ Ecclesiam in fide errare posse, id est, Sedem Apostolicam. Fuitque illa condemnatio per specialem Extrauagantem confirmata à Sixto IV. Et Doctor ille sententiam suam retractare coactus, combustis publicè eius libris, & cathedrâ in qua docuerat: vt referunt post Mirandam in Summa Conciliorum, loco supra citato, Bannez 2. 2. quæst. 1. a. 10. disp. de Ecclesia, & Andreas Du Val in Elencho libelli de Ecclesiastica, & Politica potestate. *Contra sentientes damnantur.*

48. *Confirmatur ex sensu Ecclesiæ.* Confirmatur 2. ex sensu, & vsu Ecclesiæ, quæ pro Hæreticis habuit, quos in fidei dubijs Summus Pontifex sine Concilio Generali condemnâsset, vt Pelagium, Priscillianum, Iouinian. Vigilant. & plures alios. Ergo tota Ecclesia credidit Summum Pontificem, etiam sine Concilio Generali, esse infallibilem, & posse definire controuersias fidei. Et vero illi, qui non soli Papæ, nec cum Concilio Prouinciali, aut Nationali, vtpote fallibili, sed tantùm cum Concilio Generali tribuunt infallibilitatem; tollunt sæpe viam decidendis controuersijs fidei, in tam crebris hæresibus, & tanta difficultate conuocandi totam Ecclesiam ad Concilium generale. Et ex praxi antiquorum Conciliorum, constat potestatem decidendi non esse datam Summo Pontifici dependenter à Concilio: sed potiùs Concilio dependenter à Summo Pontifice: cùm eius sententiam Concilia sequantur, & ab eo petant approbationem suarum definitionum, sine qua non habent auctoritatem definitionis infallibilis; vt videre est in Concilio Chalcedonensi, & Synodo VI. Generali, locis suprà citatis.

Non propterea Concilia sunt frustra. Neque objicias, si Summus Pontifex, etiam solus, est infallibilis, non fore opus Concilijs Generalib. Respondeo enim, adhuc esse illis opus multis de causis. Primò, vt grassantes hæreses efficaciùs compescantur. Secundò, vt Hæretici magis confundantur. Tertiò, vt Pontifex meliùs instruatur, & controuersiæ grauiores, maiori consilio, & maturiori terminentur. Quartò, vt meliùs constet omnibus de consensu totius Ecclesiæ. Quintò, vt leges vniuersales conuenientiùs ferantur, præsentibus ex toto orbe Christiano Episcopis, & quid expediat proponentibus: Sextò denique, vt os claudatur durioribus, qui putant definitionem solius Pontificis non sufficere.

49. *Pontifex quomodo & quatenus infallibilis.* Dixi *Summum Pontificem esse infallibilem, cùm loquitur ex Cathedra, vt Pastor vniuersalis proponens vniuersæ, &c.* Quia vt respondens Ecclesiæ alicui particulari, vel non

definiens, seu proponens authenticè, sed loquens tantùm vt Doctor priuatus, & opinionem suam exponens, errare potest, vt ostendunt exempla nonnulla, quæ ab errore non possunt excusari, fatente ipso Bellarmino, lib. 4. de Pontifice cap. 12. in Pontifice XXVI. Nicolao I. asserente baptismum in nòmine Christi tantùm, validum esse. Et cap. 14. in Pontifice XXXII. Alexandro III. Capite *Licet, de Sponsa duorum*, declarante, & damnante aliquos prædecessorum suorum, opinatos matrimonium de præsenti contractum, dissolui per aliud subsequens consummatum. Et in 33. Pontifice Cœlestino III. affirmante matrimonium solui quoad vinculum per hæresim alterius coniugum, vt habebatur in c. *Laudabilem*, iam expuncto è Iure Canonico.

Addit Valentia Disp. 1. de Fide, qu. 1. p. 7. §. 40. probabile esse, posse Pontificem apertam hæresim Ecclesiæ obtrudere. Neque enim, inquir, id coniunctum est cum Ecclesiæ periculo, vtpote quæ iam agnoscens per hæresim manifestam, Pontificem huiusmodi de auctoritate suà decidisse, & contra compertam in Ecclesia fidem docere; minimè tunc eum tanquam Pastorem audire, sed tanquam lupum manifestum fugere teneretur. Secus verò est de rebus alioqui omnino controuersis, id est, non satis expressè in Ecclesia compertis & determinatis. Si enim posset in illis definire, vt persona publica, errorem contra fidem; teneretur Ecclesia vniuersa Pontificem de re controuersa docentem, ac nondum hæresi manifestà notatum, pro Pastore suo agnoscere, & audire, adeóque errare: Hæc ille. Alij quoque sunt è Doctoribus Catholicis, qui Pontificis infallibilitatem restringunt ad res controuersas necessarias ad salutem, quasi aliquæ sint controuersiæ, de quibus Pontifex possit non verè constituere.

50. Possitne obtrudere hæresim manifestam?

Sed ad hæc dico primò, repugnare Christi promissioni, Petro factæ & Successoribus veluti Pastoribus vniuersalibus, Luc. 22. vt quamdiu sunt Pastores vniuersales, & quà tales loquuntur authenticè toti Ecclesiæ, apertum errorem obtrudant tanquam de fide. Sic enim deficeret eorum fides, vt sunt Pastores vniuersales, & illud officium pleno iure exercent: Cùm tamen Christus loco citato prædixerit fidem illorum non defecturam; quod de illis saltem vt talibus intelligendum est. Non decideret autem à Pontificatu, qui per ignorantiam laberetur in hæresim, & obtrudere eam vellet: imò nec qui tantùm priuatim, & interiùs hæresi assentiretur culpabiliter.

Secundò dico, hactenus nunquam tale quid contigisse, ne quidem temporibus Ecclesiæ iniquissimis, quibus vix possunt deteriora timeri. Vnde credendum est nunquam euenturum, nec euenire posse, Deo non permittente. Licet enim Liberius hæresi Arrianæ subscripserit, exilij tædio coactus; Arrianismum tamen non proposuit toti Ecclesiæ sequendum; sed peccauit, vt Petrus, in professione externa fidei. Vnde à Clero Romano depositus est, & alius substitutus. Honorius verò, si Monothelitis fauit, vt multi opinantur, nihil tamen circa errorem illum toti Ecclesiæ præscripsit. Sed omnino non fauit, vt conuincunt efficacissimè argumenta, & testimonia antiquorum relata à Bellarm. lib. 4. de Pontifice c. 11. quem consule. De Marcellino quoque, qui idolis sacrificasse dicitur, vide Spondanum in eodem Pontifice, qui falsum id esse contendit. Ioannes quoque XXII. falsò dicitur definiuisse animas non videre Deum ante corporum resurrectionem: cùm, vt testatur Benedictus XII. eius Successor immediatus, Ioannes nihil definierit, sed vitæ ereptus fuerit, dum adhuc in præparatione, & consultationibus versaretur. Omnino Ecclesiæ Sanctitati repugnare videtur talem habere Pontificem, qui quantum in se est, totam Ecclesiam ad errandum compellat; quemadmodum faceret, qui apertum errorem authenticè ipsi proponeret.

Tertiò, si alij per res necessarias ad salutem, intelligant eas tantùm, quæ absolutè necessariò credi debent ab omnibus: Ita vt in alijs omnibus possit errare Pontifex: poterit Ecclesia plena esse erroribus; cùm illa, omnibus necessariò proponenda, paucissima sint, vt alibi videbimus; cætera verò reuelata, sint longè plura. Si autem per res necessarias intelligant eas omnes, quæ postquam sufficienter propositæ sunt, non possunt negari sine iactura salutis: hoc modo quidquid definit Pontifex tanquam de fide, necessarium est; & qui dissentiunt, hæretici semper sunt habiti, vt ostendimus sect. præcedenti. Adde hanc limitationem priore sensu intellectam, dubias facere Pontificum definitiones, cùm dubium esse possit in plurimis, num hoc aut illud credere sit illo priori modo necessarium ad salutem, adeóque tale, vt Pontifex in eo errare nequiuerit.

An erre re circa non necessaria ad salutem.

Vide Disp. 17. sect. 13.

SECTIO V.

Soluuntur objectiones Hæreticorum contra doctrinam præcedentem.

Svperioribus assertionibus multa opponunt Nouatores. Et primò, contra Petri primatum, objiciunt omnes Apostolos habuisse iurisdictionem vniuersalem in totam Ecclesiam: & fuisse inter se pares: iuxta illud Cypriani lib. de vnitate Ecclesiæ, circa principium, *Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.* Nec vnquam Petrum exercuisse primatum & iurisdictionem in alios Apostolos: contrà verò, missum fuisse cum Ioanne ad Samaritanos, Act. 8. Et reprehensum à Paulo, Galat. 2. qui ibidem affirmat Petrum nihil sibi contulisse, sed tantùm dexteram societatis dedisse: & creditum sibi fuisse Euangelium præputij; sicut & Petro, Circumcisionis. Et 2. Cor. 11. ait ad se pertinere omnium Ecclesiarum sollicitudinem. Exaggerant etiam Nouatores illam Petri reprehensionem iustam: *Quia*, vt Paulus ait, *reprehensibilis erat*; & trinam negationem, & hæsitationem in ambulando super aquas, & similia, ad impugnandam supradictam infallibilitatem. 51.

Apostoli quomodo pares?

Respondeo Apostolos quidem omnes habuisse iurisdictionem vniuersalem in totam Ecclesiam, eámque à Christo ipso immediatè accepisse: Sicut & Apostolicam dignitatem: Verbis scilicet illis, Ioannis 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* iuncto Matth. vltimo, & Marci vltimo, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, &c.* Et Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaueritis, &c.* Sed nihilominus Petrum triplici titulo superasse dignitate, & potestate cæteros Apostolos. Primò, quia dignitas, & iurisdictio vniuersalis fuit in eo, vt in Pastore ordinario totius Ecclesiæ, cui succedendum erat: In alijs verò non ita, sed eorum potestas vniuersalis, quodammodo delegata erat, & ex priuilegio. Secundò, quia iurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè; nimirum poterat illis, vt ouibus, præcipere, atque huc aut illuc mittere. Tertiò, singulis Apostolis data est vniuersalis potestas in hunc sensum, vt vbique Gentium possent prædicare, absoluere, Episcopos instituere, & similia. Non tamen, vt possent singuli vniuersalem Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere, quæ totam obligarent. Nam si hoc possent singuli, magna confusio oriretur. Quare in hoc etiam Petri potestas super alios eminebat. Ita Suar. Disp. 10. Sect. 1. num. 1. 2. 3. & 25. apud quem plura vide.

Exponitur locus Cypriani.

Cyprianus verò pares facit Apostolos in munere Apostolatus præcisè; siue in eo; quod acceperunt verbis illis ad omnes simul prolatis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* At non in eo, quod Petrus speciatim accepit, Ioan. 21. verbis illis, *Pasce oues meas*, quibus primatum Petro datum agnoscit idem, Cyprianus ibid. cuius locus citatus integer sic habet: *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamvis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, &c. Si cui remiseritis peccata, &c. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit: & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis* (nimirum ante illa Christi verba ad Petrum: Pasce oues meas) *Sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.* Huc vsque Cyprianus. Simili modo loquitur Hieronymus lib. 1. in Iouinian. paulo post medium: Vbi licet affirmet Apostolos omnes fuisse pares, in dignitate scilicet Apostolica; ait tamen vnum è duodecim fuisse electum, vt constituto capite omnis Schismatis tolleretur occasio.

52. Exercuit ne Petrus iurisdictionem

Quod si Petrus non legitur in Scripturis iurisdictionem exercuisse in alios Apostolos: Primò non omnia, quæ fecit, scripta sunt. Deinde, cùm omnes alij regerentur à Spiritu sancto, optiméque se gererent; non fuit opus exercere: Non pauca tamen, nec leuia primatus Petri super ipsos apparent indicia. Vt, quòd vnus loquitur in Concilio de substituendo Apostolo in locum Iudæ, Act. 1. v. 15. Quod nisi Petrus fecisset ex officio, pertinuisset potiùs ad aliquem alium, quàm ad Petrum trinæ negationis reum, & Iudæ quodammodo socium. Quòd post Pentecosten, stans cum vndecim Discipulis, vnus inchoat prædicandi munus, Act. 2. v. 14. Quòd primus prædicat Gentibus, viso proprio, solus à Deo monitus, vt eas in sinum Ecclesiæ admitteret, Act. 10. v. 10. & cap. 15. v. 7. Quòd in Disputatione de Legalibus, exurgens primus ad Seniores & Apostolos verba facit, ibidem. Quod in numerandis Apostolis dicitur primus, Matth. 10. v. 2. *Primus Simon qui dicitur Petrus Andreas, &c.* Et similiter licet inuerso aliorum ordine, tamen primus recensetur constanter, Marc. 3. v. 16. Luc. 6. v. 14. Act. 1. v. 13. Qui ordo nec seruatur ob prioritatem in vocatione, in quâ prior Andreas: nec ob ætatem, Nam Andreas senior, ex Epiphanio: aut si Petrus senior, vt alij malunt, certè patet in numerandis Apostolis, non seruatum ordinem ætatis, cùm alij interdum inuerso ordine numerentur; neque putandum est id casu factum, vt & quòd Iudas proditor vbique numeretur postremus: nec alia ratio probabilis occurret, nisi primatus explicatus. Imò quando numeratur Petrus, etiam cum duobus, aut tribus alijs, semper præponitur: Vnico loco excepto, ad Galat. 2. v. 9. Vbi Iacobo postponitur: quanquam Codices Hieronymi, Ambr. Aug. etiam præponunt. Denique interdum nominantur alij Apostoli, quasi Petro commissi, & aliquid illius; aut ipse solus velut præcipuus designatur: Luc. 9. v. 32. *Petrus, & qui cum illo erant:* Marc. 16. v. 7. *Dicite Discipulis, & Petro,* Act. 5. v. 29. *Petrus. & Apostoli dixerunt.* in Apostolos?

Quomodo missus cum Ioanne?

Missio autem Petri ad Samaritanos non arguit inferioritatem: alioqui Filius, & Spiritus sanctus essent minores Patre, à quo mittuntur. Neque facta fuit imperando, sed communi consilio, iudicatum fuit à Petro ipso cum alijs, expedire vt iret. Potuit verò, quamvis superior Paulo, ab ipso reprehendi: quia licet inferiori reprehendere superiorem ex charitate, præcipuè si peccat formaliter, aut materialiter cum aliorum scandalo. Quod autem Paulus ad Galat. 2. ait Petrum sibi nihil contulisse, intelligendum est in doctrina, aut etiam potestate Apostolica prædicandi, & alia munia exercendi, quam à Christo immediatè acceperat. Non negat tamen contulisse sibi multum auctoritatis communicationem illam, & communionem cum Petro, quam quæsiuit, ne fortè alijs videretur in vanum currere, aut cucurrisse: Ob idque ascendit Ierosolymam videre nominatim Petrum, apud quem mansit dies quindecim, Galat. 1. v. 18. Creditum verò fuit Petro Euangelium Circumcisionis, non quasi Gentibus prædicandi potestatem non habuerit, quam ipse primus exercuit, Act. 10. v. 11. & cap. 15. v. 7. Vbi ait Deum elegisse Gentes Euangelium audire per os suum: Sed quia communi consilio Petrus præcipuè curam sumpsit

Circumcisionis, quæ tunc erat pars Ecclesiæ præcipua. In qua Christo specialiter successit, qui fuit primò missus ad oues Israël, & Rom. 15. v. 8. dicitur minister Circumcisionis; id est, Euangelista, & Doctor Iudæorum. Habebat autem Paulus solicitudinem omnium Ecclesiarum, quia pro omnibus strenuè laborabat ex charitate, plurimas fundabat, & obibat, atque in omnes iurisdictionem habebat, cum aliqua tamen subordinatione ad Petrum, modo superiùs explicato. Errata verò Petri, si quæ verè allegantur ab Hæreticis, eius dignitatis osoribus, non fuerunt in difiniendo, & præscribendo toti Ecclesiæ de fide, vel de moribus: & præcesserunt constitutionem ipsius in caput, & fundamentum Ecclesiæ, factam Ioan. 21. post resurrectionem: excepto vltimo, Galat. 2. de quo longam Disputationem texuerunt post Hieronymum, & August. Baronius tom. 1. Annalium ad annum Christi 51. Iustinianus: Esthius & Cornelius à Lapide in illum Pauli locum, alijque eius interpretes: Itemque Suar. Vasq. & alij Scholastici in tract. de legib. vbi nos etiam hac de re disputauimus.

53. Obiectio ex Aug. Objiciunt secundò, D. Augustinum tom. 3. lib. de Agone Christiano c. 30. sic loqui; *Cùm Petro dicitur, ad omnes dicitur, amas me? Pasce oues meas.* Ergo falsum est quod diximus, primatum eo loco singulariter Petro fuisse concessum. Idemque S. Doctor Serm. 13. de verbis Domini, & tract. vltimo in Ioannem, interpretans alterum locum pro primatu allatum, ex Matth. 16. per *Petram* Christum intelligit, *Tu es Petrus, & super hanc petram, id est, super me ipsum, qui petra sum, à qua tu Petrus denominaris, fundabo Ecclesiam meam.* Addunt, non posse aliud esse fundamentum Ecclesiæ, iuxta illud 1. Cor. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Sunt etiam qui per petram, intelligant fidem Petri. Alij dicunt quoscumque fideles, & omnes Christianos esse petram per fidei firmitatem. Alij omnes Apostolos, quorum omnium nomine Petrus locutus erat, respondens illi interrogationi Christi ad omnes directæ. *Vos autem quem me esse dicitis?* Addunt denique Nouatores, claues ibi nihil aliud, quàm potestatem prædicandi significare, per quam homines Deo reconciliantur, & ad regnum cœlorum admittuntur.

Exponitur Aug. Ad primum respondeo illud Augustini analogicè intelligendum esse, quòd scilicet Christus ab omnibus similem amorem, & curam proximorum exegerit, licet non omnibus parem dederit potestatem cum Petro, cui primatum ibi concessum fuisse agnoscit idem S. Doctor tom. 9. lib. de Pastoribus, c. 13.

Ad secundum dico Augustinum lib. 1. Retract. c. 21. vtramque dare explicationem, & lectori eligendam relinquere. Patet autem ex dictis nostram literalem esse, & communem Sanctorum Patrum, & textui planè accommodatam; cùm omnia satis manifestè ad Petrum pertineant: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, vel vt habet Syriacus, *Tu es rupes, & super hanc rupem ædificabo Ecclesiam meam.* Adde Christum idcirco nomen illius mutasse, Simonis in Petrum, vt significaret ipsum fore petram fundamentalem Ecclesiæ. Videtur etiam particula, *&*, habere hoc loco vim caussalem, vt sæpe habet in textu Hebraico. Solet enim Deus mutando nomina, rationem reddere mutationis: vt pluribus exemplis ostendit Gordon: Huntlæus Controuer. 1. c. 23. num. 4. 5. & 6. Quasi dixerit Christus, *Tu es petra, quia super hanc petram, &c.*

Ad tertium respondeo Christum esse primum lapidem, primùmque fundamentum Ecclesiæ, cui dupliciter nititur; Primò, vt Redemptori, & viuificatori; Secundò, vt Doctori, & Gubernatori. Priori modo Christus solus fundamentum est, à quo vitam supernaturalem in actu primo, & secundo trahit Ecclesia. Posteriori modo, cùm Christus per se ipsum non semper doceat, & gubernet visibiliter, Vicarium instituit, qui suo nomine id faceret: qui hoc sensu est secundarium fundamentum. Et quamvis alij quoque Apostoli fundamenta dicantur, Eph. 2. v. 20. & Apocal. 21. v. 23. Petrus tamen specialiori, & potiori ratione, vt indicant mutatio nominis, & alia suprà notata. 54. Quo sensu Christus solus est fundamentum.

Ad quartum: Patres, qui explicant vocem *petram*, de Fide Petri, nobis non obsunt. Fatemur enim non supra Petrum purè consideratum, eiusque materiales humeros; sed super ipsum, vt credentem, & docentem, seu, quod idem est, supe. fidem Petri, vt intimatam, fuisse fundatam Ecclesiam. Expositio verò petræ de quolibet fideli, ab Erasmo excogitata, occasione Origenis, allegoricè more suo locum illum exponentis, est aliena à sensu literali, vt ex dictis apparet; & ineptissima est. Si enim singuli fideles sunt Petra, supra quam Ecclesia fundatur: quinam erunt lapides, qui super imponentur ad extruendum ædificium? Certè tota Ecclesia fidelium erit fundamentum: & Ecclesia extructa super fundamentum, constabit tantùm ex infidelibus: quod absurdissimum est. Neque minùs clarum est verba illa Christi non ad omnes Apostolos, sed ad Petrum singulariter dirigi, *Beatus es Simon Bariona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. Et tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Quæ verba literaliter, vt sonant, & historicè intelligenda sunt. Solus etiam Petrus hinc Petri nomen assumpsit, quod nullus alius Apostolorum sibi vsurpauit.

Quod autem D. Aug. c. 30. de Agone Christiano, & tract. vltimo in Ioannem ait, Petrum repræsentasse Ecclesiam: intelligendum est repræsentasse in capite; & in eius commodum claues accepisse, non sibi tantùm, sed & suis Successoribus, atque etiam Prælatis inferioribus communicandas ex intentione Christi, ad bonum regimen Ecclesiæ. Repræsentasse, inquam, non vt eius legatum, instar Proregis accipientis claues nomine Principis: sed vt caput, & Principem totius Ecclesiæ: quemadmodum affirmat ipsemet Augustinus tract. vltimo in Ioan. His verbis: *Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figuratâ generalitate personam.* Et in Psal. 108. Quomodo Petrus repræsentauit Ecclesiam claues accipiens.

Cuius, Ecclesiæ scilicet, *ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit.* Interpretatio verò clauium de sola potestate prædicandi, hæreticorum cerebro digna est. Facit enim, vt Christus tanquam fauorem magnum promiserit Petro Matth. 16. id, quod iam antè illi, & alijs Apostolis concesserat Matth. 10. v. 5. & sequentibus: repugnátque expositioni Patrum, & metaphoræ clauium in Scriptura vsitatæ ad significandam Pontificiam dignitatem, Isaïæ 22. v. 22. & Apocal. 3. v. 7. vbi Christus iam in cœlum receptus, dicitur habere clauem Dauid, & aperire, & claudere, cùm tamen ampliùs non prædicet.

55. Objiciunt tertiò, Petrum nunquam Romæ fuisse. Ergo Romani Pontifices non sunt illius Successores. Secundò, Petrum Antiochiæ sedisse cuius tamen Episcopi non sunt Pastores vniuersales Ecclesiæ. Ergo neque Romani, quamvis Petrus Romæ sedisset. Tertiò, alij Apostoli non habuerunt Successores in munere Apostolatus. Ergo nec Petrus. Quartò, Gregorius magnus lib. 4. Epist. 32. recusat dici vniuersalis Episcopus, & hoc nomen prophanum esse affirmat. Et in Concilio Carthagin. III. can. 26. prohibitum est ne Romanus Episcopus diceretur vniuersalis. Et can. 6. Concilij Nicæni I. dicitur Episcopus Alexandrinus habere parem pôtestatem cum Romano Episcopo.

Fueritne Romæ? Ad primum respondeo, vel hoc vno Nouatores satis ostendere suorum dogmatum falsitatem, cùm ad ea tuenda coguntur toti antiquitati resistere, affirmanti Petrum Romæ fuisse, & martyrium ibidem consummâsse; ad quod probandum quid efficacius totâ antiquitate in quæstione facti? Testimonia veterum vide apud Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. c. 2. & sequentibus, & Coccium tom. 1. lib. 7. artic. 5. Sed & Caluinus hac in re sibi contradicit: cùm in 1. Petri c. 5. v. 13. scribit, Quòd Petrus Romæ vnquam fuerit, errorem, & figmentum esse veterum, omni probabilitate destitutum; & in 2. Petri cap. 1. v. 14. negat similiter Petrum in Italia esse mortuum: Et tamen 4. Instit. c. 6. n. 15. sic ait, coactus Antiquorum Scriptorum id testantium multitudine: *Propter hunc scriptorum consensum non pugno quin Romæ mortuus fuerit Petrus: sed Episcopum fuisse, præsertim longo tempore, persuaderi nequeo.* In quo iterum sibi contradicit, cùm vtrumque æquè affirment Scriptores antiqui per singula sæcula, apud Bellarm. & Cocc. suprà citatos.

56. Fuit Pastor vniuersalis, priusquã particularis Antioch. & Romæ. Ad secundum respondeo Petrum fuisse aliquandiu Pastorem vniuersalem, sine regimine vllius Ecclesiæ priuatæ: postea verò suscepisse regimen Ecclesiæ Antiochenæ: eâque pòst relictâ, Romam detulisse supremam potestatem, vtpote alligatam ad vitam personæ Petri, ex institutione Christi, quam Petrus mutare non poterat. Ità vt Romæ, post ipsius mortem ibidem obitam glorioso martyrio, sufficiendus fuerit Petro aliquis quoad vtrumque regimen; vniuersale scilicet totius Ecclesiæ, & priuatum Ecclesiæ vrbis Romanæ. Et quamvis absolutè potuisset diuidi regimen immediatum Ecclesiæ, quæ erat Romæ, ab alio vniuersali: sicut diuisum fuerat regimen Antiochenum: tamen quia Petrus immediatè ante mortem vtrumque habuit, retinuerunt successores. An verò non tantùm ex Petri, & successorum voluntate, sed Christi etiam iussu, debeat esse perpetuò coniunctum, non satis constat. Affirmat Suares Disp. 10. Sect. 3. num. 10. sed nullum affert sufficiens argumentum quo id certò constet.

Ad tertium respondeo Episcopos successisse Apostolis quoad ea, quæ pertinent ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, id est, quoad Episcopatum, eiusque munia, & officia Pastoris ordinarij: licet non quoad priuilegia propria Apostolatus: cuiusmodi erant iurisdictio vniuersalis immediatè à Christo accepta, auctoritas scribendi libros Canonicos, confirmatio in gratia, &c. At verò quòd in Ecclesia sit Pastor vniuersalis, & omnibus præpositus, pertinet ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, qui Monarchicus est, vt antea ostendimus: idque ad eandem in vnitate conseruandam, & ad bonum ipsius regimen, necessarium est. Episcopi quomodo succedunt Apostolis?

Ad quartum respondeo Gregorium recusare nomen Episcopi vniuersalis, tanquam prophanum, eo tantùm sensu, quo quis ita dicatur Episcopus vniuersalis, vt cæteri non censeantur esse veri Episcopi, sed tantùm illius Vicarij. Vt patet ex lib. 7. Epist. 70. Vbi sic habet: *Si vnus est vniuersalis, restat vt vos Episcopi non sitis.* Vide Baron. tom. 6. anno Christi 595. num. 51. & Sander. lib. 7. in Gregorio. Concilium Carthaginense falsò citatur. Nam ibi non loquitur de Romano Pontifice: Sed tantùm de primæ sedis Africanæ Episcopo quem prohibet vocari Principem Sacerdotum, aut summum Sacerdotem, sed tantùm primæ Sedis Episcopum. Nicænum verò vel non comparat Episcopum Alexandrinum cùm Romano Pontifice vt Pastore vniuersali, sed tantùm vt Patriarchâ Occidentis; & in eo ambos vt Patriarchas parilem dicit habere potestatem in Ecclesia variarum Prouinciarum, sibi vt Patriarchis subditas; vel potiùs statuit, vt Episcopo Alexandrino seruetur dignitas & potestas per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim; quia & vrbis Romæ parilis mos est, eam scilicet dignitatem illi conseruandi: Vt exponit Suares Disp. 10. Sect. 2. num. 7. 57. Cur S. Gregorius noluit dici Episcopus vniuersalis.

SECTIO VI.

Plura de Summo Pontifice.

QVæres, an Summus Pontifex debeat in definiendo adhibere aliquam diligentiam, quando sine Concilio generali definit. Respondeo affirmatiuè: Deus enim non vult, vt temerè iudicet, vel gubernet. Ad eius autem Prouidentiam pertinet, vt non permittat Summum Pontificem definire sine præmissa sufficienti diligentia. Ideóque quoties definit, credendum est præmissam fuisse, nisi esset euidens nullam adhibuisse. Imò hoc ipso, quòd Christus promisit, fidem Petri, & successorum non defecturam; hoc ipso promisit diligentiam, & cætera necessaria non defutura. Quare nec dubitandum est, nec relinquendum 58. Debet in definiendo adhibere diligentiam.

subditorum arbitrio iudicandum an præmiserit sufficientem, & quanta sufficiat. Sed & quando definit cum Concilio generali, indiget diligentiâ, & attentione, & officijs pietatis: vt patet exemplo Apostolorum Act. 15. vbi magna inquisitio facta narratur: & omnium deinceps Conciliorum, in quibus preces, iejunia, supplicationes, disputationes, & similia multa, ad consequendam Dei gratiam, & inuestigandas fidei veritates, semper adhibita sunt. Et quamvis Deus promiserit Ecclesiæ suæ, & Summo Pontifici assistentiam: non tamen exclusit debitam ex parte ipsius diligentiam.

Etiamsi cum Concilio definiat.

59. Quæres secundò, an Summus Pontifex sit quoque infallibilis in præceptis morum toti Ecclesiæ proponendis, in Sanctis Canonizandis, in institutis Religionum approbandis? Respondeo affirmatiuè: quia valde repugnaret Ecclesiæ veritati, & sanctitati, vt Summus Pontifex, cui parére tenetur, quidquam, illi toti præscribat contra religionem, & bonos mores: ita vt turpia pro honestis proponat; vel honesta damnet vt turpia. Itemque vt fallatur in Sanctorum Canonizatione, de quorum gloria non dubitare præcipiunt Summi Pontifices in ipsa Canonizatione. Valde enim est contra Ecclesiæ puritatem, & sanctitatem, vt hominem damnatum colat religiosè. Quare ad Prouidentiam diuinam pertinet id non permittere. Non est tamen Hæreticus, qui negat v. g. Carolum Borromæum esse sanctum. Quia non est de fide, quod asserimus, saltem clarè, aut certò: licet contrarium sit impium, aut temerarium. Idem puto dicendum de approbatione Religionum, quæ toti Ecclesiæ sequendæ proponuntur, ad consilia Christi sequenda, & perfectionem assequendam. Oportet enim vt Ecclesia secura sit, non tantùm in præceptis, sed & in consilijs à summo Pontifice vniuersaliter sibi propositis.

Est infallibilis in generalibus morum præceptis. Et in canonizatione Sanctorum. Et in approbādis Ordinib. Religiosis.

60. Nec obest quòd Religiones quædam antea approbatæ, fuerunt postea extinctæ, vt ordo Templariorum; id enim factum est, non quòd illæ fuerint imprudenter institutæ; sed propter generalem corruptionem eorum, qui tale vitæ genus specie externâ profitentes, pessimè tamen, & contra institutum viuebant in scandalum Ecclesiæ, & vitæ Religiosæ. Sicut tamen admittunt aliqui, inter quos est Suares, Disp. 5. Sect. 8. num. 7. errari posse in circumstantijs, vel multitudine præceptorum, aut rigore pœnarum, &c. ita potest error contingere in nimia multiplicatione, vel restrictione Religionum. Vt quando Lateranense magnum sub Innocentio III. c. 13. Nouas Religiones prohibuit, & antiquas ad pauciores censuit redigendas: cùm tamen postea idem Innocentius III Sanctorum Dominici, & Francisci, nouas Religiones approbârit in magnum Ecclesiæ bonum. Sed non potest quoad substantiam errare Pontifex vniuersaliter, approbando aliquod institutum, tanquam bonum, & ad perfectionem conducens; quod verè non sit tale. Sicut neque errare potest quoad substantiam rei in legibus, aut præceptis toti Ecclesiæ præscribendis. In particularibus autem errare posse fatetur de se ipso Bonifacius VIII. cap. 11. de Rescript. in 6. Cuius verba sunt: *Statutum quod circa iudices à Sede Apostolica deputandos nuper edidimus, cùm quædam contenta in eo, quæ pro communi vtilitate credebantur inducta, sicut experientia docuit, tendere dignoscantur ad noxam: sanctione præsenti, quam irrefragabiliter obseruari mandamus, suadente vtilitate, in melius duximus reformandum.* Quo non obstante, in dubijs parendum est, & sequenda opinio Summi Pontificis, non minùs quàm aliorum Prælatorum, quorum iudicium subditi sequi debent in dubijs, propter quæ maximè superiorum regimen necessarium est: Nam in euidentibus ducimur ipsâ euidentiâ.

Cur aliqui extincti? Potest errare in præceptis particularib.

Dices: Summi Pontifices, qui composuerunt, aut approbauerunt Ius canonicum, proposuerunt illud toti Ecclesiæ. Ergo si continet aliquem errorem, vt olim caput *Laudabilem*, proposuerunt illum toti Ecclesiæ. Respondeo non approbasse Ius canonicum: neque proposuisse omnia in illo contenta, vt credenda de fide: sed, vt dixi alibi, non plus habet anctoritatis, quàm habent ij, quorum dicta referuntur: neque plus illi tribuerunt Summi Pontifices, siue Gregorius XIII. quando emendari iussit, siue alij.

Vide supra Disp. 8. Sect. 4. n. 18.

61. Quæres tertiò, an sit de fide hunc hominem, v. g. Alexandrum VII. esse Summum Pontificem. Respondeo cum Suare Disp. 10. Sect. 5. num. 2. esse de fide hunc hominem, v.g. Alexandrum VII. qui communi Ecclesiæ consensu receptus est vt Summus Pontifex, & caput Ecclesiæ, esse verum Ecclesiæ Pontificem, & Petri successorem. Probatur primò ex Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. Vbi statuitur, vt ab hæreticis, qui volunt Ecclesiæ reconciliari, exigatur inter alia multa, fide diuinâ sine dubio tenenda, an credant Papam canonicè electum, qui pro tempore fuerit, esse successorem Petri, & habere supremam potestatem in Ecclesia Dei. Et Sess. 15. damnatur articulus 11. Ioannis Hus, qui sic habet: *Non oportet credere, quòd iste, quicumque est particularis Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiæ, nisi Deus eum prædestinauerit.* Secundò, de fide est Hierarchiam à Christo institutam manere vsque ad mundi consummationem, Ephes. 4. v. 11. & sequentibus. Ergo de fide est esse in Ecclesia caput aliquod visibile, quod maximè ad Hierarchiam pertinet. Nec dici potest quòd sit tantùm de fide confusè, hoc aut illud; hic, aut prædecessor: potest enim Ecclesia carere aliquandiu visibili Capite, vt fit saltem in interregno. Hoc, inquam, dici nequit: quia nec Sancti Patres, nec Concilia generalia, distinguunt inter caput visibile in confuso aut in communi, & hoc determinatè, & particulariter: sed Pontificem, qui tunc sedet ab Ecclesia receptus, agnoscunt, & venerantur pro vero Ecclesiæ Capite visibili; vt Concilium Chalcedonense, Leonem Papam; & VI. Synodus, Agathonem; & sic de alijs. Tertiò nisi esset de fide hunc determinatè esse Summum Pontificem: Non esset de fide hoc Concilium esse œcumenicum. Quia Concilium œcumenicum includit essentialiter Summum Pontificem: atque ita Conciliorum œcumenicorum

De fide est hunc esse Summū Pontificem.

œcumenicorum definitiones non essent de fide. Sed neque Summus Pontifex posset nos obligare ad credendum de fide, id quod definit vt dictum à Deo; nisi de fide esset ipsum habere potestatem definiendi, & infallibilem assistentiam Spiritus sancti. Vtque necessarium est constare fide diuinâ Scripturam sacram esse verè diuinam, vt sit nobis Regula fidei diuinæ, & credamus eâdem fide, quæ ab illa proponuntur, seu in ea continentur: Sic, &c. Neque enim minus id requiritur in Regula fidei viuæ, quàm in Regula mortua: Si autem est de fide hunc determinatè habere potestatem definiendi, & infallibilem assistentiam Spiritus sancti: de fide est esse verum Pontificem: quia huiusmodi potestas, & assistentia non datur Pontifici, nisi vero, cui soli est promissa in Petro. Christus enim non cuilibet, sed Petro tantùm; & legitimis successoribus dixit, *Tu es Petrus, &c. Rogaui pro te, &c. Pasce Oues meas, &c.* Matth. 16. Luc. 22. & Ioan. 21.

62. Quomodo id à Deo, reuelatum?

Objicies, non esse reuelatum à Deo quòd hic sit verus Pontifex; & id pendere à multis, quæ dubia sunt, aut moraliter tantùm certa; vt quòd sit ritè baptizatus, & ordinatus. Respondeo reuelatum esse quòd potestas summa Petro collata transeat ad successores legitimos. Quæ reuelatio generalis applicatur ad hunc particularem per vniuersalem Ecclesiæ testificationem, & approbationem, quâ exponitur reuelatio, & applicatur, ostenditúrque continere sub se illum particularem, tanquam legitimum successorem. Dixi, *vniuersalem Ecclesiæ approbationem:* quia licet sola electio Canonica sufficiat ad obligandum, ne quis sine periculo Schismatis illi se opponat, imò nec sine hæresi, illis, quibus euidens est electio legitima; alijs tamen non sufficit ad fidei diuinæ assensum, donec constet de vniuersali Ecclesiæ consensione, & pacifica possessione primatus: quâ positâ, tenetur vniuersa Ecclesia in dubijs fidei ipsi parêre: Vnde non potest Ecclesia errare in huiusmodi approbatione: alioqui posset habere fidei Regulam falsam, atque fallibilem, adeóque in errorem induci. Certè non minùs perniciosum est Ecclesiam errare in viua Regula fidei, id est, in admittendo falso Pontifice pro vero: quàm decipi in agnoscendo aliquo libro pro Canonico, qui verè non sit talis. Cùm autem certum sit per Ecclesiæ vniuersæ approbationem, hunc esse verum Pontificem; certum pariter fit hunc esse legitimè baptizatum, & alia, quæ includuntur necessariò in ratione Summi Pontificis.

63. Sint-ne hæretici qui hoc negant?

Instabis, quia qui negant hunc esse Summum Pontificem, non habentur pro Hæreticis, sed pro Schismaticis; & aliquando contigit admitti à tota Ecclesia Pseudo-pontificem, vt Ioannam Papissam. Respondeo non haberi pro Hæreticis, qui id negant: quia non constat inter omnes Catholicos, id esse de fide. Contrarium enim docent Turrecremata, Bannes, Caietanus, Canus, à Castro, & alij locis citatis à Suare Disp. 10. Sect. 5. n. 2. Affirmantes morali tantùm certitudine id constare, moti præcipuè argumentis modò refutatis. Ioanna Pseudo-papissa mera fabula est, à Florimundo Ræmundo apertissimè refutata in lib. ea de re edito, & à Baronio tomo 10. ad annum Christi 853. ac pluribus alijs. Nec aliàs vnquam contigit totam Ecclesiam consentire in aliquem vt verum Pontificem, qui non esset. Caret quidem aliquo breui tempore, in interregno, Pastore vniuersali; & aliquando contigit electionem esse dubiam, ob plures contendentes; vt tempore Concilij Constantiensis, in quo tres dubij Pontifices depositi sunt, & Martinus V. legitimè creatus, & receptus ab Ecclesia. At ex hoc non sequitur aliud ab aduersarijs intentum. Minus enim incommodum est carere Pastore, aut certo Pastore per aliquod tempus; quàm consentire in falsum Pastorem. Nam in priori casu non est periculum ne Ecclesia inducatur in errorem, cùm nihil definiat sine Capite certo, neque recipiat vt valida, quæ decernuntur à Pastore incerto. At verò cùm certissima habeat quæ definiuntur ab eo, quem agnoscit vniuersaliter vt Pastorem: exponeretur errori, si falsum Pastorem pro vero admitteret. Neque dicas Deum prouisurum ne falsus Pastor errorem proponat vniuersæ Ecclesiæ: Satiùs enim & conuenientius est, vt prouideat ne Ecclesia falsum Pastorem admittat; quod aliunde ipsius puritati, & sanctitati valde repugnat.

Nunquã Ecclesia tota consensit in falsum Pontificem.

Quæres vltimò, an Papa sit supra Concilium? Sermo est de Concilio præcisè sumpto à Papa. Neque enim dubium est, Papam non esse supra seipsum, nec supra Concilium prout ipsum includit. Negant Gerson, Cameracensis, Almainus, & alij pauci, qui volunt quidem Papam esse supra singulos fideles, etiam Episcopos, Patriarchas, Primates, &c. & supra singulas Ecclesias; at non supra totam Ecclesiam in Concilio repræsentatam. Sicut Dux Venetorum est quidem supra singulos, etiam Senatores, & supra singulas ciuitates ditionis Venetæ: At non supra totum Senatum simul collectum, cui parêre tenetur, & à quo iudicari, & condemnari potest. Sicut etiam Generales ordinum Religiosorum sunt quidem supra singulos, etiam Prouinciales, & supra domos, & Prouincias singulas: at non supra totum Capitulum Generale. Fundamentum eorum est, quia suprema potestas Ecclesiastica est in Concilio principaliter; in Papa verò tantùm instrumentaliter. Fuit enim data ipsi Ecclesiæ principaliter, immediate, & immobiliter: quia verò Ecclesia non potest semper manere congregata, & per se exercere supremam illam potestatem; Christus instituit Summum Pontificem, velut instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, & in eo posuit hanc summam potestatem, vt illam exerceat nomine Ecclesiæ. 64. Sit-ne Papa supra Concilium?

Vera & communis sententia, contraria præcedenti, est D. Thomæ, D. Bonauent. Alberti, Richardi, Palud. & aliorum Veterum, & Recentium Theologorum, quorum plurimos citat Bellarminus lib. 2. de Concilijs cap. 14. Probatur primò, quia fundamentum Aduersariorum falsum est; constat enim ex Scripturæ locis suprà expensis, non Ecclesiæ, vel Concilio, sed Petro singulariter, & successoribus esse dictum, 65. Probatur esse, ex Script.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni Cœlorum. Et, *Pasce agnos meos, &c.* Ergo suprema potestas verbis illis promissa, & collata, non est immediatè, & principaliter collata Ecclesiæ, vel Concilio præcisè sumpto à Petro: sed soli Petro, & Ecclesiæ tantùm in Petro, quatenus Petrus in commodum Ecclesiæ potestatem illam accepit; neque est Vicarius Ecclesiæ, sed Christi. Secundò, ex ijsdem Scripturæ locis constat Petrum, & Successores, se habere ad Ecclesiam vniuersalem, vt fundamentum ad ædificium, vt Pastorem ad Ouile: idque ex iure diuino, & Christi institutione. At Pastor est suprà totum Ouile, etiam simul sumptum: & fundamentum sustentat totum ædificium ipsi innixum: neque ipsum pendet ab ædificio, sed ædificium ab ipso. Adde Ecclesiam collectam, vel in Concilio, vel aliter, esse proprijssimè Ecclesiam. Christi autem verba sunt proprijssimè, quoad fieri potest, accipienda, cùm ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tertiò, Nicænum I. can. 39. ex Arabicis (de quorum fide vide Turrianum tom. 1. Conciliorum) vocat Romanum Pontificem Vicarium Christi super vniuersam Ecclesiam: *& quicumque*, inquit, *contradixerit, à Synodo excommunicetur.* Ergo non tantùm supra singulos fideles, aut supra Ecclesias particulares. Adde quòd Concilium ait Romanum Pontificem esse Vicarium Christi super vniuersam Ecclesiam; eandem scilicet, & eâdem extensione potestatis, quâ Christus, cuius Vicarius est. Nam Concilium non restringit, vt neque Christus locis citatis Scripturæ. Non est autem dubium quin Christus fuerit supra Ecclesiam vniuersalem, & Concilium quodcumque, tanquam supremus Ecclesiæ Monarcha. Quartò, Ephesinum I. quod fuit tertium generale, tom. 2. c. 15. & 16. Papam agnoscit vt Caput Concilij, adeòque vt superius ipso. Chalcedonense, quod fuit generale quartum, Actione 16. in Epist. Synodi ad Leonem Papam, agnoscit illum sibi præsidere tanquam Caput: confirmationem ab ipso petit: eius fidem tanquam Regulam Religionis admittit. Romanum sub Siluestro, Actione 2. can. 20. ait primam Sedem à nemine iudicari, neque ab omni Clero, &c. Florentinum, postquam de primatu Romanæ Sedis supra Ecclesiam vniuersalem, & supra Concilium (reuocato in Controuersiam in Concilio Constantiensi, & tunc etiam in Basileensi adhuc tenente sine Capite) litigatum fuit totis quindecim mensibus? sic tandem definit in literis vnionis: *Definimus sanctam Sedem Apostolicam in vniuersum orbem tenere primatum: & Romanum Pontificem & ipsum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, Vicarium Christi, verum totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem: & ipsi, in B. Petro, pascendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Christo plenam potestatem esse traditam: sicut etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & sacris Canonibus continetur.* Denique, Lateranense Generale sub Leone X. clarissimè rem definit Sess. 11. in Bulla Leonis, quæ sic incipit, *Pastor æternus gregem suum*, approbatâ mox à Concilio, vbi sic habet; *Solum Romanum Pontificem, tanquam super omnia Concilia habentem auctoritatem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, notum est ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum: sed propriâ etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.*

Et ex Cōcilijs antiquis.

Notandum autem, cùm hæc suprema potestas sit iuris diuini, & institutionis Christi, non posse mutari ab hominibus, ne quidem per cessionem Summi ipsius Pontificis, nec posse ipsum Concilio se submittere iuridicè. Nota secundò, ad soluenda reliqua argumenta Aduersariorum, Concilium Constantiense non esse receptum, nisi quoad ea, quæ in Bulla Martini V. approbantur. Cùm autem approbat quæ ab illo fuerunt definita conciliariter, id est, cum examine, & inquisitione diligenti; non approbat quod obiter (vt liquet ex gestis) & non conciliariter dictum fuerat de primatu Concilij supra Papam. Basileense verò Schismaticum, non est approbatum à Nicolao V. nisi quoad ea, quæ statuit de Censuris. Si Papa foret scandalosus; potest, ac debet ab Ecclesia admoneri cum reuerentia debita. Si Ecclesiam perdere conaretur; potest Ecclesia vim vi repellere, naturali iure. Si fieret Hæreticus apertus, deponeretur ipso iure diuino, positâ saltem Ecclesiæ declaratione. Falsum verò est Summum Pontificem accipere ab Ecclesia suam potestatem. Nam Ecclesia ipsum eligens nominat tantùm personam, cui Christus ipse immediatè confert supremam potestatem, positâ, tanquam conditione, electione legitimâ Ecclesiæ. Sicut proportionaliter Rex Galliæ nominat aliquos ad Episcopatum, qui à Summo Pontifice inuestiantur spiritali potestate, quam Rex conferre nequit. Denique caput cum reliquo corpore comparatum, est minus quidem mole, sed maius dignitate, ac virtute influendi, & regendi. Plura de hac celebri Controuersia vide apud Bellarm. lib. 2. de Concilijs à cap. 13. & apud Caietanum, & Almainum in opusculis hac de re, contra se inuicem scriptis.

66. Papa non potest illi se subijcere iuridicè.

Soluuntur arg. contraria.

SECTIO VII.

Vtrum Concilium præcisè sumptum à Summo Pontifice sit Regula fidei?

QVæstio esse potest de Concilio particulari, vel de generali. Particulare multiplex est: Diœcesanum, ex Pastoribus vnius Diœcesis sub vno Episcopo conuenientibus: Prouinciale ex Episcopis vnius Prouinciæ, vel Archiepiscopatus, sub vno Archiepiscopo: Nationale, ex Prælatis vnius Nationis sub vno Patriarcha, vel Primate. Generale verò est propriè loquendo (nam aliquando particularia, vocantur etiam generalia respectiuè, vt videre est apud Baronium tom. 3. anno 347. num. 8. quod constat ex omnibus Episcopis Catholicis totius Orbis Christiani, vel ex magna eorum parte, vniuersam Ecclesiam suffi-

67. Concilium particulare est multiplex.

Generale quid sit.

cienter repræsentante. Vt autem sit legitimum requiritur primò, vt conuocetur auctoritate legitimâ, quæ auctoritas est penes solum Summum Pontificem, excepto casu, in quo Ecclesia summo Pastore destituta, deberet iterum conuenire ad illum creandum, negligentibus Cardinalibus: vel ad schisma in dubio tollendum, vt in Concilio Constantiensi factum est. Probatur, quia solus Summus Pontifex præest vniuersæ Ecclesiæ, potéstque solus omnibus Episcopis præcipere, vt conueniant. Secundò, sic habetur in Epistola prima Marcelli Papæ ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ: *Simul Apostoli, & Successores, inspirante Domino instituerunt, vt nulla Synodus fieret præter Romani Pontificis auctoritatem.* Tertiò, idem statuitur in canone quodam Concilij Nicæni I. qui quidem nunc non extat inter canones viginti huius Concilij sed eius meminerunt, Iulius I. in Epistola 1. Damasus Epist. 3. Nicephor. lib. 9. cap. 5. & 10. alijque antiquiores. Idem etiam docent septima Synodus generalis Act. 6. Lateranensis sub Leone X. sess. 11. Pelagius Papa in Epist. Decretali, quæ habetur tom. 2. Concil. Veteris edit. Adrianus I. in capitib. collectis ex Synodis, & canonibus diuersis, quæ habentur tom. 3. Concil. post Concilium Francfordiense. Potest tamen Concilium illegitimè coactum, postea legitimari. Sicut Generale V. inuito Papa Vigilio celebratum, postea factum est œcumenicum ex illius consensu. Et è contrario, legitimè coactum & inceptum, potest illegitimè procedere: vt si pergat, prohibente Pontifice pro summo iure in Concilia (quod ipsum habere probauimus Sect. 6.) vt contigit in Basileensi.

68. Qui conuocandi? Secundò requiritur vt conuocentur vndique Episcopi Catholici, quoad moraliter fieri potest, & nullus arceatur, qui ius habet suffragij. Sicut enim in ciuili Republica bene instituta pertinet ad Primates, & Optimates eam regere, debéntque omnes ad comitia generalia conuocari, ijdémque censentur totam Rempublicam repræsentare: sic in Ecclesia, &c. Primates autem sunt Episcopi, Apostolorum successores; & Cardinales, qui ex iure Pontificio sunt maiores Episcopis quoad ea, quæ non fundantur essentialiter in ordinatione Episcopali, quique in suis titulis iurisdictionem Episcopalem habent. Debent ergo hi omnes conuocari, vt Synodus ipsa, siue conuocatio, sit generalis. Non est tamen necesse omnes omnino conuenire, imò neque maiorem partem. Nam in II. Generali conuenerunt tantùm 150. Episcopi, inter quingentos, & amplius, qui tunc erant in Ecclesia. Et in Niceno 1. longè antè multò plures conuenerant, nempe Patres 318. In Ariminensi, sexcenti. In Chalcedon. verò ex Ecclesia Occidentali soli Legati summi Pontificis affuerunt, vt patet ex Epist. 24. Leonis Papæ. Ratio est, quia Concilium generale non tam re, quàm repræsentatione, & auctoritate, dicitur totam Ecclesiam continere. Potest autem repræsentare, licet non omnes Primates conueniant; nec maior eorum pars; quod interdum est moraliter impossibile, propter bella, vel alia impedimenta. Quantum autem sufficiat, pertinet ad iudicium ipsiusmet Concilij, & præcipuè Summi Pontificis, cuius est declarare an Congregatio sit generalis sufficienter, & an qui adsunt, teneant locum sufficienter omnium aliorum. Porro, licet non ex solis Prælatis Ecclesia constet, sed ex singulis Catholicis: tamen quia communiter populus, vtpote indoctus, Pastorem sequitur: & quod maior pars Pastorum sequitur, id quoque sequitur pars maior populi, saltem implicitè: & quod sequitur populus in materia Religionis, accepit à Pastoribus: Hinc fit à Prælatis sufficienter repræsentari Ecclesiam quoad suffragia, de Religione. Tum quia est in vtrisque eadem professio Religionis, loquendo de Communitate: Tum etiam quia Ecclesia est consulenda, & audienda sub pœna anathematis, Matth. 18. v. 15. Non possunt verò ita audiri in materijs fidei singuli de populo, ob nimietatem, ob inscitiam, & implicitam tantùm fidem: Quare ad Pastores recurrendum est: Tum denique, quia praxis Ecclesiæ vniuersalis in Concilijs generalibus ab initio hæc fuit, vt non populus, sed Prælati vocari debeant ad Concilia, per quæ repræsentari Ecclesiam vniuersalem, etiam sine populo, habetur in Generali VIII. Act. 5. & in Bulla Martini V. quâ approbat Constantiense. Et in Decretis Gelasij, & Gregorij, dictisque sanctorum Patrum, apud Bellarm. lib. 2. de Concilijs c. 2. & sequentibus.

Tertiò requiritur, vt celebretur saltem permissu Summi Pontificis; imò vt sit perfectum, debet ipse per se, vel per Legatos suos præesse, alioqui destituitur capite, & supremâ potestate in vniuersalem Ecclesiam. Ideóque semper legitimis Concilijs vel interfuit ipsemet, vt Innocentius III. Lateranensi: Eugenius IV. Florentino: & alijs alij: Vel per Legatos, vt Syluester Nicæno I. per Hosium, Vincentium, & Victorem: Ephesino I. Cœlestinus per Cyrillum Alexandriæ Episcopum; Chalcedonensi Leo I. per Paschasium, Lucentium, & Bonifacium: & alij similiter alijs, vt videre est apud Baron. ad singulos annos quibus celebrata fuerunt. Ad eundémque pertinet gesta Concilij confirmare. Vnde Nicænum I. petit à Syluestro per Epistolam confirmationem. *Quicquid*, inquit, *constituimus, precamur vt vestri oris consortio confirmetur.* Et Chalcedonense à Leone, Act. 3. Constantinopolitanum I. à Damaso, Ephesinum à Cœlestino confirmatum est, & alia similiter ab alijs. Qua de re vide Turrecrem. lib. 3. de Eccles. c. 32. 33. 34. Et Canum lib. 5. de Locis c. 5. 69. Papa præesse illi debet per se, aut per legatos. Et illud confirmare.

Præterea, vt legitimè procedatur, diligens inquisitio circa Scripturam, & traditiones diuinas, quæ sunt Regulæ definitionum, adhibenda est. Neque enim coguntur Concilia ad nouas reuelationes faciendas; sed ad antiquas declarandas contentas in Scriptura, & traditione non-Scripta, quæ proinde diligenter, & attentè inspici debent; vt patet ex praxi ipsorummet Apostolorum, Act. 15. & omnium deinceps Conciliorum legitimorum. Nimirum, quia Deus, qui promisit Ecclesiæ infallibilem assistentiam, non exclusit ex parte ipsius debi- 70. Debet fieri diligẽs inquisitio.

tam diligentiam. Ad eundem finem solent ex toto orbe Christiano vocari Doctores, & Theologi, qui de rebus definiendis disserant, & consultent. Inter quos, & Prælatos, ea est differentia, quòd hi vocem definitiuam habent vt Iudices, pro iurisdictione, & auctoritate, quâ pollent, decernentes. Vnde etiam vtuntur vocibus auctoritatem iudiciariam significantibus, Decernimus, Statuimus, Damnamus, &c. Tametsi tota cæterorum iurisdictio pendet à Summo Pontifice, cui tota iurisdictio Ecclesiastica confertur à Christo immediatè, & ab eo communicatur alijs. Doctores verò, & Theologi sunt tantùm Consultores, & veluti Patroni veritatis, pro qua elucidanda laborant, & disputant. Potest tamen Summus Pontifex alijs, quàm Episcopis, ius suffragij dare; vt re ipsa dedit Generalibus ordinum Religiosorum.

71. Concilium particulare non est Regula fidei. His præmissis, Dico 1. Concilium particulare, præcisum ab approbatione Summi Pontificis, non esse Regulam fidei. Probatur, quia non est infallibile, sed plerumque re ipsa fallitur: vt patet ex Concilio Africano, & Carthaginensi duplici sub Cypriano, in quorum postremo interfuerunt 71. Episcopi tam ex Africa, quàm ex Numidia, & omnium consensu statutum fuit Hæreticorum baptisma esse inualidum & iterandum: vt refert Baronius tomo 2. an. 217. & 258. Et ex Concilio Antiocheno 90. Episcoporum, anno Christi 344. quod Arrianis fauit. Et Seleuciensi 160. Episcoporum, anno 359. in quo Arrij & Aëtij hæreses probatæ sunt. Et ex Constantinopolitano 50. Episcoporum, Arrio pariter fauentium, eodem anno. Et ex Concilio Palæstino, seu Diospolitano anno 415. in quo, qui conuenerant, 14. Episcopi non animaduerterunt errores latentes sub ambiguitate verborum, quibus hæresim suam inuoluebat, & excusabat Pelagius. Et ex Concilio Ephesino, à Ioanne Antiocheno, pluribusque alijs Episcopis Nestorianæ factionis, in eius patrocinium celebrato, anno Christi 431. alijsque pluribus, quæ recensere longum esset.

Nisi approbetur à Summo Pôtifice. Dixi autem, *Præcisum ab approbatione Summi Pontificis*: quia si Summus Pontifex approbet quæ à Concilio particulari tanquam de fide definita sunt, eáque toti Ecclesiæ credenda proponat; patet ex dictis superiùs Sect. 4. n. 45. iam esse Regulam fidei: non vi definitionis Concilij particularis, sed vi approbationis Summi Pontificis ex Cathedra loquentis. Si enim solus definiens errare non potest: multò minùs cùm aliquo Concilio. Et quidem multi Hæretici à Concilijs tantùm particularibus approbatis damnati, statim à tota Ecclesia pro Hæreticis habiti fuerunt.

72. Neque Concilium generale illegitimū. Dico 2. Concilium Generale illegitimum non esse Regulam fidei. Probatur, quia similiter errare potest: vt patet ex Ariminensi sexcentorum Episcoporum, non coacto authoritate Summi Pontificis; in quo approbatus fuit Arrianismus: Ephesino II. auctoritate Theodosij iunioris à Dioscoro Alexandrino celebrato: quod spreuit Legatos Romani Pontificis, & fauit Eutycheti: Constantinopolitano in Trullo, quod can. 2. approbauit Synodum Cypriani de rebaptizandis Hæreticis, aliáque multa perperam statuit: Altero Constantinopolitano sub Leone Armeno, anno 814. damnante cultum sacrarum imaginum, reluctantibus Nicolai Papæ Legatis: qui etiam cultus damnatus fuit ab altero Concilio 330. Episcoporum coacto à Constantino Copronymo: Constantiensi, reprobato à Martino V. quoad plurima, & inter alia statuente, Sess. 4. Concilium esse supra Pontificem. Idémque statuit Basileense Sess. 2. quod Concilium quamvis legitimè inchoatum authoritate Summi Pontificis Eugenij IV. discessit postea ab eius vnione, & obedientia: imo temerè & iniustè ipsum deposuit; sed sine effectu, Ecclesiâ reclamante, Legatis priùs depositioni, & iniquis eius statutis, interesse nolentibus: vt videre est apud Caiet. tract. 1. de authoritate Pontificis, cap. 8. & Spondanum in continuatione Annal. Ecclesiastic. ad annum Christi 1439. num. 30.

His, alijsque similibus exemplis, euidens fit Episcopos errare posse, & non rarò errasse contra fidem, etiam in Concilijs, à capite suo Romano Pontifice, seiunctos. Errasse, inquam, & errores contra fidem approbasse, non modò Episcopos, qui iam antea hæretici erant, & ad conuenticula hæreticorum suarum partium conueniebant; cuiusmodi fuerunt duo Concilia Donatistarum Carthagine, vnum 70. Episcoporum, alterum 270. & Conuentus Episcoporum Arrianorum Philippopoli, Syrmij, Arelate, Nicææ in Thracia, Seleuciæ, Mediolani, alijsque locis: & Conciliabulum Ephesinum ab Episcopis Nestorianis celebratum: alterúmque ab Eutychianis, dictum *Latrocinium Ephesinum*: verùm etiam eos, qui cùm essent Catholici, fuerunt ab Hæreticis decepti, illorúmque errores ex inaduertentia, vel aliter approbarunt. Vt contigit Concilio Sardicensi, in causa Marcelli Ancyræ Episcopi, Marcellianorum auctoris: Antiocheno, & Ariminensi, in causa Arrij: Diospolitano, in causa Pelagij: & similibus. Vnde collige quid sentiendum sit de Episcopis seorsim sumptis, aut pluribus simul extra Concilium: quos nimis frequens experientia errare posse docuit, & errores contra fidem vel inducere per seipsos, vel ab alijs inductos approbare. Norunt enim Ecclesiasticæ Historiæ periti eorum aliquos fuisse Hæresiarchas, aut Hæreticorum & Schismaticorum primipilos: vt Nouatum, Marcellum Ancyranum, Macedonium, Meletium, Eusebium, vtrumque, Cæsariensem, & Nicomediensem, Vrsacium, Valentem, Donatum, Iulianum, Nestorium, Photium. Plurimos etiam à Fide Catholica ad Nouatianos, Macedonianos, Arrianos, Pelagianos, Nestorianos, & aliarum Sectarum Hæreticos olim defecisse: & sæculo præterito non paucos in Anglia, Scotia, Germania, Transsyluania, Gallia, alijsque locis, Lutheri & Caluini partes secutos esse. Et nunc etiam Græci Episcopi, ferè omnes, sunt Hæretici, & Schismatici. Recénsque adhuc est memoria Marci Antonij de Dominis, Archiepiscopi Spalatensis, cuius in carcere mortui cadauer, cum libris hæreticis ab eo scriptis, manu car- Episcopi possunt errare cōtra fidem.

nificis combustum fuit Romæ, in campo Floræ, anno 1624. vt refert Spondanus ad eundem annum, tomo postremo Continuationis Annalium Eccles. Quare veteris & recentis historiæ Ecclesiasticæ planè ignaros esse oportet eos omnes, qui putant sufficere ad vitandam suspicionem hæresis, auctorem libri alicuius fuisse Episcopum, aut aliquot Episcoporum suffragio munitum esse: neque contra illum fas esse Theologis hiscere, si quid suspecti dogmatis, aut erroris fraudulenter intrudat. Coegit nos eorum importunitas hæc omnia referre ex Annalibus, & historijs Ecclesiasticis, quæ alioqui maluissemus tacitò prætetire, æternòque silentio, si fieri posset, obuoluere. Tantâ enim veneratione, sicut par est, prosequimur Episcopos; vt, quod de illis dixisse fertur Constantinus Imperator in Nicæna Synodo, si quid à nonnullis eorum perperam dictum, aut gestum est, vel ipsâ purpurâ regiâ tectum esse vellemus.

73. Conciliū generale legitimū est Regula fidei. Dico 3. Concilium Generale legitimum, cui Summus Pontifex præsens adest, est infallibilis Regula fidei, & non potest errare in ijs, quæ definit esse tenenda fide diuinâ. Patet ex dictis Sect. 4. Si enim solus Pontifex est infallibilis in eiusmodi definitionibus: quantò magis in Concilio Generali legitimo, quo nulla maior authoritas, aut melior ratio deliberandi excogitari potest? Ad idem confirmandum valent rationes, & authoritates allatæ Sect. 3. num. 24. Quòd scilicet vel Ecclesia omni Regulâ viuâ, & iudice controuersiarum sufficienti destituta est; (quod quàm sit absurdum, patet ex dictis Sect. 1.) vel id Concilio Generali legitimo, id est, capiti, & præcipuis membris, sufficienter Ecclesiam totam repræsentantibus concedi debet. Neque enim hæc Regula potest esse totum corpus Ecclesiæ, vt comprehendit omnes Catholicos: propter impossibilitatem omnes cogendi, vel consulendi: & propter alia multa, quæ diximus Sect. 2. Patet etiam ex eo, quòd tale Concilium habet vim obligandi omnes fideles ad credenda, quæ definit: cùm nulla maior in Ecclesia possit esse authoritas ad fideles in officio fidei continendos, & terminandas dissensiones subortas. Ergo quæ definit tanquam de fide; debent esse infallibilia: aut obligabitur Ecclesia ad errandum. Patet denique ex eo, quòd Apostoli verbis illis, Act. 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* non obscurè significarunt Conciliorum definitiones esse à Spiritu sancto, ac proinde esse infallibiles: Quòdque promissio Christi Ioan. 15. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* & alijs locis, vbi promittit Ecclesiæ infallibilem assistentiam Spiritus sancti, maximè locum habere debet in eiusmodi Concilijs: itemque illud Matth. 18. v. 20. *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* quibus verbis (vt alibi expendimus) pollicetur Christus cuilibet congregationi legitimæ, in nomine suo coactæ, auxilium muneri suo necessarium: quod maximè verum esse debet de congregatione totius Ecclesiæ in Concilio generali legitimo ad definitiones vniuersales, muneri suo necessarias. Est enim Concilij generalis, & Pastoris vniuersalis, definire de rebus fidei: quia causa fidei est causa generalis, & ad totam Ecclesiam pertinens. Sed hinc non sequitur Concilia quoque particularia non posse errare: quia tales definitiones ad illa non pertinent, sed ad Summum Pontificem, vel ad Concilium generale: cùm causa fidei, sit causa generalis totius Ecclesiæ, & definitio omnes obliget. Atque ille fuit perpetuò sensus Ecclesiæ. Nam semper pro Hæreticis habiti sunt, qui à talibus Concilijs damnati fuerunt. Et ipsamet Concilia contradicentes suis definitionibus damnârunt vt Hæreticos, & anathematizârunt: ac demum Ecclesia vniuersa tales definitiones vt indubitabiles, & diuinas semper habuit.

Dico quartò, idem sentiendum esse de Concilijs, quibus Papa non interfuit per se, sed per Legatos, eorum tamen decisiones confirmauit, & approbauit. Probatur primò ex praxi Ecclesiæ. Nam à Nicæno I. huc vsque multa Concilia Generalia sunt ita celebrata, quæ non minùs habita sunt pro Regula fidei infallibili, quàm ea, quibus Papa ipse interfuit. Secundò, quia tota Ecclesiæ auctoritas est in huiusmodi Concilijs. Adest enim Summus Pontifex, primò quidem repræsentatiuè per Legatos: & deinde per expressam confirmationem, & approbationem, supplet quod deerat præsentiâ Physicâ: quæ cùm sæpe sit moraliter impossibilis, non est credibile ad infallibilitatem Concilij necessariò requiri. Tertiò denique, si solus Pontifex potest infalliblliter definire: multò magis præeunte Concilio generali. Vnde etiam fit, vt non tantùm Concilia legitima, sed alia quoque illegitimè coacta, vel continuata, si tamen eorum decisiones approbentur à Summo Pontifice, habeant vim Regulæ infallibilis, vt in V. Generali contigit. 74. Etiamsi Papa adsit tantùm per Legatos.

Sed aduerte primò, Concilia Generalia non esse simpliciter & omni modo Regulam fidei, sed vt decidentia, id est, vt definientia, statuentia, aut asserentia aliquid tanquam de fide: quia scilicet possunt alia multa interserere; vt rationes aliquas, vel testimonia, & discursus, vel declarationes: atque etiam nonnulla falsa, siue in materia facti, vt quando de personis iudicant ex allegatis à paucis testibus, quos absolutè, non implicat subornatos fuisse: siue in alijs quæ non agitantur tunc ex Professo, sed obiter, & non definitiuè dicuntur. Sæpe enim in Concilijs leguntur scripta particularium ad materiam agitatam facientia, quæ sunt permixta digressionibus probabilibus, etiam interdum falsis. Quæ scripta approbantur, sed nimirum quoad caput præcipuum agitatum: ita vt approbatio tantùm cadat definitiuè in illud, non in alia, si generaliter solùm feratur. Secus verò foret, si aliquid specialiter approbaret; vt certam propositionem, aut omnia, & singula contenta in aliquo. Aduerte præterea, huiusmodi decisiones debere esse à Pontifice approbatas, secundùm se: ita vt approbatio cadet in decisionem illam nominatim expressam, aut in generali formula satis inclusam. Quia scilicet possunt Concilia approbari 75. Sed non nisi in ijs quæ definit tanquam de fide.

quoad partem tantum: vt Chalcedonense approbatum à Leone quoad decisiones fidei, non quoad primatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ post Romanam. Et Constantiense approbatum à Martino V. quoad definita conciliariter in materijs fidei, non quoad alia. Aduerte tertiò, approbationem Summi Pontificis absentis posse fieri antecedenter, & consequenter. Antecedenter quidem, si per Legatos præscribat Concilio quid statuendum sit: vt cùm Leo I. præscripsit Generali IV. damnationem Eutychetis: & Agatho Generali VI. damnationem Monothelitarum: vt ex Actis constat. Consequenter verò, quando, vt frequentiùs fit, definitiones Conciliares ad Pontificem postea deferuntur, & ab eodem approbantur: vt in II. Generali, & pluribus alijs factum est.

76. Sit-ne infallibile vt præcisum à Pontifice? Difficultas verò est, an aliunde sit infallibile Concilium, legitimè quoad omnia celebratum, præcisè spectatum ab approbatione, & confirmatione Summi Pontificis? Negant Valentia q. 1. de Fide. p. 7. §. 44. Caiet. tract. 1. de Auctoritate Pontificis c. 9. §. *Ad aliam verò rationem*, Canus lib. 5. de Locis Theolog. cap. 5. & Bellarminus lib. 2. de Concil. c. 11. Contrarium tamen probabiliùs censeo cum Suare Disp. 5. Sect. 7. n. 11. & pluribus alijs: Tum quia magnum foret scandalum in Ecclesia, si Papa, & Concilium legitimum œcumenicum, dissentirent in rebus fidei. Tum etiam quia Concilium Generale legitimum repræsentat totam Ecclesiam, quæ infallibilis est, etiam præcisa à Summo Pontifice, vt ostendemus Sect. sequenti. Vnde saltem totum errare non potest; imò nec maior illius pars, si quidem maior pars Pastorum, & Doctorum Ecclesiæ conuenerit. Nam in suffragijs ferendis, quod maior pars sentit, imputatur toti. Vnde si maior pars Pastorum, & Doctorum Ecclesiæ erraret, error ille imputaretur toti Concilio, & consequenter toti Ecclesiæ, cuius pars maior conuenit. Populus enim idem credit quod Pastores, & Doctores, & in illis conuenit. Adde nunquam contigisse, vt Concilium legitimum errauerit in definitionibus fidei.

77. Quomodo Papa tenetur illud sequi? Dices, si Concilium legitimum est infallibile, Pontifex illud sequi tenebitur. Ergo non erit ipse Regula fidei, imò nec illo superior. Respondeo, tenebitur stare iudicio Concilij legitimi, non vt superioris, sed vt infallibiliter adhærentis verbo Dei scripto, vel tradito: Sicut Petrus Apostolus tenebatur stare scriptis Pauli, & Christus Prophetarum, & Pontifex definitionibus Prædecessorum, aut Conciliorum præcedentium approbatorum. Est quidem obligatio in conscientia: non tamen obiectiua erga Concilium, sed erga Deum, vt per illud loquentem, respectu Pontificis. Manet verò ipse Regula fidei suprema, quia penes ipsum est suprema decisiò iudiciaria: Esto, possit ac debeat Ecclesiæ sensui præuio conformari. Quia tamen talis Concilij infallibilitas est sub opinione: obligatio Summi Pontificis non est absoluta, & certa, neque Concilij definitio est sufficiens Regula fidei, & iudex Controuersiarum, donec à Summo Pontifice approbetur.

Vnde collige, Summum Pontificem, & Concilium, non esse duas viuas Regulas; sed vnam, diuersis modis definientem: prout videlicet Summus Pontifex vel solus, vel cum Concilio definit, secundùm quod opportunitas tulerit, aut Ecclesiæ expedire videbitur, ad maiorem ipsius satisfactionem, vel confusionem Hæreticorum. Quæ autem isti objiciunt contra Generalis Concilij, etiam approbati, infallibilitatem, videri possunt apud Canum libro 5. de Locis, c. 1. & vlt. & Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 8. qui clarè ostendit ea omnia, vel esse falsa, vel non pertinere ad legitima Concilia Generalia definientia in materia fidei. Eorum inconstantiam hac in parte alibi notatimus, cùm suis Synodis tribuunt id, quod Concilijs Generalibus negant; & generales aliquas eorum obiectiones diluimus suprà Sect. 3. num. 30. 33. & sequentibus. 78. Papa & Conciliū non sunt duæ Regulæ fidei, sed vnica.

SECTIO VIII.

Vtrum Ecclesia vniuersalis sit infallibilis in credendo, & certa Regula fidei?

Ecclesiæ nomine intelligimus Congregationem hominum, Christi fidem per baptismum acceptam profitentium sub vno Capite visibili, ipsius Vicario, iuxta illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* quam perpetuam fore docet Christus ibidem, addens, *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Esse autem visibilem patet, quia Christus de eadem Ecclesia hîc loquitur, quam Petro tradit, & commendat, Ioan. 21. dicens: *Pasce Agnos meos, Pasce Oues meas.* Quomodo autem pasceret, id est, regeret inuisibilem Ecclesiam? Et de eadem dicitur Matth. 18. *Dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quomodo autem diceret Ecclesiæ inuisibili? Quomodo eandem audiret; ipsiusque sententiæ parêre teneretur iustè accusatus, & iuxta illius arbitrium satisfacere? Adde quòd Matth. 5. v. 14. comparatur ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Et Isaiæ 61. v. 8. Deus sic loquitur de Ecclesia Christi, *Fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint illos, cognoscent illos, quia ipsi sunt semen, cui benedixit Dominus.* Et similia multa de visibilitate, & perpetuitate Ecclesiæ prædicta. 79. Ecclesia quid & qualis sit.

Eadem in Nicæno Symbolo, approbato à Caluinistis art. 5. Confess. Rupell. Dicitur Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica. *Vna*, propter vnitatem eiusdem fidei, & adhæsionem ad vnum Caput visibile, & Pastorem vniuersalem, veluti viuam Regulam fidei. *Sancta*, propter sanctitatem doctrinæ, quam proponit, & morum probitatem eorum omnium, qui huic doctrinæ conformiter viuunt. *Catholica*, quia toto orbe diffusa. *Apostolica*, quia à Christo, & Apostolis inchoata, ad nos vsque continuâ, & perpetuâ successione propagata est. Atque eædem sunt præcipuæ notæ, Veræ eius notæ.

quibus à Sectis Hæreticorum vera Ecclesia discernitur: quippe quæ nec sunt vna, sed quælibet solet in plures Sectas diuidi, vt hodie è Lutheranismo, & Caluinismo multæ aliæ pullulârunt: nec habet principium, aut vinculum vnitatis in fide, id est, Regulam viuam infallibilem, cui teneantur omnes adhærere: Sed humanum sensum, & Spiritum priuatum, seminarium discordiarum inter Hæreticos, vt docet experientia. Non sunt etiam sanctæ: quia multa docent bonis moribus repugnantia, vt de Caluinismo alibi notabimus. Nec Catholicæ, quia in aliqua tantùm, vel paucis regionibus vigent. Nec Apostolicæ, cùm perpetuam, & continuam ab Apostolis huc vsque successionem ostendere non possint: Contrà verò facile nobis fit ostendere quo tempore, & loco cœperint Hæreses, quæ nunc extant: quæ non minùs, quàm præcedentes, finem quoque habituræ sunt: cùm tamen Ecclesia, à Christo instituta, vsque ad mundi consummationem sit duratura, vt affirmat Paulus Ephes. 4. *Donec occurramus, &c.* Vlteriùs, verà Ecclesia non destituitur, etiam nunc; miraculis, & alijs argumentis credibilitatis, quibus, vel ipsis infidelibus, innotescit, si attendunt; vt ostendemus. num. 190. Quæ omnia sectis Hæreticorum desunt.

Sect. seq. num. 98.

80. Notæ ab hæreticis assignatæ.

Notæ verò, quas ipsi assignant, sincera scilicet Verbi diuini prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio, tam sunt obscuræ, quàm ipsa vera Ecclesia: cùm tamen nota debeat esse notior, quàm id, cuius est nota, vt per illam possit innotescere. Neque enim variæ sectæ disputant minùs quæ sit sincera Verbi diuini prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio; quàm quænam sit vera Christi Ecclesia. Nec vlla est Hæreticorum secta, quæ sibi non arroget sinceram prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem: veréque de illis affirmat S. Aug. lib. 3. de Baptismo contra Donatist. c. 19. Omnes Seductores non aliter populos fefellisse, nisi prætextu Sacramentorum, & Scripturarum, *quas tenent ad speciem, non ad salutem.* Adde quod signum debet priùs esse notum, quàm illud, in cuius cognitionem nos ducit. Ergo si puritas, & veritas doctrinæ est nota veræ Ecclesiæ, debet priùs nota nobis esse puritas, & veritas doctrinæ, quàm ipsa vera Ecclesia. At hoc est omninò peruertere intentionem Christi, qui voluit Ecclesiam esse medium certum, & infallibile ad inueniendam veritatem doctrinæ: ad eumque finem fecit illam esse visibilem, & conspicuam, vt ad eam omnes Gentes confluerent, & ab illa discerent vias eius, Isaiæ 2. v. 2. alijsque locis. Probatur manifestè: quia illud medium est inutile ad finem obtinendum, quod necessariò præsupponit finem iam esse obtentum: sicut Ex. gr. medicina illa esset inutilis ad sanitatem recuperandam, quæ necessariò præsupponeret illam iam esse recuperatam. Sed notitia veræ Ecclesiæ necessariò præsupponeret notitiam veræ doctrinæ. Ergo notitia veræ Ecclesiæ esset inutilis ad inueniendam veram doctrinam. Ergo hæc assertio Hæreticorum de notis Ecclesiæ, prorsus euertit intentionem Christi. Neque illis fauet quod ait S. Aug. lib. de Vnit. Ecclesiæ cap. 3. *Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Sensus enim illius est, Ecclesiam demonstrandam esse per notas, quibus illam Scriptura designat, visibilitatis, vniuersalitatis, perpetuæ durationis, &c. quod nos etiam in sequentibus sectionibus præstabimus, vbi ea omnia quæ paucis hîc perstrinximus, fusiùs prosequemur. Nam res tanti momenti, digna est maiori confirmatione, & explicatione.

Porro Ecclesia suprà descripta duobus modis sumi potest. Primò, pro Toto ex capite & membris; & sic includit intrinsecè Summum Pontificem. Secundò, pro corpore subdito capiti; & sic non includit intrinsecè caput. Primo modo dicitur Ecclesia completa; secundo, incompleta, & subiecta. Vlteriùs, dupliciter intelligi potest Ecclesia errare in fide. Primò, culpabiliter incidendo in hæresim, vel errorem culpabilem. Secundò, inculpabiliter errando cum ignorantia inuincibili. Prior errandi modus peior est, & fidem planè destruit: ideóque Ecclesiæ magis repugnat, quàm posterior, qui tamen ab illa planè remouendus est. Dupliciter accipi potest Ecclesia.

81. Ecclesia vniuersalis, etiam præcisè sumpta à Papa, est infallibilis.

Dico igitur primò, Ecclesiam vniuersalem, etiam vt subiectam Pontifici, & sine illo acceptam, esse infallibilem; ita vt fieri non possit, vt solo Papâ rectè sentiente, reliqua Ecclesia tota erret in materia fidei: quasi verò infallibilitas promissa sit Ecclesiæ tantùm completæ, & non etiam subiectæ: eaque infallibilitas tantùm saluetur in vno capite, Toto corpore errante. Probatur primò ex Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quibus verbis Christus apertè prædixit, & promisit Ecclesiam suam super Petrum extructam fore infallibilem in fide. Atqui Petrus, vel Summus Pontifex eius successor, non est Ecclesia super ipsum extructa: neque ipse solus est Ecclesia, quæ essentialiter est multorum congregatio: Ergo non illi soli promissa est infallibilitas. Secundò, Ecclesia, in qua est Hierarchia Pastorum, & Doctorum ne fluctuet, aut circumferatur omni vento doctrinæ, debet manere, donec occurramus, &c. Ephes. 4. v. 11. At solus Papa non est talis Ecclesia. Item 1. Timoth. 3. v. 15. Ecclesia, quæ est domus Dei, dicitur esse columna, & firmamentum veritatis. At Papa solus non est Ecclesia, nec domus Dei. Neque dicas esse columnam, & firmamentum veritatis, si Papæ adhæreat, cui tamen possit non adhærere; sicut Hæretici dicunt Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, si adhæreat verbo Dei, à quo tamen potest recedere. Nam hoc pacto Ecclesia non magis esset columna, & firmamentum veritatis, quàm priuatus quivis, qui non minùs est infallibilis, si adhæreat Summo Pontifici definienti, aut verbo Dei. Verùm columna est illa, quæ necessariò, & semper adhæret, & sustentat illud, cuius est columna, & firmamentum. Quare Ecclesia non esset columna, & firmamentum veritatis, nisi semper adhæreret veritati, eam-

que sustentaret. Adde tertiò promissiones in perpetuum factas Communitati, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, Matth. 25. v. 20. *Alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, vt maneat vobiscum in æternum*, Ioan. 14. v. 16. Vbi nota promitti, & dari, vt in veritate contineat. Adde item illud Augustini lib. 4. de Baptismo, c. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

82. *Non potest errare in rebus fidei, ne quidem per ignorantiam inuincibilem.*

Dico secundò: Ecclesia vniuersalis non potest errare in ijs, quæ credit tanquam certa de fide, ne quidem per ignorantiam inuincibilem. Quare quidquid ipsa tota sentit esse de fide, est infallibiliter tale: adeòque ipsius consensus est infallibilis Regula fidei. Probatur primò ex dictis priori conclusione, quæ non tantùm excludunt ab Ecclesia errorem culpabilem, sed etiam inculpabilem. Nam alioquin portæ inferi aduersus eam præualerent, contra illud quod dicitur Matth. 16. Et Ecclesia circumueniretur errore, contra id quod habetur Ephes. 4. Et non esset columna, & firmamentum veritatis, si posset decipi credendo falsum, etiam per errorem inuincibilem: Neque enim tunc veritatem, sed errorem fulciret. Neque haberet infallibilem, & perpetuam Christi, & Spiritus sancti assistentiam, quâ doceatur omnem veritatem, vt dicitur Matth. 25. & Ioan. 14. & 16. Adde quòd, si Ecclesia Christi posset errare credendo aliquid falsum, tanquam fide certum, etiam per ignorantiam inuincibilem: tota, vel ferè tota eius fides dubia redderetur: quia in plurimis dubitare posset, & formidare, ne fortè per ignorantiam decipiatur: quæ ratio in ijs omnibus locum habet, quorum vltima resolutio credibilitatis fit ad traditionem, & consensum generalem Ecclesiæ.

83. *Teneatúrne Papa sequi eius consensum?*

Obijcies: Si consensus Ecclesiæ subiectæ est infallibilis: Ergo Papa tenebitur eum sequi. Respondeo non teneri sequi tanquam prævium: quasi verò Papa ignoret id quod tota Ecclesia subiecta scit. Nec etiam quasi superiorem: Nam potiùs Ecclesia ei vt Regulæ superiori subiecta est: sed tantùm tenetur illum sequi, seu potiùs eundem sensum habere cum illo, velut infallibiliter adhærente Verbo Dei scripto, vel tradito: Sicut D. Petrus tenebatur habere sensum conformem scriptis Pauli; & Pontifices, ac Concilia posteriora, definitionibus priorum approbatorum. Et habet quidem Papa obligationem in conscientia, ad standum illi communi consensui: At non obiectiuam erga Ecclesiam subiectam: sed erga Deum loquentem infallibiliter per illum consensum: vt supra diximus de Summo Pontifice, respectu Concilij generalis.

84. *Nunquã tota errauit, neque errabit.*

Alia multa contra Ecclesiæ infallibilitatem obijciunt Nouatores, de quibus Vide Bellarm. lib. 3. de Ecclesia cap. 16. & 17. Suar. Disp. 9. Sect. 3. Et Canum lib. 4. de Locis cap. 1. & vlt. Breuiter dico primò, Ecclesiam Iudaïcam nunquam totam errasse: neque, si errasset, valere consequentiam ad Ecclesiam Christi, cui apertè promissa est infallibilitas, & perpetuitas vsque ad mundi finem: cum è contrario prædictum esset Ecclesiam Iudaïcam defecturam, Christumque negaturam. Secundò, ne tempore quidem Antichristi defecturam omnino Christi Ecclesiam: cum etiam tunc Electi sint perseueraturi, Matth. 24. v. 12. Licet propter eorum paucitatem, in quibus fides perfecta tunc vigebit, dictum sit Luc. 18. v. 8. *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Tertiò, quod dicitur in Scriptura, *Omnes declinauerunt: Omnes dereliquistis me, &c.* Et ab Hieron. contra Luciferianos, *Ingemuit Orbis terrarum, & Arrianum se esse miratus est*: Hæc, inquam, & similia moraliter intelligi debent, ita vt omnibus tribuatur, quod multis conuenit. Nam ex ijsdem locis patet exceptionem fieri debere, vt Canus suprà rectè ostendit. Quartò, ne tempore quidem Passionis Christi, omnes Apostolos, & Discipulos, præter B. Virginem, defecisse à fide: cùm Petro Christus prædixerit, non defecturam: Et scandalum, quod omnes sunt passi, non sit ad fidem referendum necessariò, de cuius defectu Ioannes, & piæ mulieres Christum secutæ in passione, non fuerunt vllibi reprehensi: De alijs non est certum, quod fidem omnes amiserint. Nam exprobratio facta Marc. 16. v. 14. potest moraliter, & accommodè intelligi, maximè verò cum sit indefinita. Quintò, Licet Ecclesia constet ex hominibus naturâ suâ fallibilibus; fieri tamen per assistentiam Spiritus sancti vt tota non fallatur: sicut Scriptores omnes Canonici, quamvis homines essent: fuerunt tamen per eandem assistentiam infallibiles in scribendo.

Ecclesia visibilis est infallibilis. 85.

Perperam verò respondent ijdem Nouatores: conuicti euidentiâ testimoniorum Scripturæ pro infallibilitate, & perpetuitate Ecclesiæ, Ecclesiam quidem esse perpetuam, & infallibilem, sed inuisibilem illam, seu quam nequeamus ipsi discernere, quæque mille annis latuit inuisibilis vsque ad Lutherum: tum quia, inquiunt, forma Ecclesiæ est sanctitas, & fides, quæ, in quibus sint, nescimus, cùm sint in solis prædestinatis, ex quibus solis constat vera Ecclesia: tum etiam quia nullum fide creditum est visibile: Ecclesia est fide credita: Ergo non visibilis. Nam contrà: primò, ijsdem duobus argumentis probaretur Ecclesiam, etiam tempore Apostolorum, ac semper, fuisse inuisibilem: quia tunc etiam non videbatur interna fides, & prædestinatio: & tunc Ecclesia credebatur: semper enim in Symbolo Apostolorum dictum est, *Credo in Spiritum sanctum, & sanctam Ecclesiam Catholicam.* Secundò, licet fides interna, & sanctitas, quæ est præcipua forma Ecclesiæ, quæ est in multis Ecclesiæ membris, non videatur: videtur tamen Ecclesia per suas notas externas, illâ non visâ: sicut videtur homo per externa accidentia, non visâ animâ. Tertiò, Scripturæ apertè repugnat veram Ecclesiam militantem constare solis prædestinatis: quippe quæ comparatur Sagenæ, in qua sunt pisces boni, & mali: arcæ, in qua palea, & triticum: agro, in quo bonum semen, & Zizania: Ouili, in quo Oues, & Hædi, qui etiam in Christum

crediderint, & in eius nomine miracula fecerint, vt habetur passim in Euangelijs: & magnæ domui, in quâ sunt diuersa vasa, quædam in honorem, alia in contumeliam, 2. Timoth. 2. v. 20.

86. Et quidē in perpetuum. Præterea, quòd Christus promittens Ecclesiæ perpetuitatem; & infallibilitatem, loquatur de Ecclesia visibili, adeóque Ecclesia visibilis sit perpetua, & infallibilis, probatur, quia Christus Ioan. 21. implens quod Petro promiserat Matth. 16. & commendans illi Ecclesiam, quam super ipsum ædificandam prædixerat, commendat sine dubio Ecclesiam visibilem, quam agnoscat, & pascat. Ergo de illa intelligendum est, quod promittendo dixerat, *Portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam.* Deinde, illæ promissiones sunt sine dubio intelligendæ de vera Christi Ecclesia. At vera Christi Ecclesia non est, nisi vna (sicut non est nisi vna vera Christi Religio) vt habetur Matth. 16. v. 18. Et 1. Timoth. 3. v. 15. Act. 2. v. 28. & alibi, vbi semper de Ecclesia in singulari, & vt vnâ sermo est. Et in Symbolo Nicæno, recepto ab Aduersarijs art. 5. Confess. Gallic. expresè vocatur vna, id est, vnica. Et Cantic. 6. *Vna est amica mea, columba mea, formosa mea.* Quo supposito, insto, quia Ecclesia illa Christi vera, & vnica, habet successionem Hierarchicam Pastorum, & Doctorum perpetuam, Ephes. 4. v. 11. & sequentibus. Innititur super vnum Pastorem supremum, Matth. 16. v. 18. & Ioan. 21. v. 15. Habet distinctionem Pastorum, & gregis, id est, subditorum qui iubeantur audire illos, Act. 20. 28. Habet ius condemnandi contumaces, & scandalosos, ad illam deferendos, ita vt qui Ecclesiam non audierit, sit habendus, velut Ethnicus, & Publicanus, Matth. 18. v. 15. Est ciuitas illa supra montem posita, quæ abscondi non potest, Matth. 5. v. 14. Debet docere omnes gentes; ita vt teneantur ei credere: Itemque conferre Sacramenta, Matth. 28. v. 19. & 20. Marc. vlt. v. 15. & 16. Est ea, quæ cognosci debet à Gentibus, etiam palam, Isaïæ 61. v. 8. Ergo à primo ad vltimum Ecclesia vera est visibilis, id est, talis, vt prudenter attendenti innotescat: hæc enim omnia siue simul, siue etiam singula competere nequeunt, nisi Ecclesiæ visibili, vt patet: præsertim verò obligationes reciprocæ docendi, & discendi; regendi, & obediendi; conferendi Sacramenta, & recipiendi, non possunt vigere, nisi satis innotescant: non innotescunt autem,
87. nisi Ecclesia sit visibilis. Vlteriùs, vera Ecclesia fuit à Christo instituta visibilis, vt fatentur Hæretici, & cum notis, ac muneribus visibilibus; quæ munera cùm debeat perpetuò exercere, idque Christus ei præceperit, & ad id assistentiam suam perpetuam fore prædixerit, Matth. vlt. v. 19. & 20. debuit necessariò continuari visibilis; quia non potuit inuisibilis, & inuisibiliter munera illa exercere prædicandi, baptizandi, &c. Sed omnino perijsset in ratione Ecclesiæ directiuæ fidelium, & conuersiuæ infidelium, & quoad sua munera fieret inutilis hominibus, quibus non posset innotescere. Nec enim haberent infideles, vnde possent ad illam accedere, & conuerti, vt saluentur: nec fideles quò possent recurrere, vt dirigantur. Imò rueret certitudo fidelium circa Scripturam sacram, & alia, quæ non habemus certò, nisi per Ecclesiæ traditionem. Quomodo enim certa esset traditio Ecclesiæ inuisibilis? Quis certò sciret an per illius manus Scriptura ad nos deuenerit, vel ad nostros prædecessores, quibus vera Ecclesia ignota fuit, si erat inuisibilis?

Denique dicere Ecclesiam quidem esse infallibilem, sed inuisibilem illam, & quæ est electorum, soli Deo notam: visibilem autem non esse immunem à periculo erroris; est planè peruertere intentionem Christi, qui voluit Ecclesiam esse medium certum, & infallibile inueniendi, & tenendi veritatem fidei, Isaïæ 2. Ephes. 4. alijsque locis suprà relatis. Probatur, quia si Ecclesia sola inuisibilis, est extra periculum erroris, non potest nobis inseruire ad illum finem, quia non videtur. Si autem Ecclesia visibilis est errori obnoxia, non potest esse medium certum, & infallibile inueniendi, & tenendi veritatem fidei; quia potest errare, & re ipsa errauit, in plurimis, & præcipuis fidei dogmatibus, & quidem etiam vsque ad idololatriam, vt calumniantur ijdem Hæretici. Neque plus proficiunt Recentiores quidam Ministri Caluini, qui dicunt Ecclesiam illam infallibilem, esse & fuisse semper visibilem, omnibus quidem in specie externa, quia constat ex hominibus qui sunt visibiles: solis autem fidelibus, inquantum est vera Ecclesia. Nam sicut inquiunt, omnes quidem Iudæi Christum videbant in specie externa, & humana: soli autem fideles cognoscebant illum esse Christum, & verum Messiam à Deo promissum: sic, &c. 88. Hoc qui negant, peruertūt intentionē Christi.

Sed contrà: quia Ecclesia non est medium certum, & infallibile cognoscendi veritatem fidei, nisi prout est vera Ecclesia, habens infallibilem assistentiam Spiritus sancti ad non errandum. Ergo vt sit medium visibile, idoneum ad illum finem, debet esse visibilis prout est vera Ecclesia: id est, debet habere notas sensibiles, per quas à prudenter attendentibus cognosci possit esse vera Ecclesia. Et vt sit medium, etiam infidelibus ad inueniendam veram fidei doctrinam, debet illis esse visibilis, vt talis. Ergo non debuit esse tantùm visibilis fidelibus. Essetque medium inutile ad inueniendam veritatem, si esset tantùm visibilis fidelibus, id est, ijs solis, qui veritatem iam inuenerunt. Aliud autem est videri, & aliud esse visibile: quæ duo imperitè aduersarij confundunt. Christus, & vera Ecclesia non videntur actu, id est, non creduntur esse tales, nisi à fidelibus acquiescentibus illi veritati sufficienter propositæ, *Christus est verus Messias, Deus homo*: &, *Hæc hominum societas est vera Ecclesia à Christo instituta, & habens infallibilem assistentiam Spiritus sancti.* Sed antequam hoc iudicium prudenter feratur, præcedit visibilitas Christi, & Ecclesiæ, non tantùm materialis, quoad speciem solùm externam, & humanam, quæ non sufficeret ad mouendum, & obligandum vt credamus: sed etiam quoad veritatem vtriusque: id est, præcedunt notæ sensibiles, 89. Refutantur euasiones hæreticorum. 90.

& argumenta sufficientia, ad cognoscendum quòd Christus sit Deus, & quòd hæc hominum societas, sit vera Ecclesia. Et per has notas dicitur Ecclesia fuisse semper visibilis, quia illæ semper hominibus fuerunt expositæ. Quamvis non fuerit visa, id est, completè cognita, & credita, nisi ab illis, qui has notas diligenter expenderunt, & non obstiterunt veritati sufficienter propositæ. Plura aduersus hanc recentem Hæreticorum euasionem, videri possunt apud Iaubertum de Barrault tom.2. Clypei, c.10.

91. Ecclesia vniuersalis non est viua Regula fidei. Dico tertiò: Licet Ecclesia vniuersalis sit infallibilis in credendo, non est tamen secundùm se totam sufficiens viua Regula fidei in docendo. Ratio est, quia non potest tota conuenire ad docendum, & definiendas Controuersias; propter nimiam multitudinem: & plurimi ex illa non sunt idonei ad docendum, neque habent clauem scientiæ, & specialis potestatis regendi Ecclesiam. Et quamvis in Pastoribus repræsententur alij; impossibile tamen est, saltem moraliter, omnes Ecclesiæ Pastores conuenire. Vnde collige necessitatem decisionis Summi Pontificis, tanquam Regulæ viuæ, & primæ, tum superioritate, quia præest toti Ecclesiæ: tum vniuersalitate, & extensione ad singulas Controuersias, in quibus certò & facilè potest consuli Pontifex; non sic tota Ecclesia, ne quidem omnes illius Pastores: tum etiam tertiò Directione: quia cùm etiam Pastores ad Concilia Generalia conueniunt, vt definiant; dirigit illa conuocando, iubendo, approbando, reprobando, impediendo decisiones, & suspendendo totam ipsam Ecclesiam à decisione, eámque, dum vult, ferendo, aut confirmando, & publicando, interpretando in dubijs, ac denique stabiliendo legibus coactiuis in totam Ecclesiam latis, quibus omnes & singuli obligentur ad decisionem recipiendam. Itaque est prima, & suprema Regula viua Controuersiarum. Quanquam præit tempore auctoritas Ecclesiæ ad constituendum Summum Pontificem, & eius auctoritatem traditione certissimâ stabiliendam. Quare decisio Summi Pontificis non est prima Regula ordine temporis, sed tantùm auctoritatis. Tenetur etiam Summus Pontifex in definiendo consulere, & sequi verbum diuinum Scriptum, & Non-scriptum, vt Regulam suarum definitionum: in quo verè assequendo dirigitur à Spiritu sancto. Quare verbum diuinum præit quoque ipsius decisionibus. Sed in dubijs primus, & supremus Iudex, & Regula viuens, & loquens respectu nostri, est Summus Pontifex definiens pro potestate, & infallibilitate sibi à Christo concessa.

SECTIO IX.

Quibus argumentis probetur efficaciter Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, infallibilem in fide, & necessariò sequendam?

92. Status quæstionis. NOn est quæstio quomodo id probari possit infidelibus illis, qui Christum, eiusque doctrinam veram esse non agnoscunt, nullásque Scripturas diuinas admittunt. Nam de illis sufficiunt quæ diximus Disp. 5. Sect. 2. & sequentibus, vbi ostendimus quibus argumentis probetur efficaciter Christianismum esse verum, & amplectendum. Sed quæstio est, quomodo possit id probari Hæreticis, qui Christum, eiusque doctrinam veram esse profitentes, negant tamen Romanam esse veram Ecclesiam, quam Secta quævis se habere gloriatur. Existimo autem cum eruditis quibusdam recentioribus, qui hanc quæstionem accuratè tractarunt, non posse contra illos id efficaciùs conuinci, quàm ostendendo notas omnes veræ Ecclesiæ in Scriptura traditas, illi soli cõuenire. Quemadmodum contra Iudæos non poterat efficaciùs ostendi Iesum Christum esse verum Messiam, quàm demonstrando notas veri Messiæ, & Prophetias de illo prædictas in Testamento veteri, esse in Iesu Christo impletas. (Modus efficax id probãdi.) Qua de causa Christus ipse Iudæis sic dicebat Ioan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, &c. & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et Petrus Apost. Epist. 2. c. 1. v. 16. & sequentibus, postquam narrauit mysterium Transfigurationis, cuius ipse testis oculatus extiterat, audierátque vocem illam de cœlo delapsam à magnificâ gloria, attestantem Christi diuinitati, & doctrinæ, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*: addit, *Et habemus firmiorem Propheticum Sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Quod eo fine addit, vt rectè expendit D. Augustinus Serm. 27. de verbis Apostoli cap. 4. quia ad probandam Christi diuinitatem, & veritatem eius doctrinæ, firmius erat argumentum, quod ex Prophetijs de illo & vero Messia prædictis sumebatur. *Sunt enim*, inquit, *homines infideles, qui sic detrahunt Christo, vt dicant eum magicis artibus fecisse, quod fecit* (vt Iudæi illi qui dicebant, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia, Luc. 11.) *Possunt ergo infideles delatam de cœlo vocem per illicitas curiositates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit vt coleretur mortuus, nunquid erat magus antequam natus?*

Vt autem quæstio proposita, quæ maximi est momenti, accuratiùs explicetur, tria prænotanda sunt, quæ supradicti recentiores prudentes obseruarunt. Primum est, quòd sicut Deus in Testamento veteri verum Messiam designauit per aliquas notas sensibiles, quibus posset humano, & sensibili modo innotescere hominibus, & discerni à Pseudochristis: vt, quòd esset venturus deficiente sceptro de domo Iuda; nasciturus ex Virgine in oppido Bethleem, de Tribu Iuda, ex semine Dauid, &c. Ita in vtroque Testamento designauit Ecclesiam notis quibusdam sensibilibus, vt per eas modo hominibus accommodato cognosci posset, & discerni à Sectis, nomen Ecclesiæ sibi falsò vsurpantibus. (93. Voluit Deus vt posset Ecclesia discerni sensibiliter.) Cùm enim, vt rectè ait S. August. Epist. 56. in fine, *Totum culmen auctoritatis, lumenque rationis, in solo salutari nomine Christi Iesu, & eius vnica Ecclesia; recreando, ac refor-*

mundo humano generi constitutum sit: oportuit Deum signis quibusdam diuinis reddere conspicuam, vtriusque auctoritatem, & hominibus facilè cognoscibilem. Quod vtrumque quo modo fecerit in Scripturis diuinis, exponit idem S. Doctor Epist. 50. Et Concion. 2. in Psalm. 30. Super illa verba versus 12. *Qui videbant me, foras fugerunt à me*, addit factum esse diuinâ Prouidentiâ, vt quia plures erant futuræ contentiones circa veram Ecclesiam, quàm circa Christum: Prophetæ magis expresserint Ecclesiam, quàm Christum, notisque magis sensibilibus illam designauerint: nempe oraculis de perpetua eius visibilitate, diffusione per totum orbem, eminentia, &c. Qua etiam de causa ait Epist. 170. ad Seuerinum, facile esse videre Christi Ecclesiam comparatam ciuitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Et lib. de Vnit. Ecclesiæ cap. 16. dicit eos, qui non vident Ecclesiam, malle clausis oculis offendere in hunc montem, quàm ascendere. Et lib. 2. contra Parmenian. cap. 3. commune esse ait omnibus Hæreticis, non videre rem omnium, quæ sunt in mundo, maximè visibilem, Ecclesiam in luce gentium constitutam. Plura eiusdem & aliorum veterum testimonia ad idem confirmandum, videri possunt apud Barrault. tom. 2. Clypei cap. 19. & 20.

94. *Vt fidei veritas ab illa acciperetur.*

Alterum prænotandum est, quòd, vt rectè aiunt eruditi quidam recentiores, sicut Deus ideo Christum designauit per notas illas sensibiles de vero Messia prædictas, vt Iudæi illi cognito adhærerent, & veritatem fidei ab illo discerent; ita vt Christus, iam cognitus vt verus Messias, esset illis Regula fidei infallibilis, haberéntque pro vero, & à Deo reuelato, quidquid ille doceret. Sic Ecclesiam certis notis visibilibus ideo designauit, & conspicuam fecit hominibus, vt illam amplectantur, & veritatem fidei, ab illa velut fideli eius interprete accipiant, habeántque pro vero infallibiliter, & Diuinitus reuelato, quicquid ipsa vt tale proposuerit. Id de Christo non negant Hæretici. De Ecclesia verò patet ex sequentibus testimonijs: Isaiæ 2. v. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Et cap. 60. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Et Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Pastores, & Doctores, &c. Vt non simus sicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Idem etiam docent Sancti Patres, Irenæus lib. 3. contra Hæres. cap. 4. *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere: cùm Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vt omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt, & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos.* August. enarrat: 3. in Psalm. 30. circa illa verba, *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum*: sic idem affirmat: *Contradicunt linguæ multæ, diuersæ hæreses, diuersa schismata personant: linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, à Regula veritatis noli discedere: & protegeris in hoc tabernaculo à contradictione linguarum.* Et lib. 1. contra Crescon. cap. 33. *Quisquis ergo falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam consulat, quam sine vlla ambiguitate Scriptura demonstrat.* Hinc ampliùs confirmatur id, quod iam alibi notauimus, & iterum notare non erit inutile: intentionem Dei, & Christi omnino peruerti ab Hæreticis huius temporis, affirmantibus notas veræ Ecclesiæ, per quas à nobis cognosci, & à falsis discerni possit, non esse alias, quàm veram prædicationem verbi Dei, & sinceram administrationem Sacramentorum. Tum quia æquè obscurum, & litigiosum est vbi sit vera prædicatio verbi Dei, & sincera administratio Sacramentorum; quàm vbi sit vera Ecclesia: de illo enim non minùs Sectæ inter se, & cum Ecclesia Romana litigant, & vnaquæque id apud se reperiri æquè gloriatur. Tum etiam quia si ita esset, oporteret priùs nosse quæ sit vera prædicatio, seu professio verbi Dei, quàm cognoscamus veram Ecclesiam. Atque ita cognitio veræ Ecclesiæ esset medium inutile ad cognitionem veritatis fidei, quia supponeret illam iam esse cognitam: cùm tamen Christus Ecclesiam, notis suis sensibilibus notam fecerit, eo fine vt homines ad illam recurrerent, fideique veritates ab illa discerent.

Obseruandum est tertiò, notas Ecclesiæ in Scripturis expressas, plures à quibusdam Catholicis, ab alijs verò pauciores numerari: sed eas omnes facilè reuocari posse ad quatuor illas, ab omnibus receptas, & in Symbolo Nicæno expressas, quod Concilium tanquam verum, & legitimum admittunt Caluinistæ art. 5. Confessionis suæ. Dicitur autem in illo Symbolo Ecclesia esse Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica. Itaque nobis probandum incumbit has quatuor notas conuenire Romanæ Ecclesiæ: quo nomine non intelligimus solam fidelium societatem vrbe Romanâ inclusam, vt fingunt aliqui aduersariorum: sed totam illam multitudinem hominum, qui vbique terrarum vnam, & eandem fidem profitentur, sub vno, eodémque Pastore vniuersali Pontifice Romano, cui tanquam Capiti Ecclesiæ visibili, Christi Vicario in terris, & legitimo Petri successori, adhærent. Dupliciter autem valent hæ notæ ad argumentandum contra Hæreticos. Primò negatiuè, inferendo nullam Sectam esse veram Ecclesiam, quæ non habet has notas. Secundò positiuè, inferendo illam esse veram Ecclesiam, quæ his notis insignita est. Priori modo singulæ seorsim sufficiunt: & ex illis etiam singulis argumentantur sæpius sancti Patres contra hæreticos sui temporis, vt videbitur paulò pòst. Posteriori, singulæ etiam sufficiunt, eo modo, quo à nobis explicabuntur: sed multò magis omnes simul sumptæ.

95. *Notæ illius sensibiles sūt multæ.*

SECTIO X.

Prima nota veræ Ecclesiæ, VNITAS.

96. Vera Ecclesia est vnica. PRimò igitur veram Ecclesiam esse Vnam, id est vnicam, docet Scriptura pluribus locis. Cantic. 6. *Vna est amica mea, formosa mea, columba mea.* Ioan. 10. *Fiet vnum Ouile, & vnus Pastor.* Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus:* vnum scilicet corpus Ecclesiæ, de qua idem Apostolus Ephes. 1. in fine sic ait: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius.* Et cap. 4. v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem, &c.* alibique sæpius loquitur Apostolus de vera Christi Ecclesia vt de vna. Vnitas illa in quo consistat? Hæc autem vnitas consistit in professione vnius, eiusdémque fidei, non actuali solùm, sed etiam fundamentali, & habituali quâdam dispositione: ita vt vera Ecclesia Christi habeat in seipsa principium indissolubilitatis, & vnionis in fide. Quod principium in eo consistit, quòd iuxta Christi institutionem tenentur omnes fideles submittere proprium iudicium in dubijs, & controuersijs fidei, definitioni, & sententiæ illorum, quibus in persona Petri dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam,* Matth. 16. & à quibus tota illa Ecclesia, semper duratura, & nunquam defectura in fide, pascenda est verbo Dei, & regenda; iuxta illud eiusdem Christi, Ioan. 21. *Pasce Agnos meos, pasce Oues meas.* De quibus etiam Pastoribus, & alijs legitimè subordinatis dixit, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit:* Quique à Christo dati sunt Ecclesiæ, vt firmiter illis adhæreamus, & non fluctuemus, aut circumferamur omni vento doctrinæ, Ephes. 4. De quibus denique dictum est Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.*

97. Eius causa & radix. Cum enim quisque fidelium proprio iudicio renuntiat, vt firmiter adhæreat illis, quos Christus in Ecclesia posuit, velut fidei duces, & infallibiles verbi sui interpretes: facile est inter eos vnitatem fidei conseruari. At verò, si (vt faciunt Hæretici) suprema Regula fidei cuiusque, sit priuatum eius iudicium; & quisque sumat licentiam interpretandi verbum Dei, provt ipsi melius videbitur, vsurpétque sibi ius examinandi ipsam Pastorum suorum doctrinam, Conciliorum definitiones, antiquitatis consensum, & cætera omnia, per verbum Dei intellectum eo modo, quo putat sibi interiùs suggeri à Spiritu sancto, id est (sicut docet experientia) proprio cuiusque spiritu, & iudicio: manifestum est, & experientiâ quotidianâ compertum, non esse illud firmum vnionis in fide principium, sed fœcundum discordiarum & hæreseon seminarium: vt videre est in Hæreticis huius temporis, qui Lutheranam hæresim in centum, & amplius Sectas diuersas distraxerunt. Verissimum enim de illis est, id quod de alijs Hæreticis notauit Irenæus lib. 1. cap. 5. initio, Inconstantem esse illorum sententiam, cúmque sunt duo vel tres, de eisdem non eadem dicere, sed & nominibus, & rebus contraria respondere. Et alibi sic de ijsdem ait: *Etiam qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies nouum aliquid inuenire, & fructificare quod nunquam quisquam excogitauit.* Et Tertull. lib. de præscript. c. 42. *Mentior si non etiam à Regulis suis variant inter se: dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino. Idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitùs inspectæ hæreses, omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.*

Porro hanc vnitatem, eiusque principium, non esse in Sectis Hæreticorum, quæ nunc vigent, vt neque fuit in antiquioribus, manifestum est ex ipsorum doctrina. Nullum enim agnoscunt Pastorem visibilem, aut Pastorum cœtum, qui sit interpres infallibilis fidei, & cuius sententiæ necessariò adhærendum sit: sed pro suprema fidei Regula sumunt internam, vt sibi videtur, persuasionem Spiritus sancti, id est, priuatum cuiusque spiritum, quo Scripturæ diuinæ veritatem quoad literam, & sensum, se præcipuè cognoscere profitentur: ex qua, per eundem priuatum spiritum intellectâ, cætera omnia examinanda, & regulanda sunt, vt aiunt Caluinistæ art. 5. suæ Confess. Gallicanæ. Eadémque est suprema Regula Lutheranorum, & aliorum Sectariorum huius temporis; priuatus scilicet cuiusque spiritus, & interna, vt putant, Spiritus sancti persuasio, per quam verum à falso ipsi discernunt in fidei controuersijs, & fidem sibi quisque format, sequens illam sententiam, quæ melior sibi videtur. 98. Deest illa nota hæreticis. Contrà verò, hoc principium vnitatis in Ecclesia Romana reperiri manifestum est ipsâ experientiâ. Est in Ecclesia Rom. Quippe cuius dogma celeberrimum, neminique ignotum est, in omnibus fidei controuersijs sequendum esse iudicium Ecclesiæ loquentis per caput suum visibile, & per alios Pastores, ei legitimè subordinatos, secundùm Christi institutionem. Nec vllus est Catholicorum, qui non agnoscat esse in Ecclesia iudicem aliquem viuentem, & loquentem, cuius sententiæ in rebus fidei necessariò standum sit. Et quamvis Doctores Catholici dissentiant in quibusdam nondum satis clarè ab Ecclesia definitis, aut in Verbo Dei non satis expressis: tamen nullus eorum est, qui non suum circa hæc iudicium submittat definitioni, & sententiæ Ecclesiæ. Quæ, si expediat, & si quæstio potest ex Verbo Dei definiri, eam determinat. Sin minùs; prohibet vtrique parti ne aliam condemnet: & sic omnes in vnitate fidei continet.

99. Patres hanc no- Eandem vnitatem in antiqua Ecclesia agnouerunt, & veluti notam eius illustrem commendârunt sancti Patres. Cyprianus lib. de Vnitate

tā agnoscunt, & commēdant. Vnitate Ecclesiæ, cap. 5. *Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur: nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copiâ vbertatis extendit. Profluentes largiter riuos, latius expandit. Vnum tamen caput, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur: illius lacte nutrimur: spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica: vnam domum nouit: vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit*, & inferiùs longè post verba iam relata: *Cùm Hæreses, & Schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atque originem reliquerunt.* Hoc autem caput, & originem veritatis esse Petri Cathedram, id est, Romanos Pontifices, docet idem Cyprianus lib. 1. Epist. 3. alias Epist. 55. Vbi sic ait de Nouatianis. *Post ista, adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab Hæreticis constituto, nauigare audent & ad Petri Cathedram: atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre: nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Ibidémque addit, non aliunde natas fuisse Hæreses, aut orta Schismata, quàm quod vni Sacerdoti Dei ab vniuersa Fraternitate non obtemperatur. Ambrosius in Oratione de obitu Satyri Fratris, sic de illo ait: *Aduocauit ad se Episcopum, percunctatusque est ex eo, vtrum cum Episcopis Catholicis, id est, cum Ecclesia Romana conueniret.* Hieronymus Epist. 58. ad Damasum Papam, *Hic in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat. Ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est, &c. Ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri consocior. Super illam petram, ædificatam Ecclesiam scio, &c.* Aug. Epist. 162. de Cæciliano loquens, *Qui posset*, inquit, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, per Communicatorias literas esse coniunctum.*

SECTIO XI.

Secunda nota veræ Ecclesiæ, SANCTITAS, & gloria miraculorum.

100. Vera Ecclesia est Sancta. SEcundò, veram Christi Ecclesiam esse Sanctam docet Scriptura Cantic. 6. v. 9. Vbi de Sponsa Christi Ecclesia, sic dicitur: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Ephes. 5. v. 26. *Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret.* Titi 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c.* Hæc autem sanctitas Ecclesiæ in duobus consistit. Nempe in sanctitate totius doctrinæ, quam profitetur: & in sanctitate vitæ eorum, qui se illius doctrinæ conformant: quippe quæ à licentia peccandi auertit, & ad probitatem morum, vitæque sanctitatem impellit, ad illámque multos reipsa promouet. Hac verò notâ destitutas esse Hæreticorum Sectas, quæ nunc vigent, manifestum est ex multis earum dogmatibus. Nam docent multa sanctitati aduersa, quæque hominibus peccandi licentiam dant. Vt, non teneri homines ad legem Dei seruandam: illiúsque obseruantiam esse impossibilem, etiam cum gratia Dei. Omnia hominum opera esse peccata. Liberum hominis arbitrium extinctum esse. Deum esse peccati auctorem, & ad peccandum impellere, & cogere. Hominem solâ fide iustificari. Non imputari illi peccata vlla, dummodo credat omnia sibi esse remissa propter Christum, illiúsque iustitiam ad se pertinere. Peccata non esse necessariò aperienda in confessione, neque vllâ satisfactione expianda. Quæ & similia nemo non videt, ad sanctitatem morum non conducere, sed potiùs ad peccandi licentiam incitare. Ex quibus etiam tanta morum corruptio secuta est apud huius doctrinæ Sectatores, quantam ipsimet eius Auctores præcipui agnoscunt, & deplorant, verbis fideliter relatis à Tannero quæst. 3. de Fide, dub. 4. n. 132. & sequentibus. Quare si qui inter illos bene moraliter viuunt: id non est vi doctrinæ, quam profitentur; sed bonæ indolis, quam à Deo sortiti sunt, & quam adhuc falsa illa doctrina non corrupit.

In quo consistit hæc Sanctitas?

Deest Sectis hæreticorum.

101. Mala quorundam vita non illi obest. Contrà verò, si qui in Ecclesia Catholica malè viuunt; id contingit ex ipsorum malitia, non autem vi, & ductu principiorum fidei Catholicæ, quæ potiùs ad licentiam peccandi coercendam, vitæque probitatem gignendam aptissima est. Nam ad morum sanctitatem efficaciter incitat: multósque etiam nunc, qui ei se conformant, promouet ad præceptorum, imò etiam consiliorum Euangelicorum obseruantiam, ad continentiam, abstinentiam, concordiam, & charitatem eximiam erga omnes, constantiam fidei vsque ad mortem pro Christo subeundam, aliásque virtutes heroïcas. Vt enim dicere omittam quotquot in Historijs, & Martyrologijs recensentur Sancti, fuisse Romanæ Ecclesiæ cultores, maximáque ex parte Episcopos, Sacerdotes, Eremitas, Monachos, Sanctimoniales: vt Irænæum, Cyprianum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum, Chrysost. Ambros. Hieronym. Augustinum, Gregorium magnum, Bernardum, & alios, quos ipsimet Aduersarij Sanctos passim appellant, & fuisse non diffitentur, locis relatis à Tannero suprà, num. 124. & 125. Vt, inquam, illos omittam, & de Ecclesia Romana præsentis temporis loquar: de illa verè dici potest id, quod de Ecclesia sui temporis scribebat Aug. lib. 1. de morib. Ecclesiæ c. 30. & 31. multos per Dei gratiam in illa esse hospitales, multos officiosos, multos misericordes, multos castos, & sanctos, multos vsque adeo Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia, & huius mundi incredibili contemptu, etiam solitudo delectet; summæque continentiæ Christianorum hominum multitudinem, per totum orbem

in dies magis magisque diffundi.

101. Ad illam pertinet gloria miraculorum. Ad eandem notam pertinet gloria miraculorum, quibus Deus Sanctitati doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, & professorum illius attestatur. Nam quòd potestas edendi miracula sit nota veræ Ecclesiæ, docet Christus ipse Marci vlt. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, &c.* Et quidem negari non potest illam esse veram Ecclesiam, cuius veritati, & sanctitati Deus olim testimonium præbuit, & nunc etiam præbet per miracula. Atqui Romanæ Ecclesiæ præbuisse olim, & nunc etiam præbere liquet ex antiquorum scriptis, & ex ijs, quæ postremo etiam sæculo pluribus in locis, in conspectu populorum, & vrbium gesta sunt: siue ad Dei, & Sanctorum inuocationem, præcipuéque B. Virginis, ijs in locis, in quibus specialiter colitur: siue ad confirmationem fidei, apud Indos, & Iaponios propagatæ per Franciscum Xauerium, & alios fidei Romanæ alumnos: cuius etiam corpus incorruptum, quamvis in calce viua primò sepultum, centum iam annos, & amplius permansit. Miracula singulis sæculis facta in fauorem Romanæ Ecclesiæ, ex optimis, & fide dignis Auctoribus referunt Bellarminus lib. 4. de Ecclesia c. 14. Bosius in libris de notis Ecclesiæ, & Coccius lib. 8. art. 13. Speciatim verò notandum est pleraque illorum facta esse in confirmationem eorum dogmatum, quæ profitetur Romana Ecclesia, quæque nunc ab Hæreticis impugnantur. Ex. gr. per Religiosam applicationem signi Crucis: vt de sancto Gregorio Thaumaturgo refert Gregorius Nyssenus in eius vita: & de sancto Hilarione, Hieronymus; & de sancto Martino, Sulpicius. Per contactum, aut præsentiam reliquiarum: vt de reliquijs sancti Stephani refert Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 8. & de S. Babyla Chrysostomus in oratione de illo scripta. Ad inuocationem Sanctorum: vt de S. Cypriano scribit Gregor. Nazian. in oratione 18. de S. Cypriano, prope finem: Ad præsentiam Eucharistiæ: vt refert idem Nazian. in oratione de S. Gorgonia, Cyprian. in Sermone de lapsis, & Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio cap. 4. Notandum etiam quòd sicut olim in Synagoga erant aliqua continua miracula, quale erat illud probaticæ piscinæ Ioan. 5. sic in Ecclesia Euangelica, præter frequentes dæmonum eiectiones, & variorum morborum curationes: aliqua sunt perpetua miracula, quale est illud ampullæ sanguinis B. Ianuarij, qui Neapoli asseruatur, & perpetuò liquescit ad præsentiam capitis eiusdem sancti: Et olei, quod ex corpore S. Nicolai perpetuò fluit Barij in Apulia, & morbis quibusdam miraculosè medetur: Et curatio Strumarum per Reges Christianissimos.

Nō deest Ecclesiæ Romanæ.

103. Deest hæc nota Sectis hæreticorū. Hæc autem omnia, Sectis hæreticorum deesse tam manifestum est vel ipsorum confessione, vt probatione non egeat. Verissimum enim est, quod Luthero, eiusque Sectarijs exprobrauit Erasmus in Diatribe de libero arbitrio, *Apostolis, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum, ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cùm* (Lutherani, alijque Nouatores) *iuxta communem opinionem afferant paradoxotera; nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Et si aliquando tentârunt miracula facere, aut fingere; infœliciter illis successit; vt de Luthero scribit Staphylus, & de Caluino Bolsecus cap. 13. lib. de vita Caluini. Quod verò dicunt nulla iam fieri miracula: ideo dicunt, quia nulla ipsi faciunt: immeritóque damnant fatuitatis omnes Principes, Magistratus, & populos Catholicos, qui non potuerint simulationes impias à veris miraculis discernere, in rebus tam recentibus, & tam multorum oculis expositis. Quasi verò Iaponij & alij populi ingeniosi, & exculti, non potuerint fraudes illas tam frequentes deprehendere, in omnium conspectu positas; & per præstigias inducti sint ad amplectendum fidem, quam vsque ad sanguinis effusionem, & mortem acerbissimam constantissimè retinent. Omnino enim in Ecclesia Iaponica renouatur constantia martyrum, quæ fuit primis Ecclesiæ temporibus. Adde quòd vitæ sanctitas Xauerij, & similium per quos illa sunt edita, sufficit ad huiusmodi suspicionem longè propulsandam. Eius autem sanctitati attestatur, non solum totus orbis Catholicus; sed & ipsi Hæretici, vt alibi ostendimus Disput. 5. Sect. 4. num. 19.

Frustra quoque objiciunt illud Apostoli 1. Cor. 14. v. 22. *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Nam licet miracula non dentur fidelibus, & iam credentibus, tanquam illis necessaria ad credendum; sed infidelibus, qui sine illis non credunt: Tamen non desunt etiam nunc infideles ad Christum conuertendi. Et, prosunt etiam illa confirmandis fidelibus. Ac si antiqua Iudæorum Ecclesia, quamdiu veram fidem retinuit, non caruit miraculis, quamvis non adeo frequentibus, atque cùm fuit in Ægypto inchoata, & in deserto fundata: sic neque illis destituitur Ecclesia Euangelica. *Si enim ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, &c. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?* vt ait Paulus 2. Cor. 3. v. 7. & 8. 104. Soluuntur eorū arg. contra miracula.

Frustra quoque opponunt illud Matth. 12. *Generatio praua, & adultera signum quærit, &c.* Nam ibi reprehenduntur solùm illi, qui credere recusant post signa sufficientia iam exhibita: vt Scribæ illi & Pharisæi, de quibus loquitur Matthæus cap. cit. & quamvis Antichristus edet aliqua signa, & prodigia, & quidem tam multa, & talia, vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, Matth. 24. Deus tamen eorum falsitatem, & imposturam deteget, & breui impium interficiet, spiritu oris sui: atque virtute potentiori se illi opponet per Enoch, & Eliam: Ita vt non decipiantur nisi imprudentes, & non satis attendentes ad Christi prædictiones, & præmonitiones, atque ad illa ipsa, quæ tunc fient per veros Dei & Christi cultores, qui & illas imposturas detegent, & vera miracula fictis illis prodigijs, & signis opponent: vt olim Deus opposuit Magis Pharaonis in Ægypto per Mo- 105.

sen; & Romæ Simoni Mago per Petrum Apostolum; & Elimæ per Paulum. Specialiter verò notandum est, quòd sicut Deus spoliauit Synagogam gloriâ miraculorum, postquam à vera fide, & religione defecit: sic ad eius prouidentiam pertinuisset, iisdem priuare Romanam Ecclesiam, & non permittere tamdiu per illam illudi homines, si à vera religione defecisset à mille iam annis, & ampliùs, vt volunt Sectarij. Alia, quæ opponunt, sunt planè similia ijs, quæ olim Iudæi opponebant Christi miraculis, & infideles miraculis Christianorum, apud D. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 8. quibus ipse plenissimè responder.

106. Conuersio gentium facta est per Ecclesiã. Huc etiam pertinet conuersio Gentium à cultu idolorum ad Christum per homines miraculis illustres, quaquaversum à Sede Apostolica missos, & Ecclesiæ Romanæ alumnos: Qui, vt veri Successores Apostolorum, *prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis* Nam sine dubio illa est vera Christi Ecclesia, per quam impleta est, & adhuc impletur prophetia, de vniuersi orbis conuersione à cultu idolorum ad fidem Christi. At hoc factum esse, & fieri adhuc per cultores Ecclesiæ Romanæ patet ex antiquis, & recentibus historijs. Qua de re vide Bosium lib. 4. de notis Ecclesiæ c. 2. vbi ex antiquorum testimonijs ostendit primis quatuor Ecclesiæ sæculis missos fuisse à Romano Pontifice, quotquot inter Gentiles varijs locis fundârunt Ecclesias: & Lessium in Consultatione, considerat. 5. vbi ostendit per tredecim, aut quatuordecim sæcula Gentes omnes, quæ Christi fidem amplecti cœperunt, fuisse à filijs Romanæ Ecclesiæ conuersas. Et nouum orbem hoc postremò sæculo per eosdem fuisse conuersum à Gentilismo ad Christum, adhúcque conuerti, notissimum est. Contrà verò Hæretici, vt de illis iampridem notauit Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. nunquam Ethnicos ad fidem Christi conuerterunt, sed Christianos iam factos peruerterunt. *Hoc enim illis negotium est, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.* Qua de re vide Bellar. lib. 4. de Ecclesia, c. 12. & Bosium lib. 4. de Notis Eccles. cap. 11. & lib. 6. cap. 3.

SECTIO XII.

Tertia nota veræ Ecclesiæ, quòd sit CATHOLICA.

107. Vera Ecclesia est Catholica. TErtiò, veram Christi Ecclesiam esse Catholicam, id est, toto orbe noto & habitabili sensim diffusam, docet Scriptura Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Isaiæ 2. *In die illa erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eam omnes gentes, &c.* Malach. 1. v. 11. *Ab ortu Solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum.* Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes.* Marc. 16. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Luc. 24. *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo à Ierusalem.*

De hac eadem nota D. Aug. lib. contra Epist. Fundamenti c. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ecclesiam Catholicam, conueniatur, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et Epist. 170. ad Seuerinum, *Ipsa est enim Ecclesia Catholica, vnde καθολικὴ græcè appellatur, quòd per totum terrarum orbem diffunditur.* Et lib. 2. contra literas Petiliani, c. 38. *Dicente ipso Domino, Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem. Spiritus sancti superuenientem in vos: & eritis mihi testes in Ierusalem, & totam Iudæam, & Samariam, & vsque in totam terram: Ecce vnde Catholica vocatur.* Et Epist. 48. ad Vincentium, post medium: *Sicut anathema erit, qui annuntiauerit Christum neque passum esse, neque tertiâ die resurrexisse; quoniam in veritate euangelica accepimus, oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die: sic erit Anathema quisquis annuntiauerit Ecclesiam præter communionem omnium gentium: quia eâdem veritate consequenter accepimus, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem: & inconcussè tenere debemus, quisquis vobis annuntiauerit, præterquam quòd accepistis, Anathema sit.* Huius notæ auctoritas.

Ex eadémque notâ veræ Ecclesiæ sæpius argumentatur idem S. Doctor contra Donatistas, vt probet eorum Sectam non esse veram Christi Ecclesiam, quia solo angulo quodam Africæ continebatur: vt cap. 104. libri 1. contra Petilian. *Hæc est*, inquit, *Ecclesia nota certissima, quòd non potest abscondi, sed omnibus gentibus est conspicua. Secta Donati multis gentibus est ignota: ergo non est vera Ecclesia.* Et lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos, cap. vlt. *Audio*, inquit, *contractum nuptiarum veræ Sponsæ, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Quæcumque sedet in angulo* (puta in Numidia) *ancilla est, non domina.* Et Epist. 50. *Innumerabilia*, inquit, *sunt testimonia librorum Sanctorum, in quibus apparet Christi Ecclesia, non in sola Africa, sicut isti* (Donatistæ) *impudentissimâ vanitate delirant, sed toto orbe terrarum diffusa.* Et lib. de Vnit. Ecclesiæ cap. 3. *Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sanctæ Scripturæ in Africa solùm designauerunt Ecclesiam, & in paucis Romæ, Rupitanis, & Montensibus, & in domo, vel patrimonio vnius Hispanæ mulieris: quidquid de chartis alijs aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ,* 108. Eiusdem vis cõtra hæreticos.

&c. Si autem Christi Ecclesia Canonicarum Scripturarum diuinis, & certissimis testimonijs in omnibus gentibus designata est: quidquid attulerint, & vndecumque recitauerint, qui dicunt: Ecce hic est Christus, ecce illic: audiamus potius vocem Pastoris nostri dicentis, Nolite credere. Illæ quippe singulæ, in multis gentibus vbi ista est, non inueniuntur. Hæc autem, quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur. Similique argumento vsi sunt alij Patres, vt Athanasius in Epistola Synod. ad Iouinianum Imperat. quam refert. Theodoret. lib. 4. Historiæ cap. 3. Basil. Epist. 72. in fine, Pacianus Epist. 1. ad Simpron. vbi eloquentissimè id prosequitur.

109. Conuenit soli Ecclesiæ Romanæ. Porro hanc notam soli Ecclesiæ Romanæ conuenire inter omnes Sectas, quæ Christiano nomine hodie gloriantur, manifestum est experientiâ, & ipsâ confessione Aduersariorum, qui etiam illi soli Catholicæ nomen relinquunt, neque sibi hucvsque illud tribuere ausi sunt. Vnus verò è ministris recentissimis, ad eludendum argumentum, quod ex hac nota sumitur, ait, nomine Ecclesiæ Catholicæ, non Romanam solùm intelligendam esse, sed collectionem omnium Societatum, quæ nomen Christianum profitentur. At hoc effugium est manifestè contra mentem Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Nam primò, Scriptura de illa Ecclesia, quæ est hæreditas Christi, affirmat eam esse toto orbe diffusam, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* Hæreticorum autem Sectæ non sunt hæreditas Christi. Quisquis enim Sectis Hæreticorum iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, vt ait Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesiæ. Secundò, si nomine Ecclesiæ Catholicæ intelligeretur, omnium illarum Sectarum collectio: nullum fuisset argumentum Augustini, Athanasij, Basilij, Paciani, & aliorum Patrum contra Hæreticos affirmantium eorum Sectas non esse veram Ecclesiam, eò quòd non essent toto orbe diffusæ. Tertiò Sancti Patres disertè affirmant nomen Catholicæ non conuenire Sectis Hæreticorum, sed soli veræ Ecclesiæ, vt patet ex verbis Aug. suprà relatis ex lib. contra Epist. Fundamenti, alijsque locis. Quibus adde quæ sequuntur.

110. Non autẽ Sectis Hæreticorum. Cyprianus initio Epist. 73. ad Iubaian. *Nouatianus simiarum more*, inquit, *quæ cum homines non sint, homines tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vendicare, quando ipse in Ecclesia non sit.* Optat. Mileuit. lib. 1. contra Parmenian. *Præter vnam, quæ est vera Catholica, cæteræ apud Hæreticos putantur esse, sed non sunt.* Pacianus Epist. 1. ad Simpron. *Ego fortè ingressus*, inquit, *populosam vrbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apollinariacos, Cataphrygas, Nouatianos, huiusmodi* (Hæreticos) *comperissem, qui se Christianos vocarent: quo nomine Congregationem meæ plebis cognoscerem, nisi Catholica diceretur?* Et inferiùs: *Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit auctores.* Et paulò pòst: *Ne æstues frater: Christianus mihi nomen est: Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor, inde significor.* Et rursus: *Ab Hæretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur, dum Catholicus dicitur.* Cyrillus Ierosol. Catechesi 18. *Si ieris in aliquam vrbem, non petas vbi sit Ecclesia, vel domus Dei. Nam etiam Hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam: sed petas vbi sit Catholica Ecclesia. Id enim nomen proprium sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrûm, quæ est Sponsa Domini nostri Iesu Christi.* Ambrosius in Oratione de obitu Satyri fratris, *Aduocauit ad se Episcopum, percontatusque est ex eo, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret.* Hieron. in Apolog. aduersus Ruffin. lib. 1. paulò pòst initium. *Fidem suam, quam vocat? Eámne quâ Romana pollet Ecclesia? An illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam respondeat, Ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus, &c.* Aug. lib. de Vtilitate credendi cap. 7. *Vna est Catholica Ecclesia, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur indicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, quod omnes ambiunt tribuendum.* Et lib. de vera Religione cap. 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solùm à suis, sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolint, ipsi quoque Hæretici & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.* Et denique lib. de Fide, & Symbolo, cap. 10. *Credimus*, inquit, *& sanctam Ecclesiam, vtique Catholicam. Nam & Hæretici, & Schismatici Congregationes suas Ecclesias vocant. Sed Hæretici, falsa de Deo sentiendo, ipsam fidem violant. Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec Hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec Schismaticus; quia diligit proximum.*

Perperam verò objiciunt Nouatores, Ethnicismum latiùs patere, quàm Romanam Ecclesiam, quæ ferè aliquot Europæ partibus tota continetur. Respondeo enim primò, non comparari hoc loco Ecclesiam veram, seu Romanam cum Ethnicismo, sed cum alijs cætibus, qui Christi, & Ecclesiæ nomine gloriantur. Secundò, falsum esse Romanam Ecclesiam solâ Europâ contineri: quia non modò in tota illa, sed & in plurimis Asiæ, Africæ, & Americæ partibus plures habet cultores, & professores, etiam in locis vbi dominantur infideles: in ipsa Vrbe Constantinopolitana, quæ Imperij Turcici sedes est, Babylone in Perside, Ierosolymis, & in Æthiopia, Sina, Iaponia, plurimisque alijs locis vtriusque Indiæ Orientalis, & Occidentalis. Certè eo tempore, quo viuebant D. Aug. & alij Patres suprà citati, Ecclesia minùs erat diffusa, quàm nunc sit. Et tamen ab illis verè dicebatur esse Catholica, & toto orbe moraliter diffusa; indé- 111. Satisfit obiectioni.

que sumebant argumentum sufficiens ad rejiciendas Hæreticorum Sectas, defectu huius notæ veræ Ecclesiæ. Ergo multò magis debet nunc idem argumentum sufficere. Dicere verò non sufficere hanc vniuersalitatem, nisi constet de veritate doctrinæ, est peruertere intentionem sanctorum Patrum, qui volunt eiusmodi vniuersalitatem esse notam veræ Ecclesiæ, & consequenter veræ doctrinæ: vt videre est locis suprà citatis. Adde ex D. Aug. lib. 13. contra Faust. c. 12. & lib. 1. de Symbolo ad Catechum. c. 5. tametsi fidei Christianæ professio defecerit in aliquibus regionibus, vbi infideles dominantur: tamen Ecclesiam, quæ nunquam fuit interrupta, & eadem est continuatione, retinere nomen & ius diffusæ per totum orbem, atque adeo Catholicæ: præsertim cùm adhuc in illis ferè omnibus regionibus, sint Christiani in notabili multitudine. Atqui sola Romana Ecclesia est illa, quæ nunquam fuit interrupta, neque diuulsa ab originali, seu matrice, & radicali societate Christiana, vt loquitur idem August. Est enim impossibile, ostendere quando primùm facta sit eius auulsio, sicut de omnibus alijs Sectis facilè ostenditur.

SECTIO XIII.

Quarta nota veræ Ecclesiæ, quòd sit APOSTOLICA.

112. Vera Ecclesia est Apostolica.

QVartò denique veram Ecclesiam esse Apostolicam, id est, ab Apostolis fundatam, & ab illis ad nos vsque perpetuâ successione visibili continuatam, patet ex Scriptura, quæ affirmat portas inferi aduersus Ecclesiam supra Petrum fundatam, nunquam prævalituras, Matth. 16. & Christum posuisse in Ecclesia Apostolos, Pastores, & Doctores vsque ad consummationem sæculi, ad quos recurramus, vt non circumferamur omni vento doctrinæ, Ephes. 4. & esse docturam omnes gentes, & baptizaturam; Christúmque cum illa hoc munus exercente, futurum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, Matth. vlt. Est autem manifestum hæc munia esse visibilia, & non posse nisi visibiliter exerceri per visibilem Ecclesiam. De eadem visibili perpetuitate prædixerat Deus per Isaiam, c. 59. quem locum citat pro Ecclesia, Paulus Roman. 11. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo, & vsque in sempiternum.* Vbi nota, verba Domini nunquam esse recessura, non solùm de corde, sed neque etiam de ore, id est, de publica confessione Ecclesiæ. Et c. 61. *Fœdus perpetuum feriam eis. Et scient* (id est scietur, phrasi Hebraïcâ) *in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnés qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Et Ierem. 31. quem locum etiam pro Ecclesia citat Paulus Hebr. 8. & 10. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël fœdus nouum, non secundum pactum cum Patribus eorum, in die quâ eduxi eos de terra Ægypti, quod pactum irritum fecerunt. Sed hoc erit fœdus meum: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero ipsis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum in lumine noctis; si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israël deficiet, vt non sit populus meus coram me cunctis diebus.* Quibus verbis Deus promittit, priùs defecturam vicissitudinem diei, & noctis, quàm deficiat Ecclesia doctrinam Christi profitens: Nam quòd de ea loquatur, indicant verba illa, *fœdus nouum*, & clarè docet Paulus locis suprà citatis. Prædicitque Deus iisdem verbis Ecclesiam illam fore semper visibilem. Tum quia vocatur *populus*, qui non est sine aliqua consensione visibili: neque enim aliter ex multis constituitur vnus populus. Tum etiam quia oris confessio est necessaria ad salutem, Rom. 10. Oris autem confessio visibiliter fit. Eadem perpetuitas Ecclesiæ Christianæ habetur prædicta Daniel. 2. Vbi de regno Christi, id est, Ecclesiâ sic dicitur: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, &c.* Et cap. 7. *Dedit ei* (Christo) *Deus potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius quod non corrumpetur.* Et Matth. 5. v. 14. & 15. eadem Ecclesia, comparatur ciuitati supra montem positæ, ad significandam perpetuam eius stabilitatem, & visibilitatem.

Ex eadem nota perpetuæ, & visibilis successionis ab Apostolis hucvsque, argumentantur sæpius Patres contra Hæreticos; vt Tertullianus lib. de præscript. c. 32. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum. Euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit.* Et Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmenian. *Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Et Aug. in Psal. contra partem Donati, *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit videte: ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et lib. contra Epist. Fundamenti c. 4. *Tenet me* (in Ecclesia) *ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* Eandémque successionem vsque ad Anastasium tunc sedentem enumerat Epist. 165. Et Hieronymus in fine dialogi contra Lucifer. *In illa Ecclesia*, inquit, *permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi* (seu Christiani,) *non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, vtpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas:*

113. Vsus huius notæ contra hæreticos.

Scito non esse Ecclesiam Christi, sed Anti-christi esse Synagogam. Ex hoc enim ipsó quod postea instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus prænuntiauit, 1. Timoth. 4. *Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt. Cùm & Diabolus de Scripturis aliqua sit locutus: & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Et denique Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 3. *Sed quoniam valde longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt:* id est, Sectas & conuenticula faciunt. *Ad hanc enim* (Romanam) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Et mox enumeratâ successione Summorum Pontificum, qui continenter Sedem Romanam tenuerant vsque ad Eleutherium, suo tempore præsidentem, subiungit; *Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis traditio, & veritatis præconizatio, peruenit vsque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam, & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita in veritate.* Et lib. 4. c. 43. *Quapropter*, inquit, *eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt: Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocumque loco colliguntur, suspectos habere* (supple, oportet) *vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratiâ, & vanæ gloriæ hæc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate.*

114. Deest Sectis hæreticorum.

Hac notâ, continuæ & visibilis successionis ab Apostolis huc vsque, carere hæreticos huius temporis, manifestum est vel ipsorum confessione, qui idcirco dicunt Ecclesiam mille annis & ampliùs latuisse inuisibilem; quósque compertissimum est Summorum Pontificum obedientiæ, & Romanæ Ecclesiæ se subtraxisse, non multùm ante centum & triginta annos, Luthero & Caluino auctoribus. Contra verò Romanam Ecclesiam huc vsque ab Apostolis durasse visibiliter, continuâ successione Summorum Pontificum in Sede Petri, & aliorum Episcoporum, & Pastorum illis subordinatorum, populorumque illis palam, & publicè adhærentium, agnoscere coguntur, vel ipsi Centuriatores, & testantur omnes Christianorum historiæ. Concludo itaque, cùm vni, & soli Romanæ Ecclesiæ euidenter conueniant singulæ, & omnes simul sumptæ, veræ Ecclesiæ notæ, in Scriptura designatæ; indubitatum esse debere, ipsam & nullam aliam, esse veram Ecclesiam.

115. Soluuntur arg. hæreticorum contra illam.

Leuia verò sunt quæcumque aduersus hanc postremam notam objiciunt Hæretici. Dicunt primò, argumentum sumptum à continua successione visibili Summorum Pontificum in Sede Romana, fuisse efficax tempore D. Augustini, quia euidens erat omnibus nullam eò vsque factam esse in Ecclesia mutationem doctrinæ. Quasi verò Hæretici illius temporis, & eorum prædecessores non æquè contenderent factam fuisse mutationem veræ doctrinæ, sicut nunc id contendunt Hæretici. Est enim hic communis omnium Hæreticorum prætextus, quo suam discessionem ab Ecclesia sui temporis excusant.

Dicunt secundò, successionem Cathedræ non sufficere absque successione doctrinæ. Verùm si possent hæc duo separari in Romana Ecclesia; & nisi successio non interrupta Summorum Pontificum in Sede Petri, esset sufficiens & efficax argumentum ad probandum veræ doctrinæ successionem durare: non potuissent sancti Patres suprà citati, argumentari efficaciter contra Hæreticos sui temporis à successione perpetua Cathedræ, ad probandam veritatem doctrinæ. Quare hæ duæ euasiones sunt friuolæ, & menti Sanctorum Patrum manifestè contrariæ.

116. Figmentum quòd Papa sit Antichristus, refellitur.

Aiunt tertiò, fuisse prædictam defectionem Ecclesiæ visibilis sub Antichristo, quem volunt esse Romanos Pontifices, qui à Gregorio I. hucvsque tenent Sedem Romanam, quam etiam dicunt esse Babylonem illam à Ioanne in Apocalypsi descriptam. Sed hæc omnia futilia sunt, & in obscuris allegorijs ineptè, & malitiosè fundata, iamque à plurimis Catholicis Doctoribus satis supérque refutata; speciatimque à Bellar. tom. 1. lib. 3. de Romano Pontifice c. 1. & sequentib. Lessio in opusc. de Antichristo, Suare lib. 5. Defensionis fidei contra errores Anglicanos, Perronio lib. 1. Replicæ, c. 15. Tannero q. 4. de Fide, dub. 5. Longéque ante illos à D. August. lib. de Vnit. Ecclesiæ c. 13. & sequentibus, & lib. 20. de Ciuit. cap. 8. Et Epist. 80.

Breuiter dico primò, multa de Antichristo prædicta, eiusque persecutione, ne apparenter quidem posse summis illis Pontificibus applicari. Nam vt euidenter ostendunt Auctores citati, erit ille vna peculiaris persona: breui regnabit, nempe duos tantùm annos cum dimidio: dúmque regnabit, crudelissimè sæuiet in Christianos, quorum sanguine inebriabitur: resistetur illi per Enoch, & Eliam, quos primùm interficiet, postmodum verò ab illis rediuiuis occidetur Spiritu oris Dei: regnabit Ierosolymis, & à Iudæis agnoscetur pro Messia. Quæ omnia quàm longè absint à Summis Pontificibus, qui à Gregorio I. hucvsque, id est, per mille annos sederunt, & ampliùs, nemo non videt. Dico secundò, esse manifestè contra Christi promissiones, & prædictiones diuinas Matth. 16. & 28. Ephes. 4. Isaïæ 61. alijsque locis suprà citatis & expensis, dicere quòd Ecclesia per mille annos, à Gregorio I. ad Lutherum vsque, vel omnino defecerit, vel visibilis esse desierit. Tertiò, ne tempore quidem Antichristi, quod breue erit, defecturam

Ecclesia non desi-

ciet tempore Antichristi. esse Ecclesiam visibilem, neque id esse à Christo prædictum: sed tantùm quòd multorum fides, & constantia deficiet in persecutione illa omnium grauissima, alijs tamen contra Antichristum luctantibus, & fidem Christi publicè vsque ad sanguinis effusionem profitentibus. Neque enim in errorem inducentur electi, vt dicitur Matth. 24. & multi fortiter vsque ad mortem illi resistent, præcipuéque Enoch, & Elias, qui de illo tandem triumphabunt. Quartò, mulierem illam allegoricam fugientem in desertum, Apocal. 12. Multas habere interpretationes congruas, & Romanæ Ecclesiæ durationi, perpetuæque visibilitati non aduersantes, quas ex D. Aug. alijsque Patribus referunt Suar. lib. 5. supra cit. cap. 7. Perron. & alij paulo ante relati, & interpretes eiusdem loci. Et quamvis esset necessariò intelligenda de Ecclesia, deficiente aliquatenus quoad splendorem: non tamen ibi diceretur quòd planè defectura sit: sed potiùs asseritur quòd sit relictura semen, id est, posteritatem, pugnaturam cum Dracone, hoc est, se fortiter opponentem illius erroribus: quod certè fiet visibiliter. Quintò, Babylon illa, & mulier vestita purpurâ, meretrix magna, & mater fornicationum, Apocal. 17. & propinans calicem omnibus gentibus, plenum abominationis, quæ etiam dicitur ibidem ciuitas magna sedēs super septem montes, & habens regnum super Reges terræ: quæ omnia contendunt Hæretici perfectissimè conuenire Summo Pontifici, & Vrbi Romæ, quæ sedes eius est: hæc, inquam, omnia allegoricè dicta sunt, & dupliciter exponuntur à Sanctis Patribus, vt videre est apud Interpretes capitis citati.

117. Sit-ne Roma per Babylonem, designata? Vna expositio est eorum, qui cum Hieronymo lib. 2. contra Iouin. per Babylonem illam, intelligunt quidem vrbem Romam, non qualis nunc est, sed qualis erat antequam in Christum crederet, quando eius Imperatores Ethnici, Ecclesiam Christi toto orbe persequebantur, & vbique fundebant sanguinem Martyrum, & omnibus gentibus à se subactis propinabant calicem Ethnicæ superstitionis, quæ in illa residebat, maximéque vigebat, velut in capite Idololatriæ, æquè ac imperij, *& vbi diligentissimâ superstitione habebatur collectum, quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum*, inquit, S. Leo Serm. 1. de Sanctis Petro & Paulo. At verò quando Christo nomen dedit sub Constantino Imperatore, deleuit nominis Christi confessione, inscriptum sibi in fronte mysterium, siue nomen Babylonis, & blasphemiæ; vt ait Hieron. loco citato. Et verò iam Roma, non septem montibus tantùm vt olim, sed nouem imposita est. Maiorique apparentiâ Hæretici hanc allegoriam applicarent Constantinopoli, quæ nunc septem montibus insidet, & cuius Imperator pluribus Regibus dominatur, & Ecclesiam Christianam vastat, Regnáque illius occupat quantum potest, & purpurâ vestitur, & sanguinem Sanctorum fundit, id est, Christianorum contra quos bella gerit.

118. Altera expositio est D. Augustini in Psal. 64. & lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 8. Vbi per Babylonem illam destruendam, intelligit vel malorum & reproborum omnium multitudinem, vel idololatriam, siue Ethnicismum destruendum per Ierusalem nouam descendentem de cœlo, id est, per Ecclesiam: Ita vt nomen Babylonis, & mulieris fornicariæ, & ciuitatis magnæ, septem montibus insidentis, & Regibus dominantis, non significet vrbem aliquam peculiarem, aut Principes illi dominantes; sed vniuersam idololatriam: per purpuram, non designetur color specialis; sed Regia dignitas Principum Ethnicorum, aut dominatus Ethnicæ superstitionis toto ferè orbe: sicut è contrario, per Ierusalem, significatur ibi tota fidelium, & Christianorum societas vbicumque terrarum, dicitúrque de Ierusalem quòd sit vestita Byssino splendenti, id est, Sanctorum virtutibus: *Byssinum enim sunt iustificationes Sanctorum.* Per septem montes, designentur septem Principes præcipui inter Ethnicos: Nam ibidem dicuntur septem montes esse septem Reges. Vel etiam septem illi Tyranni, qui varijs sæculis Ecclesiam maximè persecuti sunt. Vel denique septem vitia capitalia, quibus veluti montibus, diaboli regnum & superstitionis Ethnicæ dominatus, firmiter insidebat.

119. Absurditas sententiæ hæreticorum hac in re. Absurdissimum verò est existimare, fore vt destructio veræ Ecclesiæ sit ab eo profectura, super quo promisit Christus eam tam firmiter stituram, vt portæ inferi aduersus eam præualere nunquam possint: id est, à Petri successoribus Romanis Pontificibus, vt sancti Patres exponunt, superius allegati Sect. 4. num. 41. & sequentibus: quódque fideles sint inducendi in errorem, per eos quos Christus ipse in Ecclesia constituit veluti duces fidei infallibiles, vt non circumueniantur erroribus in astutia, & nequitia hominum, neque circumferantur omni vento doctrinæ, vt ait Paulus Ephes. 4. Præcipuè verò, non designato certo tempore, quo essent ipsi defecturi à fide, quóve ab illis cauendum esset. Vanum quoque figmentum est, quod dicunt hæretici huius temporis, fuisse semper aliquos qui eandem cum ipsis fidem, & Religionem tenerent, sed inuisibiliter à tempore Gregorij I. vsque ad Lutherum. Nullum enim proferre possint qui in omnibus fidei dogmatibus sibi consenserit ante illum hæresiarcham, qui de seipso profitetur nouam mundo doctrinam, & diu incognitam, à se fuisse allatam. Neque verò fideles esse poterant, qui veram Religionem non publicè profitebantur, neque ore confitebantur ad salutem, neque opponebant se corruptioni doctrinæ, & Ecclesiam reformare conabantur, sed exteriùs illi consentiebant, eiusque errores, & falsam Religionem exteriùs profitebantur. Quod certè longissimè abest à sensu & moribus Apostolorum; & primorum Christianorum, qui tam constanter, & fortiter fidem contra Ethnicismum & hæreses, semper & vbique professi sunt, fideique professionem sanguine suo plerique obsignârunt. Adde quòd illi fideles inuisibiles (iuxta Aduersarios, quos impugnamus) nullum habebant inter se commercium, alioquin eorum societas non fuisset

inuisibilis: sed soli Deo noti erant. Neque vllos habebant Pastores, quibus subordinarentur, & à quibus in fide, & vera Religione continerentur, ad quos denique recurrerent in dubijs fidei: quos tamen Christus in Ecclesia sua constituit, & per Apostolum prædixit fore vsque ad consummationem Sanctorum, id est, vsque ad diem iudicij. Si enim illos habuissent, non fuisset illa Ecclesia inuisibilis, constans Pastoribus, & ouibus eos sequentibus: neque essent illi Pastores planè incogniti, sed aliqua illorum memoria extaret; possentque Hæretici huius temporis, ex antiquis historijs texere illorum successionem, æquè ac Romana Ecclesia, quæ grauissimis licet persecutionibus, quibus prioribus sæculis fuit oppressa, nouit tamen, & certissimè designat, quis cuique non Romæ solùm, sed & pluribus alijs in locis successerit ab Apostolis hucvsque, quive quolibet sæculo præcipuè floruerint vitæ sanctitate, & miraculis, vel martyrij gloriâ, vel singulari doctrinâ.

SECTIO XIV.

Ostenditur esse de fide Romanam Ecclesiam, quæ nunc est, esse veram Ecclesiam; & quomodo extra Ecclesiam non est salus.

110. Probatur efficaciter. SVperest quærere, an sit de fide hanc numero Ecclesiam visibilem, quæ nunc est sub regimine Alexandri VII. esse veram Ecclesiam? Respondeo affirmatiuè, cum Suare Disp. 9. Sect. 9. Primò, quia de fide est, veram Christi Ecclesiam visibilem esse perpetuam, vt iam ostendimus. At nulla alia nunc extat præter hanc. Nulla enim est alia, cui conueniant omnes Ecclesiæ notæ, Vna, Sancta, Catholica & Apostolica: nulla, quæ fulgeat miraculis, & alijs argumentis credibilitatis, quibus Deus suæ Ecclesiæ attestatur. Secundò, constat ex Symbolo Apostolico, & Nicæno, teneri nos credere Vnam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Neque sufficit credere in confuso, & indeterminatè. Tum quia sancti Patres credebant vnanimiter hanc numero Ecclesiam, quam videbant suo tempore, ijsdem notis insignitam quibus nunc nostra est, esse veram Ecclesiam; & Hæreticum iudicabant, quicumque ab illa recederet: tum etiam quia nisi certa Ecclesia credatur in particulari esse vera; dubitabitur de doctrina cuiuslibet, & tantùm fide diuinâ certum erit indefinitè, aliquam esse veram Christi doctrinam, ab aliqua vera Christi Ecclesia propositam. Hoc autem falsum est, quia determinate, seu distinctè credere tenemur, hanc ipsam doctrinam ab hac Ecclesia traditam, esse veram & diuinam.

111. Soluuntur obiectiones. Objicies primò, veram Ecclesiam non esse sine fide. Atqui non est de fide, eos qui nunc sunt, habere veram fidem. Nemo enim sine speciali reuelatione, est certus certitudine fidei diuinæ, se habere fidem, iuxta Trident. Sess. 6. cap. 9. & Can. 15. Respondeo, de nemine determinatè, & in particulari certum esse fide diuinâ sine speciali reuelatione, ipsum habere fidem, & sanctitatem: confusè tamen, & indeterminatè certum esse, ac de fide, aliquos ac multos eorum qui profitentur Christianismum, habere fidem; hunc, aut illum, &c.

Objicies secundò, non esse à Christo reuelatum, nec ab Apostolis traditum, Ecclesiam, quæ nunc est, esse veram Ecclesiam, sed tantum Ecclesiam sui temporis. Respondeo cum Suare suprà, num. 14. Ecclesiam Apostolorum, & nostram, vnam esse continuatione: & quæ sunt reuelata in Scriptura de Ecclesia perpetua, non esse dicta de Ecclesia, vt restricta ad tempus Apostolorum, sed prout continuâ temporum successione eadem perseuerat. Nostram verò esse eandem continuatione cum Apostolica, patet primò perpetuâ & constanti traditione. Secundò, argumentis credibilitatis, quibus illi nunc Christus, vt olim, attestatur, quemadmodum alibi ostendimus. Tertiò, patet etiam, ijs signis & notis, quibus Christus suam Ecclesiam in Scriptura designauit, & Apostoli in Symbolo. Sicut autem Iudæi tenebantur credere fide diuinâ, hominem illum esse Messiam, cui conueniebant omnia de Messia à Prophetis prædicta: sic nos tenemur credere hanc numero Ecclesiam, cui conueniunt omnia de vera Ecclesia reuelata, esse veram Ecclesiam. Denique, Ecclesia ipsa cum suis omnibus adiunctis & notis, bene pensa, est per se sufficienter credibilis vt opus diuinum, & verè talis qualem se profitetur. 112.

Vide Disp. 5. Sect. 7.


Hinc collige, huic eidem Ecclesiæ visibili aggregari debere, quicumque volunt æternam consequi salutem, & mortis sempiternæ damnationem euadere: iuxta celebre axioma Sanctorum Patrum, *Extra Ecclesiam non est salus:* Circa quod frustra cauillantur Hæretici recentiores, intelligendum illud esse de Ecclesia inuisibili prædestinatorum. Patet enim manifestissimè hanc expositionem esse ineptam, & à mente Sanctorum Patrum prorsus alienam. Primò, quia alioqui sensus illius dicti esset, extra salutem non est salus. Quod est nugatorium, & in eo probando frustra Patres laborassent. Secundò, quia sancti Patres hoc vrgent contra Hæreticos, qui ab Ecclesia discedunt: & contra infideles, vt in Ecclesiam intrare persuadeant. Ergo loquuntur de Ecclesia visibili. Item, apertè per Ecclesiam intelligunt illam, cui præest Romanus Pontifex, in qua sunt Episcopi, & Doctores visibiles, & professio visibilis Christianismi. Sensus ergo est, quòd qui suâ culpâ negligit aggregari Christi Ecclesiæ visibili, non potest saluari: licet in casu impotentiæ inculpabilis, possit contritio, & fides viua sufficere. Sed qui suâ culpâ negligunt aggregari Ecclesiæ, ponunt impedimentum diuinæ gratiæ, & sunt incapaces contritionis veræ, & perfectæ. 113. Extra Ecclesiam visibilem non est salus.

Neque minùs inepti sunt Ministri recentissimi, qui volunt celebre illud axioma sanctorum Patrum, intelligendum esse de Ecclesia sumpta pro collectione earum omnium Sectarum, quæ Christi nomen, & fidem profitentur: ita vt sensus sit, non posse consequi salutem quicumque ab illis omnibus se separat, aut extra illas omnes viuit, nulli adhærendo: ita tamen vt 114. Contrarius error refellitur.

ad salutem sufficiat huic, aut illi adhærere. Enimverò manifestum est ex doctrina SS. Patrum, sensum illorum fuisse, non esse salutem extra veram Ecclesiam: & qui Sectas Hæreticorum præ illa amplectuntur, non posse saluari. Indéque vrgent Sectarios, vt veræ illi Ecclesiæ se aggregent. Ad hoc probandum sufficiet aliquot illustriora Patrum testimonia proferre:

125. Confirmatur ex Patribus. Augustinus lib. 2. contra Parmen. cap. 3. *Nonne isti palpant in meridie, quasi mediâ nocte? Quod quidem omnium Hæreticorum est, qui rem manifestissimam in lucem omnium gentium constitutam videre non possunt: extra cuius vnitatem quidquid operantur, quamvis magna solertia fieri videatur, tamen nihil illis prodest aduersus iram Dei, quos nec aranearum tela possunt defendere à frigore.* Hieronymus Epist. 57. ad Damasum Papam: *Ego*, inquit, *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, Ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: id est, qui Christi non est, Anti-Christi est.* Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ, postquam dixit Ecclesiam Christi esse vnam Christi Sponsam, & ab Hæreticorum Sectis, adulterantibus Verbum Dei, discretam: hæc addit: *Adulterari non potest Sponsa Christi: Incorrupta est, & pudica.* Et paulò post: *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur*, (id est, alicui Sectæ Hæreticorum) *à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem:* Quæ postrema Verba ex illo repetit S. Augustinus tom. 9. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos, cap. vlt. Et Lactant. lib. 4. Diuin. Institut. cap. vlt. loquens de illis, qui ab Hæresiarchis quibuscumque in errorem inducti fuerunt: *Illi omnes*, inquit, *Dæmoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere & cauere debuerant, diuinum nomen, & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cùm enim Phryges, aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Arriani, seu quilibet alij nominantur; Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis. Hoc est domicilium fidei. Hoc templum Dei, quod si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est:* Et quasi digitum intendens in eos, contra quos modò disputamus, eorúmque exitialem persuasionem damnans, addit immediatè post: *Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita, & salute: cui nisi cautè, ac diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cœtus Hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant: Sciendum est illam esse veram, in qua est confessio, &c.* Simili modo loquuntur alij, quorum Verba, ne longiores simus, referre præter mittimus. Hæc igitur de Ecclesia, déque Regulis fidei sufficiant.





DISPVTATIO DECIMA.

De actu Fidei interno.




QVæ huc vsque diximus, pertinent ad obiectum fidei, & à D. Thoma vnica quæst. 1. partim explicantur, partim breuiter attinguntur. Sequitur dicendum de reliquis ad eandem virtutem pertinentibus. Ac priùs de actu eius interno, de quo idem S. Doctor tota quæst. 2. hæc docet. Primò, credere idem esse, atque cum assensione cogitare, id est, firmiter assentiri ex consensu, & determinatione Voluntatis, post inquisitionem Intellectus deliberantis. Secundò, actus fidei conuenienter distingui per hæc tria, Credere Deo, Credere Deum, & Credere in Deum. Quoniam in actu fidei triplex considera-

tio reperitur. Vna, secundùm ordinem ad obiectum materiale, quod est Deus, vt veritas reuelata. Alia, secundùm ordinem ad obiectum formale, quod est Deus, vt veritas reuelans, & testificans. Tertia, secundùm ordinem, quem ex motione voluntatis habet in Deum, vt finem. Primâ consideratione per actum fidei creditur Deus. Secundâ, creditur Deo dicenti, & testificanti. Tertiâ, creditur in Deum. Circa quam diuisionem nota primò, illam non tam esse diuersorum actuum fidei, quàm diuersarum considerationum eiusdem actus. Quippe quo, quatenus tendit in Deum, vt obiectum materiale, dicimur credere Deum: quatenus verò Deum respicit vt obiectum formale, propter cuius testimonium, & auctoritatem creditur, dicimur credere Deo: quatenus denique per voluntatem refertur in Deum vt finem vltimum, aut coniungitur actui charitatis erga Deum, dicimur credere in Deum. Nota secundò, non omnem actum fidei esse credere Deum: cùm præter Deum multa alia obiecta materialia credi possint: neque etiam omnem actum fidei esse credere in Deum; cùm & ipsemet Deus, & alia credi possint sine tendentia voluntatis in Deum vt finem vltimum, aut dilectum ex charitate. Item, non modò actum, quo credimus Deum, posse referri in Deum vt finem, aut exerceri ex charitate: sed & alios quosvis actus fidei, qui eatenus erunt credere in Deum. Quare nec omnis, nec solus actus credendi Deum, est credere in Deum. In omni tamen actu necesse est credere Deo, quatenus omnis actus fidei nititur Dei testimonio, vt obiecto formali; licet non omnis sit credere Deum, aut in Deum, modo superiùs explicato. Notandum tertiò, tres hos loquendi modos aliter sumi interdum in Scriptura, & confundi: ita vt omnes eandem habitudinem significent, siue obiecti materialis, siue formalis, siue affectus voluntatis; vt pluribus exemplis ostendit Ægid. Coninck disp. 14. dub. 12. n. 235. Neque in eo rigore sumitur in art. 1. Symboli Apostolici particula illa, *Credo in Deum*. Alioquin omnes, qui charitatis affectu carent, aut Deum vt finem vltimum non respiciunt, falsò id profiterentur. Sed & Patres Græci simili modo dicunt credere in Ecclesiam, in baptismum, in resurrectionem mortuorum, vt videre est apud Epiphan. in Anchorato, & in Concilio Chalcedon. Actione. 2. in fidei Symbolo, & in Concilio Ephes. I. in Confess. Canisij Presbyteri; licet neque Ecclesia, neque baptismus, neque resurrectio mortuorum, sit noster finis vltimus. Et Ioan. 12. v. 42. dicuntur multi ex Principibus credidisse in Christum; qui tamen neque affectum charitatis habebant, neque in illum vt finem vltimum tendebant, sed diligebant magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei, vt additur v. 43.

Docet tertiò, ad salutem necessarium esse credere aliquid supra rationem naturalem: quia supernaturalis Dei visio est necessaria ad salutem vltimam, & ad hominis beatitudinem, quæ in illa consistit. Atqui credere est necessarium ad visionem illam obtinendam: quoniam homo secundùm modum suæ naturæ non debet statim ad illam perfectionem scientiæ, & visionis peruenire, sed successiuè, & addiscendo: oportet verò addiscentem credere. Quartò, necessarium esse credere etiam ea, quæ per rationem naturalem, cognosci possunt. Tum vt citiùs homo

ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat. Nam serius per rationem naturalem cognoscuntur Deus, & res diuinæ. Tum etiam vt cognitio Dei sit communior, & plures eum cognoscant. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenij, vel propter alias occupationes, & necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi: qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis diuina per modum fidei. Tum denique vt certior sit cognitio. Nam multa sunt quæ per solam naturalem rationem non possunt certò cognosci in diuinis rebus; per fidem verò cognoscuntur certissimè. Quintò, teneri hominem explicitè credere ea, quæ per se pertinent ad obiectum fidei, scilicet ea, per quæ homo beatus efficitur: non autem ea, quæ per accidens. Nam actus omnium virtutum per se quidem sunt circa ea, quæ per se in obiecto illarum continentur. Circa alia verò quæ per accidens coniunguntur cum obiecto, versantur tantùm per accidens. Sextò, non omnes æqualiter teneri ad habendam fidem explicitam. Nam cùm secundùm ordinem à Deo constitutum tam inter Angelos, quàm inter homines, alij ab alijs erudiantur: superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicitè credere. Septimò, mysterium Incarnationis Christi, debuisse omni tempore esse creditum apud omnes aliquo modo; non tamen vno, & eodem. Nam id, per quod homo beatitudinem consequitur, pertinet per se ad obiectum fidei, & necessariò credendum est. Christus autem est id, per quod homo beatitudinem consequitur. Verùm quia illud mysterium non fuit omni tempore æqualiter reuelatum, sed diuersimodè secundùm diuersitatem temporum, & personarum; & inæqualiter ante legem Moysi, in lege, & post legem: ideo non omni tempore debuit eodem modo, & æqualiter credi. Ac nequidem in lege gratiæ. Quamvis enim post Euangelij promulgationem debeant omnes credere explicitè Christi mysteria, quæ omnibus proponuntur: tamen quia non omnibus omnia mysteria sunt æqualiter proponenda, non debent omnes æqualiter habere fidem explicitam. Octauò, mysterium quoque Trinitatis debuisse semper credi: sed ante promulgationem Euangelij explicitè à maioribus; & implicitè, ac adumbratè à minoribus: sicut & mysterium Incarnationis, quod non potest cognosci sine mysterio Trinitatis personarum diuinarum. Post Euangelij verò promulgationem debet credi explicitè ab omnibus; cùm explicitè proponatur omnibus in forma baptismi. Nonò, actum fidei esse posse meritorium, quia est actus intellectus assentientis veritati diuinæ, ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam. Quid autem aliud requiratur, vt perficiatur in esse meritorij, diximus alibi in tract. de gratia, & merito. Certum autem est, posse illa omnia conuenire actui fidei. Potest enim liberè exerceri ab homine viatore, & iusto, seu viuo Christi membro, vt ex imperio charitatis erga Deum. Decimò, rationes humanas tollere, aut minuere fidei meritum, si antecedenter se habeant ad actum credendi; id est, si causant actum credendi, ita vt sine illis aut non haberet homo voluntatem credendi, aut non haberet promptam. Non minuere verò,
sed

sed esse signum maioris meriti, si consequenter tantùm se habent: id est, si causantur à voluntate credendi, & ex illa sequuntur: ita vt homo sine illis habeat promptam credendi voluntatem; sed ex amore fidei excogitat, & amplectitur rationes humanas, si quas inuenire potest, vt rationem trahat in obsequium fidei. Hæc D. Thom. Quorum aliqua facilia sunt, & obiter iam satis explicata: aliqua fuerunt alijs locis exposita: cætera sequentibus Sectionibus elucidabuntur.



SECTIO I.

An & quomodo actus internus fidei Theologicæ sit supernaturalis?

1. Status quæstionis. Ota primò, per actum internum fidei intelligi actum intellectus, quo certò, sed obscurè, assentimur veritatibus à Deo reuelatis propter ipsius testimonium sufficienter propositum. Per fidem autem Theologicam intelligi eam, quæ ad salutem pertinet, quâ scilicet creditur sicut oportet ad salutem, vt loquuntur Concilia locis infrà citandis.

Actus supernaturalis est duplex. Nota secundò, dupliciter actum aliquem posse dici supernaturalem. Primò, quoad substantiam, id est, quoad entitatem, seu speciem, & essentiam propriam. Qui scilicet talis est, vt secundùm suam entitatem, & essentiam propriam, superet vires causarum naturalium, & neque ipse, neque similis in specie produci possit solis viribus naturalibus cum Dei concursu generali. Quo pacto visio beatifica est supernaturalis, Angelis & hominibus, quippe quam sine ope Dei speciali, supra naturam eleuante, elicere non possunt. Secundò, quoad modum tantùm: quando, licet actus in sua specie non superet vires naturales; sit tamen aliquo modo intrinseco, vel extrinseco superante vires naturæ. Vt si intellectio alioqui naturalis in sua specie, fiat tamen cum Dei auxilio speciali intensior, & clarior, quàm viribus solis naturalibus elici posset. His præmissis,

2. Actus fidei est supernaturalis. Dico primò actum credendi sicut oportet, esse supernaturalem. Probatur, quia ad illum exercendum non modò necessaria est gratia reuelationis, seu propositionis obiecti reuelati, & credibilis: sed etiam gratia interna inspirationis, seu illuminationis intellectus, ad motiuum credendi meliùs percipiendum, & iudicandum de credibilitate; itémque gratia piæ motionis voluntatis, ad liberè volendum credere: ac denique gratia adiutorij concomitantis, & concurrentis cum intellectu ad credendum. Ergo ille actus est supernaturalis: quippe qui sine auxilio Dei gratuito, & supernaturali, seu naturæ vires & exigentiam superante, fieri nequit. Consequentia clara est. Antecedens probatur per partes.

3. Ad illum requiritur gratia reuelationis. Primò igitur, quòd ad actum credendi sicut oportet, necessaria sit gratia reuelationis, de fide est, definitum in Arausicano, can. 8. dicente, neminem posse sine reuelatione Dei mysterium salutis conquirere. Sæpiúsque id insinuatur in Scriptura: vt Matth. 11. v. 25. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Ratio est, quia nihil potest credi fide Theologicâ, nisi sit à Deo reuelatum, & propositum sufficienter credibile. Hæc autem reuelatio sufficienter facta, est opus Dei non debitum naturæ, adeóque gratuitum. Siue fiat solùm per signa interna, quibus Deus loquatur interiùs, & credibile reddat se loqui: siue per locutionem externam, aut prædicationem confirmatam miraculis, vel alijs sufficientibus argumentis credibilitatis. Hæc enim omnia fiunt à Deo supra naturæ debitum. Et quamvis prædicatio, vel propositio obiecti, fiat interdum malo affectu à proximè proponente, ad quam Deus non concurrit specialiter: Illa tamen non sufficit ad credendum sine argumentis credibilitatis, vel tunc, vel olim factis: ac proinde reuelatio completa, & sufficiens, includit semper aliquid supernaturale, & gratuitum.

Secundò, quòd vltra gratiam reuelationis, & propositionis obiecti, requiratur gratia interna inspirationis, & illustrationis intellectus, ad meliùs scilicet iudicandum de obiecti credibilitate, de fide est, definitum ab Arausicano Can. 7. affirmante *Neminem posse Euangelicæ prædicationi consentire absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo, & credendo veritati.* Vbi nota Concilium manifestè distinguere illuminationem, & inspirationem, à prædicatione. Alioqui sensus esset, neminem posse consentire prædicationi sine prædicatione: quod est nugatorium: neque negabatur id à Pelagianis ibi damnatis: qui vltro fatebantur requiri gratiam prædicationis ad fidem, vt patet ex D. Aug. lib. de Hæresibus, Hæresi 88. Et Epist. 106. & toto libro de gratia Christi. Definitur item à Trid. Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit, inquit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, Anathema sit.* Ad idem confirmandum, adducit Arausic. Can. citato, illud Christi Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, id est, sine mea gratia, & influxu meritorum meorum, nihil potestis operari pertinens ad salutem vitæ æternæ. Et 2. Cor. 3. v. 5. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vbi similiter est sermo de cogitationibus ad salutem pertinen- 4. Et interna inspiratio.

tibus. Cogitatio autem de credibilitate, sufficiens ad fidem supernaturalem, est sine dubio cogitatio pertinens ad salutem, & valde ad illam conducens. Ergo non sumus ad illam sufficientes ex nobis, id est, viribus naturalibus; sed egemus auxilio speciali, quo intellectus iuuetur, & illustretur. Plura hac de re Scripturæ testimonia, contra Pelagianos affert & vrget D. Aug. in lib. de Prædest. Sanctorum. Et lib. 2. contra duas Epist. Pelagianorum, & lib. 1. de gratia Christi, & peccato origin. Tantùm aduerte, contra mentem Arausicani, & probationes eius, id est, contra sensum, quem dat Scripturæ testimonijs citatis, loqui eos, qui dicunt esse probabile, iustificatos non egere ad credendum tali excitatione, & directione Spiritus sancti per gratiam præuenientem, sed posse habitus infusos sine illa operari. Nam Arausicanum generaliter ait, neminem (adeóque nec baptizatum in infantia, & habentem fidei habitum) posse Euangelicæ prædicationi consentire, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti. Illuminatio autem, & inspiratio est gratia præueniens, & transiens, excitans ad credendum prædicationi. Idémque dico de omnibus alijs, quibus prædicatur, seu proponitur aliquod fidei obiectum. Nam Concilium loquitur generaliter, dicitque neminem posse aliter credere. Et de gratia præueniente, & excitante, intelligit illud, *Sine me nihil potestis facere*: &, *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ioan. 15. 1. Cor. 3.

5. Et pia motio voluntatis.

Tertiò, quòd item requiratur gratia piæ motionis voluntatis ad liberè volendum credere, sicut oportet, docet Arausic. Can. 5. definiens ipsum etiam initium fidei, ipsúmque credulitatis affectum, nobis inesse per donum gratiæ: id est, inquit, *per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.* Quod confirmat ex Philipp. 1. v. 6. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet*; & ex alijs Scripturæ locis. Et Can. 6. pronunciat eos, qui negant, per infusionem, & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri, vt credamus, velimus, & alia sicut oportet agere valeamus, resistere Apostolo dicenti, *Quid habes quod non accepisti?* &, *Gratiâ Dei sum id, quod sum*, 1. Cor. 4. & 15. Idem definiuit Mileuitanum Can. 4. affirmans Dei gratiam non tantùm nos iuuare; quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: Sed etiam per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Et Trid. Sess. 6. Can. 5. affirmans exordium iustificationis (quod fidem esse docet cap. 8.) à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, *tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem. Quippe qui sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo, liberâ suâ voluntate non potest.* Et cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, & adiuti, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt.* Ad idem confirmandum, valent Scripturæ loca superiùs adducta: *Sine me nihil potestis facere*, &, *non quòd simus sufficientes*, &c. Ratio verò est: quia voluntas non est minùs impotens, sine Dei gratia, ad volendum sicut oportet: quàm intellectus ad cogitandum sicut oportet.

Quartò denique, quòd requiratur etiam gratia adiutorij concomitantis, & concurrentis cum intellectu ad credendum sicut oportet, patet ex Can. 4. Concilij Mileuitani, & Can. 6. Arausic. proximè relatis: Et clariùs ex Trid. Sess. 6. Can. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere posse sicut oportet, Anathema sit.* Vbi Concilium vel idem inutiliter repetit; vel apertè distinguit gratiam præuenientem, & mouentem tantùm inspirando, & excitando; à cooperante, quæ iuuat aliter quàm inspirando, seu excitando interiùs; nempe concurrendo cum intellectu ad assensum fidei. Ait enim vltra gratiam præuenientem requiri adiutorium Spiritus sancti, quod aliud esse non potest, quàm gratia cooperans, distincta ab omni gratia præueniente, & præuia actui fidei, atque aliter iuuans quàm inspirando, & excitando. Alioquin vltra inspirationem, & excitationem, falsò, vel inutiliter Concilium adderet, *adiutorium*. Neque dicas, eandem gratiam, quæ præuenit & excitat, iuuare ad actum quando fit: quia non propterea est alia gratia, neque aliter iuuat, quàm quia præuenit, & excitat: Ita vt hæc non sint duo officia eiusdem gratiæ. Sicut qui consuluit homicidium, non aliter iuuat quando illud committitur, quàm quia consuluit. Neque enim aliter illius est causa. Idem confirmant efficaciter Scripturæ loca, quibus prædicta Concilia, & Aug. suprà, alijque Patres probant contra Pelagianos, nullum opus conducens ad salutem vitæ æternæ, fieri posse sine gratia. Actus enim fidei, valde ad salutem conducit. Neque minor est imbecillitas intellectus ad credendum reipsa sicut oportet, quàm voluntatis ad volendum credere. 6. Et auxilium cōcomitās.

Dico secundò, actum credendi sicut oportet, esse supernaturalem in substantia, & non tantùm in modò; ita vt nec ipse, nec alius similis in specie, possit elici solis viribus naturalibus. Ita communiter Recentiores, teste Suare lib. 2. de gratia cap. 5. Licet antiqui plures contrarium senserint. Probatur primò, quia habitus fidei infusæ, ad quem proximè disponit, quique ad similes actus exercendos infunditur, est in substantia supernaturalis. Ergo & ille actus credendi est in substantia supernaturalis. Antecedens conceditur ab Aduersarijs, & probabitur Disp. 12. Sect. 1. Consequentia verò patet, tum quia dispositio proxima debet esse eiusdem ordinis cum forma, & illi debitè proportionata: tum etiam quia nulla esset ratio, cur ad eliciendos actus naturales in substantia, infunderetur principium supernaturale in substantia. Neque valet euasio dicentium, habitum infusum non dari propter efficientiam, sed propter conuenientem subiecti dispositionem, vt actus eius in substantia natura- 7. Est supernaturalis quoad substantiam.

les, sint acceptabiles, vel proportionati ad vitam æternam. Etenim contra rationem ipsam fidei, & cuiuscunque alterius habitus virtutis est, quòd non sit operatiuus. Adde quòd primus actus fidei, qui in adultis est dispositio necessaria ad primam iustificationem, & infusionem habitus fidei, non habet ab illo acceptationem: quippe quem naturâ præcedit, vt dispositio formam. Et Christus Ioan. 15. non dixit solùm, *Sine me actus vestri non possunt acceptari:* sed, *Sine me nihil potestis facere.*

8. Probatur secundò, quia ille actus est in substantia supernaturalis, & non tantùm in modo, qui quoad substantiam, seu speciem propriam, naturæ vires superat: & auxilium Dei speciale requirit, non tantùm vt faciliùs fiat, sed vt simpliciter fiat: neque tantùm quoad aliquem modum extrinsecum, vel intrinsecum actui; sed quoad propriam speciem, & essentiam. Talis autem est actus credendi sicut oportet. Ergo est actus in substantia supernaturalis. Maior est clara, Minor probatur per partes. Ac primò, quòd auxilium gratiæ requiratur vt fiat simpliciter, & non tantùm vt faciliùs, definitum est à Mileuitano Can. 5. vbi damnantur Pelagiani affirmantes gratiam requiri solùm, vt faciliùs operemur: quia Christus non dixit Ioan. 15. *Sine me difficilius potestis facere;* sed simpliciter, & absolutè dixit, *Sine me nihil potestis facere.* Paulus quoque ait simpliciter, 2. Cor. 3. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quibus verbis apertè declarat impotentiam nostram circa tales operationes simpliciter. Similiter Arausic. Can. 7. & Trident. Sess. 6. Can. 3. pronuntiant simpliciter, non posse hominem per naturæ vigorem, & sine interno gratiæ auxilio credere sicut oportet: & non tantùm, non posse facilè credere.

Non eget auxilio speciali ad hoc tantùm, vt facilè fiat.

9. Deinde, dici nequit hunc actum esse supernaturalem tantùm quoad modum extrinsecum in fieri, id est, eò solùm quòd fiat à causa supernaturali, & supernaturaliter operante, quamvis in se sit naturalis, & nihil habeat, quo excedat naturæ vires; sicut visus restitutus cæco nato, est naturalis in seipso, quamvis fiat modo supernaturali, quia causæ naturales non possunt visum dare cæco nato: Idemque est de vita mortuo restituta. Contrà enim: primò, inde sequeretur hominem viribus naturalibus posse tam perfectos actus fidei, spei, & charitatis elicere, atque potest cum auxilio gratiæ: sicut tam perfectus visus, & tam perfecta vita fit per naturam; ac datur, vel restituitur per miraculum. Consequens autem est absurdum, & Pelagianum: & ex eo sequeretur posse hominem talibus actibus sufficienter disponi ad iustificationem, & credere sicut oportet ad salutem. Nam ad hoc Deus tantùm requirit vt credamus ex toto corde. Ille autem actus est actus credendi ex toto corde, & quidem tam perfectè, ac si fieret à causa supernaturali; iuxta sententiam, quam impugnamus.

Vel propter aliquid extrinsecũ.

10. Neque responderi potest, non acceptari à Deo, nisi fiat ex auxilio supernaturali. Nam si æquè est perfectus, debet acceptari. Et est contra prouidentiæ diuinæ ordinem, dicere è duobus actibus æquè perfectis, vnum acceptari, vt dispositionem ad fidem iustificantem; alium non: acceptari actum credentis ex auxilio; & non acceptari credentis sine auxilio æquè perfectè; cùm tamen iste plus laboret. Secundò, sequeretur definitiones Conciliorum contra Pelagianos esse ridiculas, & petere principium, cùm definiunt non posse credi sicut oportet sine gratiæ auxilio. Nam iuxta hanc sententiam, credere sicut oportet, est formaliter credere ex gratiæ auxilio; Ergo definire hominem non posse credere sicut oportet sine gratiæ auxilio, est formaliter definire, hominem non posse sine gratiæ auxilio, credere sine gratiæ auxilio. Potiùs ergo Concilia censuerunt perfectionem actus credendi sicut oportet, tantam esse, vt non possit per solas vires naturales exerceri; ideóque auxilium gratiæ necessarium sit. Tertiò, iuxta hanc sententiam, auxilium gratiæ non esset aliter necessarium, quàm vt credamus per gratiæ auxilium; cùm alioqui æquè perfectè possimus credere viribus naturalibus; quod profectò nugatorium est, indignúmque prouidentiâ diuinâ, vt actum credendi sicut oportet alligauerit ad hunc modum productionis, qui est illi per accidens, & præternaturalis; relicto modo connaturali, quo poterat produci à causis sui ordinis. Quartò denique, iuxta hanc sententiam sequeretur auxilium gratiæ non magis esse necessarium ad actus fidei, spei, & charitatis; quàm ad quosvis naturales, per se loquendo, & ex natura rei. Nam nulli omnino actus possunt ex auxilio gratiæ fieri, sine gratiæ auxilio.

Vel vt acceptetur à Deo.

Tertiò, dici etiam nequit hunc actum esse tantùm supernaturalem quoad extrinsecam denominationem acceptationis diuinæ ad vitam æternam, aut alium quempiam modum extrinsecum tantùm. Nam id argumentis iam factis refutatur. Et hoc ipso, quòd Concilia citata definiunt requiri necessariò gratiam, & auxilium speciale, vt adiuuans, & coëfficiens actum istum cum intellectu nostro: docent apertè actum hunc talem esse ex natura sua, vel conditione intrinseca, vt non possit fieri viribus naturæ, sine viribus gratiæ: adeóque actus istius supernaturalitatem non consistere solùm in aliqua denominatione extrinseca, sed in ipsa actus natura, vel conditione intrinseca. Qua de re, plura Suares lib. 2. de Gratia toto cap. 7. 11.

Vel propter finẽ ad quem refertur.

Quartò, dici pariter nequit hunc actum esse tantùm supernaturalem in modo quodam intrinseco intensionis, durationis, facilitatis, aut certitudinis, vt Scotus, Gabr. Durand. Capreol. & alij quidam variè imaginantur. Nam vt actus sint supernaturales, & sufficientes ad salutem, non requiritur certa intensio, vel duratio: sed sufficit quilibet gradus, & existentia qualibet, parum, aut nihil durans; vt suppono ex tract. de Iustificat. & de Pœnit. Non requiritur item, vt facilè fiant: & vt suprà notauimus, Christus non dixit Ioan. 15. *Sine me non potestis faciliùs facere;* sed absolutè, *nihil potestis facere.* Adde quòd facilitas non est modus intrinsecus actui, sed est modus, quo po- 12.

Vel propter intensionẽ, aut durationem.

tentia operatur, minori scilicet conatu. Ideoque hallucinantur Philosophi illi, qui dicunt habitus naturales, & supernaturales producere in actu facilitatem, non substantiam actus. Adde item quòd habitus acquisitus sufficeret ad illam facilitatem: inciditurque in errorem Pelagij, qui gratiam ad faciliùs tantùm operandum admittebat. Certitudo verò formalis, & intrinseca actui, non est modus accidentalis actui, sed est ipsamet eius natura, & essentia. Sicut enim euidentia est essentialis actui scientiæ: ita & certitudo actui fidei, conueniens scilicet illi ex essentiali ordine, & modo tendendi in obiectum. Certitudo autem extrinseca, seu constantia vel pertinacia ex parte voluntatis, non est modus intrinsecus actui, sed extrinseca denominatio, ad quam hæc opinio non recurrit, quæque generaliter suprà fuit refutata. Manet ergo probatum quod intendimus, nempe actum credendi sicut oportet, esse supernaturalem quoad substantiam, & non quoad modum tantùm.

13. Satisfit obiectionibus. Quæ autem in contrarium objiciuntur, non posse actum, qui elicitur à potentia naturali cum auxilio licet supernaturali, esse in substantia supernaturalem; aut non posse illi esse liberum; sufficeréque ad Conciliorum, & Sanctorum Patrum explicationem, si sit quoad modum supernaturalis: vana sunt, & indigna longiori refutatione. Patet enim ex dictis Concilia plus dicere; & concursus specialis, ac supernaturalis non magis obest libertati, quàm generalis, & naturalis: Neque repugnat potentiam naturalem, seu obedientialem, eleuari ad actus in substantia supernaturales, qui simpliciter excedant vires illius non adiutæ à principio supernaturali. Quòd si dicas effectum sequi debiliorem partem suæ causæ; quare si vna è causis est naturalis, actus debet esse naturalis. Respondeo negando consequentiam. Adhuc enim habet effectus causam sufficientem cur sit supernaturalis, quamvis non tam perfectus, ac si vtraque causa esset supernaturalis. Instabis, quia conclusio non potest esse euidens, si vna præmissa sit obscura, quamvis altera sit euidens. Respondeo id ideo esse; quia præmissa vna non dat maiorem euidentiam, aut certitudinem alteri; & conclusio non est certa vel euidens, si hæc non sit. Verùm præmissæ aliter mouent ad assensum conclusionis; quàm intellectus, & principium eleuans, concurrunt ad actum supernaturalem. Hîc enim vna causa eleuatur, & corroboratur ab alia: illic non. Similiter, duo viribus impares, trahentes simul pondus, fortiùs trahunt, quàm solus imbecillior traheret: imò & quàm solus valentior; quia alter ab altero corroboratur, & constituunt vnam causam totalem potentiorem circa talem effectum.



SECTIO II.

Vtrum circa idem obiectum, & motiuum formale, dari possit actus fidei naturalis, & supernaturalis?

HÆc difficultas, licet aliâ occasione tomo præcedenti explicata fuerit; adeo tamen huius loci propria est, vt non possit omitti impræsens, aliòque remitti, sed potiùs accuratè tractari debeat. Respondeo igitur, positâ Dei reuelatione sufficienter credibili, posse intellectum, absque alio gratiæ auxilio, elicere actum in substantia naturalem, circa idem obiectum materiale, circa quod exercetur actus supernaturalis: atque etiam circa, & propter idem motiuum, & obiectum formale; id est, propter Dei testimonium sufficienter propositum: sed non æquè perfectè, atque fit actu supernaturali credendi sicut oportet ad salutem. 14. Conclusio affirmans.

Prima responsi pars, est D. Thomæ q. 5. a. 3. ad 1. eiusque interpretum ibidem, & aliorum plurium, quos citant, & sequuntur Suares lib. 2. de gratia c. 10. num. 3. Molina in Concord. disp. 7. & Ægid. Coninck disp. 14. dub. 2. Probatur, quia intellectus viribus naturalibus potest percipere voces significantes Dei reuelationem, & earum significationem. Potest item cognoscere motiua, quibus credibile sit Deum reuelâsse; & ijs moueri ad certò assentiendum. Quemadmodum passim moueri solet argumentis multò minoribus ad certò assentiendum, etiam falsis. Quòd si sint difficultates in obiecto credendo; & potest eas non videre: & si videat, iudicare potest esse postponendas tot, & tantis argumentis credibilitatis. Certè Gentiles multa credunt difficillima, & falsa de suis Dijs, ex maiorum suorum traditione, vel alijs argumentis longè minoribus: & Iudæi, atque Hæretici credunt multa fidei mysteria, etiam difficillima, actu naturali, & sine alio auxilio speciali, quàm reuelationis sufficienter factæ: perperam enim dicerentur iuuari specialiter ad actum inutilem ad salutem; neque habent actum fidei supernaturalem, quamdiu persistunt in affectu infidelitatis. Adde quòd multa falsò credunt ob præsumptas reuelationes, ad quos actus credendi falsos, & vitiosos, Deus non concurrit specialiter: quia non potest esse causa specialis actus turpis. Si autem possunt credere falsa, & præsumptiuè reuelata; quidni vera? Probatur efficaciter.

15. Etiam propter idem motiuũ. Secunda pars est Ægidij Coninck, & Molinæ locis suprà cit. quorum isto Disputat. 7. §. *Nostram sententiam*, affirmat idem sensisse Scotum, Durand. Capreolum, Gabr. Caiet. & plures alios. Probatur; quia naturali lumine euidens est, testimonium Dei, propositum sufficienter, esse dignum fide, multò magis quàm testimonium hominum: Ergo testimonium Dei propositum sufficienter, est motiuum sufficiens, vt intellectus moueatur naturaliter ad assentiendum propter illud. Potest autem cognosci propositum sufficienter per argumenta credibilitatis naturaliter cognita, vt antea pro-

bauimus: Ergo, &c. Secundò, Iudæi, & Hæretici multa credunt, quia à Deo reuelata: quæque non crederent omnino, vel non adeo firmiter, nisi putarent esse à Deo reuelata. Ergo mouentur Dei testimonio ad credendum, & propter illud credunt. Tertiò, testimonium Dei falsò præsumptum ab aliquo Catholico, potest eum mouere, vt aliquid credat, quod non aliter crederet. Putà, quia falsò existimat aliquid haberi in Scriptura, vel in Concilijs. Tunc autem credit actu naturali: Nam Deus non concurrit specialiter ad talem actum falsum. Ergo & multò magis testimonium Dei verum, potest esse intellectui motiuum credendi actu naturali. Si enim actus naturalis falsus potest inniti Dei testimonio malè præsumpto, vt obiecto formali, & motiuo: quidni bene præsumpto, actus naturalis verus? Quartò, potentia, dum vsitatur, & exercetur per actus supernaturales, acquirit habitum naturalem inclinantem & facilitantem ad similes actus eliciendos, & circa idem obiectum, ac motiuum. Ponamus ergo Catholicum, qui se diu multúmque exercuerit circa mysterium Trinitatis credendum supernaturaliter, postea fieri Hæreticum Lutheranum: Ille sine dubio sentiet magnam facilitatem ad credendum mysterium Trinitatis propter Dei testimonium. Nam peccatum Hæresis circa aliud obiectum, non obstabit, neque minuet habitum naturalem circa mysterium Tinitatis. Poterit ergo iam hoc mysterium credere propter Dei testimonium, quamvis non actu supernaturali, ob peccatum infidelitatis, cui culpabiliter adhæret.

16. Sed non sicut oportet ad salutem.

Tertia pars sequitur ex dictis Sect. præcedenti: cùm enim à Tridentino Sess. 6. Can. 3. definitum sit, non posse hominem credere sicut oportet, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio; & ex Arausicano Can. 7. necessaria sit inspiratio, & illuminatio Spiritus sancti, distincta ab externa prædicatione: sequitur actum credendi sicut oportet, perfectiorem esse, quàm vt solis viribus naturalibus elici possit, etiam positâ sufficienti propositione obiecti per reuelationem externam, & prædicationem sufficienter credibilem. Sequitur præterea intellectum solis viribus naturalibus non posse tam clarè, & tam perfectè attingere credibilitatem, & obiectum credibile. Alioqui non egeret illustratione Spiritus sancti, si sine illa posset æquè clarè cognoscere. Vnde infero iudicium supernaturale de credibilitate, & assensum fidei supernaturalis, non modò esse perfectiorem in entitate, quia est ordinis superioris: sed & in claritate, ac modo assentiendi. Et quamvis sit difficile, imò naturaliter impossibile nobis, discernere, quousque possint naturæ vires, quid-ve sit illud, quod detegitur per illustrationem Spiritus sancti, ignotum naturaliter; aut in quo maior illa claritas præcisè consistat: quod si liquidò nobis constaret, constaret pariter, quandónam credamus actu supernaturali, & quando non: Dici tamen potest cognitionem, quam possumus habere solis viribus naturalibus de externa prædicatione, & argumentis credibilitatis sufficienter propositis, non sufficere vt velimus & possimus credere cum ea infallibilitate, vniuersalitate, certitudine, adhæsione pura & absoluta, cum Dei testimonio amplissimè, ac sine restrictione, pio & omnino sincero affectu erga primam veritatem, plenáque ad ipsam subiectione mentis, & societate quadam domestica cum Deo, vt loquitur Apostolus Ephes. 2. v. 20. Alijsque conditionibus, quæ actum fidei Christianæ, provt est nobis liber, reddunt magis laudabilem, & Deo acceptabilem: sed iuxta Concilia suprà citata necessariam esse illustrationem Spiritus sancti, quâ fidei obiecta, sufficienter proposita exteriùs, reddantur nobis notiora, & magis amplectenda; eiusdémque motionem circa voluntatem, & auxilium cooperans, quo velimus credere, & reipsa credamus cum conditionibus supradictis, quibus fides supernaturalis excedit naturalem.

Confirmatur, quia vt rectè argumentantur eruditi quidam recentiores: actus supernaturalis non esset laudabilior naturali, si ab illo non aliter differret, quàm entitate materiali. Hoc autem est falsum, & absurdum: Ergo & illud vnde sequitur. Maior probatur, quia actus pares rectitudine mentis, atque omni aliâ conditione cadente in liberam electionem operantis, sunt æquè laudabiles, & imputabiles operanti. Atqui si actus naturalis, & supernaturalis, differunt tantùm entitate materiali, sunt pares rectitudine mentis, & omni aliâ conditione cadente in liberam electionem operantis. Neque enim cadit in electionem nostram, nisi id quod cognoscimus. Non cognoscimus autem differentiam illam entitatis, si alioquin actus sunt planè similes in omni modo tendendi in obiectum. Tantùm enim possumus cognoscere firmitatem, subiectionem, reuerentiam, & obedientiam mentis: quæ supponuntur esse omnia paria, & similia in vtroque actu, adeóque non possunt à nobis dignosci. Minor verò eiusdem argumenti probatur primò, quia Scriptura, & Concilia ostendunt credentes Fide diuinâ, esse laudabiliores credentibus fide tantùm humanâ, & acquisitâ: eósque laudant, quòd tendant modo quodam excellenti in obiectum, ex toto corde, id est, ex plena, & vniuersali subiectione mentis ad Deum, nonobstantibus quibuscunque difficultatibus, quæ generosè per fidem contemnuntur, aut vincuntur. Vnde Rom. 4. v. 19. Dicitur Abraham non considerasse corpus suum emortuum; & emortuam vuluam Saræ: & v. 18. dicitur credidisse in spem contra spem. Secundò, actus naturalis fidei non disponit ad iustificationem, sed solus supernaturalis, vt definitum est ab Arausic. Can. 6. & Trid. Sess. 6. Can. 3. Atqui si differret tantùm entitate ab actu supernaturali, & par esset in omnibus conditionibus laudabilibus, deberet actus naturalis æquè disponere ad iustificationem. Nam qui æquè obedit, & ea præstat, ad quæ hortantur sacræ literæ; æquè se disponit. Illæ autem non hortantur, nisi ad conditiones liberas, ac proinde eligibiles, & cognoscibiles operanti. Tertiò, quando Concilia dicunt

17. Actus supernat. non differt solùm entitate à naturali.

non posse nos sine Spiritus sancti inspiratione, & adiutorio, credere sicut oportet, vt iustificationis gratiam consequamur; non explicant illam particulam, *sicut oportet*. quòd fides disponens ad iustificationem, differat entitate à fide naturali, sed quòd modo quodam excellenti tendat in obiectum: nempe quòd Deo se perfectè submittat, credátque ex toto corde, & generosè difficultates, ac naturæ sensum superet: quæ significant conditionem peculiarem laudabilem, & modum specialem tendendi in obiectum. Quartò denique, Concilium Arausic. can. 5. & 7. definit, ad credendum sicut expedit ad salutem, necessariam esse gratiam Spiritus sancti, quæ nos corrigat ab infidelitate ad fidem: & Ioan. 6. Christus affirmat neminem posse per fidem ad ipsum venire, nisi Pater cœlestis eum traxerit: & 1. Petri 2. Fideles vocantur genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, quem Deus de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. Atqui si fides naturalis differret solâ entitate materiali à fide supernaturali, æquè mentem nostram corrigeret ab infidelitate; quippe quam faceret æqualiter rectam. Et per eam æquali cognitione, & affectu, veniremus ad Christum, si par esset in illa claritas, firmitas, amplitudo, submissio mentis, & aliæ conditiones laudabiles, idémque omnino tendendi modus, solâ materiali entitate diuersus; eodem modo, quo putant nonnulli, visionem nostram ocularem, differre entitate, & specie à visione brutorum; quia nostra est ex parte spiritalis, & recepta in anima; alia verò est purè materialis: Cùm tamen visio brutorum aliquorum sit nostræ par in modo tendendi, & percipiendi obiectum; imò etiam aliqua sit perfectior nostrâ, vt visio Lyncis, aut Aquilæ.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem.

18. Contra primam partem responsi dati initio præcedentis Sectionis, non pugnant Canones Conciliorum relati num. 16. quippe qui loquuntur tantùm de actu credendi sicut oportet ad iustificationem; vt Trid. disertè significat Sess. 6. can. 3. & Arausic. can. 6. Addunt enim expressè particulam, *sicut oportet*: quæ additio vel est frustra, vel nobis fauet, & innuit posse sine auxilio gratiæ dari aliquem actum credendi, sed non sicut oportet.

Obijci tamen potest, actum naturalem non posse ferri circa obiectum supernaturale; quia non potest ferri potentia naturalis circa rem ordinis superioris, nisi eleuetur ab agente superiori; & obiectum non esset supernaturale, si posset attingi viribus naturalibus. Confirmatur, quia actus specificantur ab obiectis, & illis proportionantur. Ergo actus, qui versantur circa obiectum supernaturale, debent esse supernaturales. Obiectum autem fidei Theologicæ est supernaturale. Ergo actus, qui circa illud versantur, debent esse supernaturales: ideóque non potest attingi actu naturali.

Respondeo negando primum antecedens, intellectum de actu naturali in substantia: fatemur enim actum, de quo hîc loquimur, esse supernaturalem in modo extrinseco quo fit: quia fit concurrente auxilio gratuito externæ propositionis obiecti sufficienter credibilis. In quo est aliquid supernaturale, saltem quoad signa, siue argumenta sufficientis credibilitatis, quæ proponi debent, vt credatur Deum dixisse. Ad primam confirmationem Respondeo intellectum satis eleuari, seu iuuari ad hunc actum, per propositionem sufficienter credibilem. Obiectum autem fidei, ideo est & dicitur supernaturale, quia non potest attingi solis viribus naturalibus, sine auxilio gratuito propositionis sufficienter credibilis per miracula, vel alia opera diuina, & supernaturalia. Ad secundam dico, sensum illius axiomatis esse, quòd actus intellectus habeant suam speciem, & essentiam in ordine ad obiecta, debeántque illis proportionari aliquo modo, & accommodari, quatenus debent illa repræsentare, & exprimere vitaliter. At non quòd debeant esse eiusdem speciei cum obiectis, vel eiusdem ordinis, & in omnibus illis proportionari, vel assimilari. Nam actus spiritales versantur circa obiecta materialia: & manifestum est circa idem obiectum tendere actus specie diuersos: vt sunt visio, imaginatio, & intellectio, circa eandem albedinem.

Solutio tur argum. contrariæ opinionis.

Contra secundam partem opinantur Suares lib. 2. de Gratia cap. 11. & Mærat. Disp. 11. de Fide Sect. 3. Ac primò supponunt, sæpiúsque repetunt, motiuum siue obiectum formale fidei supernaturalis, esse purum & nudum Dei testimonium, sine argumentis credibilitatis. Quod alibi ostendimus esse à vero alienum, & impossibile. Quare per hoc malè distinguunt actum supernaturalem à naturali: & malè in eo fundant necessitatem, & rationem actus supernaturalis. 19.

Secundò opponit Suares illud 1. Thessalonic. 2. *Gratias agimus Deo sine intermissione: quia cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Vbi ponderat Suares primò, accipere verbum Dei, vt verbum Dei, nihil esse aliud, quàm sistere in puro Dei testimonio, non reducendo illud ad rationes humanas: id est, iuxta mentem Suaris, ad argumenta credibilitatis; quia iam acciperetur vt verbum hominum. Secundò, Paulum asserere hoc esse opus Dei, operantis scilicet per gratiam, pro qua ipse gratias agit sine intermissione. Tertiò, Paulum generaliter loqui, & nihil excipere. Quare nobis excipere non licet, sed generaliter asserendum est accipere verbum, vt verbum Dei, id est, propter nudum ipsius testimonium credere, esse opus Dei: & nunquam esse opus naturale, sed opus gratiæ. 20.

Respondeo Paulum piè supponere (sicut piè præsumi solet de proximo, ac debet, nisi sit ratio in contrarium) Thessalonicenses accepisse verbum, vt verbum Dei, condignè, & sicut oportet illud accipere. Quemadmodum dicitur

Quid sit recipere verbum Dei sic tale?

accipere Regem vt Regem, & Magistratum, vt Magistratum, qui excipit & tractat siue honorat vt talem. Hoc autem fatemur generaliter esse opus gratiæ. Sed negamus hoc esse sistere in nudo Dei testimonio siue argumentis credibilitatis (quæ non sunt rationes humanæ, sed opera diuina, & testimonia operis, à Deo exhibita, vt credibile reddat testimonium oris; id est, credibile reddat se dixisse id, quod ipsius nomine proponitur) sed est credere infallibiliùs, clariùs, certiùs, vniuersaliùs, &c. quàm fieri possit viribus naturalibus, sicut suprà expositum fuit.

21. Tertiò opponit testimonia illa generalia pro gratiæ necessitate: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis. Sine me nihil potestis facere, &c.* Verùm quia responderi facilè potest id quod ipsemet sæpius respondet, sermonem ibi esse de actibus credendi sicut oportet, & de alijs operibus ad salutem conducentibus: addit, Concilium Trid. Sess. 6. cap. 6. & Arausic. can. 5. & 25. explicare illud, *sicut oportet*, non esse aliud, quàm credere Deo, aut credere in Deum, id est, credere ob purum Dei testimonium, tanquam vnicam rationem credendi. Confirmatur, quia si homo potest credere Deo, ex diuina tantùm auctoritate: potest ex sua virtute credere summâ certitudine, & infallibiliter. Ergo quantùm ad mores pertinet, iam habet perfectissimam fidem. Nam distinctio quasi materialis in entitate naturali, vel supernaturali, parum ad mores refert, si adhæsio ad obiectum eadem est, & ad bene operandum æquè conducere potest.

Nudum Dei testimonium non est sufficiens obiectum fidei.

Respondeo negando talem esse mentem Conciliorum, cùm satis apertè impossibile sit credere Deo, vel in Deum, eo sensu, quo Suares Concilia exponit, id est, credere oris testimonio purè, sine argumentis credibilitatis, sine quibus non est credibile quoad esse, id est, non est credibile Deum esse testificatum; vt alibi ostendimus. Neque vrgent verba Conciliorum relata à Suare. Nam in illis omnibus facilè potest, & debet subintelligi particula, *sicut oportet*, & ad omnia extendi; licet non semper, & vbique repetatur, quia sufficit alicubi exprimi. Nego præterea id quod in confirmationem assumit Suares. Nam ex dictis suprà liquet actum fidei naturalem, non habere illam infallibilitatem, certitudinem, amplitudinem, & similes conditiones necessarias ad credendum sicut oportet, quas habet actus supernaturalis: quæ conditiones non oriuntur ex Dei testimonio quomodocumque cognito, vel nudè cognito sine argumentis credibilitatis, vt supponit Suares: sed ex modo, quo Spiritus sancti ope homo secundùm intellectum illustratus, & adiutus; & secundùm voluntatem piè motus, & affectus, attingit testimonium Dei credibile clariùs, firmiùs, vniuersaliùs & alijs conditionibus laudabilioribus. Quod non est actui per accidens, sed illi per se, & formaliter conuenit, multúmque refert ad bene operandum.

22. Quartò opponit hoc argumentum: Si ratio formalis obiecti fidei talis est, vt viribus naturalibus attingi possit actu absoluto, & efficaci; non est de se supernaturalis, sed naturalis. Consequens est falsum: Ergo & antecedens. Probat sequelam: quia illud dicitur in præsenti supernaturale, quod superat vires naturales. Et sicut dicitur habitus supernaturalis, ille qui acquiri non potest per vires naturales: & actus supernaturalis, ille qui non potest exerceri per solas vires naturales: sic obiectum supernaturale est illud, quod viribus naturalibus attingi non potest. Ergo si potest attingi viribus naturalibus, non est supernaturale. Consequens autem falsum esse, omnes admittunt, & meritò, quia destruit fundamentum necessitatis gratiæ ordinis supernaturalis. Nam si obiectum illud naturale est, & viribus naturalibus attingi potest; non erit ad illud attingendum necessaria gratia ordinis supernaturalis.

Respondeo rationem formalem obiecti fidei esse supernaturalem: quia constat argumentis supernaturalibus, quibus fit sufficienter credibile Deum dixisse: tum etiam quia non potest condignè attingi viribus solis naturalibus, sed cum ope speciali, & supernaturali Spiritus sancti: quamvis factâ sufficienti propositione, possit attingi imperfectè sine alio gratiæ auxilio, vt suprà explicatum fuit. Contra quam secundam partem nostræ responsionis, & integræ rationis, nihil faciunt quæ Suares subjicit, de errore Pelagij: quippe qui volebat obiectum fidei attingi posse solis naturæ viribus, etiam condignè, sicut oportet ad iustificationem: vt patet ex dictis in tractatu de Gratia, Disp. 34. Sect. 1.

Quintò opponit argumentum aliud ab inconuenienti: Si ex eodem motiuo, & ratione formali obiecti sequi potest actus naturalis, & supernaturalis: numquam erit in potestate hominis elicere actum supernaturalem, neque ad illum conari quantum in se est, etiam conando operari ex perfectissimo motiuo sibi proposito: sed solùm id pendebit à Dei voluntate, sicut determinatio causæ ad vnum indiuiduum præ alio æquè possibili. Atque ita è duobus hominibus circa idem obiectum operantibus æqualiter quantùm liberè possunt, vnus saluabitur, alter non; eo solo, quòd Deus vnum determinat ad actum supernaturalem, alterum non. Consequens est falsum, & absurdum. Ergo & antecedens. 23.

Respondeo negando sequelam Antecedentis. Est enim in potestate hominis liberè conari ad modum illum perfectiorem cognoscendi illud formale, & assentiendi propter illud: ad quem modum per gratiam præuenientem, & cooperantem Spiritus sancti eleuatur. In eóque est differentia inter eum qui saluatur, & alium qui non saluatur: quòd ille conatur liberè cooperari Dei gratiæ, alter non.

Sextò opponit, habitus ex actibus, & actus ex obiectis species sumere: Ex quo sic argumentatur. Eadem potentia non potest habere actus specie distinctos circa idem obiectum materiale, ex eodem motiuo, seu obiecto formali: quia non possunt actus sumere species diuersas ab eodem obiecto. Atqui actus naturalis, & supernaturalis sunt distincti specie: 24.

Quomodo actus specificantur ab obiectis?

Ergo, &c. Respondeo habitus, & actus seipsis formaliter, & intrinsecè esse id, quodsunt, & eius speciei, seu essentiæ, cuius sunt. Specificari autem ab actibus & obiectis, hoc sensu, id est, habere speciem, & essentiam suam, seu naturam in ordine ad actus, & ad obiecta: quippe qui tendunt ad illa essentialiter. Arguitiuè etiam colligi speciem diuersam habituum, & actuum, quando tendunt adæquatè ad actus, & ad obiecta specie diuersa. Sed non vice versa habere necessariò eandem speciem, seu essentiam, si tendunt ad eosdem specie actus, vel ad eadem specie obiecta. Nam v. g. visio, imaginatio, & intellectio, tendunt ad eandem albedinem: Neque propterea sunt eiusdem speciei. Nego etiam quod assumit Suares, non posse eandem potentiam habere actus specie diuersos circa idem obiectum materiale, & formale. Nam si operetur circa idem obiectum adiuta ab alio perfectiori comprincipio, & secundùm illius perfectionem; poterit actus specie distinctus ab illa sic adiuta prodire. Quemadmodum, vt Suares non negat paulò post, eneruans ipsemet suum argumentum; intellectus per scientiam infusam potest elicere actum nobiliorem, & specie diuersum circa idem obiectum, quod cognoscere potest scientiâ naturali, & acquisitâ. Sic etiam possumus amare Deum propter se amore naturali, aliquo modo longè imperfectiori, quàm amore supernaturali: Et sperare, seu desiderare vitam æternam. Quod si non posset fieri nisi actibus supernaturalibus, experiremur nos exercere actus supernaturales. Quia euidens nobis est, nos credere aliquo modo, quia Deus dixit; & desiderare vitam æternam; & Deum amare propter summam ipsius bonitatem.

25. Possitne ex eodem motiuo elici actus naturalis, & supernat.

Verùm instat Mæratius suprà: Si ex eodem formali obiecto, ex quo elicitur aliquis actus naturalis fidei, spei, & charitatis, possit aliquis elici supernaturalis ex habitu supernaturali; sequitur posse etiam elici duplicem in specie supernaturalem, ex duplici secundùm speciem supernaturali habitu possibili. Hoc autem est absurdum. Primò, quia sequeretur circa idem obiectum formale, circa quod versari potest vnus actus supernaturalis possibilis, posse versari plures specie in infinitum; v. g. infinitas specie visiones circa Deum. Quod si ita est: cur docent communi consensu Theologi, omnes visiones beatificas, & omnia lumina gloriæ esse eiusdem speciei, non modò in hominibus, sed & in omnibus Angelis, quamvis quoad intelligentiam specie diuersis, tum ab hominibus, tum inter se, prout alij alijs sunt essentiâ nobiliores? Secundò, nullum erit obiectum possibile materiale, & formale, naturalis actus intellectus, aut voluntatis, circa quod non possit esse actus supernaturalis ex principio supernaturali possibili. Tertiò, nullum erit obiectum sensuum siue internorum, siue externorum, ex speciebus impressis naturalibus, circa quod non possint exerceri actus supernaturales ex speciebus impressis supernaturalibus. Quartò, nulla erit actio naturalis circa quodcumque subiectum; quæ non possit multiplicari specie in infinitum, ex multiplici principio possibili merè naturali in entitate; v. g. possibilis erit multiplex specie in infinitum calefactio, frigefactio, illuminatio: ac consequenter plures specie in infinitum calores, plura frigora, plura lumina, & plures in infinitum hominum species, leonum, equorum, & aliorum animalium: quorum indiuidua nunc sunt eiusdem speciei. Erunt etiam eâdem ex causa possibiles plures specie in infinitum animæ rationales, & leoninæ, &c. Ex quibus fient composita specie diuersa.

26. Ostenditur id posse fieri.

Respondeo, non esse absurdum, sed omnino verum, ex principio specificè perfectiori, & perfectiori in infinitum, operante secundùm suam maiorem perfectionem, oriri effectus specie diuersos in infinitum: quemadmodum, vt fatetur expresè Mæratius Sect. cit. §. *Respondeo primo*, intellectiones, & volitiones naturales hominum, & Angelorum circa idem obiectum materiale, & formale, specie differunt & perfectione essentiali, quia cognitiones & volitiones Angelorum oriuntur ex principijs perfectioribus, vt talibus.

Ad primam sequelam Respondeo, lumen gloriæ, & visionem beatificam esse eiusdem speciei in omnibus (si tamen hæc quoque sit eadem specie in omnibus) quia placuit Deo eandem specie mercedem, vel eundem finem vltimum formalem, æquè ac obiectiuum, proponere, & constituere. Sicut eosdem specie habitus in iustificatione infundit omnibus: Et licet Angeli sint perfectioris intelligentiæ, quàm homines; & alij alijs inter se: non concurrunt tamen ad visionem beatificam secundùm suam maiorem perfectionem naturalem; sed tantùm iuxta gradum, & eleuationem luminis gloriæ: vnde qui habent perfectiorem intellectum, non propterea plus Deum vident cum æquali lumine gloriæ, vt in tractatu de Deo exposuimus.

27. Soluuntur reliqua argumenta.

Ad secundam sequalam, Respondeo veram esse, loquendo de actibus non turpibus & indecentibus: Nam ad turpes, & ad obiecta vitiosa appetenda, non possunt dari principia supernaturalia; quia Deus non potest esse causa specialis actus turpis, & ad illum naturam eleuare. Ad tertiam Dico primò, species impressas non concurrere effectiuè ad actus, sed tantùm determinando, vice obiectorum. Secundò, nullam apparere contradictionem, quòd sensus eleuari possint ad actus nobiliores, quàm elicere possint solis naturæ viribus circa obiecta naturalia. Existimo tamen hos actus sentiendi non fore supernaturales in substantia, propriè loquendo. Quia nihil puto esse propriè supernaturale in substantia, quod non sit spirituale, eiusdem ordinis cum gratia, & gloria, & forte nulli substantiæ creatæ possibili connaturale, quâ creatura est. Illi verò actus essent connaturales alijs animalibus perfectioribus, inferioribus naturâ Angelicâ, & clausis intra ordinem substantiarum naturalium.

Ad quartam Respondeo nomen caloris formaliter sumpti, frigoris, luminis materialis: itémque nomina hominis, equi, &c. esse determinata ad significandas res vnius speciei, quales nunc sunt. Et non posse multiplicari 28.

specie res illas sub ijsdem nominibus, & conceptibus: sed tamen non implicare dari alias qualitates specie diuersas, calori aliquo modo similes, & alio nomine communi significabiles. Itémque alias formas immateriales, aliquo modo similes animæ rationali, & cum ea conuenientes in genere formæ immaterialis, seu spiritalis. Sicut enim sunt possibiles spiritus completi diuersæ speciei, cuiusmodi sunt Angeli: quidni, & incompleti? Idem dico de formis alijs: ex quibus cum materia vnitis, existerent composita specie diuersa ab ijs, quæ nunc sunt.

Cæterùm Auctor, qui hæc objicit, non satis cohærenter loqui mihi videtur, quando Disp. illa 11. Sect. 3. contendit non posse actum naturalem, & supernaturalem versari circa idem obiectum materiale, & formale. Et tamen Sect. 1. columna 3. n. 1. asserit actum voluntatis supernaturalem non prærequirere necessariò cognitionem supernaturalem circa obiectum, in quod tendit; sed sufficere præuiam naturalem. Nam cùm id omne quod appetitur, & quatenus appetitur, cognoscatur: necesse est id omne, quod appetitur per actum voluntatis supernaturalem, quodque est illius obiectum materiale, & formale; cognosci quoque per actum illum naturalem, & esse illius obiectum. Ergo falsum est actum naturalem, & supernaturalem non posse versari circa idem obiectum materiale, & formale. Ac si potest intellectus attingere actu naturali obiectum illud supernaturale: quidni etiam cum Dei auxilio, actu supernaturali, magis ei proportionato & connaturali?

SECTIO IV.

An qui dissentit vni articulo fidei, possit simul alium credere ex puro fidei diuinæ motiuo?

29. Status quæstionis. QVæstio est de illo, qui scienter & liberè dissentit vni articulo fidei sufficienter proposito, vt faciunt quicumque sunt formaliter Hæretici. Nam citra dubium est, posse assentientem vni articulo fidei, dissentire alteri non sufficienter proposito, propter ignorantiam inculpabilem.

Sententia negans. Sententiam negantem amplectuntur plerique Theologorum: quam aliqui recentiores probant primò ex communi hominum sensu, & experientia. Nam, inquiunt, constat vnicuique non esse possibilem hanc arbitrariam applicationem motiui actu operantis, & æqualiter applicati. Rideretur enim ille, qui non dubitat furari à Ioanne, & diceret se abstinere à furto erga Petrum, quia Deus furtum prohibet; quasi non æqualiter prohibeatur quodlibet furtum, cæteris paribus. Item, rideretur qui diceret se amare Petrum, quia est imago Dei: & tamen Paulum odisset, in quo videt fortè magis resplendere imaginem Dei. Probant secundò ratione, quia motiuum formale omnino dominatur in omni actu, siue intellectus, siue voluntatis: & materiale nullam habet actiuitatem, ideòque dicitur materiale. Formale autem tantùmdem excitat, per se, æqualitérque ad omnia materialia, quibus æqualiter conuenit. Itaque implicat obiectum formale duobus materialibus æquè conueniens, in vno acceptari, & in altero respui. Probant tertiò auctoritate D. Thomæ, 3. parte, quæst. 86. art. 3. in corpore, vbi probat dolentem de vno peccato mortali, quia est contra Deum, dolere de omnibus, quia omnia sunt contra Deum. Vbi autem (inquit) est eadem ratio, est idem effectus. Neque dicas hoc esse verum, quando id, in quod causa agit, recipit naturaliter, & necessariò effectum: secus autem si liberè. Nam tametsi causa libera possit recipere, aut non recipere vim motiui: si tamen illud recipit, æqualiter recipit ea omnia, ad quæ vis illius applicatur. Confirmatur, quia nemo dubitabit vocare inconstantem eum, qui heri Domino obediuit, si hodie aliud opus omnino æquale iubenti, non obediat. Ita si quis heri auctoritate alicuius mouebatur, vt ei dicenti aliquid crederet, & hodie nolit eidem credere aliud, cuius non minùs testis idoneus est; dicetur amisisse reuerentiam quam habebat erga eius auctoritatem, & inconstans circa illam esse. Inconstantia autem est mutatio ab vno affectu ad alium incompatibilem. Ergo sunt affectus incompatibiles, velle obedire Prælato aliquid iubenti, propter eius præceptum: & nolle eidem obedire in alio pari. Vel alicuius testificantis auctoritati se submittere in aliqua propositione: & in altera non magis difficili nolle se submittere. Hæc illi.

30. Conclusio affirmans. Quibus nonobstantibus existimo cum Ægid. Coninck disp. 14. de Fide, dub. 2. & Medina Codice de Pœnit. tract. 1. q. 12. a. 2. Voluntatem posse pro sua libertate, è duobus, quibus conuenit motiuum propter quod agit, vnum amplecti, & alterum respuere. Idémque probabile censet Tannerus quæst. 6. de Pœnitentia, dub. 2. & fauet Cardinalis de Lugo, disput. 5. de Pœnit. Sect. 6. num. 79. Quod vt meliùs explicetur, & probetur, distinguendi sunt varij modi, quibus id potest contingere. Primus est, si motiuum inæqualiter conueniat obiectis materialibus, vni magis, alteri minùs. Quo pacto motiuum detestandi peccata, quia displicent Deo, magis conuenit mortalibus, quàm venialibus. Et hoc modo Aduersarij, quorum argumenta retulimus, non negant posse voluntatem pro sua libertate tendere in obiecta materialia, quibus magis conuenit motiuum formale, relictis alijs, quibus minùs. Vt v. g. conteri de solis mortalibus, quod fieri posse nemo negat. Secundus modus est, si inter obiecta materialia vnum sit altero difficilius. Sicut v. g. inter opera, quæ Deo placent, quæque vt talia appeti possunt, martyrium est difficilius eleemosynâ. Et hoc etiam modo non negant ijdem Aduersarij è diuersis obiectis materialibus, eidem motiuo formali subiacentibus, posse respui difficiliùs: tametsi æquè, atque etiam magis illi conueniat obiectum formale. Posse videlicet aliquem velle efficaciter dare eleemosynam v. g. quia Deo placet: & nolle subire martyrium, quamvis Deo magis

placeat. Tertius modus est tendendo solùm diuisim in motiuum æquè commune pluribus materialibus, & ex illis vnum præ alio liberè eligendo. Vt cùm aliquis è duobus medijs æqualibus, & seorsim sufficientibus, vnum præ alio sumit. Quamvis enim non velit medium, nisi ex amore finis: quia tamen vnum sufficit, potest ad vnum ex illis se determinare. Aut cùm aliquis vult dare eleemosynam propter Deum, vni è duobus pauperibus; potest ad vnum illorum se determinare, quamvis Deo æquè placeret si daret alteri, æquè indigenti, & æquè digno commiseratione. Atque hunc etiam modum non negant Aduersarij, sed disertè illum admittunt in responsione ad argumenta nostræ sententiæ.

31. Probatur efficaciter. Ex his autem censeo peti posse argumentum efficax ad probandum, id quod intendimus, & in titulo Sectionis proposuimus: nempe fieri posse, vt qui dissentitur vni articulo fidei scienter, & liberè: tamen alteri assentiatur actu naturali, ex puro fidei diuinæ motiuo. Actu, inquam, naturali: Nam supernaturalis, non ita restrictè, & imperfectè versatur circa Dei testimonium, sed cum plena, & vniuersali submissione, & reuerentia ad Dei auctoritatem, vbicumque sufficienter apparet; vt patet ex dictis Sect. præcedenti. Probatur, quia si potest voluntas (vt fatentur aduersarij) vnum è pluribus obiectis materialibus eligere pro sua libertate, quando motiuum conuenit illis inæqualiter, vni magis, alteri minùs: Ergo potest vnum credibile præ alijs eligere, quando magis illi conuenit testimonium diuinum sufficienter credibile: id est, quando magis apparet per argumenta credibilitatis Deum id reuelasse. Id autem non apparet æqualiter de omnibus: sed Deus specialiter de quibusdam id fecit illustrius per signa & miracula multò plura, vel illustriora, in eorum gratiam specialiter edita. Secundò, si (vt fatentur etiam aduersarij) quando inter obiecta materialia vnum est altero difficilius, potest istud respuere voluntas, quamvis æqualiter, atque etiam magis illi conueniat obiectum formale: certum est inter obiecta materialia fidei quædam esse alijs longè ad credendum difficiliora, vt mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ. Poterunt ergo ista pro libertatis arbitrio respui, alijs licet acceptatis. Tertiò, si potest voluntas, pro sua libertate restringere motiuum de se æquè commune, & generale, ad vnum è multis materialibus diuisim, vt fit in exemplis allatis, & concessis ab aduersarijs. Quidni similiter potest restringere motiuum fidei, & velle assentiri vni ex illis materialibus propter illud motiuum, non alteri? Et, si (vt aiunt ipsimet Aduersarij) omnia obiecta materialia, quibus conuenit obiectum formale actualiter amatum, non amantur necessariò, nisi pro mensura efficaciæ voluntatis, quâ motiuum cadit in illa materialia, siue gradum amoris, quo voluntas illud amplectitur: atque ita qui amat in eleemosyna beneplacitum Dei, non necessariò vult eam dare pluribus pauperibus, quia est amor beneplaciti diuini ita limitatus: Quidni etiam potest amor & reuerentia erga diuinum testimonium simili modo limitari?

Respondent differentiam esse: quia motiuum reuerentiæ erga credibilitatem diuini testimonij, non est motiuum, quod etiam moderatè amatum, cadat tantùm diuisim in vnum articulum, sed cadit collectiuè in omnes, saltem pariter credibiles ex se. Cùm enim reueremur aliquem, etiam hominem, vt veracem; non dicimus, volo illi fidem habere, in vno tantùm, sed in omnibus non excedentibus fidem. Itaque hæc reuerentia applicat collectiuè ad omnes articulos. Verùm licet ex se cadat in omnes, & prudenter agendo, debeat omnibus applicari, vbi nulla maior est difficultas applicandi omnibus, aut nulla ratio specialis interuenit non applicandi alijs, sed vni tantùm: ratio differentiæ allata non ostendit, quòd non possit vni solùm, aut quibusdam applicari præ alijs, à voluntate abutente suâ libertate, & contra rationem operante. Non est autem quæstio proposita quid debeat, aut possit iure & rationabiliter fieri: sed quid de facto, & absolutè. Præterea quamvis motiuum illud æquè caderet in omnes articulos, pariter, & æqualiter credibiles, collectiuè: neque posset vni eorum diuisim applicari præ alijs: non probat ratio allata, quòd saltem non possit applicari diuisim, quando inæqualis est credibilitas; vel articulo cuipiam faciliori, præ alijs difficilioribus. Atque ita poterit aliquis ex. gr. credere Deum remittere offensas verè pœnitentibus: Et nolle credere Mysterium Trinitatis, Incarnationis, vel Eucharistiæ, propter Dei testimonium sufficienter propositum: quod sufficit ad probandum id quod intendimus in titulo Sectionis, & responso dato quæstioni propositæ. 32. Refellitur euasio.

Ad primum contrariæ sententiæ argumentum respondeo, motiuum de se æqualiter conueniens pluribus obiectis materialibus, posse per liberam electionem voluntatis vni præ alijs applicari: interdum quidem insipienter & ridiculè, vt in exemplis allatis in obiectione: interdum verò cum recta ratione, vt quando è duobus medijs seorsim sufficientibus eligitur vnum: aut quando è decem pauperibus datur vni eleemosyna ex determinatione libera voluntatis ad hunc præ alijs, quibus tamen motiuum æquè conuenit de se. 33. Soluuntur arg. contraria.

Ad secundum dico, motiuum non dominari voluntati liberè in illud tendenti, nisi quantùm ipsa vult, & acceptat. Potest autem acceptare inadæquatè, vt suprà ostendimus, & in multis fatentur Aduersarij. Nec obest quod addunt, motiuum, & amorem voluntatis erga obiectum formale, esse pondus, quo fertur in omnia obiecta materialia sui motiui, atque ita quando voluntas se illius amore regi permittit; fertur eo amore in omnia, in quæ pariter inclinat illud pondus: Vnde si motiuum cadit æqualiter in omnia materialia, aut collectiuè, aut diuisim; fertur in illa voluntas eâdem proportione. Respondeo enim amorem erga motiuum esse liberum voluntati: neque plus eam vi illius regi efficaciter, aut ferri ad obiecta materialia, quàm ipsa liberè velit. Et quamvis Motiuũ potest acceptari inadæquatè.

motiuum ad omnia collectiuè alliciat, aut æqualiter ad singula diuisim: posse tamen voluntatem pro sua naturali libertate, non sequi illius exigentiam, & contra illam agere. Frustra verò instant, voluntatem esse quidem liberam, sed non ad affectus simul contrarios: sunt autem affectus contrarij, nihil amare nisi motiuum formale, & ipsum habere æqualiter in duobus propositum, alterum tamen prorsus respuere. Respondeo enim primò, hoc argumentum nihil probare de materialibus, quibus motiuum inæqualiter conuenit. Secundò, etiamsi motiuum illis æqualiter conueniat: non esse tamen affectus contrarios, amare motiuum contractè ad vnum materiale, & non amare aut etiam respuere contractum ad aliud: vt fit etiam quando datur eleemosyna vni è duobus pauperibus per omnia æqualibus: aut cùm è duobus medijs æquè bonis, vnum præ alio eligitur: quod fieri posse fatentur Aduersarij, & per se notum est.

34. Contritio perfecta detestatur omnia p. m. Ad tertium respondeo D. Thomam loqui de contritione perfecta, quâ peccatum detestamur, quatenus est contra Deum super omnia dilectum; vt patet ex eius verbis immediatè sequentibus loco citato, *Non potest esse verè pœnitens, qui de vno peccato pœnitet, & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur quòd de omnibus peccatis pœniteret.* Loquitur, inquam, D. Thomas de contritione perfecta, & supernaturali, vtilique ad remissionem peccatorum obtinendam, tendente contra peccatum ex amore Dei super omnia dilecti. Quod motiuum comprehendit omnia peccata mortalia collectiuè: imò etiam venialia: si particula, *omnia*, intelligatur absolutè & amplissimè, de ijs etiam quæ leuiter Dei amori repugnant. Quanquam hoc non est necessarium ad habendam contritionem sufficientem remissioni mortalium. Sufficit enim dolere propter Deum de omnibus, quæ grauiter ipsius voluntati, & amori aduersantur. Debet tamen necessariò contritio supernaturalis, cadere in peccatum mortale, propter illud motiuum vniuersaliter acceptum. Quia debet plenè subjicere voluntatem illi motiuo, eámque auertere efficaciter ab omni alia re, grauiter Deo displicente, eiusque amicitiæ repugnante incompatibiliter: sicut fides supernaturalis plenè subjicit intellectum diuino testimonio, cum præparatione animi ad illud amplectendum, & reuerenter habendum, vbicumque apparebit sufficienter propositum, auertitque intellectum ab omni infidelitate.

35. Inconstãs quis dicatur? Ad quartum respondeo, inconstantem illum dici, non modò, qui affectum mutat ab vno in alium incompatibilem; verùm etiam qui non æqualiter se habet, & simili modo vult aut agit, in pari casu omnino, & vbi nulla est causa rationabilis aliter volendi, aut agendi, sed potiùs secundùm rectam rationem, & prudens iudicium, deberet in eodem volendi, aut agendi modo persistere. Qualis inconstantia reperitur in exemplis allatis in obiectione. Secus autem vbi est causa rationabilis; vel propter difficultatem maiorem, vel ob nouas alias circumstantias, aut propter rationabile exercitium libertatis. Nam qui v. g. dedit hodie pauperi eleemosynam ex puro motiuo misericordiæ; potest non dare cras eidem, aut alteri petenti, quamvis æquè digno commiseratione: quia non tenetur dare eidem aut alteri quotiescumque petit, & leuiter tantùm indiget, potéstque illius indigentiæ facilè ab alio succurri, vt solet. Et qui heri dedit aliquid filio, quia filius est; potest cras eidem negare idem, vel æquale beneficium: quia non tenetur illi dare quidquid postulat.

SECTIO V.

An actus credendi siue naturalis, siue supernaturalis, distinguatur realiter ab intellectu?

Negant aliqui Recentiores, qui contendunt actus vitales intelligendi, & volendi, esse tantùm modos se habendi indistinctos. 36. Sententia negans. Primò, quia si cognoscens esset aliquid constitutum ex principio, & qualitate superaddita, illud constitutum distingueretur realiter à volente, quod etiam constitueretur ex principio, & aliqua alia qualitate. Hoc autem est impossibile: quia impossibile est alterum cognoscere, seu esse actu & formaliter cognoscens, & alterum realiter ab illo distinctum esse eligens, quod non est cognoscens, & consequenter quod non potest liberè vnum obiectum alteri præferre. Neque sufficit dicere, principium esse idem. Quia id quod eligit, debet esse ipsummet, quod formaliter obiecta cognoscit. Sed principium vt distinctum ab ea qualitate, quam vocant cognitionem, non est formaliter, & intrinsecè cognoscens; sed illud solum constitutum: Ergo illud non plus aptum est per se eligere, quàm materia prima hominis cognoscere, aut paries visum disgregare prout distinctus ab albedine. Secundò, actus vitalis, seu vita in actu secundo, nequit esse qualitas mortua: Estque contra rationem, dicere qualitatem mortuam, & subiecto etiam non vitali vnibilem, constituere formaliter viuens. Nec vlla esset ratio, quare esset, aut diceretur vitalis, & vita secunda, potiùs quàm quævis alia qualitas vnibilis animæ, & apta ab ea pendere, & produci, vt habitus, species, &c. Tertiò, Deus est contingenter cognitio, & volitio, sine tali qualitate producta: Ergo cognoscere & velle, non est producere qualitatem. Hæc illi: quæ non sunt tanti momenti, vt propterea communissima sententia sit deserenda ab ijs, qui prudenter, & sine periculosa nouitatis affectatione philosophari satagunt.

Contrarium enim sentiunt omnes antiqui Theologi, etiam Nominales (quorum Sectam profitentur Aduersarij) & omnes recentiores; exceptis Durando in 2. dist. 3. quæst. 5. ad 1. 37. Conclusio affirmans. Vbi ita sentit de cognitione Angeli, quâ naturaliter seipsum intelligit; nam alias fatetur distingui: & Malonio eâdem dist. Disp. 5. Sect. 2. vbi generatim asserit intelligendi, ac volendi actus, etiam in creaturis (de quibus hîc loqui-

mur) esse tantùm modos se habendi indistinctos in re, atque alios idem docere, sed nullum citat, neque ab alio citatum vllum reperio. Eadem est communissima sententia Sanctorum Patrum, qui productiones diuinas Filij, & Spiritus sancti, explicant per comparationem ad productionem nostrorum actuum intelligendi, & volendi: quòd videlicet, quemadmodum nos intelligendo, & volendo, producimus verbum mentis, siue actum intelligendi, & amorem realiter à nobis distinctos: Ita Pater intelligendo producit Verbum personale, seu Filium realiter à se distinctum: & Pater ac Filius, amando producunt amorem personalem, siue Spiritum sanctum, ab ipsis quoque realiter distinctum. Verbum, inquam, personale, & amorem personalem; quia Filius, & Spiritus sanctus, non sunt Verbum, & amor, quo essentialiter & formaliter Deus seipsum, & alia cognoscit, & amat: sed sunt termini realiter producti per fœcunditatem cognitionis, & amoris essentialis, realiter distincti à se inuicem, & à principio, à quo producuntur: sicut in nobis cognitio, & amor sunt actus realiter distincti, tum à se inuicem, tum à principio intelligendi & volendi, à quo producuntur. Atque hoc est primum & efficax huius sententiæ argumentum, communissimus scilicet Patrum consensus, cui se opponere in rerum Theologicarum tractatione, & explicatione, magnæ est temeritatis, vt alibi probatum fuit. Eorum verò testimonia plurima, legi possunt apud Didacum Ruys disp. 2. de Trinit. Sect. 2. & disp. 55. Sect. 4. & disp. 57. Sect. 3.

Probatur auctoritate Patrum.

Vide Disp. 8. Sect. 3.

38. Secundum argumentum sit, quia de fide est, vel fidei proximum, infundi habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis, ex Trid. Sess. 6. cap. 7. & alijs infrà dicendis, cùm de habitu fidei disputabitur. Idémque ante Tridentinum erat in Ecclesia certissimum: Falluntur enim qui putant tempore Concilij Viennensis sub Clemente V. fuisse tantùm id probabile, & ab eodem Concilio receptum solùm vt probabilius. Nam controuersia Theologorum illius temporis, vt Concilium refert, tantùm in eo erat, vtrùm paruulis in baptismo infunderentur virtutes, æquè ac adultis; quibusdam asserentibus, paruulis tantùm remitti peccatum, sed non infundi habitus virtutum, qui essent illis inutiles, cùm non sint capaces exercendi eorum actus: alijs verò è contrario affirmantibus infundi paruulis virtutes quoad habitum, licet non pro illo tempore quoad vsum: Et vtrisque, vt patet, supponentibus, & consentientibus indubitanter, infundi habitus adultis: quod etiam Concilium supponens, & approbans, sic concludit: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit tam paruulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conformem, & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Hucvsque Clemens cum Viennensi Concilio, vt refertur in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica. Quæ verba hunc sensum apertè habent: Cùm efficacia mortis Christi pariter applicetur per baptismum omnibus baptizatis, id est, æquè paruulis, ac adultis: & adultis conferat virtutes habituales, vt certum, & citra dubium est; probabilius est illas quoque conferre paruulis, vt sentit maior pars Theologorum, & conformius est Sanctis Patribus. Sic igitur argumentor: Certum est infundi virtutes, & habitus supernaturales, realiter distinctos ab anima, cui infunduntur, & cui inhærent, vt Trident. suprà loquitur. Ergo pariter certum esse debet, actus propter quos infunduntur, esse quoque realiter distinctos ab anima. Nam habitus illi infunduntur ad exercendos actus sibi proportionatos. Ergo ad actus supernaturales, & realiter distinctos à potentia naturali: quippe qui sunt in substantia seu entitate supernaturales, æquè ac illi habitus, quorum entitas nullis viribus naturalibus acquiri potest, sed à Deo solo infunduntur.

Habitus & actus supernat. distinguuntur realiter à subiecto.

Tertium argumentum: Actus supernaturales beatifici distinguuntur à mente beata. Ergo & actus supernaturales viæ. Consequentia probatur: tum quia nulla est sufficiens ratio discriminis; tum quia argumenta Aduersariorum, vel de omnibus probant indistinctionem, vel de nullis. Antecedens verò probatur: quia alioquin Angeli & animæ beatæ, solâ suâ substantiâ & entitate naturali essent formaliter beatæ; & sola ipsorum entitas, illis sufficeret ad totam formalem beatitudinem; quod est absurdum, & alienum à sensu Catholicorum. Quod argumentum maiorem vim habet contra aliquos aduersariorum, qui non verentur dicere, neque etiam habitus supernaturales distingui: quod sine magno errore dici non posse, affirmat Suares lib. 7. de Gratia, cap. 15. num. 8. & meritò, quia contrarium satis apertè definitum est à Trident. Sess. 6. cap. 7. Ex hoc autem dogmate ab aduersarijs asserto, sequitur Angelos, & animas beatas, non plus habere realiter in beatitudine, quàm in pura natura: nihil, inquam, illis superaddi, ac nihil intrinsecum acquirere: sed se solis esse intrinsecè beatos, & perfectos vsque ad consummationem; quod est absurdum, & contra sensum communem Ecclesiæ. Sed quamvis admittantur habitus supernaturales distincti, lumen gloriæ, & alij: certum est beatos non per illos beari formaliter, sed per actus vitales. Nam formalis beatitudo consistit in operatione. Certum est quoque illos non esse simpliciter necessarios ad beatitudinem: quia possunt actus beatifici exerceri sine illis, Deo per se solùm eleuante, & supplente concursum habituum. Quare si actus beatifici non distinguuntur à mente beatorum: mens illa erit per seipsam, & per solam suam entitatem naturalem, beata formaliter: quòd contendo esse absurdum, planéque alienum à communissimo consensu Patrum, & Theologorum, asserentium visionem beatificam esse transformationem mentis in Deum, & similitudinem eius expressam, iuxta illud 2. Cor. 3. v. vltimo, *Nos vero omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, transformamur à claritate in claritatem,*

39. *Actus beatifici distinguuntur realiter à Beato.*

tanquam

tanquam à Domini spiritu. Et 1. Ioan. 3. v. 2. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Hæc enim transformatio, & similitudo non fit formaliter per simplicem, & indistinctum modum se habendi, quo mens Beati Deum videat, & amet, eique vniatur, & adhæreat intentionaliter, & moraliter: quia sic non magis nos transformaremur in Deum, quàm Deus in nos; iuxta sententiam aduersariorum, nam, vt ipsi docent, Deus quoque per simplicem modum se habendi videt, & amat contingenter Beatos. Et illa vnio, & adhæsio, ac possessio moralis, & intentionalis, est reciproca: quia Deus non minùs adhæret vitaliter, & intentionaliter Beato per visionem, quâ illum cognoscit; quàm Beatus Deo, per eius visionem.

Atque hoc argumentum maiorem vim habet contra aliquos aduersariorum, qui non verentur dicere Deum de nouo cognoscere, & velle contingenter. Hinc enim sequitur Deum etiam de nouo transformari in Beatum, æquè ac Beatus transformatur in Deum. Illa ergo transformatio Beatorum non fit per simplicem modum se habendi, qui Deo æquè conuenit, secundùm Aduersarios. Neque etiam fit formaliter per lumen gloriæ habituale: quia, vt iam dixi, posset mens Beatorum Deum videre sine illo, cum auxilio supernaturali eleuante, loco habitus infusi: sed fit formaliter per ipsam visionem beatificam, quæ scilicet est forma intrinseca Beatis, Deo similis, tanquam imago eius viua & expressa, ipsósque in Deum transformans, & assimilans, seipsâ formaliter. Quare non est simplex se habendi modus, quasi anima seipsâ solâ realiter possit esse beata, seipsâ solâ fiat forma Deo simillima, & expressa eius imago: Sed potiùs forma tam excellens, est qualitas quædam, & forma perfecta, excedens vires naturales animæ: adeóque habens propriam entitatem supernaturalem excellentissimam. Imò in naturalibus cognitionibus non apparet, neque verisimile est, quòd anima, quæ seipsâ nullius rei est essentialiter repræsentatiua, sit seipsâ solâ, vt Deus, repræsentatio, & imago expressa eorum, quæ intelligit; sed omnino exercitium animæ tam nobile, & excellens, plus requirit, & maiorem facit animæ immutationem, quàm simplicem modificationem. Adde quòd non apparet, cur alioqui tot organa forent necessaria in oculo, v. g. si visio esset simplex modus se habendi. Argumenta verò Aduersariorum æquè impugnant distinctionem actuum sentiendi, atque intelligendi: ita vt illi distingui non debeant, si hi non distinguuntur: vt patebit ex dicendis paulò post, num. 41. & sequentibus.

40. Distinctio vbi admittenda? Quartum argumentum: Modus philosophandi Aduersariorum negando distinctiones in ijs, in quibus est nouitas in re, & fundamentum contradictionis, extendi non debet, nisi ad ea, in quibus distinctio est apertè superflua. Tum quia modus ille philosophandi est per se durus, & difficilis, atque alienus à communi sensu: tum etiam quia ducit alioqui ad errorem, & hæresim. Nam simili modo philosophandi, sequendo lumen naturale, negaretur distinctio quorumcumque habituum, æquè ac actuum, & quorumcumque accidentium; cùm tamen ex Trident. suprà, sit certissimum distingui habitus supernaturales ab anima: & contra fidem apertè sit dicere accidentia Eucharistica non distingui à substantia panis & vini. Quare principium illud Okami, & Nominalium, non esse admittendam distinctionem realem, nisi vbi auctoritas irrefragabilis fidei, scilicet diuinæ, ad id cogit, vel ratio tam euidens, vt ei responderi non possit, erroneum est, & periculosum, vt fusiùs ostendimus disputando de Eucharistia. Non ostenditur autem apertè superfluam esse distinctionem actuum vitalium à principio intelligendi & volendi, vt patebit ex solutione argumentorum. Quare modus philosophandi negando distinctionem à parte rei non debet applicari eiusmodi actibus.

Ad primum contrariæ sententiæ argumentum Respondeo, cognoscens, & volens, distingui realiter inadæquatè; ex parte scilicet qualitatis productæ; sed non adæquatè; quia non ex parte principij vitalis producentis in seipso huiusmodi qualitatem, & attendentis per se ad obiectum, atque vtentis vitaliter qualitate, quam producit. Notandum enim id quod alibi diximus, in tractatu de Angelis, disp. 37. Sect. 2. in fine, intellectionem vitalem non esse solam qualitatem productam ab intellectu: sed includere ipsum intellectum vitaliter se exercentem, producendo illam qualitatem in seipso, & attendendo ab obiectum quod per illam exprimit. Nam actus vitales non sunt mera accidentia; sed includunt vsum, & applicationem ipsius principij vitalis substantialis, seipsum exercentis. Qui vsus est identicè ipsum principium: sicut actio est identicè agens; & grauitatio est id quod grauitat. Quare sicut impossibile est vt aliquid agat nisi vim suam exercendo: ita est impossibile, vt mens cognoscat, vel appetat, nisi per se intendendo. Satisque vel ipsâ experientiâ constare videtur principium substantiale intelligens, & volens, attendere per seipsum, vel affici ad obiectum, quod cognoscit, aut appetit. Ita vt cognoscere, vel appetere, non sit tantùm producere, aut recipere qualitatem aliquam distinctam, quæ in obiectum tendat, & se solâ formaliter subiectum cognoscens, vel appetens constituat: sed sit ipsummet viuens per se apprehendere, aut iudicare; aut discurrere; vel appetere, afficique ad obiectum. Vnde cognitio, vel appetitio formaliter non est sola qualitas inhærens principio substantiali viuentis sed includit ipsum principium tendens vitaliter per seipsum. Quod principium si aliquid in seipso producit intelligendo, & volendo, vt fit in Angelis, & hominibus; id tamen, quod producitur, non est totum exercitium vitale: neque sufficit ad intelligendum, aut volendum, sine vitali attentione principij. Sique potest separari à subiecto de potentia absoluta, & lapidi, aut bruto communicari: non propterea lapis, aut brutum, intelligeret & vellet. Neque enim quidlibet est capax attendendi, & vtendi tali qualitate, atque cum illa constituendi viuens in actu secundo: sicut non quælibet res est capax 41. Cognoscens & volens quomodo distinguuntur realiter?

constituendi cum anima viuens in actu primo, id est, principium substantiale vitalium operationum sensitiuarum, vt facit corpus organicum: Sed hoc est proprium mentis, quæ attendit producendo, & producit attendendo, vtitúrque vitaliter qualitate à se productâ, & in se receptâ; quia est virtus viua, & vitalis. In quo etiam differt ab habitibus, speciebus, & alijs rebus mortuis, quæ concurrunt interdum, vel iuuant ad actus vitales: sed non vitaliter attendendo.

42. Et cognoscês, & eligês. Ad replicam dico, id, quod eligit, debere esse ipsummet, quod formaliter obiecta cognoscit, ipsummet, inquam, ex parte principij cognoscentis, & per se attendentis: sed non ex parte qualitatis iuuantis ad vitalem attentionem, & intentionem in obiectum. Malè enim comparatur hoc principium cum materia prima respectu intellectionis, aut cum pariete respectu effectus disgregandi visum. Nam materia prima nullo modo per se intelligit, sed mens sola, & homo per mentem. Paries quoque, prout distinctus ab albedine, non disgregat visum per se, neque ad id vllo modo concurrit per seipsum: sed hoc facit albedo, & ipse solùm per albedinem. At idem principium vitale cognoscens, & volens, per seipsum producit vtramque qualitatem, & per seipsum immediatè, & formaliter attendit producendo, ac recipiendo qualitatem, quâ vtitur viuâ & vitali suâ virtute. Addo hoc argumentum retorqueri posse in aduersarios. Nam cùm agunt de potentia sensitiua interna, probant hoc argumento sensum communem, phantasiam, æstimatiuam, & memoriam esse eandem potentiam: quia non alia potentia debet organis externis quiescentibus cognoscere (quod facit phantasia) quàm ea quæ iis operantibus percepit (quod facit sensus communis) quænam enim alia excogitari potest, cui hoc potiùs debeatur? Item, eius est recordari, quod prius percepit. Alioqui vnum priùs perciperet; & aliud, quod non percepit, recordaretur se percepisse; in quo esset euidens deceptio. Atqui per aduersarios hæ sensationes sunt modi se habendi, quippe animæ non essentiales. Et hi modi, iuxta eosdem aduersarios, differunt realiter inter se, saltem quando sunt incompossibiles; vt ijdem affirmant. Ergo anima vt sentiens præsentia, id est, anima taliter se habens, & quasi constitutum ex anima, & tali modo se habendi, differt realiter à seipsa vt recordante. Atque ita aliud realiter est sentiens primò, & aliud recordans: nisi dicant sufficere identitatem principij sic se habentis; vt nos diximus de intelligente, & volente. Respondebunt hos modos se habendi non esse incompossibiles; & non omnes modos distingui realiter inter se, sed eos solùm qui sunt incompossibiles simul in eadem re, aut qui sunt rerum diuersarum. At insto, quia, per aliquos saltem aduersariorum, & speciatim eos, quorum argumentis modo respondemus: modus se habendi cognoscendo præsentia, vt talia, est planè incompossibilis cum modo recordandi eadem vt præterita pro eadem differentia temporis, non modò in creaturis, sed etiam in Deo. Qua de causa volunt (quod miror illis in mentem venisse) cognitionem Dei variari in tempore, & creaturis se accommodare, cùm de futuris fiunt præsentes, & de præsentibus præteritæ. Volunt etiam Deum successiuè modò amare, modò odisse Petrum v. g. pro varia ipsius dispositione bona, vel mala: quia putant esse impossibile Deum simul amare & odisse eundem: quæ dogmata Aduersariorum, quamvis sint planè falsa; valent tamen ad ostendendum ipsos vim sui argumenti supra propositi infringere, & hoc ipsum, quod respondemus, approbare.

Ad secundum, dico actum vitalem non esse solam illam qualitatem: neque solam constituere viuens formaliter, vt suprà exposuimus. Dicitur autem vitalis, & vita secunda partialiter; tum quia cum principio substantiali viuente constituit viuens in actu secundo: sicut corpus organicum, (quamvis de se mortuum, id est, non-viuum, præcisè sumptum) constituit viuens in actu primo cum anima: Tum etiam quia producitur immediatè in seipso à principio viuente, & producitur attendendo. Quo modo habitus, & species non producuntur: Nam habitus producuntur à Deo solo, si sunt supernaturales; vel ab actibus, si naturales. Species quoque producuntur ab actibus, vel ab obiectis, vel à Deo infunduntur. Et quando habitus, vel species producuntur ab actibus nostris, producuntur mortuo modo, id est, sine vlla vitali attentione in huiusmodi productione, simili ei, quâ calor calorem, aut albedo speciem sui producit. 43. Actus vitalis non est sola qualitas producta.

Ad tertium respondeo, ineptum esse, ex eo solo quòd distinctio in Deo non sit quoad aliquid, velle inferre, neque esse in creaturis: quasi entitas creaturarum sit paris simplicitatis, & amplitudinis cum substantia diuina, quâ Deus est excellentissimè, & sufficientissimè quicquid est. Hoc sanè argumentum pugnat apertè contra communem sensum sanctorum Patrum, qui soli Deo tribuunt, vt sine vlla distinctione habeat esse, posse, & agere: creaturæ verò accidentarijs perfectionibus, & distinctis egeant. Estque naturaliter euidens multò maiorem esse rationem, vt Deus, quippe absolutissimè infinitus, & perfectus, sit identicè, & realiter suâ essentiâ, seu substantiâ, quicquid est; & quamvis non sit essentialiter scientia contingentium, quæ sicut potuerunt non esse vt sunt, potuerunt nesciri ita esse, & contrario modo cognosci: tamen cùm Deus sit essentialiter eorumdem cognitio, vt possibilium; faciliùs intelligitur, quomodo, sicut idem obiectum de possibili fit existens; sic eadem Dei scientia essentialis, quasi modificata, ad illud extendatur, & fiat scientia contingens eiusdem obiecti existentis, per vsum, & applicationem indistinctam realiter, seu per talem habitudinem ad tale obiectum. 44. Maior identitas est in Deo, quàm in creat.



SECTIO VI.

Vtrum omnes actus fidei Theologicæ sint eiusdem speciei?

45. AFfirmant Suares Disp. 6. Sect. 3. num. 11. Ægidius Coninck disp. 14. dub. 12. Maratius disp. 10. & alij plurimi. Probant verò præcipuè: quia omnes actus fidei Theologicæ habent idem obiectum formale, nempe diuinam reuelationem, & auctoritatem. Tota ergo diuersitas est tantùm materialis, quæ non causat specificam diuersitatem in actibus. Confirmatur ex D. Thoma quæst. 2. art. 2. ad 1. vbi tacitè concedit vnius habitus, & vnius virtutis vnum esse actum; vt patet conferendo responsionem cum argumento. Item, actus misericordiæ est idem specie, siue pauperi velis dare panem, siue pecuniam, vt subuenias eius indigentiæ. Et actus iustitiæ est idem specie, siue restituere velis equum alienum, siue pecuniam: Ergo similiter idem est specie fidei actus, siue credas mysterium Trinitatis, siue Incarnationis, propter diuinam auctoritatem.

Sententia affirmās.

46. Contraria tamen sententia tenenda est, cum Valentino Herice disp. 18. de voluntate Dei cap. 4. num. 31. De Lugo disp. 8. de Fide Sect. 1. n. 3. Hurtado disp. 56. Sect. 1. n. 4. Nam actus intellectus, qui tendunt ad obiecta essentialiter diuersa, percipiendo illa quà diuersa, & attingendo proprias eorum differentias secundùm se, sunt essentialiter diuersi. Sed actus fidei sunt eiusmodi: Ergo, &c. Maior patet, quia huiusmodi actus sunt expressiones vitales rerum essentialiter diuersarum, quà talium, & tendunt essentialiter ad illas vt tales. Quare sicut duæ visiones albi, & nigri, vt talium, differunt essentialiter: sic, &c. Minor verò probatur, quia actus fidei Theologicæ non tendunt solùm in diuinam auctoritatem & reuelationem; sed & in ipsam rem reuelatam secundùm se, & secundùm propriam differentiam; v.g. in mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Remissionis peccatorum, Prædestinationis, Vitæ æternæ, &c. Hæc enim creduntur vt talia. Quare non tantùm auctoritas diuina, vel reuelatio attingitur secundùm se per actum fidei, sed etiam illud ipsum, quod reuelatum est, attingitur secundùm se, provt quidem subest reuelationi, at non tantùm secundùm reuelationem, sed etiam secundùm se; sicut videtur albedo v.g. provt quidem subest lumini, at non tantùm secundùm lumen, sed secundùm propriam rationem provt albedo est. Licet ergo auctoritas diuina sit vna: licet etiam reuelatio diuina esset eadem essentialiter, non minùs quàm lumen, quo colores illustrantur, essentialiter idem est: nihilominus sicut visio albedinis est essentialiter diuersa à visione nigredinis; quia in obiecto habet aliquid diuersum essentialiter, quod attingit secundùm se: sic etiam actus fidei sunt essentialiter diuersi, quia in obiecto attingunt aliquid secundùm propriam rationem essentialiter diuersam, nempe diuersas veritates reuelatas.

Conclusio negās.

Deinde, falsum est quod supponunt Aduersarij, totum formale obiectum fidei esse idem. Nam, vt alibi ostendimus, obiectum formale fidei non est sola Dei auctoritas, seu veracitas; sed auctoritas loquens, & reuelans credibiliter. Reuelatio autem non est vnica specie: sicut non est vnius veritatis, sed multorum essentialiter differentium. Etenim reuelatio est alicuius reuelatio: eius nempe totius quod reuelatur secundùm se. Et cùm res diuersæ quà diuersæ reuelantur, reuelatio diuersa est; quia in suo conceptu importat aliquid diuersum, id nempe, cuius est reuelatio. Aliáque est propositio, quà Deus asserit se esse Trinum, alia quà dicit Verbum esse Incarnatum, aut Christum esse realiter sub speciebus Eucharisticis. Vlteriùs reuelatio diuina completè sumpta, & sufficienter proposita, non est purum testimonium oris, sed coniunctum testimonio operis, id est, factum credibile per signa supernaturalia; quæ possunt esse specie diuersa. Quare reuelatio potest habere specificam diuersitatem, non tantùm ex parte veritatum reuelatarum; sed etiam ex parte signorum internorum, vel externorum, per quæ constituitur in esse credibilis, & sufficientis reuelationis: Cúmque actus fidei illam, vt talem respiciat, velut obiectum formale: hinc etiam contrahit specificam diuersitatem, & non tantùm ex rebus reuelatis.

Obiectū formale fidei non est semper idem.

47. Notandum autem, aliud esse cadere sub aliquem actum omnino per accidens, aut per aliud, neque in seipso attingi per illum; vt paries cadit sub visum, quia videtur eius albedo; & aliud, ita cadere sub actum ratione alterius, vt tamen id, quod ratione alterius cadit sub actum, attingatur in se per actum illum; quo modo color cadit sub visum cum lumine; & veritas, quæ reuelata est, cadit sub actum fidei. Inter quos modos est differentia: quoniam actus non habet ordinem essentialem ad id, quod in seipso per illum non attingitur; ideóque subtracto illo manet idem actus. Vnde v.g. eadem est visio albedinis Eucharisticæ ante, & post consecrationem. Sed ad id quod in seipso attingitur, habet actus ordinem essentialem, neque potest esse idem eo subtracto.

Ad fundamentum aduersariorum patet ex dictis, reuelationem non esse vnius speciei, neque obiectum formale adæquatè sumptum. Materiale verò duplex distinguendum est. Vnum, quod est purè materiale, & subest tantùm alteri, quod per se attingitur, ipsum verò non attingitur per se, & secundùm se, sed per aliud tantùm, & secundùm illud: quo modo se habet substantia lactis, respectu albedinis visæ. Et tale obiectum materiale non mutat speciem actus: quia diuersitas specifica illius non attingitur per actum. Vnde eadem est specie visio accidentium consecratorum, & non consecratorum: & albi huius, & illius vt talis. Aliud verò est non purè materiale, sed etiam formale aliquo sensu: quia scilicet quamvis per aliud attingatur, non tamen attingitur secundùm illud tantùm, sed etiam secundùm se, ac per se vt subiectum alteri: quo pacto color videtur quidem per lumen, sed non tan-

Obiectū materiale duplex est.

tùm secundum lumen, verùm etiam secundùm se, ac per propriam rationem coloris, vt lumini subiectum. Et tale obiectum materiale mutat speciem actus: quia per illum attingitur secundùm propriam differentiam specificam, ad quam proinde actus habet ordinem essentialem, vt ad obiectum suum. Sic autem se habent veritates secundum se reuelatæ, & creditæ, respectu fidei, quæ vt subiectæ reuelationi attinguntur per actum fidei non tantùm secundùm reuelationem, sed etiam secundùm se. Quare sicut alia est visio albedinis, alia nigredinis, licet nullus color sine lumine videatur: Ita licet nihil credatur fide Christianâ, nisi propter diuinam veracitatem, & reuelationem: tamen alius est credendi actus, quo creditur Deum esse Trinum, & alius quo creditur Deum creâsse omnia, aut esse Incarnatum, vel prædestinasse homines ad vitam æternam. Sunt, inquam, isti actus diuersi, si veritates illæ seorsim, diuisimque sumantur. Aliter autem possunt plures huiusmodi veritates in vnum actum colligi: imò & omnia credibilia, confusè saltem, vno actu comprehendi, qui ex illa collectione confusa haberet suam speciem, diuersam ab actibus tendentibus in veritates particulares seorsim, & distinctè: sicut conceptus entis confusè & in communi, differt à conceptu distincto entium particularium.

48. Quid sit Credere Deo, Credere Deum, & credere in Deum? Ad confirmationem Respondeo, D. Thomam non concedere vnius virtutis vnicum esse actum: sed tantùm dicere hanc diuisionem, *Credere Deo, & Credere Deum, & Credere in Deum*, non esse diuisionem in tres actus, sed diuersam considerationem, seu comparationem eiusdem actus, qui dicitur *Credere Deo*, per ordinem ad obiectum formale; quia scilicet assentimur Deo testificanti: *Credere Deum*, per ordinem ad obiectum materiale, quatenus scilicet assentimur Deum esse; & *Credere in Deum*, per extrinsecam denominationem ab actu voluntatis, quo noster assensus liberè refertur in Deum. Posse autem eiusdem virtutis esse plures actus specie diuersos docet apertè S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. Vbi affirmat ad eandem virtutem pertinere prosequi vnum oppositorum, & refugere aliud. Et parte 3. quæst. 85. a. 2. ad 1. Dicit eiusdem charitatis esse diligere bonum, gaudere de eo, & tristari de opposito. Differunt autem specie prosequi, & refugere; gaudere, & tristari; amare, & odisse.

Ad vltimum Respondeo, actum illum misericordiæ, vel iustitiæ, esse eundem specie, non Physicè, & in rigore Metaphysico: sed tantùm moraliter, id est, secundùm moralem æstimationem reputari pro eodem specificè: quo pacto fatemur omnes actus fidei censeri moraliter eiusdem speciei: Vnde peccata ipsis opposita positiuè, non sunt speciatim distinguenda in confessione, quia pro eodem in specie reputantur.

SECTIO VII.

An actus fidei supernaturalis sit discursiuus?

PRo parte affirmante citantur Gabriël in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. vbi probabilem esse dicit, Almain. ibid. quæst. 3. vbi eandem approbat, & Marsil. in 3. quæst. 14. art. 1. Hurtado disp. 39. de Fide. Ripalda tom. 2. de ente supernat. disp. 55. num. 31. Becanus cap. 8. quæst. 3. De Lugo Disp. 7. Sect. 1. vterque in Tract. de Fide, & Vasquez 1. parte disp. 1. cap. 3. num. 5. Vbi docet actum fidei diuinæ generari per discursum proximè, & immediatè deductum ex testimonio Dei in hunc modum: Quicquid Deus dixit verum est. Deus dixit se esse Trinum. Ergo Deus est Trinus. Differre autem discursum fidei à discursu qui vocatur Theologicus, in eo quòd Theologicus non fit immediatè, & proximè ex Dei testimonio, sed ex articulis creditis in hunc modum: Vbi sunt duæ naturæ intellectuales, sunt duæ voluntates. Sed in Christo sunt duæ naturæ intellectuales. Ergo & duæ voluntates. Ampliùs autem Vega lib. 9. in Trident. cap. 39. censet actum fidei esse discursiuum, non tantùm modo suprà dicto: verùm etiam adiungendo vni propositioni reuelatæ, alteram non reuelatam, & ex vtraque deducendo conclusionem. Vt, Omnis homo est visibilis. Christus est homo. Ergo Christus est visibilis. 49. Sententia affirmans.

Fundamenta huius sententiæ sunt, primò, quia Hebr. 11. v. 1. *Fides dicitur esse argumentum non apparentium.* Argumentum autem vel est discursus, vel ad discursum pertinet. Et in Græco est ἔλεγχος, quod est argumentandi genus. Secundò, quia ad discursum requiritur, & sufficit, vt sint plura iudicia, quorum vnum ex alio sequatur formaliter, aut virtualiter. At hoc reperitur in Fide. Credimus enim Deum esse Trinum, quia Deus dixit, & quia Deus est verax; id est, iudicamus assensu certo Deum esse Trinum, quia certò quoque iudicamus Deum dixisse, & esse veracem. Tertiò, assensus fidei humanæ seu naturalis, est discursiuus. Ergo & assensus fidei diuinæ & supernaturalis: Par enim est vtriusque ratio: quia simili modo assentimur actu naturali propter Dei, vel hominum testimonium, quo assentimur actu supernaturali.

Contraria tamen sententia vera est, & communissima. Ratio eius est, quia fides supernaturalis non habet pro motiuo, & ratione formali obiectiua assentiendi bonitatem formæ syllogisticæ, seu Regulas bene syllogizandi, quæ sunt inuentum artis humanæ, quæque tametsi certæ sunt, & infallibiles; in illis tamen applicandis sæpe contingit error, & deceptio. Nam vel ipsi doctissimi non rarò malè syllogizant, & sophisticè, ob terminorum æquiuocationem, vel multiplicationem virtualem, & alia id genus sophismata. Non decuit autem fidem supernaturalem, penitùs infallibilem, tali Regulæ subijci. Item, non omnes nôrunt, aut nôsse possunt euidenter vim bonæ illationis 50. Cõclusio negans.

syllogisticæ, & in quibus principijs fundetur. Cùm tamen fides omnibus etiam rusticis, & rudioribus, communis esse debeat, & in omnibus esse certissima. Quare assensus fidei supernaturalis non est assensus discursiuus, in bonitate consequentiæ fundatus; sed est solùm assensus enuntiatiuus complexus, quo iudicatur de connexione certa, & necessaria veritatis reuelatæ, cum Dei reuelatione ab ipso facta, & sufficienter proposita: in hunc modum: *Quia Deus hoc dixit, ita est.* Quales sunt istæ enuntiationes complexæ Logicorum: *Quia sol lucet, dies est: Quia Deus est summum bonum, est summè amabile.* In quibus omnibus est quidem virtualis discursus, id est, materia sufficiens discurrendi, & actus discursui æquiualens: verùm non est discursus formalis, & actualis, propter modum assentiendi magis simplicem, & minùs artificiosum, magisque facilem, & obuium: cognoscendo solùm enuntiatiuè connexionem prædicati, & subiecti complexi, & existentiam vnius per aliud; quod vel rustici possunt facillimè facere, atque etiam infantes discursus incapaces, qui tamen sunt maximè creduli, & facillimè credunt parentibus aliquid affirmantibus. Non est autem discurrere cognoscere quomodocumque vnum per aliud; alioquin etiam simplex apprehensio, quâ cognoscitur Rex per suam imaginem, & res significata per signum, esset discursus; sed discursus, præsertim syllogisticus (cuiusmodi deberet esse discursus fidei) plura requirit, & est magis artificiosus, magisque errori obnoxius, vt ostendunt plurimæ consequentiæ, quæ vel à Doctis interdum malè deducuntur. Et vt sit certus, debent certò cognosci Regulæ bene syllogizandi, aut discurrendi, quæ sunt inuentum merè humanum Dialecticæ naturalis, vel artificialis. Cuius inuenti notitiam euidentem non omnes assequuntur. Addi solet ad idem probandum, quòd actus fidei supernaturalis debet esse certior quâlibet scientiâ naturali: non esset autem certior, si esset discursiuus; quia non esset certior, quàm sit illatio, quæ æquè certa est in quacumque materia, & cui scientiæ naturales æquè nituntur, vt obiecto formali partiali, & causæ assensus conclusionis. Verùm antecedens illud habet difficultatem, quæ sequenti Sectione examinabitur.

51. Soluuntur arg. cõtraria. Ad primum argumentum contrariæ opinionis respondeo, Paulum ibi sumere *argumentum*, pro conuictione, id est, certa persuasione: & vt habet versio Syriaca, *Est autem fides certitudo de ijs rebus, quæ sunt in spe, ac si iam existerent actu.* Ad secundum respondeo, requiri ad discursum, vt assentiamur vi bonæ illationis, tanquam motiui, & obiecti formalis partialis. Tam enim mouet ad assentiendum conclusioni bonitas consequentiæ, quàm ipsæ præmissæ, quæ non mouent per se solas, sed per bonam illationem: nimirum quia conclusio cognoscitur esse cum præmissis connexa per bonam consequentiam, & non posse esse falsa, si præmissæ veræ sunt: quia contradictorium consequentis bene deducti, est contradictorium Antecedentis, vt fusiùs docent Dialectici: Non possunt autem duo contradictoria simul esse vera. Ad tertium respondeo, motiuum illationis non esse indignum fide humanâ: ideòque posse illi inniti, vt formali obiecto partiali satis proportionato, & conuenienti: Licet possit etiam simpliciori modo elici ad instar fidei supernaturalis. Ad id verò quod addit Vega, dico tametsi reuelatio mediata sufficiat ad assensum fidei supernaturalis, vt alibi ostendimus: illum tamen non elici discursiuè, sed simpliciori quodam, & puriori modo, magisque accedente ad modum intelligendi ipsius Dei, qui simplici intuitu videt connexionem vnius cum alio, vbicumque illa est.

52. Objiciunt præterea quidam Recentiores, non omnem discursum infallibilem inniti notitiæ reflexæ Regularum bene syllogizandi: alioqui homines maxima ex parte vix homines essent, quippe quibus deesset perfectus vsus facultatis, per quam distinguerentur à brutis: Sed contrà potiùs, rectus vsus discurrendi præcessit artem Logicæ. Quare non omnis forma rectè discurrendi innititur huic arti, quæ posterior est. Nec huius rectitudinis discursus, præsertim in facilibus, incapax est rusticus. Quare ex hac parte nihil impedit quò minùs fides supernaturalis possit esse discursiua. Non obest etiam periculum deceptionis; quia non minùs est capax deceptionis assensus enuntiatiuus, quo rusticus credit aliquid, quia Deus reuelauit, quàm formalis discursus, qui in illo virtuali includitur. Sique non potest esse certus de formali discursu; non potest esse certus de virtuali, quo connectit has duas propositiones: *Credo hoc esse verum, quia Deus id reuelauit.* In qua connexione includitur virtualiter iste discursus, Quicquid Deus reuelauit, verum est. Deus hoc reuelauit, v. g. se esse Trinum: Ergo id verum est. Par enim lumen intellectuale ad vtrumque requiritur.

Respondeo omnem discursum infallibilem vi formæ, & notum vt talem, includere notitiam, quòd talis modus inferendi vnum ex alio sit infallibilis, ita vt in nulla materia possit malè discurri seruando eandem figuram, & modum. Et hoc non potest sciri, id est, euidenter cognosci, nisi per causam, cur sit impossibile consequens ita deductum esse falsum, si totum antecedens verum est. Quæ causa non est alia, quàm Regula bene discurrendi, naturaliter quidem primò inuenta, postea verò in artem Dialecticæ redacta. Quare omnis discursus euidens vi illationis, includit euidentem notitiam Regulæ bene discurrendi. Quamvis autem alicuius talis Regulæ facilioris non sint incapaces rustici compotes rationis: certum tamen est non posse omnes ab illis euidenter percipi: & experientia docet, non modò rusticos, sed etiam ipsos Logicæ peritos, non rarò falli in earum vsu & applicatione. Porro, vt docent etiam alibi ijdem Recentiores, rustici credunt magis impetu quodam Spiritus sancti, quàm discursu: vtque de illis dicit S. Augustinus lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 4. non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas, eos tutissimos facit. Ecquando virtualiter, aut formaliter discurrunt, assentiuntur potiùs vi materiæ, quàm vi formæ syllogi- Quam requirat notitiam certitudo discursus?

sticæ, in quam nesciunt resoluere suum discursum, & reddere rationem certitudinis, & infallibilitatis talis modi discurrendi.

53. Cur scientia supernat. discurrit, non fides? Objicies tertiò: Scientia supernaturalis, & per se infusa, discurrit. Quidni ergo fides supernaturalis? aut cur motiuum illationis est magis disproportionatum, aut minùs conueniens fidei supernaturali, quàm scientiæ supernaturali, quæ nobilior est? Respondeo differentiam esse: quia scientia supernaturalis est euidens, & attingit euidenter suum obiectum sicuti est: vnde euidenter nouit bonam, & malam illationem, & obiectum illatum: adeóque non ita subest periculo deceptionis, propter difficultatem bene syllogizandi: neque regitur consequentiæ Regulis, sed potiùs suâ luce excellentissimâ, & Regulas ipsas, & obiectum illustrat. At verò fides obscura est, subessétque periculo deceptionis, si niteretur formâ syllogizandi, & Regulis boni discursus formalis, in quarum applicatione sæpe contingit deceptio.

54. Fides cur infallibilis? Dices fides per nos nititur argumentis credibilitatis, quæ tamen sunt fallibilia. Respondeo repugnare prouidentiæ diuinæ, vt permittat nos falli in rebus fidei per tot motiua prudentissimè expensa, vt alibi ostendimus: neque esse fallibilia in ea mensura, quâ sufficiunt ad assensum fidei supernaturalis: quia repugnat prouidentiæ diuinæ permittere reuelationem falsò præsumptam proponi cum paribus indicijs. Vrgebis: quia simili modo dici potest repugnare prouidentiæ diuinæ permittere nos falli discurrendo prudentissimè in materia fidei. Respondeo prouidentiam priorem esse planè necessariam, ad hoc vt certissimè credamus, & quantum Deus à nobis exigit; vt ibidem ostendimus; Quia non possumus credere sine argumentis credibilitatis; neque certò credere, & infallibiliter, nisi illa sint certa, & infallibilia. At verò posterius prouidentiæ genus non ostenditur esse necessarium, ac sine sufficienti fundamento asseritur; cùm sufficiat credere simpliciori modo sine discursu, idque possit à quovis facilè fieri. Deus autem conuenienter voluit fidem esse assensum faciliorem, quàm sit assensus discursiuus, ipsisque etiam rusticis, ad credendum obligatis, magis proportionatum.

55. Discursus potest fidem præcedere. Cæterùm, quando asserimus actum fidei supernaturalis non esse discursiuum, non negamus posse ante ipsum præcedere aliquem discursum circa reuelationem, & argumenta credibilitatis, cum prudenter expenduntur; vt sæpissime necessarium est ad rectè iudicandum credibile esse quòd Deus reuelauerit: sed tantùm dicimus ipsum assensum fidei supernaturalis non esse discursiuum secundùm se; id est, fidem non assentiri vi illationis syllogisticæ, sed vi simplicis connexionis rei reuelatæ cum Dei reuelatione vera, & infallibili; putà, dicendo interiùs, Hoc est verum, vtpote à Deo reuelatum. Qualis autem sit actus, quo ante actum fidei iudicamus credibile esse quòd Deus reuelauerit, aut quo absolutè iudicamus Deum dixisse, nondum assentiendo ei quod Deus dixit, explicabitur Sect. 10. Interea dico neutrum esse actum fidei supernaturalis: quia non est assensus circa veritatem à Deo reuelatam, propter ipsius testimonium; sed solùm est iudicium experimentale de euidentia credibilitatis propter seipsam, vel de Dei testimonio propter eandem euidentiam. Sicut in fide humana strictè sumpta, prout est assensus ob humanum testimonium; iudicium, quo assentior Petrum esse dignum fide, vel Petrum mihi aliquid dicere, non est assensus fidei humanæ; sed assensus experimentalis ex probis eius moribus; vel ex auditu, quia ipsum dicentem audio; assensus verò fidei humanæ fertur in id, quod Petrus dicit; quia dicit, & verax est. Dixi, *fidem strictè sumptam*; quia latiùs sumptum fidei nomen significare potest, quemcumque assensum certum, sed obscurum, siue per testimonium, siue per aliud, aut etiam per se: sicut scientia latè sumitur pro quolibet assensu euidenti, per se, vel per aliud; principiorum, vel conclusionis; strictè verò est notitia conclusionis euidenter deductæ ex principijs euidentibus; ita vt iudicium de præmissis præcisè, & solitariè sumptis, ac per se notis, non sit assensus scientiæ strictè sumptæ; sed assensus intellectus, vt vocant, id est, intelligentiæ simplicis principiorum.

SECTIO VIII.

An actus fidei supernaturalis sit certior qualibet scientiâ naturali, seu quolibet assensu naturali euidenti?

Negant Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 10. cap. 1. Durandus in 3. dist. 23. q. 7. n. 10. Almainus eadem dist. q. 3. Caiet. 2. 2. quæst. 4. art. 8. Lorca ibidem disp. 28. Affirmant verò Alensis, Bonauent. Ricardus, & alij, quos sequuntur Valent. q. 4. de Fide, Puncto 8. Suares Disp. 6. Sect. 5. n. 10. Ægidius Coninck disp. 14. dub. 4. num. 48. & Mæratius disp. 12. Pro resolutione difficultatis — 56. Sententia negans. Sententia affirmans.

Nota primò, quæstionem hîc esse de certitudine actus fidei, quæ appellatur formalis, vel subiectiua, & quoad nos. Duplex enim distinguitur certitudo. Vna dicitur obiectiua, siue ipsius obiecti; quæ est firma, & immutabilis veritas rerum, quæ sunt obiecta nostrorum actuum: alia est subiectiua, siue ex parte subiecti, cognoscentis scilicet; quæ etiam formalis dicitur, & certitudo adhæsionis; consistens in eo, quòd cognoscens assentiatur firmiter, & sine hæsitatione; siue in eo, quòd eius cognitio sit firma, & remota à dubitatione. Quod interdum fit imprudenter, & sine sufficienti fundamento: & hæc potiùs pertinacia est; vt in Hæreticis, qui non possunt verè dici adhærere certò suis erroribus; sed tantùm obstinatè, & pertinaciter; interdum verò fit prudenter, & cum fundamento rationabili; quando nempe obiectum est dignum tali assensu, eique proportionatum, & modus in illud tendendi est remotus à periculo falsitatis, vel deceptionis; Et hæc est verè, & propriè certitudo; quæ potest iterum subdiuidi in moralem tantùm, — Certitudo duplex obiectiua, & formalis.

quando obiectum, vel modus tendendi est tantùm moraliter remotus à periculo falsitatis, vel deceptionis: & in simplicem, seu Metaphysicam, quando est simpliciter, & omnino remotus. Oportet autem hunc modum tendendi esse notum, & certum cognoscenti, vt eius assensus tali modo sit firmus, & certus prudenter: quia si non nouit suum modum tendendi esse infallibilem, non habet sufficiens fundamentum prudentis certitudinis. Rursus formalis certitudo, vera, & propriè dicta, id est, fundata in merito obiecti, vna est talis, vt propter summam euidentiam, & facillimè, ac semper occurrentem intellectui, non patiatur vnqnam dubitationem vllam, ne quidem inuoluntariam. Alia verò est, quæ propter obscuritatem, vel difficultatem expendendi, & penetrandi vim argumentorum, & meritum obiecti, non excludit à subiecto dubitationes inuoluntarias. Et prior illa certitudo est eatenus maior, quàm secunda: Licet fieri possit, vt minora habeat motiua assentiendi, sed facilè occurrentia, faciléque euidenter penetrata, & possessa.

57. Certitudo obiecti non sufficit vt actus sit certus. Nota secundò, ad certitudinem actus non sufficere, quòd obiectum sit certum secundùm se, id est, immutabilis veritatis. Multa enim sunt certa secundùm se, quibus tantùm probabiliter, & cum formidine assentimur. Vnde non omnis propositio obiectiua, quæ est certa secundùm se, est etiam certa secundùm nos, id est, à nobis certò cognita. At verò actus, si est certus secundùm se, est quoque certus secundùm nos; id est, nos certos reddit formaliter: quia tota illius certitudo in eo consistit, quòd per illum certò seu firmiter assentiamur obiecto. Quidquid enim actus est, subiecti est, cui se totum formaliter communicat. Quare non potest in illo distingui, & separari certitudo secundùm se, à certitudine secundùm nos; vt fit in obiecto. Et apertè falluntur qui dicunt actum fidei esse quidem certiorem scientiâ secundùm se, sed non secundùm nos. Implicat enim actum fidei esse certiorem, & non reddere subiectum magis certum. Falluntur item, qui distinguunt certitudinem actus in obiectiuam, & formalem. Nam obiectiua non est certitudo actus, sed obiecti. Sicut ex opposito incertitudo actus, non est incertitudo obiecti.

58. Obiectū fidei est certum. Nota tertiò, obiectum, & actum fidei supernaturalis, simpliciter certum esse. Obiectum quidem, quia est immutabilis veritatis, & omninò remotum à periculo falsitatis, saltem ex hypothesi diuinæ reuelationis. Quicquid enim à Deo reuelatur, est infallibiliter, & necessariò provt reuelatur, (saltem ex suppositione reuelationis) atque ab omni periculo falsitatis remotum; adeóque est firmum, & certum obiectiuè. Actus quoque fidei supernaturalis certissimus est: quia fidelis ex vi, & merito obiecti, ita credit, vt firmissimè adhæreat, neque vllum timeat periculum falsitatis, aut vllam voluntariam dubitationem admittat. Si enim admittit, destruitur fides, & desinit esse fidelis, vt habetur in cap. 1. de Hæret. & probabitur infrà, vbi agetur de infidelitate.

Actus fidei est certissimus.

Diuinum quoque testimonium, propositum sufficienter, est dignum tali adhæsione. Ac modus in illud tendendi per tot, & tanta argumenta credibilitatis, est remotus à periculo deceptionis. Quare nihil deest ad veram, & propriam certitudinem formalem actus supernaturalis, & quidem simplicem: quia & obiectum est certum, & modus tendendi est omnino infallibilis, planéque remotus à periculo deceptionis. Impossibile enim est Dei prouidentiam permittere nos falli per tot argumenta, & talia, quot & qualibus munita est fides Catholica. v. Disp. 14. n. 39.

Nota quartò, Si actus fidei supernaturalis, & actus naturales euidentes comparentur quoad certitudinem obiectiuam; certum esse, & concessum communiter, fidem non excedere quemlibet actum scientiæ. Nam scientia quæ habetur naturaliter de existentia Dei, deque perfectionibus eius essentialibus; habet obiectum tam certum, & immutabile, quàm sit vllum obiectum fidei. Nihil tamen existit extra Deum, quod sit tam certum, & infallibile, quàm testimonium diuinum est infallibiliter verum: iuxta illud Christi Luc. 21. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt:* atque ita certitudo fidei obiectiua superat certitudinem obiectiuam cuiuscumque scientiæ circa res creatas. Si verò comparentur fides & scientia in formali certitudine, de qua quæstio est, 59. Certitudo fidei obiectiua sitne maior omni aliâ?

Dico primò, actum fidei supernaturalis non esse certiorem formaliter, quantùm est ex vi, & merito obiecti, quâcumque scientiâ naturali, aut quovis assensu naturaliter euidenti. Probatur, quia maior certitudo formalis quantum est ex merito obiecti, in eo consistit, quòd vi motiui, propter quod assentimur vni propositioni, est minor ratio de illa dubitandi, quàm de alia. Sed vis motiui, propter quod assentimur fide supernaturali, non est huiusmodi, vt minor sit ratio dubitandi de propositionibus fidei, quàm de quibuscumque naturaliter euidentibus. Nituntur enim aliquæ ijsdem motiuis, quibus fides ex parte innititur, aut paribus, & similibus. Non potest autem fides supernaturalis superare formali certitudine, sumptâ ex merito obiecti, certitudinem earum veritatum, quæ includuntur in ipsius obiecto, & in quibus fundatur illius certitudo, vel quæ habent eadem, aut paria motiua assentiendi. Atqui v. g. assensus naturaliter euidentes, qui attingunt Deum eiúsque prouidentiam, vel motiua credibilitatis, sunt huiusmodi: Ergo, &c. Maior est euidens. Minor probatur, quia in omni assensu fidei supernaturalis includitur quòd Deus sit, & ita prouideat rebus humanis, præcipuéque saluti hominum, vt non possit permittere illos deludi tot, & talibus argumentis. Quòd autem Deus sit, & prouideat rebus humanis, attingitur assensu naturali euidenti, per eadem motiua, in quibus fides ipsa supernaturalis ex parte fundatur. Item, assensus, quo credimus actu supernaturali aliquid esse à Deo reuelatum, quia Ecclesia sic docet, non est certior ex merito obiecti, quàm sit certus assensus, quo cognoscimus Ecclesiam sic 60. Vtrum ex merito obiecti sit certior?

docere. Hoc autem nobis euidenti experientiâ notum est, & non ex reuelatione. Item, assensus, quo credimus Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quia est Catholica, & Apostolica, id est, ab Apostolis ad nos vsque propagata, & toto orbe diffusa; non est certior, ex merito obiecti, assensu illo, quo certâ & euidenti experientiâ, vel probatione euidenter infallibili cognoscimus Ecclesiam toto orbe diffusam esse, & ab Apostolis hucvsque durâsse per continuam successionem Summorum Pontificum, Episcoporum, & Populorum illis adhærentium. Item, assensus supernaturalis, quo credimus Deum esse Trinum, quia Deus id reuelauit, & credimus reuelâsse, quia per miracula, vel alia signa fecit id sufficienter credibile; non est certior ex merito obiecti, quàm naturalis experientia miraculorum, & signorum coram exhibitorum, aut relationis infallibilis, per quam ad nos perueniunt. Et quando aliquis elicit hunc assensum fidei supernaturalis, *Ego sum resurrecturus in carne mea*, vi illius propositionis generalis, *Omnes homines resurgent in corpore, &c.* non est ille assensus certior ex merito obiecti, quàm experientia naturaliter euidens, quâ nouit se esse hominem. Idemque est de alijs motiuis, aut obiectis inclusis in obiecto fidei supernaturalis. Idem etiam dicendum est de omnibus illis experientijs naturalibus, aut assensibus euidentibus, qui parem habent ex vi obiecti certitudinem, aut euidentiam cum illis, quæ in fide includuntur: vt quod homines sint toto orbe diffusi, quòd Roma sit, & similia, quæ, licet extra ordinem ad fidem supernaturalem considerata, par habent motiuum assentiendi, atque ista, quòd Ecclesia sit toto orbe diffusa, vel quòd Ecclesia doceat Christum esse in Eucharistia. Quo autem sensu intelligi debeant Sancti Patres affirmantes fidem esse certiorem ipsâ naturali experientiâ euidenti, dicemus paulò post, in explicatione quartæ assertionis.

61. Magisne firmet per se intellectû? Dico secundò, actum fidei supernaturalis non esse certiorem formaliter quoad modum possidendi subiectum vi suâ Physicè consideratâ, & per se solam, quocumque actu scientiæ naturalis, vel euidentis experientiæ. Probatur, quia minùs per se solum eximit subiectum à dubitatione. Nam actus fidei non eximit à dubitationibus inuoluntarijs. At verò actus aliqui scientiæ eximunt prorsus ab omnibus, tam inuoluntarijs, quàm voluntarijs: neque enim possum inuoluntariè dubitare, quin duo, & tria faciant quinque; quin totum maius sit quâlibet sui parte: quòd sit impossibile idem esse, & non esse simul. Quod Sol luceat, ignis calefaciat, &c. Inter actus autem verè, & simpliciter certos, ille certior est, & firmior aliquatenus modo suprà dicto, à quo subiectum potest minùs dimoueri. Non potest autem dimoueri ab actibus illis tam euidentibus, ita scilicet, vt dissentiat, vel vt assentiatur opposito; & potest dimoueri ab actu fidei, vt patet in ijs, qui fiunt infideles culpabiliter; vel inculpabiliter, & indeliberatè assentiuntur opposito: Ergo, &c.

62. Dixi, *aliquibus actibus scientiæ*: quia non omnes actus scientiæ, quamvis verè, & simpliciter euidentes, sunt eiusmodi, vt non patiantur dubitationes inuoluntarias. Nam v. g. quòd Deus sit, & prouideat rebus humanis, est naturaliter euidens: & tamen quia eiusmodi veritatum euidentia non tam facili, & obuio discursu apparet, neque semper occurrit intellectui; patimur circa illas inuoluntarias dubitationes: & quædam aliæ naturales veritates, quamvis bene expendentibus sint euidentes; patiuntur tamen apud aliquos dubitationem, etiam voluntariam. Porro non omnia, quæ apparent euidentia, sunt verè talia: sed multa falsò putantur euidentia, quibus suborta maiori luce derogatur, probantúrque esse obscura, vel falsa; siue re meliùs in se inspectâ, siue per aliquod medium extrinsecum: quo pacto per rationem derogamus sensui iudicanti Solem tam paruum esse; & per fidem derogamus iudicio sequenti experientiam sensuum circa panem, & vinum Eucharisticum, & his Gentilium Philosophorum axiomatis, quæ ipsis euidentia videbantur. Accidentis esse est inesse. Vnius suppositi vnica est natura. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, in hunc sensum, Impossibile est vni tertio realiter identificari ea, quæ sunt distincta realiter inter se. At verò ea, quæ sunt verè & simpliciter euidentia ex modo tendendi euidenter infallibili in obiectum verè tale, sunt eiusmodi, vt eis neque per medium extrinsecum, neque vlla ratione derogari possit. Hæc verò naturaliter pauca sunt, præ alijs, quæ nos latent: quia lumen naturale valde pauca assequitur cum euidenti infallibilitate, & manifesta contradictione, siue impossibilitate oppositi. Sicut autem ad veram certitudinem dixi antea requiri modum tendendi certò infallibiliter, notum vt talem: sic ad euidentiam requiritur modus euidenter infallibilis, notus vt talis.

Dico tertiò: si fides supernaturalis comparetur cum scientijs naturalibus integrè sumptis, Metaphysica, Physica, Astrologia & alijs, superat illas omnes formali certitudine, sumptâ ex merito obiecti; quatenus nullus est assensus fidei supernaturalis, qui non sit certissimus ex merito obiecti; At verò nulla est ex illis scientijs quæ integrè sumpta non contineat multos assensus probabiles, & incertos, vt patet experientiâ. Item quatenus fides supernaturalis in quocumque suo actu nititur illis motiuis, de quibus minor est ratio iustè, & prudenter dubitandi; quàm de multis propositionibus, quæ habentur pro certis, & euidentibus in eiusmodi scientijs. Nititur enim quilibet assensus fidei, testimonio diuino, de cuius veritate minor est ratio dubitandi, quàm de illis propositionibus; & argumenta credibilitatis, per quæ nobis sufficienter proponitur testimonium diuinum, tot & tanta, & talia sunt; vt de illis minùs iustè, & prudenter dubitari possit, quàm de earumdem propositionum veritatibus, earumque motiuis. 63. Quomodo est certior scientijs actus fidei Theologicæ?

Dico quartò, actum fidei supernaturalis esse voluntariè, & ex parte causæ, certiorem quâlibet scientiâ naturali, purè naturaliter consideratâ circa veritates ad fidem non pertinentes; 64. Est magis certus ac firmus ratione voluntatis.

quatenus voluntariè, & deliberatè (motiuis fidei rectè perpensis, cum speciali ope Spiritus sancti illuminantis intellectum, & voluntatem corroborantis ad fortiter, & constanter mouendum illum, vt diuinam auctoritatem vehementissimè apprehendat, eiusque testimonio firmissimè adhæreat, cooperante eodem Spiritu sancto per habitum fidei, vel auxilium supernaturale) magis Dei testimonio adhæremus, quàm ei, quod euidens esse putamus lumine naturali; altiorique, & firmiori assensu, quàm possit elici solis viribus naturalibus. Etsi Dei testimonium deroget euidentiæ apparenti; illam relinquimus, vt Deo adhæreamus: quemadmodum patet in mysterijs Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ. Si verò talis sit euidentia, vt ei neque fides deroget, neque possit derogare: quia contrarium reuelari est impossibile, cuiusmodi est vera, & simplex euidentia: tamen ob reuerentiam diuini testimonij parati sumus negare potiùs, si opus esset, alia ad fidem diuinam non pertinentia, præcisè sumpta, id est, provt ad illam non pertinent. Quod addo, quia si ad fidem pertinent, participant eatenus eandem fidei certitudinem. In hunc sensum intelligo quod ait Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. *Faciliùs dubitarem me viuere, &c.* Et Chrysost. in Epist. ad Hebr. homil. 21. *Fides est argumentum non apparentium, id est, maiorem certitudinem de illis faciens, quàm de ijs, quæ videntur. Non enim debet dici fides, nisi homo maiorem habeat certitudinem, quàm circa ea, quæ videntur.* Et Basilius in Psalm. 115. *Fides persuadet præ omnibus rationalibus methodis.* Eandem puto esse apertè mentem D. Thomæ quæst. 4. art. 8. in corp. vbi consentit in hanc conclusionem, & in præcedentem, cum Hugone Victorino, & alijs initio citatis, aitque fidem esse scientiâ certiorem ex parte causæ; quia procedit à lumine supernaturali, quod certius est, & infallibilius; scientia verò à lumine naturali, quod est obnoxium deceptioni; sed non esse certiorem quoad nos: quia propter imperfectionem nostri intellectus minùs possidemus quod credimus, quàm quod scimus. Cæterùm loquimur de scientia naturali: neque enim est dubium, quin visio beatifica, vel scientia alia supernaturalis sit certior fide supernaturali. Est enim à causa æquè excellenti, imò perfectiori; & pleniùs, atque perfectiùs possidet obiectum.

65. Soluitur obiectio. Dices, actum fidei supernaturalis, qui fundatur in experientia, vel auditione miraculorum, & perceptione aliorum argumentorum credibilitatis, non posse certiorem esse, quàm sit nobis certum nos viuere, experiri, audire, percipere; quod est notum naturaliter. Respondeo hæc etiam provt ad fidem pertinent, id est, provt sunt perceptio motiuorum fidei cum speciali ope Spiritus sancti, attingunturque aliquo modo per actum fidei supernaturalis, fieri voluntariè, & deliberatè certiora, modo suprà explicato: quàm provt tantùm pertinent ad notitiam naturalem in rebus alijs. Similitérque illa propositio, *Deus est*, vt nota per testimonium diuinum sufficienter credibile actu supernaturali, fit nobis deliberatè certior, ob reuerentiam diuini testimonij, quàm vt tantùm naturaliter nota per creaturas, magisque sumus ab illius dissensu remoti, quamvis per media naturalia simus quoque remoti simpliciter.

SECTIO IX.

Vndenam actus supernaturalis habeat suam differentiam specificam, quâ distinguitur à naturali?

66. QVæstio proposita duplicem sensum habere potest. Primus est, vndenam actus supernaturalis habeat formaliter & intrinsecè talem differentiam: siue, per quid intrinsecè, & formaliter distinguatur specificè ab actu naturali? Secundus sensus est, quænam sit causa extrinseca, à qua prouenit hæc differentia? Iuxta primum sensum, Dico primò, actum credendi supernaturalem differre essentialiter à naturali, ratione sui esse intrinseci, & propriæ perfectionis essentialis, quâ præcellit actum naturalem: sicut homo præcellit brutum, & Angelus animam rationalem, ratione suæ perfectionis essentialis, quâ formaliter, & intrinsecè constituitur in tali specie. Qualibet enim res, sicut seipsâ formaliter, & intrinsecè est id quod est: ita seipsâ formaliter est talis speciei, atque etiam hæc numero, & distincta à qualibet alia. A quo enim res habet formaliter, & intrinsecè, vt sit ens, & tale ens; habet etiam vt sit talis speciei: & à quo habet formaliter vt sit hoc ens, habet etiam vt sit numericè distincta à qualibet alia: & denique vnumquodque eo ipso formaliter quo est tale essentialiter, & hoc numero; non est aliud. Differt ratione sui.

67. Est moraliter melior & laudabilior. Hæc autem differentia, vt alibi monuimus, fusiúsque probauimus, non in eo solùm consistit, quòd actus supernaturalis sit altioris cuiusdam entitatis, quàm naturalis, ita tamen vt de cætero sint pares in omnibus perfectionibus, & conditionibus, etiam moralibus, & laudabilibus, si sunt actus imputabiles, & pertinentes ad mores. Nam inde sequeretur quòd si quis haberet actum fidei, spei, & charitatis, naturalem in substantia, sed parem pietate, & rectitudine morali cum actu supernaturali, non iustificaretur, eo solùm quòd ille esset naturalis in substantia. Quod est absurdum. Nam Deus promisit iustificationem actibus, fidei, spei, & charitatis, propter suam pietatem, & rectitudinem moralem. Ergo si actus naturales sunt æquè pij, & recti moraliter, & laudabiliter; debent illam æquè obtinere. Confirmatur, quia Deus promisit iustificationem credentibus, & contritis, aut diligentibus ex toto corde. Atqui per actum naturalem credit, & diligit ex toto corde, si æquali pietate, rectitudine, & affectu credit & diligit. Itaque agnoscenda est aliqua alia differentia intrinseca inter actus naturales & supernaturales: quòd scilicet isti meliùs moraliter, & laudabiliùs attingant obiectum, ideóque sint Deo acceptabiliores. Nimirum quia actus supernaturalis credendi, magis subijcit mentem auctoritati di-

uinæ, illique adhæret cum maiori certitudine, vniuersalitate, siue amplitudine, formali, aut virtuali, maiorique pietate & reuerentià ex parte voluntatis. Et similiter omnes alij actus supernaturales perfectiori quodam modo attingunt suum obiectum, atque etiam laudabiliori, si sunt actus morales, id est, imputabiles; vt actus spei, charitatis, & similes. Cùm autem hæc differentia non oriatur semper ac necessariò ab obiecto formali, quia actus naturalis, & supernaturalis, possunt habere idem obiectum, etiam formale, vt ostendimus Sect. 2. Superest explicare quænam sit illius causa extrinseca. Atque hic est posterior sensus quæstionis propositæ: de qua

68. Causa illius differentiæ. Dico secundò, causam illius esse principium supernaturale habituale, vel actuale, quo potentia naturalis eleuatur, & iuuatur in genere causæ efficientis, ad eliciendum actum supernaturalem; quodque vnà cum potentia vitali constituit vnum integrum principium effectiuum, perfectius essentialiter in ratione principij effectiui, aptúmque ad meliùs, & perfectiùs operandum, quàm possit naturalis potentia solis viribus naturalibus. Ita docet Ægidius Coninck disp. 5. de actibus supernaturalibus dub. 5. num. 32. & sequentibus, vbi eleganti comparatione rem explicat. Sicut enim, inquit, pictor habens meliorem artem pingendi, meliùs repræsentat prototypum, si pingat quàm aptissimè potest, præsertim verò si etiam melioribus, & aptioribus coloribus vtatur, quos, & quales meliùs nouit esse adhibendos: vnde imago ab illo picta, est intrinsecè melior, & perfectior, quàm altera, quæ ab artifice non adeo perito fuit depicta, quamvis vtraque idem prototypum exprimat: sic actus fidei, vel alius actus intellectus, cuius cognitio est viua quædam imago obiecti, melior est intrinsecè, & perfectior, etiam circa idem obiectum, quando procedit ab intellectu eleuato per principium supernaturale, & operante secundùm perfectionem illius principij adæquati, constituti ex potentia vitali, & ex habituali, vel actuali auxilio supernaturali. Dantur enim à Deo huiusmodi habitus, & auxilia, ad perfectiùs operandum moraliter, & laudabiliter; id est, ad exercendos actus, qui sint moraliter meliores, & acceptabiliores, quàm fieri possint solis naturæ viribus. Ergo valent ex natura sua ad efficiendos tales actus cum potentia vitali, ad eosque illam attollunt, & complent in ratione principij efficientis. Ergo si potentia vitalis operetur secundùm perfectionem illius principij; actus, qui ab illa prodibit, erit perfectior, & melior, non solùm Physicè, sed etiam moraliter, & laudabiliter.

69. Quod dixi de actibus supernaturalibus intellectus, extendendum est cum proportione ad actus supernaturales voluntatis. Nam etiam habitus, vel auxilia supernaturalia, quæ dantur voluntati, ad illum finem conceduntur, vt voluntas illis instructa possit perfectiùs sperare, diligere, pœnitere, &c. quàm possit solis naturæ viribus. Neque objicias effectum sequi debiliorem partem suæ causæ: ideóque actum non posse excedere perfectionem causæ naturalis, à qua procedit: sicut conclusio deducta ex vna præmissa certa, & altera probabili, non excedit probabilitatem. Respondeo enim cum auctore citato, duplicem esse posse sensum illius axiomatis. Vnus est, quòd effectus prodiens à duabus causis, quarum vna est debilior, redolet semper illius debilitatem: quatenus nunquam est tam perfectus, atque esset, si vtraque causa esset perfecta, & operaretur secundùm totam suam perfectionem. Et hic sensus est verus. Alter sensus est, quòd effectus nunquam superet perfectionem causæ debilioris, neque sit maior, quàm sit virtus ipsius. Et hic sensus est falsus quotiescumque duæ causæ ita vnam integram constituunt, vt vna augeat virtutem agendi alterius, siue ita vt simul constituant virtutem agendi perfectiorem, quàm vna sola per se habeat. Tunc enim semper effectus est perfectior, quàm virtus causæ debilioris. Vt patet quando duo viribus impares concurrunt ad pondus trahendum longè grauiùs, quàm virtus motiua debilioris trahere posset. Quare prædictum axioma locum ferè habet tantummodo in syllogismis: in quibus vna præmissarum non auget virtutem alterius, sed tantùm iuuat ad ostendendam connexionem conclusionis cum altera præmissa. Neque enim vna præmissarum auget probabilitatem, aut certitudinem alterius; neque cum illa constituit vnum antecedens certiùs, aut probabiliùs: sicut duæ virtutes motiuæ constituunt vnam maiorem: sed tantùm iuuat alteram, ad ostendendum conclusionem bene ex illa deduci. Quomodo effectus sequitur partem debiliorem causæ?

Sunt qui existiment actum naturalem, & supernaturalem, generatim in eo differre, quòd actus naturalis tendit in obiectum modo quodam simplici, & inefficaci, ad instar cuiusdam velleitatis: supernaturalis verò tendit in obiectum modo quodam absoluto, & efficaci, ad instar intentionis absolutæ, & efficacis. Cuius sententiæ mentionem faciunt Ripalda tom. 1. lib. 3. de Ente supernat. disp. 46. Sect. 1. & Lorca disp. 9. de Gratia, qui eidem propè accedit, cùm ait actus illos in eo differre, quòd supernaturalis fertur in suum obiectum tam absolutè, quàm efficaciter. Naturalis verò quamvis ferri possit absolutè, semper tamen ac necessariò fertur inefficaciter in obiectum supernaturale. 70. Rejiciuntur aliæ differentiæ malè assignatæ.

Sed hæc doctrina displicet; primò quia multi actus naturales feruntur in suum obiectum absolutè, & efficaciter: vt patet de plurimis actibus naturalibus circa obiecta merè naturalia. Secundò, quia licet intelligatur de solis obiectis supernaturalibus, vt intelligit Auctor postremò citatus; etiam actus naturalis ferri potest in obiectum supernaturale absolutè, & efficaciter. Potest enim v. g. malus Sacerdos velle absolutè, & efficaciter consecrare, vel absoluere à peccatis, actu volendi naturali, & ex malo affectu, qui certè non est supernaturalis. Tertiò, quia dantur etiam in voluntate actus supernaturales complacentiæ simplicis, qui non sunt absoluti, & efficaces. Quartò deniquè, quia discrimen illud cadere tantùm potest in actus voluntatis, quibus solis conue-

nit esse efficaces. At hic quærimus discrimen quod sit etiam inter actus naturales, & supernaturales intellectus. In quo præterea dari possunt actus supernaturales, qui sint non modò iudicia absoluta de obiectis supernaturalibus, sed etiam conditionata, atque etiam simplices apprehensiones.

71. Alij verò censent actus naturales, & supernaturales, versantes circa idem obiectum supernaturale, in eo differre generatim, quòd supernaturalis habeat connexionem entitatiuam cum obiecto supernaturali, siue existente, siue possibili: naturalis verò illam non habeat. Ita docet Ripalda disp. citata Sect. 2. num. 6. qui per connexionem entitatiuam actus cum obiecto, intelligit repugnantiam naturalem existendi, non existente aut possibili obiecto. Actus enim supernaturalis sic comparatur, inquit, cum obiecto supernaturali; vt non existente, aut repugnante obiecto, non existeret, aut repugnaret actus supernaturalis. Naturalis verò sic cum illo comparatur; vt existere posset actus, quamvis non existeret, aut repugnaret obiectum. Quare differunt in connexione entitatiua cum obiecto: licet non differant in connexione intentionali, quæ nihil est aliud, quàm tendentia vitalis in obiectum, quæ de se non postulat existentiam, aut possibilitatem obiecti, estque communis, & essentialis omnibus actibus intellectus & voluntatis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus. Probat autem talem connexionem entitatiuam cum obiecto supernaturali non posse conuenire actibus naturalibus: quia connexio entitatiua cum ente supernaturali est propria res supernaturalis: ergo non potest conuenire actui naturali.

72. *Actus aliqui naturales habent connexioné entit. cũ supernaturalibus.* Sed contrà: primò, dari possunt actus naturales, qui habeant necessariam connexionem entitatiuam cum obiecto supernaturali modo suprà explicato. Ergo discrimen assignatum non est vsquequaque verum. Antecedens probatur, quia si quis Deum clarè videns, non haberet concursum ad illum amandum supernaturaliter, & haberet concursum generalem ad amandum vt potest, amaret Deum clarè visum actu naturali toto conatu voluntatis, raptæ ab obiecto tantæ bonitatis, & excellentiæ. At ille actus, cùm sit experimentalis, & similis notitiæ intellectus intuitiuæ, haberet necessariam connexionem entitatiuam cum obiecto, ita vt repugnaret naturaliter illum existere, & non existere obiectum. Secundò, si quis in transitu Deum videret, vt de Moyse, & Paulo hac in vita nonnulli existimant: ille postea meminisse posset euidenter & certissimè visionis suæ præteritæ, actu naturali, etsi non germanè, & secundùm eius supernaturalitatem expressè cognitam; simili modo, quo nos ipsi experimur actus nostros supernaturales, etsi non germanè cognitos vt tales; eorúmque postea recordamur. At ille actus haberet connexionem entitatiuam cum obiecto, modo superiùs explicato. Cùm enim sit euidentissimus, & experimentalis, & potentiæ nobilissimæ; non potest non esse verus, & necessariò connexus cum existentia obiecti. Maximè verò si loquamur de Angelo nobilissimo, cui talis visio contigerit. Angeli enim non possunt falli circa ea, quæ euidenter, & experimentaliter per seipsa cognoscunt, vt alibi probauimus. Omitto dicere eundem Auctorem existimare actus supernaturales posse falli, & versari circa obiectum supernaturale apparens tantùm: non modò actus voluntatis (vt de illis plurimi sentiunt) ex. g. actus misericordiæ circa miseriam falsò præsumptam: verùm etiam actus intellectus, putà actus credendi circa reuelationem tantùm apparentem. Quod si verum esset, dari possent actus supernaturales, qui non haberent connexionem entitatiuam cum obiecto supernaturali, tantam, vt repugnaret ipsos esse, non existente, aut non possibili obiecto. Et si aliqui actus supernaturales intellectus possunt esse falsi; non repugnat ex parte supernaturalitatis alios esse falsos, & existere non existente obiecto, aut non possibili absolutè, vel eo modo, quo per actum attingitur. Quare doctrina auctoris citati non bene sibi cohæret.

SECTIO X.

An & quomodo actus fidei sit voluntarius, & liber, ac moralis?

Prima conclusio: Omnis actus fidei supernaturalis est voluntarius, ac liber positiuè. 73. *Est liber positiuè.* Ratio est, quia illum præcedit pius affectus credulitatis, id est, positiuus actus voluntatis liberè consentientis, & volentis credere; vt docet Arausic. can. 5. Nimirum quia actus fidei supernaturalis non datur, nisi in ordine ad salutem, ad quam actus indeliberati non sufficiunt. Deus enim adultos non iustificat, nisi volentes, & liberè cooperantes, neque eos aliter ad salutem promouere decreuit. Quare Deus non concurrit specialiter cum intellectu, nec illum eleuat ad credendum supernaturaliter, nisi modo libero fiat, qui ad salutem possit esse vtilis. Dupliciter autem potest actus intellectus esse liber. Primò, negatiuè tantùm, voluntate ipsum non impediente, cùm posset impedire si vellet. Secundò, positiuè, voluntate ipsum imperante, & actu positiuo appetente: quo modo dicimus actum fidei esse liberum, voluntate non tantùm negatiuè se habente, seu non impediente cùm possit; sed positiuè applicante intellectum ad fortiter, & firmiter adhærendum, & generaliter se submittente testimonio diuino propter ipsius reuerentiam, per pium affectum credulitatis, vt loquitur Arausic. can. citato. Qui affectus voluntatis necessarius est ad credendum sicut oportet, id est, cum ea vniuersalitate, certitudine, adhæsione pura, & absoluta, & alijs conditionibus fidei supernaturalis, vt diximus Sect. 1.

Alia ratio reddi solet ex D. Thoma q. 2. a. 1. ad 3. & q. 4. a. 2. & 5. Quia credibile, cùm sit obscurum, non determinat sufficienter intellectum ad assensum, sed requiritur determinatio libera voluntatis. Verùm hæc ratio tantùm locum habet quando credibile est ita obscurum,

vt in contrarium appareant intellectui graues difficultates; alioqui enim possunt credibilia, imò & probabilia quædam, occurrere intellectui cum tanta apparentia, vt rapiant intellectum in assensum indeliberatum; quemadmodum patet experientiâ nos aliquando rapi in tales assensus indeliberatos, etiam contra fidem. Vera itaque adæquata, & integra ratio cur actus liber voluntatis, eiusque imperium requiratur ad actum fidei supernaturalis, est illa, quam diximus; quia scilicet actus ille non potest, nisi voluntatis consensu, & imperio, ac nisi cum auxilio Spiritus sancti exerceri cum tanta reuerentia erga Dei testimonium, tamque generali, plenâ, & absolutâ submissione, & adhæsione intellectus ad Dei reuelantis auctoritatem, proprijque iudicij abnegatione.

74. Actus volendi credere est supernaturalis. Secunda conclusio: Actus volendi efficaciter credere, qui fidei actum supernaturalem præcedit, liberúmque constituit, est supernaturalis, & quidem quoad substantiam. Ita Suares disp. 6 Sect. 7. conclus. 1. & 2. Ægid. disp. 13. dub. 5. & alij communiter. Prima pars, quòd videlicet sit supernaturalis aliquo modo, certa est, & definita ab Arausicano can. 5. vbi sic habet: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, &c. non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, B. Paulo dicente, Confidimus, quia qui capit in vobis bonum opus, perficiet, &c.* Philipp. 2. Fauent etiam Mileuit. can. 4. & Trid. Sess. 6. cap. 5. & can. 4. Huc item faciunt quæ Scriptura, Patres, & Concilia docent generatim de necessitate gratiæ ad omnia, & singula opera ad salutem pertinentia: *Sine me nihil potestis facere*, Ioan. 15. & similia, quæ alibi retulimus contra Pelagianos asserentes posse homines consequi salutem sine gratia propriè dicta: & contra Semi-pelagianos affirmantes, saltem initium salutis esse ex nobis: vt videre est tom. 2. disp. 34. & seqq. & in Anti-Iansenio disp. 2. Sect. 2. 4. & 5.

75. Etiam quoad substantiam. Secunda pars, quòd actus ille sit supernaturalis, etiam quoad substantiam, est minùs certa, neque enim sequitur euidenter, aut necessariò ex præcedentibus Conciliorum definitionibus, & testimonijs allatis; cùm ad actum entitatis naturalis possit esse necessarium auxilium speciale, & gratiæ donum, propter difficultatem. Probatur tamen, quia Arausicanum can. citato, aliáque Concilia simili modo requirere videntur auxilium gratiæ ad affectum istum, atque ad fidem ipsam; cùm simili modo de vtroque loquantur. Atqui requiritur ad fidem propter ipsam actus substantiam, & non propter difficultatem accidentariam tantùm, aut aliquid extrinsecum vt ostendimus Sect. 1. Ergo, &c. Secundò, talis actus est circa obiectum in substantia supernaturale, nempe circa actum fidei supernaturalem, quem imperat, illumque firmat in sua certitudine superante certitudinem naturalem: Ergo vt sit illi proportionatus, & causa effectui, ac media fini respondeant; debet ipse quoad substantiam esse pariter supernaturalis. Omnino autem ad illum proximè & per se requiri auxilium speciale, & non tantùm remotè propter actum præcedentem intellectus, aut credibilitatem illi propositam, definit Mileuit. can. 4. citato, vbi distinguit gratiam, quâ intellectus illustratur ad cognoscendum quid agendum sit, à gratia, quâ voluntas confortatur, & corroboratur ad agendum.

Objicies: Positâ, & cognitâ sufficienti credibilitate possumus velle credere viribus naturalibus. Ergo non est opus speciali auxilio, nec actu supernaturali. Respondeo posse quidem, sed non condignè, & sicut oportet: sicut etiam positâ sufficienti credibilitate possumus credere naturaliter, at non sicut oportet; vt habet Trid. Sess. 6. can. 3. & Arausic. can. 6.

Tertia conclusio: Actus ille volendi credere, est specialiter honestus, sicut & ipse actus fidei; atque etiam meritorius, si adsint aliæ conditiones ad merendum requisitæ. Ita Suares Sect. citata, concl. 3. & 4. Ægid. dub. 6. disp. 13. & plures alij. Probatur, quia omnis actus voluntatis, qui tendit conuenienter in obiectum specialiter honestum, quâ tale est, siue propter se; habet specialem honestatem. Atqui actus voluntatis, quo assensus fidei imperatur propter se, & sine vlla relatione ad finem extrinsecum, est talis: Ergo, &c. Maior est clara: minor autem probatur, quia ille actus est per se honestus specialiter, qui est per se conformis rectæ rationi. At talis est actus diuinæ fidei. Nam rectæ rationi, tam naturali, quàm supernaturali, consentaneum est, vt assentiamur diuinæ auctoritati sufficienter aliquid attestanti, vt sic. Quare hic assensus est specialiter honestus obiectiuè. Vnde actus voluntatis liberè tendens in illum, vt talem, est honestus formaliter. Confirmatur, quia talis actus est per se laudabilis: Ergo per se honestus. Consequentia patet: nihil enim est per se laude dignum, nisi quod est honestum. Minor autem probatur primò ex Scriptura, in qua sæpe laudatur actus fidei: Matth. 8. 15. & 16. Luc. 7. Rom. 4. Hebr. 11. & alibi, vbi laudatur fides Centurionis, Cananeæ, Petri, Magdalenæ, & Abrahæ, quæ dicitur illi reputata fuisse ad iustitiam (non reputantur autem ad iustitiam, nisi actus honesti;) & denique Patrum veteris Testamenti, quorum fidem extollit Apostolus loco postremò citato, vbi etiam affirmat sine fide impossibile esse placere Deo: non placet autem Deo, nisi quod est honestum. 76. Est honestus, & moraliter bonus.

Neque dicas hæc omnia intelligi de fide, non per se, sed vt relata ad aliquem finem extrinsecum honestum. Contrà enim si fides non est laudabilis, nisi propter finem extrinsecum honestum; non erit magis laudabilis, quàm deambulatio, & alia indifferentia: quod absurdum est; hæc enim non ita laudantur in Scriptura. Deinde, ex eo quòd Scriptura laudet aliquem actum, vt virginitatem, ieiunium, &c. non licebit inferre illum esse honestum propria honestate; quod est falsum, & fauet Hæreticis. Probatur secundò, quia per se honestum est subjicere intellectum auctoritati diuinæ, & captiuare illum in obsequium fidei; sicut honestum

nestum est subiicere voluntatem diuinæ voluntati, & captiuare illam in ipsius obedientiam, etiam contra inclinationem propriam. Ac sicut honestum est homini adhærere per voluntatem summo bono; ita & per intellectum summæ veritati. Vtque plurimùm cedit in laudem & honorem Dei, quòd eius præceptis deferamus obediendo; ita & quòd deferamus ipsius auctoritati, & testimonio, firmissimè per fidem adhærendo, & quidvis aliud illi postponendo, atque ita Deum esse summam veritatem testando, & profitendo in actu exercito.

Potest esse meritorius. Posito autem quòd actus fidei sit honestus, sequitur esse meritorium, iunctis alijs conditionibus ad merendum requisitis. Et quidem si loquamur de merito de condigno, actus fidei qui præcedunt iustificationem, non sunt tales; quia ad tale meritum requiritur, vt actus fiat ab homine grato, & viuo Christi membro operante in charitate vt habet Trident. Sess. 6. cap. 16. & fusiùs exposuimus superiore Tractat. disp. 44. Sunt tamen illi meritorij de congruo; quatenus congruum est, vt Deus obtemperantem vocationi, & gratiæ cooperantem, præmoueat ad iustificationem, & statum gratiæ sanctificantis. Quo sensu D. Aug. Epist. 105. sic ait: *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine merito est, si fides hanc impetrat: neque enim est nullum fidei meritum.* Quod etiam intelligo de actu proximè disponente, licet eodem instanti sit, quo remissio peccatorum, & infusio gratiæ. Nam cùm etiam tunc non procedat ille actus ab homine iustificato, sed iustificatio naturâ posterior sit; non potest esse meritorius de condigno, ne quidem primæ gloriæ, vt contra Suarem, & plures alios ostendimus citatâ disputatione, Sect. 19.

77. Est virtus specialis. Quarta conclusio: Actus ille volendi credere est specialis virtus ab alijs distincta; ad quam etiam dari distinctum habitum supernaturalem valde probabile est. Prima pars probatur, quia talis actus fertur in obiectum honestum sub speciali ratione honestatis distincta à quovis alio formali obiecto aliarum virtutum; nempe in assensum fidei conuenienter præbendum testimonio diuino sufficienter proposito; quæ ratio, vt talis, ad nullam aliam virtutem pertinet: licet ad Religionem pertineat, vt facit ad cultum Dei: & ad obedientiam, vt per eam impletur præceptum credendi; & ad charitatem, vt Deo placet, &c. Secunda pars probatur, quia cùm voluntas non minùs sit impotens ad istum actum, quàm intellectus ad actum fidei supernaturalis; valde conueniens est, vt sicut Deus instruit intellectum habitu fidei, quo sit potens constanter, & permanenter ad eum exercendum: sic, &c. Fauet etiam S. Thomas quæst. 4. art. 2. vbi affirmat, cùm actus fidei sit à voluntate vt imperante, & ab intellectu vt eliciente, necessarium esse in vtraque potentia ponere aliquem habitum. Necessarium, inquam, ad hoc vt vtraque potentia sit perfecta, & constituatur potens, intrinsecè constanter, & permanenter; non autem ad producendum simpliciter; possunt enim producere sine habitu, cum auxilio æquiualente & supplente habitum in genere causæ efficientis: vt fit in actibus, qui præcedunt infusionem huiusmodi habituum, quique ad illos recipiendos disponunt. Hi enim non fiunt ab habitibus, quos naturâ præcedunt; sed à potentia vitali cum speciali auxilio Dei supplentis habitum. Si autem conuenienter infunditur habitus ad actum volendi efficaciter credere sicut oportet; par est infundi ad iudicandum de credibilitate sicut oportet, ob eandem rationem.

Notandum autem hos habitus fidei præuios, qui toti ad illam referuntur, & propter illam sunt, confundi cum illa, censerique vnum, & eundem habitum moraliter. Vnde etiam simul cum fidei habitu acquiruntur, vel perduntur. Acquiruntur quidem, cùm aliquis iustificatur, aut credit sicut oportet: perduntur verò per solum peccatum infidelitatis, vt fides; quæ cum maneat in peccatore, etiam desperante de salute, neque amittatur nisi per infidelitatem, vt colligitur ex Trid. Sess. 6. cap. 15. manent similiter habitus supernaturales volendi credere, & iudicandi de credibilitate, pereunte licet spe, & charitate, alijsque virtutibus voluntatis. Quia peccator non minùs debet manere potens ad credendum secundùm voluntatem, quàm secundùm intellectum: neque propter alia peccata debet desinere esse complетè potens habitualiter ad credendum.

Notandum præterea, actum illum voluntatis, ipsúmque actum fidei, ita esse bonum, & honestum intrinsecè, vt malus esse non possit. 78. Neuter enim potest esse malus intrinsecè, cùm sit supernaturalis, & non fiat sine speciali Dei auxilio, & concursu: Deus autem non concurrit ad actum malum speciali auxilio: sed tantùm generali per modum causæ primæ. Possitne malè fieri? Confirmatur, quia Deus est simpliciter, & absolutè causa omnis actus procedentis à gratia cooperante, & quidem magis principalis. At non potest ita esse causa actus mali intrinsecè: Ergo actus illi, de quibus modò loquimur, quique non possunt fieri sine gratia cooperante, non possunt esse intrinsecè mali. Non tamen repugnat aliquem actum malum cum illis exerceri, vt & cum alijs supernaturalibus, putà actum vanæ gloriæ; atque etiam per huiusmodi actum possunt ad malum finem referri, antè, vel postquàm eliciti sunt. Sed nihilominus non possunt ab illo efficaciter imperari. Quia actus supernaturales non sequuntur tale imperium, quod est tantùm ordinis naturalis, neque illi subordinantur: sed sequuntur gratiam præuenientem Spiritus sancti. Quare ex vi talis imperij non sequitur nisi fides naturalis. Si autem quis etiam tunc exerceat fidem supernaturalem; necesse est vt priùs habeat actum supernaturalem, & honestum volendi credere, ex quo fides sequitur, non ex illo, ne remotè quidem; cùm is ad illam non ducat vi suâ, neque illam exigat; sed si est, aliunde est, nempe à Dei gratia. Affectus enim efficax volendi credere sicut oportet, est donum gratiæ, & non potest haberi naturaliter; vt definiuit Arausicanum can. 5. An verò actus supernaturales, coniuncti malis actibus naturalibus modò suprà dicto, possint inde denominari ex-

trinsecè mali à circumstantia, vel sine extrinseco malo, pendet ex dictis in Tractatu de bonitate, & malitia actuum humanorum, tomo 2. Disput. 13. Sect. 7.

79. Iudicium de credibilitate illũ præcedit. Quinta conclusio: Actum illum supernaturalem volendi efficaciter credere sicut oportet, necessariò præcedit in intellectu iudicium de credibilitate obiecti; quod etiam supernaturale est. Prima pars probatur, quia voluntas non fertur in incognitum; & nihil est liberè volitum, nisi præcognitum: Ergo vt voluntas liberè velit credere, debet necessariò, saltem naturâ priùs, præcedere cognitio obiecti credibilis. Et quia voluntas illa necessariò recta est, & honesta; debet illam præcedere iudicium rectum de sufficienti credibilitate obiecti, quo nimirum cognoscatur obiectum esse secundùm rectam rationem credibile. Secunda pars probatur, quia ad iudicium illud rectè formandum præcedere debent motiua credendi supernaturalia, quibus obiectum constituatur sufficienter credibile. Ergo saltem est supernaturale quoad modum, quo fit; ratione illius præsuppositionis, & auxilij extrinseci, atque obiectiui. At neque hoc sufficit; quia licet propositis motiuis sufficientibus possit intellectus solis naturæ viribus elicere iudicium de credibilitate: non tamen dignè, & sicut oportet, æstimat illa motiua supernaturalia; neque condignè proponit voluntati, & proportionatè ad liberum assensum supernaturalem eliciendum, & volendum credere sicut oportet. Ideóque præter prædicationem, & motiuorum externorum propositionem, est necessaria interna gratia iuuans immediatè ad ipsum actum iudicij eliciendum: quam D. Augustinus q. 2. ad Simplicianum, & alibi passim vocat altam, secretam, & interiorem doctrinam, aitque esse necessariam præter externam doctrinam: quia hæc mouet sensum, illa interna accommodat assensum, vt ait Epist. 107. Et lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 2. affirmat gratiam esse necessariam simpliciter ad actum illum intellectus, quia voluntatem credendi antecedit; eúmque vocat cogitare. Quia priùs, inquit, cogitandum est an sit credendum, quàm credatur. Et ad eum requiri gratiam probat ex 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, &c.* Trident. quoque Sess. 6. can. 3. definit neminem posse credere sicut oportet sine præueniente Spiritus sancti inspiratione. Idémque docet Arausicanum can. 7. & Mileuit. can. 4. vt Sect. 1. ostendimus.

Illud iudiciũ est supernaturale.

80. Etiam in substantiâ. Hinc autem sequitur tale iudicium esse in substantia supernaturale. Tum quia ex similibus testimonijs probauimus ibid. fidem ipsam, & actum volendi credere sicut oportet, esse in substantia supernaturalem. Concilia autem de iudicio isto simili modo loquuntur. Tum etiam quia voluntas sequitur intellectum: Ergo non priùs debet eleuari ad statum supernaturalem, quàm intellectus. Tum denique quia iudicium illud dirigit necessariò actum volendi credere supernaturalem in substantia. Ergo conueniens est vt sit in substantia supernaturale; sicut actus volendi credere, est supernaturalis, quia dirigit actum credendi supernaturalem; & actus fidei est supernaturalis, quia dirigit spem, & charitatem supernaturalem.

Contrarium sentiunt Suares disp. 6. Sect. 8. conclus. 1. & Ægid. Coninck disp. 13. dub. 3. Cõtraria sententia. Primò, quia euidentia credibilitatis est tantùm naturalis: Ergo iudicium in illa fundatum, est tantùm naturale. Secundò, ratio, & medium, per quod habetur hæc euidentia, naturale est, & per discursum naturalem fieri potest. Ergo hoc iudicium non est supernaturale. Tertiò, si esset secundùm substantiam supernaturale, per id formaliter eleuaremur ad statum supernaturalem, inchoando vitam supernaturalem; atque ita fides non esset fundamentum, & initium status vitæ supernaturalis: quod repugnat communi sententiæ Doctorum, & Patrum, qui initium vitæ supernaturalis constituunt in fide. Nam ab ea omnis nostra iustitia sumit initium, vt ait S. Aug. Epist. 105. paulò post initium. Quartò, ratio præcipua cur actus fidei, spei, & charitatis sint in substantia supernaturales, est, quia ordinantur ad meritum præmij omnino supernaturalis, tanquam media ad finem. At iudicium illud, cùm non sit liberum, sed necessarium, quippe quod præcedit actum voluntatis, non ordinatur ad meritum: Ergo, &c. Quintò, est incredibile iudicium aliquod supernaturale esse in Hæreticis, & infidelibus culpabiliter: & non posse hominem culpabiliter esse infidelem, nisi priùs recipiat actum necessarium, & supernaturalem de credibilitate obiecti fidei; maximè verò si talis actus sit actus fidei, vt volunt aliqui: tunc enim non posset esse infidelis, nisi priùs, & quidem necessariò habuisset actum fidei. At hoc sequitur ex nostra sententia. Ergo, &c.

81. Satisfit eius argumẽtis. Ad primum Respondeo, euidentiam illam obiectiuam esse supernaturalem: quippe fundatam in argumentis supernaturalibus. Ad secundum dico, iudicium illud de credibilitate non haberi per medium merè naturale, neque per solum discursum naturalem: sed per illuminationem Spiritus sancti, iuuantis intellectum ad dignè percipienda, & expendenda media, & motiua supernaturalia. Ad tertium dico, nomine Fidei Patres comprehendere quidquid ad illam pertinet, velut eius initium. Alioquin eodem argumento probaretur credendi voluntatem non esse supernaturalem; quod tamen est contra Auctores citatos, qui hac in parte nobiscum sentiunt. Ad quartum respondeo, non esse illam vnicam rationem supernaturalitatis, sed vt condignè attingantur obiecta supernaturalia. Deinde, sicut actus ille ordinatur ad liberam credendi voluntatem, & ad fidem, & reliqua inde secutura: ita remotè saltem ordinatur ad meritum. Ad quintum: nego esse incredibile, sed dignum potiùs Dei misericordia, vt infideles præueniat sanctis cogitationibus, & pijs motibus indeliberatis, ac supernaturalibus, quibus eos vocat ad liberum consensum, & ad fidem ac iustificationem. Non est tamen id necessarium vt possint esse culpabiliter infideles; sufficit enim ad peccatum infidelitatis agere contra iudicium naturale de credibilitate proposita sufficienter: item, rejicere imprudenter motiua sese offe-

rentia, & nolle expendere an sint assensu digna: vt è contrario laudabile est ad illa bene affici, & diligenter explorare. Ad quod ipsum Deus excitare solet, iuxta illud Act. 6. v. 14. de Lydia purpuraria, *Cuius Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur à Paulo.* Quare non assentior affirmantibus iudicium de credibilitate semper esse actum necessarium, id est, non-liberum. Potest enim præcessisse alia cognitio, & actus voluntatis circa inquisitionem motiuorum, secundùm quam cognitionem voluntas moueat liberè intellectum ad iudicandum de credibilitate. Quia tamen in actibus liberis non potest abiri in infinitum: omnia tandem in actum aliquem intellectus non liberum refundenda sunt. Quare vel illud iudicium de credibilitate necessarium est; vel alia cognitio, quæ illud præcedit, & præsupponitur actui libero voluntatis circa tale iudicium. Verùm non est necesse, nec æquè conueniens, vt illa cognitio, & si quæ alia præeunt aliquando tali iudicio, sint supernaturalia quoad substantiam: cum actus fidei supernaturalis non subordinetur illis necessariò, & per se, atque vniuersaliter; sicut actui volendi efficaciter credere, & iudicio præuio de credibilitate. Falluntur verò qui putant iudicium de credibilitate esse actum fidei. Nam illud iudicium est actus simpliciter euidens, si loquamur de credibilitate simpliciter, id est, abstrahendo à supernaturali; vel de naturali solùm. Si autem loquamur de supernaturali; est quidem obscurum illud iudicium, sed tamen non est fidei Theologicæ iudicium: quia non nititur Dei testimonio. Non enim credimus esse credibile, quia Deus dixit; sed est notitia quædam experimentalis testimonij diuini per signa, & indicia sufficientia.

SECTIO XI.

An actus fidei sit necessarius ad salutem necessitate medij?

82. Duplex necessitas: medij, & præcepti. SVppono primò, duplicem esse necessitatem; vnam præcepti, alteram medij. Prior est debitum & obligatio proueniens ex præcepto per se: posterior verò est eius, sine quo aliquid obtineri nequit; siue id fit ex natura ipsarum rerum, quæ sunt ita connexæ (quo modo alimentum est medium necessarium ad conseruandam vitam animalis) siue ex institutione causæ alicuius dominantis, ex cuius voluntate non potest vnum sine alio obtineri. Ad quam necessitatem non requiritur præceptum, sed decretum sufficit: Si enim Rex statuisset, ne quis fiat Senator, qui non magnam legum peritiam assecutus sit: non esset ideo præceptum cuiquam datum comparandi sibi illam notitiam: sed notitia illa esset medium necessarium ex decreto. Potest tamen cum necessitate medij esse ex alia parte necessitas præcepti: Sed nihilominus vna differt ab alia, licet sæpissime in eodem iunctæ reperiantur: vt, in vniuersum, quidquid est medium ad salutem necessarium, est etiam necessarium ex præcepto respectu adultorum: quia quisque tenetur grauiter procurare suam salutem, & adhibere omnia necessaria. Est autem differentia inter illas necessitates: quia præcepti necessitas non viget, nisi præceptum cognoscatur ab eo, qui parére tenetur, neque aliter illi est necessarium parére. At verò medium siue ignoretur, siue non, est necessarium, & sine illo non potest finis obtineri.

Suppono secundò, duplicem esse medij necessitatem. Vnam simplicem, & absolutam, quando medium tale est, vt sine ipso in re habito finis non possit obtineri. Aliam secundùm quid, quando sufficit in re, vel in voto. Priori modo gratia finalis est necessaria ad salutem, quia sine ipsa habita in re, non potest salus obtineri. Posteriori baptismus, aut Sacramentum pœnitentiæ, sine quibus contritio cum Sacramenti voto potest sufficere ad salutem, & Sacramenti defectum supplere, cum speciali tamen obligatione ad ipsum, veluti medium primarium, & per se quodammodo necessarium, cuius vicarium quodammodo agit contritio, & ad ipsum remittit, vt chirographum obligat ad pretij solutionem, cuius intuitu venditio facta est, & dominium rei translatum. His præmissis, 83. Necessitas medij est duplex.

Dico primò, actum internum fidei supernaturalis non esse medium necessarium ad salutem respectu paruulorum, vel adultorum qui post baptismum sine peccato mortali decedunt. Patet, quia infantes iustificantur per baptismum sine proprio actu fidei, cuius non sunt capaces: & per iustificationem fiunt filij Dei, & hæredes æternæ gloriæ, quam consequuntur, si cum gratia accepta decedunt. Cùm autem illa non possit amitti, nisi per peccatum mortale; sequitur infantes, si moriantur in infantia, imò & postquam adoleuerunt, priusquam incidant in peccatum mortale, consequi salutem æternam vi iustificationis per baptismum acceptæ, & non amissæ: licet tales adulti nullum fidei actum exercuerint defectu propositionis obiecti, & notitiæ obligationis ad credendum. Sed tunc illi saluantur vt infantes. Inter quos etiam computandi sunt amentes perpetui, qui moraliter sunt infantes, licet ætate senes, & quouis tempore baptizari possunt sine actu ipsorum proprio. 84. Actus fidei non est necessarius paruulis.

Dico secundò, actum internum fidei supernaturalis esse simpliciter necessarium necessitate medij omnibus adultis in peccato mortali existentibus, ita vt sine illo in re habito iustificari, & saluari non possint secundùm legem ordinariam: quamvis absolutè aliter fieri potuerit, neque hic ordo sit necessarius simpliciter ex natura rei, sed ex decreto diuino cum fundamento congruitatis in re. Prima pars est communis Catholicorum, nec sine errore in fide negari posse affirmant Suares disp. 12. Sect. 2. n. 5. Ægid. disp. 14. dub. 8. & Canus in Relect. de Sacrament. parte 2. q. 2. concl. 1. Probatur ex Apostolo Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, &c.* Vbi Paulus non loquitur de Christo, nec de Beatis, sed de puris viatoribus adultis, quales illi omnes, 85. Est necessarius adultis peccatoribus necessitate medij.

quos eodem capite laudat. Deinde loquitur apertè de fide propriè sumpta & specialiter: non autem confusè de illa, vel de cognitione æquiualenti: vt patet ex versu 1. Vbi fidem sic definit, *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: quæ est definitio fidei propriè & specialiter sumptæ. Loquitur item de actu fidei, vt patet ex his verbis propriè sumptis, *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est: & quòd inquirentibus se remunerator sit*. Idem quoque patet ex Trident. Sess. 6. cap. 6. Vbi postquam docuit dispositionem ad iustificationem incipere ab actu fidei: ait *de hac dispositione scriptum esse*, Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit*. Et can. 3. definit neminem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio credere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Ratio summa est institutio Dei, qui non iustificat adultos, nisi vt adultos, id est, liberè volentes, & quidem voluntate proportionata iustitiæ supernaturali, quæ voluntas fundatur in actu intellectus similiter proportionato, id est, in actu fidei supernaturalis, quo credimus vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; vt ait Trid. cap. citato.

86. Dices, hæc posse intelligi de necessitate præcepti, vel de necessitate in re, vel in voto. Nam similiter Ioan. 3. v. 5. dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Et tamen sufficit baptismus in voto. Et Luc. 13. v. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*; & tamen neque formalis pœnitentia, neque Sacramentalis, est simpliciter necessaria; sed sufficere potest dilectio supernaturalis sine formali pœnitentia, sicut & contritio cum voto Sacramenti, ex Trid. Sess. 14. cap. 4. Ergo ex supradictis testimonijs non bene infertur simplex necessitas fidei actualis.

Refellitur euasio. Respondeo, ex Trid. cap. 6. apertè constare fidei actum esse dispositionem necessariam ad iustificationem. Quod autem est necessarium per modum dispositionis, est necessarium per modum medij, & non tantùm per modum præcepti. Quòd verò fides in voto sufficiat, nusquam significat Scriptura, vt facit de baptismo, & alijs propositis in obiectionibus; docet enim actus contritionis, & dilectionis supernaturalis ex charitate, vim iustificandi, quam olim habuerunt, non amisisse propter Sacramentorum institutionem, & obligationem ab illa ortam ex Christi institutione; vt in Cornelio patet Act. 9. Dilectio verò ex charitate, cùm æquiualeat contritioni & formali pœnitentiæ, non mirum est si vim illius habeat quoad iustificationem ex opere operantis, quæ confertur ex operis dignitate. At verò nunquam docet adultum sine actuali fide iustificatum fuisse, nec vllus alius nobis datur actus supernaturalis intellectus, qui illi æquiualeat, & vim illius habeat; vt magis declarat communis Doctorum, & Ecclesiæ sensus, cuius testes citauimus initio conclusionis.

Pars secunda, quòd hæc necessitas non sit ex rei natura, sed ex decreto diuino, & absolutè aliter fieri potuerit, probatur, quia Deus posset absolutè tribuere salutem, & beatitudinem sine vlla dispositione, & sine vllo actu à nobis prærequisito; neque enim per illa sumus potentes absolutè, sed anima potest immediatè attolli à Deo ad gratiam, & ad fruitionem beatitudinis. Deinde, licet id non posset; actus tamen fidei supernaturalis non esset necessarius: quia posset sufficere alius æquè nobilis, aut præstantior, putà euidens cognitio supernaturalis vel reuelationis diuinæ, vel immediatè ipsarum rerum reuelatarum, quæ non esset fides. Et quidem Christus sine fide beatus fuit ab initio. Et paruuli sine vllo actu fidei iustificantur, & beantur. Poterat etiam Deus, si voluisset, esse contentus actibus naturalibus circa obiecta reuelata, quamvis imperfectioribus, & improportionatis. 87. Vnde sit hæc necessitas?

Pars tertia, quòd nihilominus conuenienter sic institutum sit, probatur, quia conueniens est, vt qualibet natura rationalis ducatur ad vltimum finem per liberum consensum, iuxta suam conditionem, & per actus proportionatos. Ad hoc autem necessaria fuit aliqua cognitio finis; quæ cùm multiplex esse potuerit, Deus sapienter elegit fidem supernaturalem, quâ captiuemus intellectum in obsequium Christi, priusquàm claram Dei visionem, velut fidei præmium consequamur: & discentium more credamus primò in via, quæ sumus clarè cognituri in patria, vt ait S. Thomas quæst. 2. art. 3. vbi, & art. 4. plures affert huius rei congruentias. Eius conuenientia.

Contra primam partem senserunt aliqui Antiquorum, quos sequitur Vega lib. 6. in Trid. cap. 20. & 21. putantes fidem solùm esse necessariam ex præcepto: ita vt qui ignorant inuincibiliter fuisse quidpiam à Deo reuelatum, possint saluari per naturalem cognitionem, quâ cognoscere possunt Deum esse, & esse amandum, peccatúmque detestandum, atque secundùm illam cognitionem agere. Probant primò ex Apostolo Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.* Atqui factores legis iustificantur, ibidem v. 13. & Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: quod est intelligendum de mandatis, quæ quisque nouerit. Alia enim non obligant. Deinde Rom. 10. v. 13. & Ioël. 2. v. 22. *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Ergo si quis inuocet Deum in extremis, naturaliter quantùm potest, saluus erit; maximè quia facientem quod in se est, Deus non deserit in extremis. Tertiò, cùm Deus velit omnes homines saluos fieri, 1. Timoth. 2. v. 4. debent media salutis sufficientia esse omnibus possibilia. At fides non est illis possibilis, qui ignorant inuincibiliter reuelationem; *Quomodo enim audient sine prædicante?* Rom. 10. v. 14. Quare quantumvis bene viuendo conentur assequi salutem, hæc erit illis impossibilis; quod est absurdum. Neque dicas Deum procuraturum, vt tales veniant ad notitiam fidei. Hoc enim sine fundamento asseritur: quia Deus non solet facere miracula. 88. Cõtraria sententia.

Soluuntur eius argumenta. Ad primum Respondeo, Paulum non asserere quòd Gentes sine fide totam legem naturalem seruauerint, sed indefinitè aliqua; quod ad intentum eius sufficiebat, vt scilicet ostenderet legem naturalem scriptam esse in cordibus. Contrà verò, cap. 3. eiusdem Epistolæ v. 9. sic ait: *Causati sumus Iudæos, & Græcos* (id est Gentiles) *omnes sub peccato esse* Matth. verò 19. sermo est, non de quacumque mandatorum obseruatione; sed de illa, cui ex pacto diuino debetur vita æterna; quæ scilicet est secundùm fidem, spem, & charitatem: quæque insuper est integra. Nam qui offendit in vno, factus est omnium reus, vt ait Iacobus cap. 2. v. 10.

89. Ad secundum Respondeo, non esse promissum omni inuocanti Deum quacumque ratione, ipsum saluum fore; sed inuocanti cum fide, & cum affectu spei, & charitatis. De illa enim inuocatione loquitur Paulus, ideóque subdit, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Eodémque modo intelligendus est Ioel: loquitur enim de ijs, qui acceperint Spiritum sanctum. Si quis autem, qui, quoad potest, seruasset legem naturæ, in extremis secundùm cognitionem naturalem inuocaret Deum: ab illo illuminaretur quantùm opus est ad fidem supernaturalem, necessariam ad salutem.

Ad tertium Respondeo, Infideles habere lumen naturale, quod si sequantur quoad possunt, Deus per se, vel per alium eos illuminabit, & ad fidem deducet: idque non fiet miraculosè, sed secundùm institutum ordinem diuinæ prouidentiæ, quæ non deest adultis non ponentibus obicem, pro sua misericordia, & voluntate saluandi omnes homines. Quare fides eatenus est illis possibilis, quatenus est illis possibile sequi ductum rationis, & lumen naturale. Sin autem non sequuntur lumen naturale; priuantur meritò, in pœnam peccati, tali illustratione; & damnantur, non ob infidelitatem, quia supponitur esse in se inculpabilis; sed ob peccatum originale, & peccata actualia, seu personalia, ab ipsismet contra lumen naturale commissa.

SECTIO XII.

Circa quid fides versari debeat explicitè ex necessitate medij?

90 Quomodo debet versari circa Deum? DIco primò, debere necessariò versari explicitè circa Deum. Iuxta illud Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Vnde habetur ad gratiam Dei consequendam necessarium esse credere Deum esse, secundùm conceptum scilicet veri Dei, concipiendo illum vt primum ens, & independens, ac supremum: itemque Deum esse Auctorem nostrum; & curam habere salutis nostræ: sine qua cognitione non possumus moueri liberè vt ad illum recurramus, & salutem ab eo expetamus, ac speremus. Quod ipsum Paulus significauit verbis illis, *Et quòd inquirentibus se remunerator sit.* Vbi præterea cùm loquatur de remuneratione supernaturali, vt patet ex sequentibus versibus 10. 13. 16. 35. 39. & 40. videtur non sufficere Dei cognitio, vt auctoris, & finis naturalis; sed requiri eius notitiam vt boni cuiusdam supra naturam hominis, quod possit eam perficere supra naturalem eius capacitatem. Qua ratione concipitur Deus aliquo modo vt auctor & finis supernaturalis; eòque sensu remunerator vocatur ab Apostolo. Confirmatur, quia fides non est tantùm necessaria propter se, siue vt instruatur intellectus, & quæ credenda sunt agnoscat: sed etiam propter voluntatem, ad exercendos actus supernaturales sperandi, & amandi Deum; sicut adultis necessarium est ad obtinendam iustificationem. Necessarium autem est sperare in Deum, & amare, vt bonum supernaturale, spe, & amore supernaturali, vt ei coniungamur: quia non eleuantur adulti ad statum vitæ supernaturalis, nisi volentes, & liberè consentientes. Ergo Deus debet vt talis cognosci, & proponi per fidem: quia voluntas non fertur in incognitum: & quoad actus sperandi, & amandi supernaturales, præsupponit necessariò fidei cognitionem: iuxta illud Hebr. 11. *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, id est, sperandi fundamentum; proponens ea, quæ speranda, & similiter ea, quæ diligenda sunt.

Existimo autem prædictam cognitionem absolutè sufficere; quia sufficienter proponit intellectui obiectum spei, & amoris necessarij per modum dispositionis ad iustificationem; & aliunde non constat Deum ex positiua ordinatione perfectiorem requirere, generaliter saltem loquendo, vt patebit ex solutione obiectionum.

Dico secundò, fidem implicitam Christi, vt mediatoris, fuisse omni tempore, & pro omni statu necessariam simpliciter ad iustificationem, & salutem: non autem fidem explicitam. Prima pars probatur, quia necessarium est credere Deum habere curam salutis nostræ supernaturalis, vt in prima conclusione ostendimus. In hac autem cognitione continentur implicitè omnia media, quibus eam curat, & promouet. Inter quæ præcipuum est Christus Dominus mediator salutis, & iustificationis omnium hominum quocumque tempore, & statu. Vt de tempore, & statu post lapsum Adami fatentur omnes Catholici. De statu verò innocentiæ id negant permulti. Cùm enim sentiant Christum non fuisse decretum, nisi præuiso peccato; consequenter inferunt non fuisse mediatorem Angelorum, neque hominum in statu innocentiæ. Ac proinde primos Parentes in illo statu non fuisse iustificatos per Christum. Quæ doctrina licet D. Augustino, & D. Thomæ, alijsque multis placuerit, suppono tamen ex dicendis in tractatu de Incarnat. probabilius esse Christum fuisse primò decretum, & ante cætera omnia, vt primogenitum omnis creaturæ, ratione suæ perfectionis excellentissimæ ad Dei gloriam maximè pertinentis: & fuisse mediatorem gratiæ, & gloriæ Angelis, & hominibus, etiam ante peccatum. 91. Fides in Christum quomodo necessaria? Etiamne in statu Innocentiæ? Vide tom. 4. Disp. 3.

Nam oppositum non bene colligitur ex 92.

Luc. 19. 1. Timoth. 1. & similibus Scripturæ locis; quia licet verum sit Christum venisse vt saluum faceret quod perierat; non tamen sequitur quòd primò, vel quòd tantùm propter id venerit. Ratio quoque D. Thomæ non est certa; videlicet, in Scriptura non reddi aliam rationem cur venerit Christus. Nam præterquam quòd Incarnatio ipsa per se, redemptione, rebusque alijs omnibus melior est, & amabilior, & digna, vt tanquam apex totius possibilitatis sit per se expetita, & ad illam cætera ordinentur; Scriptura satis ostendit Christum decretum fuisse non primò, & specialiter tantùm vt Redemptorem, sed communiùs vt Mediatorem gratiæ, & gloriæ, & vt caput, & Regem, Pastorémque hominum, & Angelorum. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*: inquit Christus de suis ouibus Ioan. 10. Oues autem non significant idem quod peccatores. Nam intelliguntur etiam de Angelis bonis, communiter apud Sanctos Patres, & Scripturæ interpretes explicantes parabolam de nonaginta nouem ouibus, id est, de nouem Angelorum Choris relictis, vt centesima errans, id est, natura humana, quæreretur. Paulus quoque Ephes. 5. v. 32. docet Christi, & Ecclesiæ coniunctionem secundùm naturæ conformitatem significatam fuisse per Adamum & Euam ante peccatum. Ergo illa coniunctio per se considerata nihil habet cum peccati conceptu. Insinuatur etiam frequenter in Scriptura Incarnatio Verbi in persona Christi, vt sponsi, & capitis totius Ecclesiæ; quæ rationes per se nihil habent cum peccato, vt neque vita spiritalis simpliciter sumpta; neque enim illa mortem præsupposuit in Angelis, vel in primis Parentibus, quos, etiamsi peccato carerent, fuisse tamen liberè iustificatos propter Christi fidem saltem implicitam probabilius est. Quòd si frequentiùs in Scriptura insinuatur ratio Redemptoris; id rectè fit, vt hinc maximè commendetur diuina misericordia, & moueantur homines ad ipsius amorem, & odium peccati. Non tamen sequitur illam, aut primam fuisse, aut solam: Sed quemadmodum licet Deus Christum dederit in Redemptorem, ipsum tamen magis dilexit, quàm redemptionem: Sic non decreuit Incarnationem sub ratione redemptionis tantùm, aut primò; sed propter se, & propter suam gloriam: Secundariò verò, vt esset Mediator gratiæ & gloriæ, capútque Ecclesiæ complectentis homines, & Angelos; ad quod opus redemptio est tantùm particulare medium ex suppositione peccati. Absolutè verò sicut homines, & Angeli, etiam sine peccato spectati, carent debitâ proportione ad gratiam, & gloriam; conueniens est, vt per Christum Mediatorem eam sint assecuti, vt nunc etiam fit.

93. Et in statu naturæ lapsæ?

De alijs verò statibus naturæ humanæ post lapsum, sub lege naturæ, vel Mosis, vel gratiæ, res certissima est, & apertè tradita in Scriptura, Rom. 3. v. 23. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, &c.* Hebr. 9. v. 15. *In redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento.* 1. Ioan. 1. *Mortuus est propter peccata nostra, non solum autem nostra, sed etiam totius mundi.* Act. 4. v. 11. & 12. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei.* Idem clarissimè definit Trid. Sess. 5. can. 3. Vbi affirmat peccatum originale non posse expiari per aliud remedium, quàm per meritum Iesu Christi. Et sancti Patres idem expressè tradunt: Augustinus præcipuè, lib. 2. de gratia Christi cap. 24. vbi sic habet: *Sine fide ergo Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ iustificari, veritas Christiana non dubitat; siue in ijs iustis, quos sancta Scriptura commemorat, siue in ijs iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filijs Israël, sicut fuerunt Prophetæ; sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob.*

Secunda pars conclusionis, quòd nihilominus fides Christi explicita non sit, nec fuerit simpliciter necessaria, est plurimorum Theologorum. De lege enim ante Christum, id docent communiter Scholastici cum Magistro in 3. dist. 25. & D. Thomas cum Interpretibus 2. 2. q. 2. art. 7. De lege verò noua sic sentiunt D. Thomas 3. p. q. 69. art. 4. ad 2. Hugo Victorinus, Alensis, Albert. Ricard. Scotus, Gabr. Sotus, Medina, Corduba, Maldonat. locis à Suare citatis Disp. 12. Sect. 4. n. 10. quibus ipse subscribit n. 11. affirmans non esse tam necessariam hoc tempore fidem explicitam Christi, vt sine illa reapse obtenta nullus possit iustificari. Ratio præcipua est: quia posito actu fidei explicitæ de Deo vt Deo, & Auctore ac fine nostro supernaturali, habente curam salutis nostræ, potest voluntas ad Deum conuerti cum speciali eius auxilio, ad illum amandum efficaciter, & absolutè propter se, & ad sperandam ab illo salutem, & remissionem peccatorum. Hoc autem sufficit ad iustificationem: Ergo, &c. Minor constat ex dictis de gratia, & iustificatione, tomo 2. Maior probatur; quia illa cognitio sufficit, & est proportionata ad excitandum talem affectum. Quòd verò is dari possit sine fide Christi explicita, patet quia non habet connexionem necessariam cum illa: vt ostendit experientiâ in puero vel Catechumeno, qui primo id tantùm doceatur explicitè per motiua sufficientia. Ille enim assentiens doctrinæ fidei, id priùs credit, & quidem assensu supernaturali, ad quem Deus non negat concursum necessarium ei, qui consentit vocationi ad fidem. Dicere verò quòd Deus neget illi auxilium necessarium ad fidem supernaturalem, vel ad actum charitatis, antequam credat explicitè in Chri-

94. Fides Christi explicita non est necessaria simpliciter, & vniuersaliter.

stum, non est conueniens Dei bonitati; qui sicut non est Auctor peccati; ita neque causa est vt quis maneat in infidelitate, vel alijs peccatis, si à Deo vocatus faciat quod in se est, & conetur resurgere, credendo, & amando quantùm potest. Quod argumentum magis vrget, si supponamus Catechumenum esse in articulo mortis, & non posse de Christo explicitè instrui, ac nihilominus conari toto affectu ad Deum se conuertere secundùm cognitionem, quam de illo accepit. Adde quòd, cùm fides Christi explicita non sit per se ex natura rei necessaria, sed ex Dei ordinatione; nullum apparet fundamentum sufficiens asserendi talem ordinationem, vt patebit ex solutione argumentorum contrariæ opinionis. Restringere autem misericordiam diuinam, & supra id, quod illa postulat, inducere necessitates sine testimonio sufficienti, non est conueniens, sed potiùs est eorum qui plus sapiunt, quàm oportet sapere.

95. Opinio contraria non bene infertur ex Script.

Contrarium sentiunt Ægidius Coninck disp. 14. dub. 9. concl. 2. & alij affirmantes, post lapsum Adami fuisse semper ad salutem necessarium medium Credere explicitè in Christum: non quidem distinctè, vt Deum & hominem, vel vt moriturum pro salute hominum, & resurrecturum, quod paucis in lege veteri, & præcipuis tantùm innotescebat; sed confusè, vt Mediatorem, cuius meritis gratiam consequamur, & gloriam. Citant primò Scripturæ loca, quibus asseritur homines per Christum, aut per eius fidem iustificari, & saluari. Ad quæ respondeo, fidem Christi non solùm esse explicitam, sed etiam implicitam: quocirca licet requiratur fides in Christum, non ideo sequitur explicitam requiri, vt medium simpliciter necessarium; licet requiratur ex præcepto in ijs, quibus proponitur sufficienter; vt fit communiter in lege noua.

96. Neque satis probatur ex Patrib.

Secundò obijciunt varia Patrum testimonia, quæ longum esset referre. Præcipua sunt ex Aug. lib. 2. de Gratia cap. 24. & lib. 18. de Ciuit. cap. 47. & lib. de Natura, & Gratia cap. 44. Ad quæ similiter dico, nullum illorum Patrum asserere fidem Christi explicitam, esse omnino necessariam ad salutem, sine vlla exceptione, & vt medium simpliciter necessarium. Possunt verò intelligi vel de fide generatim, abstrahendo ab implicita, vel explicita; vel secundùm legem communem, & de necessitate præcepti. Et quidem D. Augustinus, locis ab Ægidio allatis, si est intelligendus de fide explicita, plus probat, quàm auctor ille intendat: cùm apertè loquatur de fide Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis. Quod si respondeat Ægidius, Augustinum tantùm requirere, vt hæc vtcumque, & confusè aliquo modo intelligantur. Dico pariter Christum vt mediatorem cognosci vtcumque per fidem Christi implicitam.

97. Sed instat, quia si Christi fides implicita tantùm requiritur; non magis requiritur fides Christi, quàm fides de septem Sacramentis, vel de duodecim Apostolis totum in orbem mittendis, & alijs medijs prouidentiæ diuinæ circa salutem nostram, quæ non minùs continentur, & creduntur implicitè, quàm Christus ipse, in illa generali cognitione, quòd Deus curam nostræ salutis habeat, modis ab ipso cognitis. At perspicuum est Scripturam & Patres magis requirere; & specialiùs fidem Christi, quàm huiusmodi rerum: Ergo, &c. Vrget etiam illam Christi comparationem, Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem, &c.* Nimirum, inquit, sicut percussi à serpentibus peribant, nisi serpentem æneum intuerentur: ita omnes peccato infecti pereunt, nisi per fidem Christum aspiciant, & quidem secundùm se, ac non tantùm confusè, & implicitè, secundùm aliquid aliud.

Fides tendit æqualiter in sua obiecta.

Respondeo fidem implicitam mediorum, licet non magis expressè in vnum tendat, quàm in aliud; magis tamen principaliter tendere in primum, & præcipuum medium, cuiusmodi est Christus respectu nostræ salutis. Virtutes enim magis tendunt in id, quod in obiecto suo magis præcipuum est: cùm tendant ordinatè secundùm rectam rationem. Comparatio verò serpentis, & Christi, si in rigore sumenda est, probaret ipsam Christi personam esse per fidem agnoscendam explicitè, id est, secundùm se imò etiam suspensam in ligno, sicut serpens in seipso videndus erat de ligno pendens: quod tamen Ægidius non putat esse necessarium, sed sufficere posse confusam illius notitiam vt Mediatoris. Intentio ergo Christi tantùm fuit ostendere, quòd sicut exaltatio serpentis ænei valuit ad sanandum omnes in eum aspicientes: sic Christi passio ad sanandos credentes.

Obijciunt tertiò, constare ex Scriptura, & ex Concilijs, Tridentino præcipuè Sess. 6. cap. 7. & 16. neminem posse iustificari nisi per merita Christi, secundùm legem ordinariam. At ille qui in Christum non credit, non potest eius merita participare: quia non est illius membrum. Dicimur enim per fidem venire ad Christum, Ioan. 6. & incipere vniri Christo per fidem, vt ait Tridentinum Sess. 6. cap. 7. Deinde, sicut Deus est causa vniuersalis effectiua nostræ iustificationis, & salutis; ita Christus respectu omnium omnino hominum est eiusdem causa vniuersalis meritoria; vt docet Trident. cap. citato. Ergo sicut nemo potest iustificari, aut Deo placere, nisi per fidem accesserit ad Deum, Hebr. 11. v. 5. ita nemo potest iustificari, nisi per fidem ad Christum accedat in eum credendo. Videtur enim omnino eadem conuenientia, & necessitas: vnde Christus Ioan. 15. æquè fidem vtramque requirit, dicens: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* 98.

Fides implicita sufficit participanda Christi merita

Respondeo primò, paruulos iustificari per merita Christi, & esse illius membra, sine fide actuali in ipsum. Secundò, fidem Christi implicitam sufficere adultis ad participanda ipsius merita; imò & ante illam participari; cùm vel ipsa vocatio ad fidem meritis Christi tribuenda sit, ex Trid. Sess. 6. cap. 5. & 6. Differentia verò est inter Deum, & Christum, respectu nostræ iustificationis. Deus enim est causa per se connexa ex natura rei, & abso-

lutè necessaria : Christus autem, non nisi ex Dei ordinatione, quæ non omnibus innotescit. Vnde non mirum est, si Dei fides magis explicita requiratur, quàm Christi, qui tamen inuoluitur in cognitione Dei, vt prouisoris salutis nostræ.

99. Dices, plus debuisse exigi ab hominibus in hoc statu perfectæ fidei; quàm in lege Mosaïca, & naturali. Atqui tunc requirebatur fides Christi implicita: Ergo nunc debet requiri explicita. Item, hæc fides est necessaria ante baptismum : sed baptismus est medium necessarium : Ergo & hæc fides. Confirmatur, quia Tridentinum Sess. 6. cap. 6. loquens de fide necessaria velut dispositione ad iustificationem, ait credendum esse iustificari hominem per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Augustinus quoque, Ambros. Hieronym. & alij Patres vocant fidem Christi, fundamentum, & initium salutis.

Soluuntur alia argumenta. Ad primum respondeo, plus fidei in hoc statu debuisse requiri ex præcepti necessitate, sed non medij simpliciter : maximè cùm status ille perfectæ fidei perinde se habeat, ac si non esset, respectu eorum, qui illum ignorant. Ad secundum Dico primò, baptismum in re non esse simpliciter necessarium : Ergo neque fidem Christi explicitam propter illum. Secundò respondeo, fidem explicitam Christi non esse simpliciter necessariam ante baptismum necessitate medij, etiam vt vtiliter recipiatur; sed tantùm necessitate præcepti : & posse ac debere conferri Catechumeno, qui morte instante non posset edoceri mysterium Incarnationis, & Trinitatis; modò confusè crederet hoc remedium esse vtile ad salutem, & iustificationem.

100. Ad tertium respondeo, sufficere id credi implicitè. Ideo autem Augustinus, & alij Patres dicunt fidem Christi esse initium salutis : quia nemo potest iustificari, nisi ex Christi meritis; quod æquè conuenit iustis veteris legis, ac præsentis. Quare sicut tunc sufficiebat Christi fides implicita : ita & nunc simpliciter sufficit; & est credibile illum actum non amisisse vim & sufficientiam, quam tunc habuit : cùm nulla sit ratio sufficiens id asserendi. Per hæc, Valentiæ, & Suari, qui aliquatenus nobis contradicunt, responsum sit.

Fides Trinitatis quomodo necessaria? Dico tertiò, de mysterio Trinitatis idem esse sentiendum, ac de fide Incarnationis : nec aliam fidem explicitam videri simpliciter necessariam ad salutem, præter eam, quæ in prima conclusione fuit exposita : siue loquamur de prima salute, id est, de iustificatione & gratia : siue loquamur de secunda, id est, de gloria, & beatitudine. Fides enim quæ sufficit ad iustificationem, sufficit etiam ad vitam æternam consequendam, per modum medij simpliciter necessarij.

101. Prima pars est Suaris Sect. citata, num. 25. Ægidij Coninck dub. 9. num. 180. & aliorum : Sequitúrque ex dictis. Quicumque enim requirunt fidem Trinitatis explicitam, ideo requirunt, quia sine illa fides Incarnationis haberi nequit explicita, & distincta. Et quicumque hanc non requirunt necessariò ad iustificationem, aut salutem, non requirunt etiam illam. Et quidem mysterium Trinitatis non priùs cœpit palam omnibus proponi, quàm mysterium Incarnationis. Vnde colligitur necessitatem illius esse coniunctam cum necessitate istius. Nec obest illud Athanasij, in Symbolo; post explicata mysteria Trinitatis, & Incarnationis, *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, saluus esse non poterit.* Respondeo enim Athanasium non requirere in omnibus ex simplici necessitate tantam fidem Incarnationis, & Trinitatis, quantam in symbolo exprimit : sed tantùm dicere perituros, qui eam non habent implicitè; vel non credunt explicitè post propositionem sufficientem, saltem ita vt eius opposito assentiantur culpabiliter; vel dubitant de veritate illius; ita vt non credant, implicitè saltem, quod Ecclesia credit de vtroque mysterio.

Secunda pars est etiam Suaris Disput. 12. Sect. 3. num. 19. vbi affirmat non esse necessariam fidem explicitam, & distinctam immortalitatis animæ, peccati originalis, quódque Deus offendatur peccatis, & aliorum quorumdam, quæ nonnulli necessaria existimant in re, & actualiter; sed sufficere ea cognoscere inquantum continentur in cognitione Dei, vt Remuneratoris supernaturali remuneratione, in qua implicite continentur. Et quidem cùm hæc fides sufficiat ad sperandum, & amandum Deum ex charitate, vt suprà ostendimus; consequens est eam sufficere ad iustificationem, sine notitia explicita, quòd Deus peccatis offendatur. Respondeo contritionem non esse simpliciter necessariam, cùm actus amoris sufficiat. 101. Et aliorū articulorum?

Tertia pars est quoque Suaris Sect. 4. num. 14. & Ægidij suprà, qui testatur esse communem Theologorum, quòd scilicet, loquendo præcisè de necessitate medij, non requiratur maior fides, siue magis explicita ad consequendam vitam æternam, quàm ad iustificationem. Probatur, quia Scriptura, & Patres simili modo de vtraque loquuntur; nec plus ad vnam exigunt, quàm ad aliam. Secundò, quia ad consequendam vitam æternam, tantùm requiritur vt quis moriatur in gratia accepta per iustificationem. Hoc autem fit, si moritur absque nouo peccato mortali : Non peccat autem mortaliter, licet non credat explicitè mysteria Trinitatis, vel Incarnationis, & alia, si non sint ei sufficienter proposita. Facilè verò fieri potest vt moriatur sine nouo peccato mortali post iustificationem antequam hæc sufficienter proponantur : vt si Catechumenus statim post illam moriatur, vel in amentiam perpetuam incidat. Dicere verò Deum minimè passurum esse vt moriatur ante acceptam fidem explicitam, diuinare est, & petere principium. Fierique potest vt Cathecumenus instructus de fide Dei, & Ecclesiæ in communi, nondum acceptâ fide Christi, vel Trinitatis explicitâ, velit, & expetat Ecclesiæ aggregari, illiúsque medijs vti ad salutem, & remissionem peccatorum. Qui si positâ tali notitiâ, & voluntate, & dolore peccatorum, ac desiderio salutis æternæ, incidat in phrenesim; baptizari potest, ac debet; & sic baptizatus mori potest sine 102. Fides sufficiens vt medium ad iustificat. sufficit ad salutem.

vsu libertatis non recuperatæ: adeóque sine peccato mortali, quo perdat gratiam in baptismo acceptam. Hinc collige adultum in infantia baptizatum, sicut mori potest, antequam de fide instruatur, nondum admisso vllo peccato mortali, cuius committendi occasio, vel tentatio tam breui tempore se non obtulit: ita etiam posse saluari sine vlla fide actuali, quam propter ignorantiam inculpabilem exercere nec potuit, nec debuit.

104. Contrarium sentiunt Canus in relectione de Sacramentis in communi, part. 2. quæst. 2. & Bannes ad 2. 2. quæst. 2. post articulum 8. dub. 2. quæstiunc. vlt. affirmantes fidem Christi explicitam requiri ad secundam salutem, quæ est gloria: licet non requiratur ad primam, quæ est iustificatio. Probant quia Act. 11. Cornelius iam iustificatus (vocatur enim cap. 10. v. 2. vir Religiosus, & Timens Deum) iubetur ab Angelo accersere Simonem, qui loquatur ei verba, in quibus ipse saluus futurus sit, & domus eius vniuersa: nimirum Christi prædicationem explicitam, quam à Simone Petro audiuit. Ergo eius cognitio explicita ad secundam salutem necessaria est. Vnde D. Aug. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa initium, sic ait: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cælorum. Sicut in Catechumeno, sicut in Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Et lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. loquens de eodem Cornelio: *Si potuisset* (inquit) *sine fide Christi esse saluus, non ad illum ædificandum mitteretur Architectus Petrus Apostolus.* Deinde, Christus sic præcipit Apostolis, Marci vltimo, in fine: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Vbi sine dubio sermo est de fide Euangelij Euangelium autem continet explicitam prædicationem Christi, & sanctissimæ Trinitatis, atque baptismi in eius nomine conferendi: Ergo sine fide illius explicita nemo saluari potest.

Côtraria sentêtia.

105. Satisfit eius argument. Ad primum respondeo, Illationem non valere: quia quod Cornelio dictum fuit, non est intelligendum de secunda salute simpliciter, sed de tali, qualem & quantam Cornelius per Sacramenta, & Ecclesiæ præsidia consecuturus erat. Neque verò quidquam ibi dicitur, quo satis affirmetur talem fidem explicitam esse medium simpliciter necessarium, etiam respectu Cornelij, quasi sine illa saluus omnino esse non posset: sed tantùm asseritur, ipsum & eius vniuersam domum saluandos esse reipsa, per ea, quæ à Petro auditurus, & accepturus erat. Quæ aliunde poterant esse necessaria ad vitandam culpabilem infidelitatem, & alia peccata, longo vitæ tempore, quo Deus ipsos conseruare decreuerat: vel ad resurgendum, & decedendum in gratia finali. Augustinus verò loquitur de Catechumenis fidem adhuc informem habentibus, id est, sine charitate, & gratia; qualem Cornelium fuisse tunc putat, cum Chrysostomo, & alijs quibusdam. Alioqui enim saluari omnes, qui moriuntur in gratia, etiam sine fide Christi explicita, supponit apertè idem S. Doctor, lib. de natura, & gratia cap. 2. *Non enim*, inquit, *iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede iustitiæ, si ijs non est annuntiatum Sacramentum diuinitatis, & humanitatis Christi.* Quomodo autem fuerit Cornelio necessaria ad salutem fides Christi explicita, diximus paulò antè: nempe ad salutem, qualem, & quantam reipsa consequutus est: non autem ad salutem simpliciter, & quocumque modo possibili adipiscibilem.

Ad secundum respondeo, illud esse intelligendum de ijs, qui non credunt post sufficientem Euangelij prædicationem, & mysteriorum expositionem. Quales illi non sunt, quibus nulla facta est prædicatio mysteriorum Incarnationis, & Trinitatis. Loquitur enim Christus de illis, quibus Apostoli, eorúmque successores in ministerio prædicationis, iuxta ipsius præceptum, annunciauerint Euangelium, & præcipua saltem mysteria in eo contenta, atque ex præcepto saltem necessariò credenda: cuiusmodi sunt mysteria Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis.

Objici potest vlteriùs, quòd sicut adulti non recipiunt primam salutem, nisi per consensum proprium; ita neque debent recipere secundam. Ergo illi adulti, quibus nulla omnino facta est prædicatio, licet in infantia per baptismum iustificati fuerint, & non amiserint iustitiam, non possunt consequi vitam æternam. Ergo plus fidei requiritur in illis ad secundam salutem, quàm ad primam. Respondeo tales non saluari per modum adultorum, & per medium adultorum: sed vt paruulos, & per medium paruulorum. Licet enim sint adulti, non debent propter defectum actus inculpabilem priuari gratiâ acceptâ in infantia, & gloriâ illi debitâ. Quia non peccant carendo actu, quem non possunt habere. Et gratia semel data non perditur, nisi per peccatum mortale. Gratiæ verò finali respondet infallibiliter gloria. 10[6] Solui[tur] obiect[io]

SECTIO XIII.

An, & quomodo fides sit necessaria ex præcepto, & circa quid?

Dico primò, actum internum fidei diuinæ esse necessarium ex præcepto diuino. Patet ex Scriptura. *Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius.* 1. Ioan. 3. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. vlt. v. 16. vbi sermo est de non credentibus culpabiliter post Euangelij prædicationem: vt paulò antè diximus. Adde quòd, quidquid pendet ab actu nostro libero, & ad salutem necessarium est, est grauiter præceptum. Ergo actus fidei oppositus incredulitati est in graui præcepto; tenemur enim grauiter vitare damnationem, & facere quidquid ad salutem necessarium est. Hinc collige primò, præceptum credendi fuisse in omni lege, naturali, Mosaïca, & Euangelica; quia in omni lege fuit obligatio procurandæ salutis. Secundò, in omni lege fuisse ex præcepto credenda ea saltem, quæ simpliciter 10[7] Fides in pr[æce]pto.

ad salutem necessaria sunt de Dei existentia, & eminentia supra res omnes creatas, & de remuneratione inquirentibus se.

108. Quomodo potest præcipi? Dices, neminem posse obligari ex præcepto, qui non priùs cognoscat ius præcipiendi in superiore, & debitum parendi, ac subiectionem in seipso; quia non potest obligari moraliter, nisi mediante illâ cognitione; imò priùs præceptum ipsum debet cognosci, quàm obliget, quia non obligat nisi cognitum. At præceptum credendi fide diuinâ non potest cognosci nisi per ipsam fidem: cùm sit præceptum positiuum diuinum supernaturale, notum dumtaxat ex reuelatione diuina. Ergo nunquam potest incipere obligare: quia deberet obligare hominem nondum habentem fidem; quod nequit fieri, cùm necessariò fidem præsupponat, vt obliget. Respondeo neminem quidem obligari posse ex præcepto diuino reipsa, & in actu secundo, nisi priùs, ratione saltem, cognoscat Deum, vt superiorem, & præceptum ab ipso legitimè esse impositum. Ideóque D. Thomas quæst. 16. art. 1. in corp. rectè affirmat primam Dei cognitionem non posse cadere sub præceptum diuinum, cùm præsupponatur omni præcepto diuino, vt obliget. Verùm hæc cognitio potest aliter haberi, quàm per fidem: ideóque potest fidei omnino præsupponi. Possumus enim naturali ratione cognoscere nos Deo subesse iure creationis, tanquam supremo Domino; factâque sufficienti propositione reuelationis, & præcepti diuini de credendo, possumus iudicare tum id esse credibile, quod proponitur tanquam dictum à Deo; tum etiam credendum esse: quia de Dei voluntate satis constat. Possumus, inquam, id iudicare actu naturali, & solo lumine naturali. Possumus etiam actu supernaturali, adiuti Spiritus sancti ope, & illuminatione. Hoc autem iudicium non est actus fidei, sed præcedit liberam credendi voluntatem, ipsúmque actum fidei. Neque est necessarium cognosci esse credendum actu supernaturali, sed simpliciter conandum esse ad credendum vt exigit obiectum, & obligatio proposita, firmâ scilicet, & certâ fide. Possumus denique habere aliquem actum fidei de Deo, & de rebus alijs ante notitiam præcepti fidei, id est, antequam cognoscamus Deum pro suo iure nos obligare, vt credamus.

109. Prima subiectio non est per fidē. Objicies ex D. Thoma q. 16. art. 1. in corp. primam subiectionem hominis ad Deum esse per fidem; ideóque non posse præcipi fidem, quâ credatur Deum esse, licet actus credendi alia obiecta possint præcipi, suppositâ Dei cognitione per fidem iam habitâ, & subiectionis nostræ notitiâ. Respondeo primam subiectionem hominis ad Deum inesse ab ipsa natura; est enim ordo naturalis consequens creationem, quo creatura subest Deo, & subiacet eius iuri ac potestati legitimæ. Hæc autem subiectio non fit per fidem, aut cognitionem nostram, cui potiùs præsupponitur; sed non obligat re ipsa sine cognitione, quæ cognitio non necessariò per fidem incipit, sed naturali lumine haberi potest; ac licet tantùm per fidem haberi posset, sequeretur dumtaxat primum actum fidei circa Deum non posse præcipi; secus verò alios, ad quos Deus, primo actu sat cognitus, obligaret, vt & ad cætera credibilia. Porro, præter ius illud, quod Deus habet obligandi nos ad credendum per præceptum nobis denuntiatum, in modum superioris iure suo vtentis, & astringentis subditum; aliud habet generalius & independens à præcepto. Sicut enim in quolibet, etsi non superiore, ius est, vt nullus sibi inferat quidquam mali absque legitima, & sufficienti potestate; sic in Deo ius naturale est, vt eius testimonio sufficienter proposito fides non denegetur, neve ei falsitas tribuatur, aut dubitetur verumne sit quod affirmat. Quod esset eius honori valde contrarium; cùm ne quidem homini graui, & fide digno, sine ipsius iniuria id tribui possit. Quare licet præceptum positiuum non esset, aut non innotesceret; peccaret tamen peccato iuri naturali opposito contra Dei maiestatem, qui fidem eius dictis scienter, & liberè negaret veluti fide indignis. Sed præter hoc ius naturale, aliud esse positiuum ex præcepto diuino iam ostendimus.

Dico secundò, præceptum illud esse iuris diuini, & simpliciter supernaturale; sed tamen conforme rationi naturali, & connaturale ipsi gratiæ. Prima pars probatur, quia est de actu maximè interno & supernaturali, ad quem Deus solus potest obligare, agendo supra naturæ ordinem, quæ alioqui posset tantùm obligari ad naturales actus, nisi per Dei ordinationem altiùs eueheretur ad supernaturalem ordinem. Ius enim naturale, & obligatio naturalis respicit ea tantùm, quæ naturalia sunt. Sed nihilominus quòd sit conforme rationi naturali, patet, quia lumen naturale dictat non esse repugnandum testimonio diuino sufficienter proposito, nec respuendam eius propositionem sufficienter credibilem, quod sine Dei iniuria fieri nequit: sed potiùs certâ fide, & sine dubitatione, aut formidine, assentiendum esse illi vt supremæ veritati sufficienter testificanti: maximè cùm ipsius testimonium proponatur vt necessariò credendum ex necessitate salutis, & obligatio credendi sit euidens, factâ obiecti, & præcepti diuini propositione euidenter credibili. Hæc autem supponunt propositionem illam esse factam; nam ante illam, saltem inchoatam, non potest homo intelligere se ad fidem obligari. Potest tamen, auditâ famâ fidei Christianæ, obligari lumine naturali ad maiorem illius notitiam quærendam. Qui autem nihil penitus de illa audierunt, obligantur dumtaxat ad quærendam veritatem circa obiecta naturalia moralia, in quibus sentiunt conscientiæ remorsum, & suspicionem erroris. Quod si faciant vt possunt cum Dei gratia auxiliante (sine qua nullus non errat aliquando in naturalibus) credibile est, certóque tenendum, fore vt à Deo illuminentur de rebus fidei necessarijs simpliciter ad salutem, nisi ipsi ponant impedimentum peccati. Atque ita dici potest obligationem ad fidem remotè incipere ab illa naturali obligatione, quam habent de inquirendis veritatibus moralibus naturalibus, secundùm quas vitam rectè instituant ad honestè viuendum, & finem vltimum consequendum. 110. Præceptū credendi est iuris diuini.

Ita fere Suares Disp. 13. Sect. 1. Assertione 2.

111. Est connaturale statui gratiæ. Tertia pars assertionis, quòd huiusmodi præceptum sit connaturale ipsi statui gratiæ, patet, quia ius connaturale statui gratiæ obligat hominem eleuatum ad illum statum, vt Deum cognoscat modo huic statui proportionato, ad illum colendum, & amandum sicut oportet iuxta conditionem, & gradum eiusdem status. Sicut ius naturale obligat hominem spectatum in esse naturali, ac solo lumine naturali, ad quærendam, & habendam naturalem Dei cognitionem, vt illum colat & diligat, atque ad illum, vt finem vltimum, se, suaque omnia referat; ad quod lege naturali tenetur. Ideóque sicut præceptum istud naturalis cognitionis de Deo, est iuris naturæ, & naturale homini naturaliter spectato: Sic illud est iuris gratiæ, & connaturale homini vt eleuato, vel ordinato ad finem supernaturalem, & statum gratiæ. Vnde etiam præceptum illud fuit in lege naturæ, quæ sic vocatur, quia non habebat vniuersaliter specialia præcepta diuina positiua, præter ea, quæ erant connaturalia, vel naturæ vel gratiæ.

Porro licet præceptum fidei sit non tantùm iuris diuini positiui, sed etiam remotè, & mediatè iuris naturalis, vt diximus; non propterea fit duplex peccatum, quando peccatur per infidelitatem; quia hæc duo præcepta per modum vnius se habent, cùm vnum sit confirmatiuum alterius, & ambo ad idem tendant. Cùm autem idem formaliter præcipitur, non multiplicantur peccata, licet præcepta multiplicentur. Neque id fidei præcepto peculiare est, sed omnibus alijs legitimis præceptis commune, quòd in iure naturali fundentur, quatenus ratio naturalis dictat ius cuique suum reddendum esse, & parendum superioribus pro suo iure aliquid exigentibus.

112. Fides est præcepta etiam per se. Dico tertiò, Actum fidei non tantùm esse in præcepto propter alia, ad quæ est necessarius; sed etiam propter se ob ipsam fidei honestatem. Ita Valentia, Suares, & alij communiter. Probatur: quia fides habet secundùm se specialem honestatem, propter quam est expetibilis. Sicut enim est honestum amare Deum vt bonum nostrum, per spem: & vt summè bonum in seipso, per charitatem: & eundem colere, vt Dominum supremum, & ens excellentissimum, per Religionem: sic est honestum adhærere Deo per intellectum, velut supremæ veritati. Quare sicut dantur specialia præcepta de spe, charitate, religione: sic & de fide, id est, de assensu firmo præbendo diuinis testimonijs propter supremam Dei auctoritatem. Confirmatur: quia datur speciale peccatum contra fidem, nempe peccatum infidelitatis, distinctum ab alijs peccatis contra alia præcepta commissis. Ergo datur speciale præceptum fidei distinctum à præceptis aliarum virtutum. Consequentia patet, quia peccatum speciale supponit speciale præceptum, contra quod peccetur. Antecedens verò probatur ex communi consensu, & ex Trid. Sess. 6. cap. 15. affirmante fidem non amitti per quodlibet peccatum mortale, sed per peccatum infidelitatis. Confirmatur secundò, quia Marc. vlt. v. 16. minatur Christus damnationem præcisè ijs, qui post Euangelij prædicationem non crediderint. Et Apocal. 21. v. 8. Stagnum ignis, & sulphuris datur incredulis, æquè ac timidis, execratis, homicidis, &c. Quod signum est incredulitatem esse per se prohibitam æquè, ac alia vitia ibi enumerata. Quod non tantùm verum est de fide, quatenus versatur circa veritates morales & practicas; sed etiam circa speculatiuas. Nam in vtrisque tenemur Deo subjicere intellectum; & peccatur in vtrisque per infidelitatem, quando non subjicitur. Vnde collige fidem non tantùm præcipi, etiam in moralibus, propter alias virtutes, & officia Christiana ad salutem necessaria; qua ratione præceptum fidei pertinet ad virtutes illas, ratione quarum præcipitur; sed etiam per se, & propter se; quod est propriè & specialiter præceptum virtutis fidei. Sicut actus temperantiæ circa cibum & potum non tantum præcipitur propter castitatem, propter quam aliquando necessarius est, quâ ratione pertinet ad præceptum castitatis: sed etiam per se, quo pacto fit ex speciali præcepto temperantiæ.

Dices: non posse præcipi per se, nisi quod per se liberum est. Atqui actus fidei non est per se liber, sed tantùm denominatiuè per actum voluntatis. Respondeo, vt præcipiatur per se, id est, ratione propriæ honestatis, sufficere quòd sit liber denominatiuè ab actu voluntatis, à quo liberè imperatur. Quemadmodum actus externi temperantiæ, & iustitiæ præcipiuntur secundùm se ob propriam honestatem; licet non sint per se liberi, sed per denominationem ab actu libero voluntatis.

Dico quartò, præceptum fidei non fuisse æquale in omni lege, neque æqualiter obligasse, vel obligare omnes sub eadem lege viuentes. Prima pars probatur, quia non tot credibilia proposita fuerunt, vt necessaria ex præcepto ad credendum, in lege naturæ, quot in lege Mosaïca: neque tot in lege Mosaïca, quot in lege Euangelica. Nam in lege naturæ fuit tantùm necessarium credere explicitè ea, quæ erant de necessitate salutis, de Deo remuneratore, & pauca alia tunc reuelata, ad vitam rectè instituendam pertinentia, statui gratiæ, vel ipsi hominum naturæ connaturalia: quia in pura lege naturæ non erant communiter alia præcepta diuina. In Mosaïca verò necessarium fuit vlteriùs credere legem illam scriptam, esse diuinam. Item habere notitiam circumcisionis, sacrificiorum, & festiuitatum, & aliquorum Dei beneficiorum, propter quæ recolenda celebrabantur. Item multorum præceptorum merè positiuorum, sine quibus non poterat conuenienter secundùm illam legem vita institui, & plurimorum, quæ per Scriptores sacros, & Prophetas reuelabantur. In lege autem noua multò plura credi debent de personis diuinis, de Christi mysterijs, de Sacramentis, & alijs, quæ non omnia fuerunt in lege veteri expressè reuelata. Ac denique præter ea omnia, quæ in veteri Testamento continentur, quæque adhuc credenda sunt, multa sunt alia in Euangelio, & scriptis Apostolicis tradita, præter traditiones non scriptas, & Ecclesiæ determinationes.

113. Præceptū fidei non fuit semper æquale.

114. Neque omnes æqualiter obligat. Secunda pars conclusionis, quod non omnes sub eadem lege viuentes, sint, aut fuerint æqualiter obligari, probatur: quia in lege naturæ, & Mosaica satis erat plebi communi fidelium ea credere, quæ per modum medij sunt necessaria ad salutem, & pauca alia necessaria ad vitam rectè instituendam secundùm legem vtramque; idque rudi, & vulgari modo. Vltra quæ Principes, & Maiores Ecclesiæ, vt Sacerdotes, & Doctores, multò plura credere tenebantur, & illa ipsa meliùs, ac distinctiùs, vt alios instruerent: vt patet ex Malachiæ 2. v. 7. Deuteron. 17. v. 18. Et Iosue 1. v. 8. & 9. Quarumdam etiam rerum, quamvis præcipuarum, reuelatio explicita illis tantùm tradebatur, & per eos conseruabatur; vt de mysterijs Trinitatis & Incarnationis docent communiter Theologi cum D. Thoma q. 2. art. 6. 7. & 8. Quorum tamen notitiam, etiam apud legis Doctores plerosque exiguam, aut nullam fuisse Christi tempore, patet ex Ioan. 3. de Nicodemo, & Matth. 22. de Pharisæis à Christo sic interrogatis: *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?* Cui interrogationi, defectu notitiæ Incarnationis, & Trinitatis, non potuerunt satisfacere. In lege autem Noua tenetur quidem plebs communis fidelium explicitè credere ex præcepto partim diuino, & partim Ecclesiastico Apostolico quoad determinationem, ea ferè omnia, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, saltem quoad substantiam eorum; vt docent Theologi communiter cum D. Thoma articulis suprà citatis, sumitúrque ex D. Aug. vel alio auctore antiquo Serm. 181. de tempore, alijsque Patribus affirmantibus Symbolum illud fuisse ab Apostolis editum, vt haberent fideles certam fidei Regulam, quam scire, & credere debent. Sumitur item ex Concilijs Agathensi, Braccarensi, & Cabilonensi locis allatis dist. 4. de Consecrat. c. 2. & sequentibus. Et can. *Ante viginti dies*, can. *Baptizandos*, can. *Non liceat*, eâdem distinctione, præcipit Ecclesia, ne illi adulti ad baptismum admittantur, qui symbolum ignorant. Et can. *Symbolum*, præcipitur vt id octo diebus ante Pascha competenter in Ecclesia prædicetur. Et denique initio Catechismi Pij V. asseritur omnes Christianos scire debere, & credere ea, quæ Apostoli certis articulis comprehenderunt.

Ad quid credendũ teneatur plebs fidelium.

115. Dixi, *omnia ferè*, &, *quoad substantiam saltem*: quia non tenentur v. g. scire Christum esse passum sub Pontio Pilato, nec mundum fuisse creatum in tempore, nec articulum communionis Sanctorum, qui sufficienter creditur in articulo Ecclesiæ Catholicæ. Neque scire verba ipsa, & ordinem verborum, dummodò res crassè intelligant. Imò non sufficit verba nôsse, si ea non intelligant, & res ipsas ignorent. Idémque dico de fide, quâ tenentur scire quædam alia ad mores pertinentia. Nimirum præcepta Decalogi, & communia Ecclesiæ præcepta, id est, ad omnes pertinentia, & Sacramenta ab omnibus vsurpanda, Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Addunt aliqui teneri quoque omnes scire orationem Dominicam, quia id grauiter præcipitur in Concilio Rhemensi cap. 2. & Moguntino cap. 45. Sed melius Suares Disp. 13. Sect. 4. num. 12. post Nauarrum, Paludanum, & alios, affirmat non satis constare tale præceptum. Licet probabile sit non excusari à culpa veniali eos, qui propter negligentiam orationem illam ignorant. Hinc collige eos omnes, quibus animarum cura incumbit, teneri grauiter omnia supradicta docere suos, & curare efficaciter vt addiscant. Subditi verò, si de suo debito non moneantur, neque illud per se aduertant, excusantur ob ignorantiam inculpabilem; sed vbi debitum suum aduertunt, peccant, si scire negligant.

At verò Ecclesiastici, Sacerdotes, Concionatores, Confessarij, Parochi, tenentur vltra prædicta, ea scire de Sacramentis, déque alijs rebus, vel officijs fidei Christianæ, quæ ad ipsorum munus ritè præstandum necessaria sunt. Tenentur, inquam, si non ratione fidei præcisè, saltem ratione officij, & iustitiæ. Episcopi verò tenentur adhuc ad multò maiorem cognitionem rerum fidei, & morum; vt colligitur ex Tit. 1. v. 9. & 1. Timoth. 3. v. 2. & clariùs ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 1. Generali VIII. Sess. vlt. can. 2. Lateran. sub Innocentio III. can. 10. & ex ipsa forma ordinationis, in qua Episcopus interrogatur, num teneat vtrumque Testamentum? Ratio est, quia Episcopi tenentur in Concilijs de rebus fidei iudicare. Ergo tenentur eas bene intelligere. Item sunt Pastores populi, in suo ordine præcipui. Ergo tenentur posse oues pascere, & contra lupos defendere. Vnde Lateranense can. cit. ait esse omnino intolerandum, si Episcopus ob defectum scientiæ non possit alios docere. Item, sunt Apostolorum successores, quibus dictum est, *Docete omnes gentes*: Et, *Vos estis sal terræ: Vos estis lux mundi*: per quos nimirum cæteri illuminandi, & condiendi sunt, & per quos error cæterorum caueri, vel auferri debet, resistendo hæresibus. Denique necesse fuit in Ecclesia esse aliquos, qui ex officio teneantur exactam rerum fidei notitiam habere, vt sine errore conseruari possit. Ergo id maximè pertinet ad gradum Episcoporum. Notandum tamen cum Ægidio Coninck disp. 14. dub. 10. num. 202. & sequentib. non esse damnandos vel Episcopos, qui promouentur, vel eos, à quibus promouentur sine tanta doctrina. Dummodo suppleant hunc defectum per viros doctos, & habeant quædam alia magis sæpe necessaria ad dignitatem, & munus Episcopale; vt sunt prudentia, & dexteritas gubernandi, nobilitas, & potentia ad resistendum inuasoribus Ecclesiæ, &c. Non possunt tamen excusari ab illa cognitione, quæ secundùm locorum, & temporum opportunitatem necessaria illis est ad munus suum rectè implendum. Quam si non habent, tenentur acquirere. Et filij nobilium, qui aspirant ad Episcopatus, tenentur priùs illam sibi comparare.

116. Ad quid teneantur alij?



SECTIO XIV.

SECTIO XIV.

Quotuplex sit praeceptum fidei, & quando obliget?

117. Vnum est negatiuũ. Respondeo præceptum fidei duplex esse generatim. Negatiuum scilicet, & positiuum. Negatiuum est, de non repugnando rebus fidei propositis sufficienter, dissentiendo, vel dubitando: & istud omnes obligat pro semper: nunquam enim licet dissentire rebus fidei, aut de illis dubitare; sicut nunquam peierandum est, nunquam furandum aut mentiendum. Alterum est positiuum. Positiuum est de assentiendo positiuè factâ sufficienti propositione: & hoc obligat non pro semper, sed ad assentiendum sine mora vituperabili post primam propositionem, & ad recolendas identidem res fidei; sicut præceptum amandi Deum, honorandi parentes, & similia indefinitè lata, obligant ad exercendos illos actus sine mora vituperabili; quæ mora prudenti iudicio discernenda est. Ad quid, & quomodo obliget? Postquam igitur prima propositio credibilium facta sufficienter est de rebus necessarijs, debet statim credi, si non sit ratio differendi: tum ob reuerentiam diuinæ Majestatis; tum quia qui sine causa tardior est, meretur vt à Deo negligatur, & minùs adiuuetur. Quod præceptum magis vrget in profitente falsam religionem, quam tenetur abjicere, & amplecti veram, statim atque illius falsitatem, & istius veritatem agnoscit, sicque à castris diaboli ad Christi castra transire. Si quis tamen cum ratione spatium sumat ad colligendum se, & conandum vt maiori attentione, & intentione assensum præbeat, non est in mora vituperabili. Dixi, *de rebus necessarijs*: quia in alijs non tenemur positiuè assentiri, sed existimare possumus eas ad nos non pertinere, & in medio relinquere, contenti fide implicitâ, credendo quidquid credit Ecclesia. Deinde post assensum semel datum, quia non satis est semel Deo assensisse, vt neque semel parentes honorâsse, semel Deum dilexisse, & similia: tenetur quisque fidem sæpius exercere circa credibilia, tum speculatiua, tum practica. Idque vi proprij, & specialis præcepti ipsius fidei, nisi aliunde occurrat necessitas exercendi sufficienter, ob tentationum pericula, vel alia officia vitæ Christianæ; vt vsum Sacramentorum, quæ sine fide non possunt recipi ab adultis, vel exercitium spei, & charitatis, & alia eiusmodi quæ similiter fidem præsupponunt. Sufficit autem frequenter actus fidei exercere propter alias virtutes; quemadmodum sufficit virtutum aliarum officia exercere ex charitate, qui nobilissimus est operandi modus. Dantur tamen virtutes infusæ ad illa, vt seorsim per se possint exerceri, & ex proprio motiuo formali. Qui verò nunquam fidem exerceret, nec propter se, nec propter alias virtutes; ille non tantùm peccaret contra huiusmodi virtutes; sed etiam contrà fidem ipsam specialiter, quæ si non propter aliud exerceatur, saltem propter seipsam suis temporibus exerceri debet. Idémque dico de alijs virtutibus respectu charitatis.

118. Vt autem fidei mysteria creditu necessaria, possint temporibus necessarijs recoli, tenetur quisque laborare vt ea memoriæ commendet; quia debet esse paratus ad exercendam & profitendam fidem, quando, & quantum oportuerit; vt docent Concilia Rhemense cap. 1. & 2. Moguntinum cap. 45. & Augustinus tom. 4. lib. de Fide, & operibus cap. 6. & 9. & initio libri de Fide, & Symbolo. Sed hoc est intelligendum præcipuè de memoriâ rerum: Nam circa memoriam ipsorum verborum non est grauis obligatio, cùm de illa non satis constet in vllo Concilio generali, vel decreto Pontificum. Imò ab omni culpa excusari debent, qui propter incapacitatem verba retinere non possunt, vt contingit valde rudibus. Ita Suares Disp. 13. Sect. 5. num. 8. post Nauar. & alios.

119. Debet cognosci vt actu obliget. Meminisse quoque oportet quod suprà monuimus, contra præceptum fidei non peccari, nisi præceptum illud aliquo modo cognoscatur: quia quod non est cognitum, non est liberum, adeóque nec peccatum culpabile. Contingere autem potest vt quis inuincibiliter ignoret tale præceptum circa res scitu necessarias, vel omnes, vel aliquas. Quod non tantùm verum est de hominibus educatis in media infidelitate, & barbarie, vbi nulla est Euangelicæ prædicationis memoria, vel suspicio; sed etiam de quibusdam rusticis, inter Christianos licet degentibus, sed in pecoribus alendis occupatis, & rarò Ecclesiam adire permissis, conciones nunquam, & alioquin à nullo edoctis omnia necessaria, sed tantum Deum esse, & Ecclesiam, & pauca alia. Cæterorum verò addiscendorum necessitas & obligatio ipsis in mentem non venit. Sed & alij circa quædam sibi necessaria ad statum suum, vel officium, ignorantiam inuincibilem pati possunt, & inculpabilem; si similiter neque de illis instruantur, neque ipsi vnquam cogitent. Qui autem aduertit se teneri aliquid scire; debet ad id discendum suis temporibus, & datâ occasione incumbere; ac si non facit, peccat, non quidem continuò, sed quoties culpabiliter omittit, id est, quoties potest, & debet discere. Contingere verò potest, vt talis in ea negligentia perseuerans, peccet non solùm peccato omissionis, tum per illam negligentiam, tum non credendo suo tempore id quod ignorat (quod tamen peccatum non est aliud ab omissione ipsa culpabili, in qua sola aduertitur, & committitur) sed etiam peccato materiali commissionis, adhærendo opposito, vel dissentiendo veritati credibili. Neque propterea fidem perdit, quia non peccat peccato infidelitatis culpabili in seipso, sed tantùm ignorantiâ culpabili, ob quam non est infidelis formaliter, sed tantùm materialiter. Qua de re plura inferiùs, Disp. 14. Sect. 1.

120. Ignorantia potest ab illo excusare. Præterea leuitas negligentiæ potest excusare à peccato mortali. Patétque ex suprà dictis num. 115. non esse damnandos peccati mortalis eos, qui vel Symbolum memoriter nesciunt, vel ordinem articulorum, dummodo res sciant; vel orationem Dominicam; vel præcepta decalogi, quæ quisque communiter lumine naturali sat nouit; vel articulum aliquem minoris momenti, vt descensum ad inferos. Addunt San-

ches lib. 2. in Decalogum cap. 5. Azor tom. 1. Moralium lib. 8. cap. 8. q. vlt. & Ægidius Coninck Disp. 14. dub. 11. num. 231. non esse semper negandam absolutionem, vt malè quidam affirmant, pœnitentibus, qui res scitu necessarias ignorant; quia fieri potest vt laborârint ignorantiâ inuincibili; aut si culpabili laborauerunt, monendi sunt de culpa vt doleant, & proponant diligenter addiscere: & interim absoluendi. Quod si sæpius moniti, in eadem negligentia persisterent; tractandi sunt vt illi, qui sæpius in eadem peccata grauia relabuntur. Sæpissimè verò maior est culpa parentum, Parochorum, & aliorum, quibus incumbit cura eos instruendi. Ante absolutionem tamen docendi sunt ea, quæ sunt de necessitate salutis, si ignorent. Ac si fieri potest, bonum est de alijs rebus præcipuis eos instruere, non tamen necessarium, cùm id in aliud tempus, & alium locum, atque ad alium instructorem rejici possit. Videantur Ægidius dub. citato, & Suares Disp. 13. Sect. 5. à numero 7. & totâ Disp. 15. Vbi de his fusiùs disputant, solidéque refellunt Adrianum, Bonauenturam, & quosdam alios contendentes non posse dari ignorantiam inuincibilem in rebus fidei. Res ipsa videtur satis constare experientiâ. Ad illud verò quod præcipuè objiciunt, *Facienti quod in se est, Deus non deneget gratiam*: Vnde inferunt neminem nisi culpabiliter carere fide, quia si faceret quod in se est, Deus ad fidem illum adduceret: Respondeo, licet quis suâ culpâ impedimentum ponat vocationi ad fidem, non propterea peccat culpabiliter contra ipsam fidem, de qua non cogitat; neque illius ignorantia, vt est fidei, est ipsi imputabilis in seipsa; sed tantùm in causa, id est, in culpa contra aliud commissa, ex qua, ipso penitus ignorante, secuta est subtractio vocationis ad fidem. Deinde, licet facienti quod in se est cum Dei gratia, Deus non deneget gratiam vlteriorem; non propterea consequens est, vt eum omnia doceat ex præcepto necessaria; sed sufficienter illi prouidet, si eum saluet per fidem solam eorum, quæ sunt de necessitate medij.

111. Soluitur argumentum contrariæ sententiæ.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De actu Fidei externo.

De actu fidei externo, id est, de confessione, seu professione fidei disputat, S. Thom. q. 3. Docétque 1. illam esse propriè actum fidei: quia actus exteriores illius virtutis propriè sunt actus, ad cuius finem secundùm suas species referuntur: sicut ieiunare secundùm suam speciem refertur ad finem abstinentiæ, qui est compescere carnem: & ideo est actus abstinentiæ. Confessio autem eorum quæ sunt fidei, secundùm suam speciem ordinatur, sicut ad finem, ad id quod est fidei; iuxta illud 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem spiritum fidei credimus, propter quod & loquimur.* Extèrior enim locutio ordinatur ad significandum id, quod in corde concipitur. Vnde sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est propriè actus fidei: ita etiam & exterior confessio.

Docet 2. Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco esse de

necessitate salutis; quia cadit sub præceptum affirmatiuum: præcepta autem affirmatiua non obligant pro semper, sed in aliquo loco, & tempore; quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & vtilitas proximis impendenda: putà, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide. In huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Hæc D. Thomas, fusiùs exponenda sequentibus Sectionibus.

SECTIO I.

Vtrum professio externa fidei sit actus virtutis fidei?

1. Cóclusio affirmás. Respondeo, exteriorem professionem fidei esse actum virtutis fidei, quando fit ex motiuo adhærendi exteriùs veritati diuinæ propter ipsius auctoritatem: & non tantùm sentiendi, vt ipsa dicit; sed etiam loquendi, aut aliter significandi ipsam esse fide dignam. Ita D. Thomas q. 3. art. 1. & alij communiter. Sic autem declaratur. Primò, exterior fidei professio refertur ad duo; nempe ad internum fidei actum, cuius est signum; & ad veritatem reuelatam, quæ est actus interni obiectum. Nam qui fidem profitetur exteriùs, testatur se interiùs assentiri firmiter illi veritati, tanquam diuinitùs reuelatæ. Quæ attestatio falsa & ficta esse potest, quatenus respicit actum internum, cuius falsum est signum, si non sit: non autem respectu veritatis obiectiuæ, quæ non potest non esse vt reuelata est. Loquimur autem in præsenti quæstione, de professione vera, quæ sit signum veri assensus interni, quem profitetur, & cum illo coniuncta sit.

2. Potest fieri ex varijs motiuis. Secundò, huiusmodi professio multipliciter fieri potest, ex motiuis diuersis. Nimirum, vel ex motiuo Charitatis, ad Deo placendum: vel etiam Spei, ad vitam æternam consequendam: vel Religionis, ad Deum colendum, & protestandam ipsius excellentiam: vel Iustitiæ, & Obedientiæ, ad obtemperandum Deo ita iubenti, & reddendum quod exigit: vel Charitatis erga proximum, ad ipsum in Fide confirmandum, & periculum negationis propulsandum, & sic de alijs. Sed potest etiam exerceri ex motiuo ipso Fidei: scilicet ex motiuo diuinæ Veracitatis propter seipsam, quæ dignissima est vt non tantùm sentiamus interiùs id, quod ipsa dixit: verùm etiam loquamur, & profiteamur exteriùs; atque illi tum assensu interno, tum locutione & signo externo adhæreamus, quoad fieri potest. Hic autem actus est per se bonus obiectiuè, & honestus: quia congruit obiecto, nempe actui interno Fidei, cuius professio, & signum est; & veritati reuelatæ, ad quam etiam refertur, vt ad obiectum. Conuenit enim actui interno vt per tale signum manifestetur, velut dignus professione. Conueniens quoque, & decens est, vt testimonium diuinum verbis, vel alijs signis externis accepetur, & enuntietur esse verum, atque dignum assensu illo interno. Quare hic actus est per se honestus obiectiuè, & amabilis, vt talis; licet ad alios fines bonos referri possit. Cùm autem exercetur propter alias virtutes, pertinet ad illas, ex quarum motiuo exercetur, tanquam actus ab illis imperatus. Sed quando fit ex motiuo fidei, pertinet ad virtutem fidei, fitque immediatè quidem, & Physicè, à potentia executiua, seu motiua: remotè verò, ab intellectu fide instructo, vt dirigente; & à pio affectu voluntatis erga fidem, applicante potentiam externam; qui affectus non tantùm mouet ad assentiendum interiùs: sed etiam ad profitendas exteriùs veritates à Deo reuelatas, velut assensu interno dignissimas, ob excellentiam diuinæ veracitatis, quæ postulat vt sentiamus, & loquamur sicut ipsa dicit: iuxta illud 2. Cor. 4. v. 13. *Habentes eundem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* Et Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et August. initio lib. de Fide, & Symbolo, *Fides officium à nobis exigit cordis, & linguæ.*

Tertiò igitur, sicut actus externi, qui exercentur ex motiuo aliarum virtutum propter ipsarum honestatem, pertinent ad huiusmodi virtutes, tanquam illarum actus: generatim enim actus externi pertinent ad eas virtutes, ex quarum motiuo exercentur; quia scilicet habent eandem cum illis honestatem; sic professio externa fidei ad fidem pertinet, quatenus fit ex illius motiuo, & ob ipsam fidei honestatem: nimirum ad profitendum diuinam veritatem esse assensu dignissimam. Tunc enim externa professio fidei habet eundem finem, siue honestatem, quam habet actus internus fidei. Quâ enim ratione per se honestum est credere veritates à Deo reuelatas, propter ipsius auctoritatem: eâdem ratione honestum est profiteri illas veritates esse fide dignas, propter eandem Dei auctoritatem. Sicut ergo actus internus, & actus externus temperantiæ, sunt actus eiusdem virtutis, quatenus tendunt ad eandem honestatem: sic, &c. Neque dicas esse tantùm actum virtutis Veracitatis; quia professio fidei, de qua loquimur, non fit solùm propter conformitatem locutionis cum assensu interno: sed ob excellentiam diuinæ auctoritatis, tanquam assensu firmo, & confessione externâ per se dignam. Notandum autem nos hic loqui de professione externa iuncta cum actu interno fidei, cum quo vnum moraliter 3. Quomodo est propria virtutis fidei?

facit. Sicut enim locutio non est propriè locutio sine interno conceptu, quem manifestat, quique illius est quodammodo forma: sic externa professio fidei non est verè, & propriè talis sine interno actu fidei, cum quo tendit ad illius obiectum propter eandem ipsius honestatem. Vnde ex opposito, negatio externa fidei facta ex timore, vel aliter, sine negatione interna, non est propriè actus infidelitatis: alioquin fidem expelleret: quod est falsum, vt patet ex Apostolo Petro, qui licet fidem exteriùs negauerit, eam tamen non perdidit; iuxta illud Luc. 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Similitérque non sunt Hæretici, neque incurrunt Censuras contrà hæresim latas, qui fidem animo retinentes, peccant tantùm exteriùs contra fidei professionem.

4. Et propria specialiter? Addo quartò, professionem fidei esse actum virtutis fidei, non tantùm eâ generali ratione, quâ omnes actus ab aliqua virtute imperati, censentur esse illius actus: quo pacto actus reliquarum omnium virtutum possunt esse, & dici actus fidei, quando fiunt ex imperio virtutis fidei: sed eâ propriâ, & speciali ratione, quâ actus externus dicitur esse illius virtutis, cuius est proprius, & specialis; quatenus ab illa propriè, & per se exercetur, neque vllam aliam virtutem requirit, vt exerceatur, habétque propriam bonitatem, seu honestatem eandem cum illa virtute. Nam professio fidei externa fit propriè ab habitu duplici fidei: altero, qui est in intellectu ad assentiendum, dirigente per assensum: altero, qui est in voluntate ad piè volendum credere, & profiteri exteriùs, applicante linguam, vel aliam potentiam corpoream ad edendum signum externum. Neque ad hoc requirit aliam virtutem: sicut Fides requirit Spem, & Charitatem, aut Temperantiam, ad exercendos actus spei, charitatis, aut temperantiæ, quos imperat. Nec denique alia est honestas professionis externæ, quàm subiectio ad diuinam auctoritatem, vt fide dignissimam, & summè veracem. Quæ eadem est bonitas actus interni fidei. Legatur D. Thomas q. 3. art. 1. ad 3. Vbi hanc doctrinam insinuat.

5. Objicies, professionem fidei non fieri ab ipso habitu fidei, qui non valet, nisi ad credendum per assensum internum (profiteri autem non est credere) neque postulat actum illum externum, qui non est illi necessarius. Non fit etiam à pio voluntatis affectu erga fidem, qui vocatur affectus credulitatis; quia huiusmodi affectus est tantùm ad credendum. Nec denique habet idem obiectum, quod fides, & secundùm eandem honestatem. Quia obiectum fidei est veritas à Deo reuelata, vt assensu digna propter ipsius auctoritatem summam: Professio autem respicit primò, & immediatè actum internum, cuius est signum, & professio; tum veritatem reuelatam, non vt materiam assensus propter se, quemadmodum actus internus, sed tantùm vt remotum significatum, nimirum velut obiectum creditum actu interno, quem immediatè significat. Ergo professio fidei non est actus virtutis fidei, sed aliarum virtutum, à quibus imperatur; vel amoris cuiusdam veritatis in genere; aut specialiter veritatis diuinæ, si ab illo procedat. Quemadmodum enim profiteri res alias, sicut eas intelligimus, per se pertinet ad veracitatem: Sic & profiteri veritates fidei.

Respondeo, professionem externam fidei elicitiuè fieri à potentia externa: ab habitu verò Fidei procedere quatenus actus internus Fidei, ab habitu productus, iuuat intellectum ad dirigendam potentiam externam, vt secundùm illam profiteatur; siuè vt exteriùs significet id, quod in ipso actu interno est. A pio autem voluntatis affectu ergaFidem procedit imperatiuè, quatenus voluntas per illum affectum applicat potentiam externam ad profitendum. Hic enim affectus non est tantùm credulitatis, siue ad credendum interiùs dumtaxat; sed etiam ad præbendum fidei testimonium, itémque ad illam propugnandam, etiam sanguinis profusione: Non tantùm ob charitatem erga Deum, vel ob religionem, & alias virtutes; sed & propter ipsam Fidei honestatem, & auctoritatem Veracitatis diuinæ. Et denique pius affectus voluntatis erga fidem integrè sumptus valet ad id omne, quod fidei per se consentaneum est. Licet autem externa professio respiciat immediatè aliquid, quod non respicit actus internus, nempe ipsum actum internum, qui non est veritas reuelata, sed cognitio certa veritatis reuelatæ; non propterea desinit habere idem obiectum formale, & eandem honestatem; cùm sit professio assensus interni propter eandem rationem, ob quam datur assensus internus. nimirum propter auctoritatem diuinæ veracitatis, ad profitendum illam esse fide dignissimam; quod sicut interiùs profitemur in actu exercito, quando illi assentimur vt tali: Ita etiam exteriùs, quando significamus nos illi assentiri propter eandem rationem, & illam esse dignam, vt propter se actu interno, & externo ipsi adhæreamus. Nec obest quòd professio externa non est assensus. Quia neque actus externus temperantiæ v. g. est affectus; sed quia refertur suo modo ad eandem honestatem, pertinet ad eandem virtutem. Non est quoque id solùm actus veracitatis; quia non respicit solùm conformitatem locutionis cum conceptu, & assensu interno; sed excellentiam diuinæ auctoritatis, tanquam assensu firmo per se dignam; quæ est propria ratio fidei. Quæ illius causa?

SECTIO II.

An professio fidei sit necessaria ex præcepto?

Respondeo, duplex esse præceptum professionis externæ fidei. Vnum affirmatiuum, de fide exteriùs profitenda, quando id necessarium est. Alterum negatiuum, de fide non neganda, & nihil vnquam agendo exteriùs, quod fidei repugnet. Declaratur, & probatur conclusio. Primò, externam fidei professionem esse præceptam patet ex Matth. 10. *Omnis ergo qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & egò eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et Luc. 9. v. 26. 1. Est in præcepto affirmatiuo, & negatiuo.

Qui me erubuerit, & sermones meos; hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua. Paulus quoque Rom. 10. v. 10. significat professionem fidei ad salutem necessariam esse, cum sic ait: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et 2. Timoth. 2. v. 12. *Si negauerimus eum, & ille negabit nos.* Eadem est Conciliorum, & Sanctorum Patrum doctrina, infinitorum martyrum exemplo, & vsu Ecclesiæ perpetuo confirmata, de qua speciatim videri potest Nicænum primum Canone 10. 11. & 12. & Cyprianus Epist. ad martyres, alijsque locis.

7. *Ad quid obliget præceptũ affirmatiuum?*

Secundò, ad huiusmodi professionem duo pertinent, & necessaria sunt. Primum est, edere signum externum suæ fidei quando id necessarium est. Et quidem si necessarium illud sit ratione ipsius honestatis fidei, putà, quia aliter ipsius honor periclitatur; pertinet propriè ad præceptum fidei. Sin autem ratione aliarum virtutum; spectat ad illas, ob quarum honestatem præcipitur. Potest autem vtroque modo necessaria esse. Ratione quidem ipsius fidei, quando illius amor, & honor id exigit; vt si alioqui periclitetur honor Dei, velut auctoris fidei; quia existimabitur falsum dixisse, vel religio Christiana falsa putabitur; vel si non-profitens incurrit periculum dandi locum timori nimio, vnde sequatur inconstantia, vel negatio fidei: Aut si externa professio sit necessaria ad aliorum conuersionem ad fidem, vel ad titubantium confirmationem. Tunc enim tenemur non tantùm propter charitatem, sed etiam propter fidem ipsam, cuius amor exigit, vt non modò in nobis, sed & in alijs ipsam promoueamus, & conseruemus. Item, quando necessarium est illam defendere coram alijs irridentibus, aut blasphemantibus. Vel quando fidem non profitendo, videremur moraliter eam negâsse. Sed hic vltimus casus ad præceptum negatiuum magis pertinet. Ratione verò aliarum virtutum, fidei professio multipliciter necessaria est; tum propter charitatem, quando amor Deo debitus, vel vtilitas proximi id exigit; tum propter religionem, ad susceptionem Sacramentorum, & cultum externum Deo reddendum, audiendo sacrum, vel celebrando, &c. tum propter obedientiam erga Deum, vel Ecclesiam id quovis fine præcipientem. Vbi nota Trident. Sess. 24. cap. 12. de reformatione, & Sess. 25. cap. 2. de reformat. & Pium V. in Motu proprio, qui incipit *In sacro-sancta*, præscribere vt omnes ij, qui promouentur ad beneficia curam animarum habentia, & ad Canonicatus, vel dignitates in Ecclesijs Cathedralibus, ac professores in Academijs publicis, aut Vniuersitatibus, siue Clerici, siue Laïci, fidei professionem edant. Denique, siue ob fidem ipsam, siue ob aliud, necessarium est profiteri fidem exteriùs, cùm primùm Ecclesiæ aggregamur; & subinde deinceps, vt fideles appareamus alijs Ecclesiæ membris. Imò si nulla aliunde occasio se offerat, amor ipse fidei diuinæ id exigit, vt nimirum aliquando eam profiteamur propter ipsius honestatem: sicut tenemur ad orandum aliquando exteriùs oratione vocali; & ad Deum colendum corpore, & animo. Hæc tamen obligatio non videtur esse grauis vltra occasiones supradictas. Quia etiam satis frequenter occurrunt communiter occasiones profitendi alijs de causis; satisfaciunt communiter huic præcepto affirmatiuo, qui profitentur quando illæ exigunt. Peccaret tamen, non tantùm contra virtutes alias, sed etiam contra fidem ipsam, qui nunquam profiteretur: vt de actu interno suprà diximus.

8. *Ad qu[id] oblig[et] negati[uum?]*

Alterum quod ad professionem fidei necessariò pertinet, est vt fides nunquam negetur, neque fiat quidquam ipsi repugnans. In quo consistit præceptum fidei negatiuum, prohibens simpliciter, & absolutè; adeóque pro semper obligans. De quo præcepto præcipuè loquuntur Scripturæ loca suprà citata, in quibus Christus apertè significat, ne metum quidem mortis excusare, cùm addit v. 24. eiusdem capitis Luc. 9. *Qui enim voluerit animam* (id est, vitam) *suam saluam facere* (negando fidem, vel erubescendo) *perdet eam.* Quod item docent exempla Machabæorum, & aliorum martyrum, & sensus vniuersæ Ecclesiæ, quæ grauissimi peccati semper damnauit eos, qui metu mortis, vel tormentis victi, fidem negarent exteriùs, licet animo retinerent; vel qui eius oppositum profiterentur: & Helceseïtas, ac Priscillianistas pro Hæreticis habuit, quòd dicerent licere in persecutione negare exteriùs fidem, ad vitam conseruandam, dummodò interiùs retineretur; vt testatur D. Augustinus tom. 6. in lib. de hæresib. hæresi 70. Ratio est, quia negare fidem, vel profiteri oppositum, est per se malum ab intrinseco, & ex natura rei: Ergo non potest licitè fieri: sicut neque dissentire reuelationi diuinæ sufficienter propositæ, aut assentiri opposito.

9. Neque dicas professionem externam esse tantùm necessariam respectu hominum, cùm Deo satisfiat per actum internum: Non tenemur autem propter homines cum tanto periculo, vel nostro malo, fidem profiteri, ita vt non possimus decipere vtendo æquiuocatione, & simulando nos negare exteriùs. Respondeo enim aliud esse verè negare exteriùs, & aliud tantùm simulare negationem per aliquid æquiuocum. Primum, cùm apertum mendacium contineat, non potest vnquam esse licitum; quia mendacium est intrinsecè malum, & turpe, nulláque de causa licitum, vt fusè probat D. Augustinus cap. 20. libri contra mendacium. Secundum verò si non est simplex occultatio religionis, quæ aliquando licita est, vt infrà dicemus, sed apparens negatio, & reprobatio, ita vt alijs prudenter videaris verè negare, vel abjicere, est etiam intrinsecè malum: quia est contra diuinum honorem, & contumeliosum Christianæ religioni, & Ecclesiæ Christi, cuius honor vitæ propriæ præferri debet.

10. *Fides [ex]plicite potest [ne]gari exteriùs.*

Duobus autem modis potest negari fides exteriùs. Primò, per negationem formalem, & directam; negando veritates reuelatas in genere, vel in particulari: v. g. Christum esse Deum, baptismum esse Sacramentum, &c. vel negando se esse Christianum, Papistam,

Romanensem, Pontificium, & alia huiusmodi, quibus veri Catholici designantur, licet per contumeliam hæc illis nomina sint ab Hæreticis imposita. Notandum tamen ex Suare Disp. 14. Sect. 1. num. 10. hoc esse intelligendum, quando mens interrogantis est designare per hæc nomina professionem Religionis: Secus si gentem, aut aliquam aliam conditionem intelligat: Vt si in bello inter Regem, & Pontificem, qui tenent partes Pontificis, Pontificij vocentur. Aut si Infideles Christianis Europæis malè affecti, de religione nihil solliciti, sed genti inimici, quærant ab aliquo an Christianus sit, id est, de illis Europæis, quibus non ob religionem, sed ob iniuriam sunt infensi. Item, qui negat se esse Clericum, aut Sacerdotem, aut Religiosum, non propterea fidem negat: quia potest esse fidelis, licet Clericus non sit, vel Sacerdos, aut Religiosus. Secus autem qui negat se esse Christianum, vel Pontificium religione, & similia, in quibus includitur negatio fidei. Quia qui negat se esse Christianum, negat se credere in Christum: hoc enim est quod intelligimus per, esse Christianum. Et qui negat se esse Pontificium religione, negat se adhærere religione Summo Pontifici. Secus autem, si nomen illud strictiùs sumeretur pro adhæsione sola voluntatis & obedientiæ, quæ deest meris Schismaticis; in quo casu non negaretur fides, sed vnio voluntatis, & obedientiæ. Secundò, fides negari potest per contrariam affirmationem; vt si quis affirmet se esse Mahumetanum, vel Caluinistam, vel alterius falsæ religionis; quam cùm asserit, negat veram oppositam, & incompatibilem. Hic tamen etiam distinguendum est nomen religionis, à simplici nomine gentis, aut alterius conditionis. Nam qui Turcam se esse diceret, non propterea fidem negaret apud intelligentes non religionem, sed gentem, quam Turcæ nomen significat.

11. Peccans tantùm contra professionem fidei, non eam perdit.

Porro quia peccatum contra solum præceptum professionis fidei, seu positiuum, seu negatiuum, non opponitur incompatibiliter primario actui fidei, id est, assensui interno, qui in animo retinetur: neque facit verè, & propriè infidelem: hinc est quòd fides per illud non amittitur, licet alioquin grauissimum sit. De pœnis verò Ecclesiasticis contra huiusmodi transgressores videri potest Suares Disp. 14. Sect. 6. vbi affirmat primò, Clericos Promotos ad beneficia curam animarum habentia, vel ad Canonicatus, aut dignitates in Ecclesijs Cathedralibus, priuari fructibus beneficij sui, ipso facto, nisi intra duos menses professionem fidei edant. Priuari, inquam, donec illam ediderint; ex Trid. Sess. 24. cap. 12. de reformat. Secundò, nisi Prælatus in prima Synodo post suam Promotionem fidem profiteatur, teneri Episcopos Comprouinciales monere Pontificem, & interim ab eius communione abstinere; ex Trid. Sess. 25. cap. 2. decreti vltimi de reformat. Tertiò, Pium V. proprio Motu, qui incipit, *In Sacro-sancta*, excommunicare ipso facto tam promouentes, quàm Promotos ad beneficia, absque fidei professione. Sed hæc censura non est vsu recepta. Quartò, licet Caietanus 2. 2. q. 12. art. 1. affirmet lapsos exteriùs sine interna infidelitate incurrere pœnas, seu censuras latas simpliciter contra Hæreticos, vel Apostatas: verius tamen esse oppositum docent Syluester, Angelus, Nauarrus, Toletus, Azor, S. Antoninus, & alij. Quia lex pœnalis est stricti iuris, & restringenda ad delictum perfectum, & consummatum, quatenus per verba legis significatur: At verò leges illæ puniunt simpliciter Hæreticos, & Apostatas; quales illi non sunt, qui metu tormentorum, vel propter cupiditatem bonorum, vel honorum temporalium, ficto animo fidem negant, vel oppositam profiteri se simulant. Cùm enim primum, & præcipuum actum fidei retineant in mente; neque Hæretici sunt, neque Apostatæ à fide, sed dissimulatores. Quare tale peccatum nullam censuram inducit, neque Pontifici reseruatur: licet grauissimum & turpissimum sit.

SECTIO III.

An liceat aliquando non profiteri fidem ad vitandum aliquod malum?

Dico primò, non semper obligari fidelem ad professionem fidei, datâ quavis profitendi occasione: imò interdum profiteri, malum esse, & illicitum, propter circumstantias. Prima pars est communis Doctorum: & patet: quia præceptum professionis est affirmatiuum, non obligans pro semper, sed solùm quando bonum necessarium, diuinum, aut proprium, vel alienum, id exigit; id est, bonum, quod est tanti momenti, vt teneat illud procurare cum tanto meo periculo, vel incommodo; vel quando malum aliquod Dei, proximi, vel proprium, aliter auerti non potest; Et nimirum spes aliqua est boni illius assequendi, aut mali auertendi; alioqui nemo tenetur sine spe fructus se periculis exponere; atque ita qui videt frangi ab infidelibus imagines, conculcari sacra, &c. non tenetur se illis opponere, si non possit impedire iniurias illas, vel læsum Dei honorem aliquo modo reparare. Secunda pars probatur: quia malum est & illicitum sine spe fructus profiteri cum periculo excitandæ persecutionis, vel amittendæ propriæ vitæ aliorum bono necessariæ, eòque minus prodigendæ, sed ad maiorem Dei gloriam, proximique bonum seruandæ; vel etiam si iure timeatur periculum inconstantiæ in tormentis, & negationis fidei: tunc enim malum est sponte se tali periculo exponere, nulla necessitate id exigente. Denique Christus Matth. 7. v. 6. sic admonet: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Et D. Thomas q. 3. art. 2. ad 3. sic ait: *Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua vtilitate fidei, vel fidelium: non est laudabile in tali casu publicè fidem confiteri. Sed si vtilitas aliqua fidei speretur, aut necessitas adsit; contemptâ perturbatione infidelium, debet homo publicè fidem profiteri.*

12. Non sẽper ad id tenemur.

Quod præterea intelligendum est de vtilitate maiori, quàm sit malum turbationis. Nam è duobus malis minus est eligendum. Et bonum, ex quo plus mali sequitur, vitari debet, ratione maioris mali.

13. Liceatne fugere in persecutione? Dico secundò, per se loquendo licitum esse, etiam Pastoribus, & Prælatis, fugere, vel aliter se occultare in persecutione; nisi aliunde sequatur incommodum, aut præiudicium boni alicuius necessarij. Prima pars probatur primò ex Scriptura, Matth. 10. v. 33. vbi Christus Apostolos ipsos sic docet, *Cum autem persequentur vos in ciuitate illa, fugite in aliam.* Et 2. Cor. 11. v. 32. Paulus de seipso sic ait: *Damasci præpositus Gentis Aretæ Regis voluit me comprehendere: & à fratribus per murum demissus sum in sporta, & sic euasi manus eius.* Probatur secundò, exemplo Sanctorum Athanasij, Cæsarij, Maximiani, & similium, qui fugerunt quamvis essent Episcopi, & Pastores. Ratio verò est, quia huiusmodi fuga non est per se mala, cùm non sit negatio fidei, sed potiùs quædam ipsius professio, & pars quædam martyrij, cùm exilium pro fide suscipitur. Aliunde verò necessaria esse potest ad maius bonum, vel ad vitandum maius malum; putà ad consulendum suæ fragilitati: vel ad vitam pro aliorum salute conseruandam: quæ vtilitas, vel fragilitas tanta interdum est, vt fuga sit non modò licita, sed & moraliter necessaria. Neque vrget ratio, quâ Tertullianus in libro de fuga in persecutione, contendit probare oppositum: quia nimirum persecutio non fit sine Dei ordinatione, aut permissione: Non potest autem quisquam licitè niti contra prouidentiam Dei. Respondeo enim non esse contra, sed secundùm prouidentiam Dei, prouidere sibi conuenienter in persecutione, æquè ac in fame, morbo, & alijs incommodis, quæ similiter non eueniunt sine Dei prouidentia ordinante, aut permittente.

14. Secunda pars probatur: quia non licet fugere, si fuga vertat in contumeliam Dei, cuiusmodi fortè fuit Apostolorum fuga Christum deserentium, non sine aliqua ipsius ignominia; aut si fuga censeatur esse negatio fidei, cuiusmodi fuit secessio vnius ex quadraginta martyribus, è stagno frigido in calidum; obtemperando Tyranno, qui pro deficientibus à fide calidam aquam propè apponi iusserat: vel si fuga noceat aliorum saluti: vt si alicuius præsentia necessaria sit alijs in fide confirmandis, quorum salus spiritalis propriæ vitæ periculo anteponenda est: Debemus enim pro fratribus animam ponere, 1. Ioan. 3. v. 16. Et hoc maximè locum habet in Prælatis, & Pastoribus, qui non possunt licitè oues deserere in necessitate: & non tantùm ex charitate, sed etiam ex iustitia tenentur illis assistere. In dubio autem talis necessitatis debent stare arbitrio aliorum, vt caueatur periculo amoris proprij, & scandalo eorum, qui existimare possent fugisse sine causa sufficienti, aut non fuisse paratos ad manendum, si opus esset. Item, si possunt occultè agere inter suos, non possunt licitè fugere; quia tunc possent sine periculo, & debent, suis adesse. Videantur caput *Sciscitaris*, 7. quæst. 1. & D. Aug. Epist. 180.

15. Satisfit obiectioni. Iuxta superiora interpretandum est quod ait Christus Ioann. 10. ver. 11. *Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Hoc enim debet intelligi, quandò Pastoris præsentia ad tuendas oues vtilis, & necessaria est. Non dimittit autem oues, qui citra talem vtilitatem, & necessitatem fugit, non vt seipsum custodiat, sed vt prouideat gregis vtilitati. Porro, non tantùm licet fugere liberis, sed etiam comprehensis, & carcere detentis; quamvis fidei postulatio cœpta iam sit. Licitum etiam est se redimere pecunijs, aut aliter; vt patet ex Sanctorum historijs. Qua de re Baronius ad annum Christi 205. num. 17. Modò tamen absit scandalum; cuiusmodi esset, si ille qui se redimit, videretur fidem negâsse, & alijs esset occasio negandi; aut si alij redderentur, inde timidiores, propter magnam eius auctoritatem, incurrerentque periculum deficiendi, & succumbendi persecutioni.

16. Teneatúrne quis respondere qui de fide interrogatur. Dico tertiò: Interrogatus de fide sua, tenetur respondere, quando is, qui interrogat, ius habet interrogandi; vel quando ex eius silentio sequitur aliquod malum. Alioqui per se loquendo non tenetur; siue publicâ auctoritate, siue priuatâ interrogetur. Nunquam tamen potest ita respondere vtendo verbis ambiguis, aut mentis restrictione, vt iure videatur alijs fidem negâsse. Prima pars est clara: quia ius habens interrogandi, ius habet obligandi ad respondendum, si interroget. At tales non sunt Tyranni infideles, respectu fidelium. Secunda pars liquet; quia malum, & scandalum vitandum est. Tertia probatur; quia si licitè potest fugiendo vitare responsionem, vt iam ostendimus; potest & coram declinare, si commodè id fieri queat sine cuiusquam malo: quod quidem in priuatis interrogationibus contingere potest: dicendo familiariter, Quid ad te? vel discursum mutando. In publicis autem vix: quia potiùs irritabitur Iudex, aut Tyrannus tali modo respondendi, aut silentio, quo se contemni existimabit; & per tormenta grauiora confessionem extorquere conabitur. Ideoque communiter docent Theologi teneri Christianum publicè interrogatum respondere de fide. Per se tamen huiusmodi silentium, etiam in publica interrogatione, non est malum; quia non est negatio fidei, sed potiùs tacita professio. Nam si Christianus non esset, hoc libenter affirmaret Iudici, vel Tyranno, torquere propter fidem parato. Aliquando tamen ratione circunstantiarum potest præsumi esse tacita negatio fidei: vt si adstantes longè absint, & putent ipsum, quia dimittitur liber, fidem negasse: cùm viderint alios teneri, & in carcerem conjici. Vel si Tyrannus multos confusè interroget, & negare paratos iubeat nihil dicere in signum negationis: tunc enim alijs se prodentibus, non possunt alij silere; aut si è multis simul interrogatis aliqui negent nomine omnium, & alij nihil dicant, & videantur illis consentire. Aut si alius pro interrogato respondeat ipsum esse paratum ad fidem negandam, & ipse nihil dicat. Quo modo peccabant olim Libellatici, ementes libellos à Magistratibus

Ethnicis, quibus testabantur eos idolis sacrificâsse. Vel etiam, vt alij volunt, negantes priuatim fidem per se, vel per alios apud Magistratum, & datâ pecuniâ impetrantes libellos, quibus essent immunes à maiori vexatione, & coactione negandi publicè.

17. Quarta pars conclusionis, non licere scilicet vti tali ambiguitate, vel modo loquendi, vt videaris fidem negare prudenter iudicantibus, Probatur, quia id malum est: & Dei maiestas obligat ad vitandam omnem eius negationem, etiam apparentem, vt ex sequenti Sectione ampliùs constabit. Neque excusat quòd non interrogeris iuridicè. Hoc enim tantùm excusat à non respondendo, si nihil aliud obliget: at non à taliter respondendo, vt hinc sequatur Dei contumelia; sicut Iudici, licet non iuridicè interroganti, non possum ita respondere, vt videar crimen innocenti imponere.

SECTIO IV.

An liceat veram religionem dissimulare, & simulare falsam?

18. Pertinet hæc quæstio ad meliùs explicandum præceptum negatiuum professionis fidei, quo tenemur nunquam fidem negare; aut quicquam agere ipsi contrarium, id est, quo contrariam fidem profiteamur. Notandum autem primò, sermonem esse de illis, qui seriò simulant, vel dissimulant; non autem qui ioco, vel repræsentationis causâ, vt in comœdijs, vel tragœdijs fit. Secundò, quæstionem non esse de tempore, quo præceptum affirmatiuum professionis fidei obligat: tunc enim non licet occultare, vel dissimulare, sed opus est expressè profiteri. Tertiò, eum propriè simulare falsam religionem, qui dicit, aut facit aliquid, quod ex se natum est significare ipsum falsam religionem sequi. Veram autem religionem dissimulare, est tantùm dicere, aut facere aliquid, quo ipsius religio occultatur, ita vt alij nequeant colligere ipsum esse Christianum: licet nihil dicatur, aut fiat, quod natum sit significare ipsum non esse talem. Quartò, simulationem esse duplicem: vnam materialem, quâ quis tantùm intendit occultare id, quod est: Alteram formalem, quâ aliorum deceptio intenditur. Siue, vt alij explicant, formalis est, quæ fit ex intentione fingendi: Materialis, quæ non fit animo fingendi quidpiam, sed quâ aliquid, quod apud alios præsefert speciem talis significationis, non vitatur, aut adhibetur tantùm ad tegendum verum. Quintò, ea quæ adhibentur ad tegendum, duplicia esse possunt: quædam quæ ex natura sua, vel ex vsu, & institutione sunt tantùm ordinata ad falsam religionem significandam: vt genuflexio, vel thuris incensio coram idolo, & similia, quæ vsum alium non habent, quàm ad deferendum falsum cultum. Alia verò, licet interdum ex circunstantijs, & modò quo fiunt, referantur ad significationem falsæ religionis: per se tamen habent alium vsum ad victum, aut vestitum, aut aliquid simile pertinentem. Cuiusmodi est esus ciborum prohibitorum, non in indicium religionis, sed vt fami satisfiat: vsus vestium Turcicarum in signum Gentis, non religionis, &c. Sextò denique, hæc quæstio locum non habet, nisi quando graue incommodum vitandum, aut alia iusta causa exigit vt vera religio simuletur; quemadmodum sæpe contingit fidelibus versantibus inter infideles. Alioqui enim non licet quicquam facere, vnde quis, licet per accidens, infidelis existimari possit. His præmissis,

Status quæstionis.

Simulatio duplex: materialis, & formalis.

19. Dico primò, illicitum esse falsam religionem seriò, & propriè simulare vllo verbo, aut facto, quod vel ex natura sua, vel lege, & consuetudine, sit tantùm institutum ad significandam, aut profitendam falsam religionem. Ita Valentia quæst. 3. Punct. 2. dub. 4. Suares disp. 14. Sect. 4. num. 4. Ægidius Coninck disp. 15. dub. 3. num. 38. & sequentibus, Turrianus disp. 35. dub. 5. Vasques 1. 2. disp. 182. cap. 5. num. 35. & sequentibus, post Alensem, Antonin. Syluestr. & alios antiquiores. Probatur primò, quia talis simulatio continet intrinsecè cultum superstitiosum: cùm id quod fit, sit tantùm institutum, aut de se aptum ad vsum religiosum, & ad profitendam falsam religionem: ideóque non possit exerceri, quin contineat falsam significationem, & professionem; adeóque superstitiosam; quia talis significatio ex natura vel vsu inseparabilis est. At omnis actus superstitiosus est intrinsecè malus: Ergo, &c. Secundò, talis simulatio est professio externa falsæ religionis, & consequenter externa negatio veræ. At negare exteriùs veram religionem, est intrinsecè malum: Ergo, &c. Tertiò, alioqui possent recens conuersi ad fidem, & ignoti, thus adolere idolis, eisdemque sacrificare, vt Parentibus condescendant, aut Tyrannis fidem suam occultent; quod in Ecclesia intolerabile semper visum est, & exemplo plurimorum martyrum refutari potest.

Simulatio est illicita in certis casibus.

20. Contrarium senserunt D. Hieronymus Epist. 89. ad Augustinum, & Adrianus in 4. sentent. in tract. de Baptis. q. 1. art. 1. ad 5. Primò; quia Apostoli Iudaïsmum simulârunt post eius abrogationem, licet huius legis ceremoniæ post Christi mortem fuerint mortuæ, & mortiferæ. Nam vt Petrum ommittamus, cuius simulatio reprehensa est à Paulo, Galat. 2. Paulus ipse Timotheum circumcidit propter Iudæos, Act. 16. v. 3. & à nemine reprehensus est: Imò Iacobi Apostoli, & seniorum hortatu purificauit seipsum Iudaïcè, & voluit offerre sacrificium, vt ostenderet se legem custodire, Act. 21. v. 18. & sequentibus, quamvis illæ ceremoniæ iam essent abrogatæ, Act. 15. v. 20. & 29. Secundò, Elisæus permisit Naaman Syrum adorare cum Rege in templo Remmon, & fingere se adorare idolum, 4. Regum 5. Tertiò, Iehu finxit se velle adorare Baal, & sacrificare cum eius Sacerdotibus, quos, per speciem sacrificandi cum illis, conuocauit, vt eos interficeret. Et hoc eius factum laudatur à Domino, 4. Regum 10. Quartò denique, ratio est, quia hæc simulatio non est formalis, quæ est semper illicita, cùm falsitatem, & mendacium intendat: sed tantùm materialis, quia non fit animo

Cõtraria sententia.

profitendi falsum, aut significandi; sed animo tantùm occultandi aliquod verum, cuius patefaciendi nōn est necessitas. Licet aliquis inde falli possit, & existimare esse aliquid, quod non est; aut non esse id, quod est.

21. Ceremoniæ Iudaicæ nō statim fuerunt illicitæ post Christi mortem.

Ad primum respondeo, ceremonias Iudaïcas non fuisse ceremonias falsæ religionis, neque malas & mortiferas, statim post Christi mortem: neque enim religio Iudaïca tunc penitùs desijt, sed sensim cum honore sepulta est: Et licet statim post Euangelij promulgationem mortuæ fuerint, quatenus neminem ampliùs obligabant, nisi vitandi scandali causâ, vel aliquæ etiam ex præcepto Apostolico ad tempus lato, Act. 15. Vsus tamen earum, Iudæis præsertim conuersis, fuit aliquandiu licitus, vt lex vetus non statim tanquam mala damnaretur, sed paulatim abrogaretur. Cùm enim illæ ceremoniæ non fuerint institutæ ad aliquem cultum falsum, sed ad verum cultum Deo exhibendum; conueniebat eas non statim damnari penitùs tanquam malas, sed aliquandiu adhuc tolerari, quatenus præcisè erant ceremoniæ in Dei cultum institutæ, & præscindendo ab eo, quod essent futurorum significatiuæ; idque donec legem veterem, iam omnino completam, atque in posterum inutilem esse, clarè omnibus probaretur. Ita post D. Aug. & S. Thomam, docet Ægidius Coninck disp. 15. num. 42. Quibus non obsunt quæ Act. 15. & in Epist. Pauli ad Galat. & ad Hebræos dicuntur contra existimantes legalium obseruationem fuisse adhuc necessariam post sufficientem Euangelij promulgationem. Aliud enim est fuisse non necessariam, quod nos quoque dicimus; & aliud, fuisse illicitam, & superstitiosam, ac notam falsæ religionis, quod negamus.

22. Quid permisit Elizæus Naamano?

Ad secundum respondet Valentia, Elisæum non permisisse Naamano Syro id quod petebat, sed texisse veritatem, quam sine maiori eius damno aperire non poterat. Tantùm enim respondit, *Vade in pace.* Quæ responsio ambigua est, & significare potest, vel quòd Propheta concesserit Naamano id quod petebat sibi licere; vel quòd tantùm eum dimiserit sine expressâ negatione, contra quam grauiter peccâsset: cùm alioqui bonâ fide concessionem præsumens ex verbis Elisæi, in meliorem partem acceptis, non peccauerit. Sed meliùs alij respondent Naamanum tantùm petijsse, vt sibi liceret fungi erga Regem obsequio solito: nempe vt Rex sibi semper inniteretur, siue in templo, siue alibi, orans, sacrificans, aut aliquid aliud agens: vtque sibi liceret officij causâ, adorare, id est, iuxta vocem Hebraïcam, inclinare se ad sustentandum Regem genu flectentem: quod non minùs potuit illi permitti, quàm permittitur famulis, comitari sine scandalo, vel periculo subuersionis, heros infideles, vel hæreticos ad templa sua, ibique illis officia solita exhibere: quod per se nullam professionem religionis falsæ continet, cùm sit merum ministerium politicæ obseruantiæ, non sacræ ceremoniæ: licet hinc aliqui decipi possint per accidens existimantes religiosè id fieri.

23. Ad tertium respondent aliqui, Iehu ironicè locutum esse, vt Machabæorum mater, Antiocho promittens se suasuram filio id quod ipse desiderabat, 2. Machab. 7. Attamen Iehu non tantùm ironicè locutus est: sed etiam ad sacrificandum induxit, & holocaustum compleri permisit; vt patet ex versu 35. capitis cit. 4. Regum 10. Ideo factum illius non potest omnino à peccato saltem materiali excusari. Dico, *materiali*: quia ignorantia in homine militari, zelo religionis, accenso, & bona fides, potuerunt eum excusare à peccato formali, seu culpabili. Neque hæc eius actio laudatur à Domino; sed tantùm quòd domum Achab extinxerit; vt patet ex versu 30. Quæ extinctio facta priùs narratur ibidem; quàm Sacerdotum Baal occisio.

Simulatio Iehu Regis.

Ad quartum respondeo, simulationem materialem licitam esse, quando fit ex iusta causa, & debito modo, per aliquid non malum, sed indifferens. At simulatio, de qua loquimur, quámve negamus esse licitam, fit per cultum superstitiosum, & professionem falsæ religionis; quam licet simulans non intendat; non potest tamen eius dictum, aut factum externum, ab ea significatione separari, cùm ex natura sua, vel vsu id tantùm significet.

Dico secundò, extra casus, in quibus exterior fidei confessio necessaria est, licitum esse non modò non patefacere fidem, & religionem propriam; sed etiam, si opus est ad vitandum aliquod malum, aut bonum aliquod assequendum, occultare positiuè, & procurare vt non cognoscatur; retinendo, aut assumendo, vel agendo aliquid aliàs indifferens, aut non malum. Ratio est, quia si fiat professio fidei sine bono cuiusquam, & non sine proprio patefacientis malo, aut incommodo; non est per se laudabilis, sed absolutè meliùs est vt eius fides tunc ignoretur. Quare retinere, vel assumere, aut agere aliquid exteriùs, aliàs indifferens, vel non malum, ex quo sequatur talis ignorantia, non est malum propter illam; quia ipsa tunc non est mala, sed bona, & expediens ad vitandum malum imminens sine bono cuiusquam. Sic D. Sebastianus diu fidem occultauit sub militari baltheo retento, cuius occasione infidelis esse credebatur: quam postea, occurrente necessitate, cùm dispendio vitæ professus est: sanè antea professurus per abiectionem balthei, si necesse fuisset. Sic Catholicis, ad occultandam fidem inter Hæreticos, ob graue periculum, licitum est comedere carnes diebus prohibitis, modò sine cuiusquam scandalo, & sine Ecclesiæ contumelia id fiat, aut legis contemptu. Nam neque præceptum Ecclesiæ obligat cum tanto incommodo; neque est professio falsæ religionis, cùm res per se indifferens sit. Item, licet simili de causa adire templa Hæreticorum, & interesse eorum concionibus, nuptijs, funetibus, modo eorum ceremonijs, & precibus non communicetur, sed ea omnia tanquam nihil ad nos pertinentia, & prophana spectentur, & absit subuersionis, & scandali periculum. Addunt nonnulli alia quædam, quæ in praxi tuta esse non puto. Omnium autem consensu illicitum est, cœnam hæreticam sumere, offerre illis infantes ritù hæretico baptizandos, matrimonium cum

24. Simulatio Fidei quando licita?

Hæreticis ritu hæretico contrahere : quia hoc est participare eorum ritibus, quæ participatio continet professionem quandam falsæ religionis. Dixi autem, *hæretico ritu* : quia alioqui (vt fusiùs diximus in tract. de Matrim.) licitum est grauibus de causis matrimonium cum Hæretica contrahere ritu Catholico.

Vide tom. 5. Disput 75. sect. 1.

25. Liceatne sumere vestes infidelium?

Sic tertiò licet Christianis inter infideles transeuntibus, vel agentibus, vti vestibus infidelium proprijs, quarum occasione eandem religionem profiteri videantur. Quæ vestes, si non sint institutæ in signum religionis, sed Gentis, ita vt ferrentur ab ea Gente, quamvis conuerteretur, cuiusmodi sunt vestes Turcarum, Persarum, Indorum ; res caret difficultate. Quia cùm vestes illæ non sint impositæ ad significandam falsam religionem, vt dixi; vtens illis non significat falsam religionem ex vi earum. Quòd si infideles inde colligunt, eum esse eiusdem religionis ; hoc est per accidens, ex eorum discursu, qui colligunt eum talem esse, quales communiter sunt illi, qui eiusmodi vestes gerunt ; quam eorum deceptionem non tenetur Christianus cum suo tanto malo euitare : præsertim cùm infidelibus non aliter noceat. Vltra verò id genus vestium ex sua institutione indifferentium, vel ad Gentem tantùm denotandam institutarum, aliæ sunt, de quibus difficultas & controuersia est. Quædam enim licet primariò referantur ad corpus tegendum ob naturæ necessitatem ; specialiter tamen imponuntur ad significandos homines infideles, & discernendos à fidelibus ; vt si Princeps infidelis iubeat omnes suæ Sectæ professores vti tali genere vestium : siue id iubeat ob solum finem politicum, sicut iubentur Iudæi flauum pileum gestare, vt apareant quales sint : (quod non est malum, quia est tantùm patefacere veritatem, non autem profiteri falsam religionem ; ideóque legitimè iubetur à Summo Pontifice) siue ob finem religiosum, vt nimirum profiteantur suam religionem ; quæ professio mala est, & illicita, secùs quàm simplex manifestatio veritatis : qui enim solùm ad veritatem manifestandam dicit se esse Iudæum, aut Mahometanum, non plus peccat, quàm qui affirmat se esse Gallum, aut Italum : vterque enim actus est æquè conformis suo obiecto. Vel si Rex infidelis habens subditos fideles, & infideles, iubeat omnes fideles tali veste vti, vt discernantur ab alijs, quæ lex iam vsu communiter recepta sit : siue propter solum finem politicum, siue ob finem religiosum inducta fuerit. Item aliæ sunt vestes, quæ per se primò deputantur ad cultum superstitiosum alicuius Sectæ, neque habent communem, & corporalem vsum, sed tantùm sacrum, & religiosum in tali Secta ; cuiusmodi sunt vestes, quibus vtuntur sacrificuli Idolorum in sacrificando.

Etiámne illas, per quas discernuntur à fidelibus?

26. Resolutio difficultatis.

Huius secundi generis vestes licitè propter necessitatem assumi posse affirmant aliqui. Quia licet deputentur ad cultum superstitiosum, retinent tamen aptitudinem, quam de se habent ad communem vsum tegendi corpus : ideóque possunt assumi propter finem illum intrinsecum, & naturalem, contemptâ hominum institutione, & permissâ deceptione hinc secutâ. Sed oppositum tenendum est cum communi sententia : quia talium vestium gestatio, seriò facta, habet moraliter inseparabilem significationem falsæ religionis ; sicut incensio thuris, licet per se indifferens, facta tamen tali modo, instituto ad cultum religionis, habet significationem illius moraliter inseparabilem, neque potest vsurpari ad fidem occultandam. Deinde, huiusmodi vestes, cùm sint tantùm institutæ ad falsum cultum, neque habeant vsum alium, quàm religiosum ; æquiualent verbis & actionibus sacris. Quare sicut non licet vti verbis significantibus falsam religionem, nec actionibus sacris illius ; ita neque sacris vestibus. Dixi autem, *eria gestatio, siue religioso modo f cta*. Nam si fieret modo prophano, vel ridiculo, non esset signum cultus falsi, sed potiùs contemptus falsæ religionis.

Prioris quoque generis vestium vsum esse semper illicitum docent S. Antoninus, Syluester, Angelus, Caiet. Nauar. Tolet. alijque plures : quia vsus talium vestium est quædam fidei abnegatio, & professio infidelitatis ; cùm assumatur proprium signum religionis falsæ : & assumens ipso facto significet, se esse Iudæum, vel Mahometanum : quod non minùs illicitum est, quàm verbo idem significare. Factum enim verbo æquiualet, cùm sit æquè impositum ad significandum.

27. Contrarium tamen probabiliùs docent Suares disp. 14. Sect. 5. num. 7. & Ægidius Coninck disp. 15. num. 66. & sequentibus, cum plurimis alijs ibidem citatis. Ratio est : quia significatio religiosa est moraliter separabilis ab huiusmodi vestibus, etiam serio gestatis. Et licet propter impositionem communi vsui superadditam censeantur communiter significare falsam religionem : id tamen non significant moraliter in ijs circumstantijs, in quibus propter necessitatem assumuntur ad fidem occultandam. Cuius rei signum est, quòd si quis Christianus sub tali veste euadat, nemo censebit eam induisse, vt fidem negaret, vel negare videretur, sed vt se occultaret. Adde, Principem infidelem non habere ius transferendi vsum naturalem vestium ad talem significationem, in his circumstantijs, cum tanto incommodo Christianorum : neque ius exigendi ab ipsis professionem fidei, vel vt ab alijs se discernant per vsum vestium, quas designat pro fidelibus, vel infidelibus, ob finem religiosum, vel politicum. Et quamvis lex sit iam vsu recepta : non propterea obligat in illis circumstantijs. Vel enim est iusta, vel iniusta ? si iusta ? non obligat cum tanto incommodo : si iniusta ? non est illi parendum, quia non obligat.


28. Soluuntur arg. cōtraria.

Hinc patet solutio fundamenti Aduersariorum : neque enim tunc assumitur signum falsæ religionis ; cùm talis vestis in talibus circumstantijs non sit signum falsæ religionis ; neque fidelis assumens eam significet ; sed tantùm se occultet. Neque est par ratio verborum, & vestium : quia verba non habent alium vsum, quàm significandi : Secus autem vestes, de quibus loquimur. Cauendum tamen ne in illis sit aliquid, quo ex natura sua cultus superstitiosus deferri videatur, vel ex significatione

mortaliter inseparabili. Vt si in veste feratur picta imago Mahometis, vel Idoli, specie venerabili, capite radijs illustrato, vel picto, alio coram adorante. Talis enim signi vsum puto esse illicitum, æquè ac vestium, & actionum sacrarum, seu potiùs sacrilegarum: licet id quoque permittere videatur Suares num. 8. modò, inquit, occultetur signum illud, vel alio modo caueatur, ne talis demonstratio cultus, & honoris deferatur.

29. Sed instat Caietanus: quia si Princeps infidelis imperio suo, vel lege iubeat Christianos ab alijs tali veste discerni, interrogat eos virtualiter de sua religione: Ergo tenentur respondere, & profiteri. Respondeo primò, non esse eandem rationem legis, vel imperij generalis; & interrogationis: quia is, qui interrogatur, non potest facilè vitare, quin vel tacendo affirmet, vel dissimulando neget veram religionem. Qui verò legi non paret, non est in illo periculo: quia lex est communis, & confusa; & non ita attingit personam singularem, sicut interrogatio. Et quamvis lex sit recepta; non obligat in malum fidelium, ne, cùm fuerit opus, possint suam occultare religionem. Respondeo secundò, eum qui interrogatur, non teneri fidem suam patefacere cum suo incommodo, si ad Dei, vel proximi, vel proprium bonum ipsius non sit necesse; sed posse callidè sermonem aliò detorquere, aut non directè respondere; modò tamen falsum non dicat, neque neget se esse id quod est.

Porro in his omnibus seu vestibus, seu alijs, supponimus casum necessitatis exigentis tale genus vestium, & similium. Nam si vestes indifferentes, aut Gentis tantùm, sufficiunt; non sunt sumendæ aliæ specialiter destinatæ in signum religionis. Et si potest prætendi dolor stomachi ad vitandum esum prohibitum; debet prætendi. Supponimus etiam abesse scandalum: vt esset, si quis eiusmodi vestibus vteretur coram illis, quibus notus est, & qui ignorantes causam mutationis, putarent ipsum negâsse fidem, eiusque exemplo incitarentur ad idem faciendum. Vel si quis notus vt Christianus, & Catholicus, vesceretur cibis prohibitis, vel idolothytis cum scandalo intuentium: quod est cauendum in hac materia. Secus verò, talem esum licitum esse affirmat Paulus 1. Cor. 10. v. 27. Supponimus denique abesse participationem cum sacris & alijs superstitionibus infidelium, quas olim martyres, & veri fideles, tanto studio, etiam cum vitæ dispendio, semper vitârunt. 30. Non licet extra casum necessitatis, fidem simulare,



DISPVTATIO DVODECIMA.

De habitu Fidei.



DE virtute fidei habituali, eiusque subiecto disputat S. Thom. q. 4. & 5. In quarum priore docet 1. fidem rectè à Paulo definiri, *Substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, Hebræorum 17. Cuius sensus est, Fides est habitus mentis, quo inchoa-

tur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus. Et per hoc quod dicitur *argumentum*, id est, conuictio, & firma adhæsio intellectus, distinguitur fides ab opinione, suspicione, & dubitatione. Per hoc autem quod dicitur, *non apparentium*, distinguitur fides à scientia, & intellectu, per quæ fit aliquid apparens. Per hoc denique quod dicitur *substantia rerum sperandarum*, distinguitur virtus fidei à fide communiter sumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam. 2. Fidem esse in intellectu, tanquam in subiecto: quia est proprium principium actus credendi, qui actus est immediatè intellectus; & versatur circa verum, quod obiectum propriè pertinet ad intellectum. Vltra hunc autem habitum intellectus, requiritur alius in voluntate, vt actus credendi sit perfectus. Quia credere est actus intellectus secundùm quod mouetur à voluntate ad assentiendum. 3. Charitatem dici formam fidei, quatenus per charitatem actus fidei perficitur, & formatur. Nam actus ille ordinatur ad bonum diuinum, quod est obiectum proprium charitatis. Actus autem sortiuntur speciem à fine, ad quem ordinantur: & id, à quo aliquid speciem sortitur, se habet in modum formæ. 4. Fidem informem, & fidem formatam esse vnum, eundemque habitum, his diuersis nominibus appellatum ab absentia, vel præsentia charitatis, quæ est illius forma. 5. Fidem informem non esse virtutem: quia licet actus fidei informis habeat perfectionem debitam, ex parte intellectus: non tamen ex parte voluntatis, nisi per eam referatur infallibiliter ad vltimum finem, propter quem voluntas assentiatur vero; vt fit per fidem formatam. 6. Fidem esse vnam specie virtutem, & differentem solo numero in diuersis subiectis: quia habet vnam formalem rationem obiecti, nempe veritatem primam. 7. Licet per accidens aliqua alia virtus possit esse prior fide, inquantum remouet impedimentum credendi: sicut fortitudo remouet inordinatum timorem impedientem fidem, & humilitas superbiam, per quam intellectus recusat se submittere veritati: tamen per se loquendo fides est prima virtutum. Quia cùm in agibilibus finis sit principium agendi: necesse est virtutes Theologicas, quarum obiectum est vltimus finis, esse priores cæteris virtutibus. Ipse autem vltimus finis debet priùs in intellectu esse, quàm in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est intellectu apprehensum. Vnde oportet finem vltimum priùs esse in intellectu per fidem, quàm sit in voluntate per spem, & charitatem. 8. Denique, fidem esse certiorem alijs virtutibus intellectualibus: Arte quidem, & prudentiâ; ratione materiæ: quia est de æternis, quæ non contingit aliter se habere. Sapientiâ verò, scientiâ, & intellectu naturaliter sumptis; ex parte causæ certitudinis: quia fides innititur veritati diuinæ: & tria prædicta innituntur rationi humanæ. Tametsi non est certior illis ex parte subiecti: quia intellectus hominis minùs plenè consequitur obiectum fidei, quàm illarum obiecta. Si autem sumantur, vt sunt dona supernaturalia præsentis vitæ, coopérantur ad fidem, sicut ad principium, quod præsupponunt: vnde etiam secundùm hoc fides est certior.

In posteriori quæstione affirmat Angelos, & homines ante peccatum, habuisse fidem. Quia per gratiam tunc inceptam, & nondum consummatam,

matam, fuit in illis inchoatio quædam speratæ beatitudinis: quæ quidem inchoatur in voluntate per spem, & charitatem: in intellectu verò per fidem. In Dæmonibus autem non esse fidem illam, quâ ex imperio voluntatis in bonum tendentis mouetur intellectus ad assentiendum veritatibus à Deo reuelatis: sed tantùm fidem exactam, quâ ex naturali sua perspicacitate, & signorum euidentia, doctrinam Ecclesiæ à Deo profectam esse credere coguntur. Addit, in Hæretico discredente vel vnicum articulum fidei, non manere fidem neque formatam, neque informem: quia tollit rationem formalem obiecti fidei: quâ sublatâ, non potest habitus remanere. Posséque fidem esse maiorem in vno, quàm in alio; non tantùm propter maiorem certitudinem, & firmitatem, ac deuotionis feruorem: sed etiam secundùm quod plura quis explicitè credit, quàm alius. Hucusque D. Thomas.

****

SECTIO I.

An detur habitus fidei infusus, & supernaturalis, realitérque distinctus ab intellectu?

1. Respondetur affirmatiue.



Conclusio affirmatiua tam certa est ex Trid. Sess. 6. cap. 7. vt sine magno errore contra fidem non possit in dubium vocari: vt bene ait Suares lib. 7. de gratia cap. 15. n. 8. Tridentinum enim ibi definit infundi in iustificatione fidem, spem, & charitatem, iustisque inhærere; vt de charitate expresse asserit, de fide verò, & spe par est ratio. Infusio autem rei inhærentis ei, cui infunditur, apertè sonat distinctionem realem. Nam idem sibi ipsi non inhæret. Additque ibidem Trident. per easdem qualitates nos renouari spiritu mentis nostræ, *iustitiam in nobis recipientes* (maiorem, aut minorem, seu magis, aut minùs intensam) *secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Et paulò pòst: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hac omnia simul infusa accipit, homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque viuum eius membrum efficit.* Ibidem ait hanc iustitiam esse primam stolam, *quam iubemur conseruare, vt eam perferamus ante tribunal Christi:* quibus verbis designat eius permanentiam, quam nomine habitus Theologi significanr. Et cap. 15. definit charitatem amitti quovis peccato mortali; non fidem, quæ amittitur solùm per infidelitatem. Et can. 28. anathematizat asserentes, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti: aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua; aut eum, qui fidem habet sine charitate, non esse Christianum. Quibus verbis propriè, vt debent, acceptis, apertè docet, fidem, spem, & charitatem, de quibus loquitur, & esse permanentes, donec per peccatum expellantur: & distingui inter se, quia ait esse plures, & posse vnam esse sine alia; & distingui ab anima, cui infunduntur, & inhærent. Quod qui non vident, non satis attentè, & sincerè verba Concilij expendunt.

2. Probatur ex Trident. Loquitur autem Concilium de habitu, non de actu. Primò quia initio capitis 7. dicit hanc infusionem sequi post nostram cooperationem, & dispositionem, consistentem in actibus fidei, & aliarum virtutum, quos actus cap. 6. enumerauit. Vbi expressè actum fidei prærequirit in adultis, velut dispositionem ad huiusmodi infusionem. Secundò, quia de fide est infundi fidem, spem, & charitatem, etiam infantibus, eo instanti, quo baptizantur, ex Trid. Sess. 5. can. 3. & 5. & Sess. 7. can. 7. *de Sacramentis in genere.* At infantibus non infunduntur actus, quorum sunt incapaces. Adulti quoque, cùm baptizantur, & iustificantur per baptismum, vel alia Sacramenta, non sentiunt sibi infundi huiusmodi actus (qui eos latere non possent, cùm sint actus vitales) eo instanti, quo Sacramenta recipiunt; & tamen eodem instanti iustificantur per infusionem fidei, spei, & charitatis, ex Trident. Sess. 7. can. 7. *de Sacramentis in genere*, iuncto cap. 7. Sess. 6. Ergo infunduntur habitus, non actus. Tertiò, quia Concilium eodem cap. dicit Iustitiam in illa fide, spe, & charitate infusa consistentem, esse stolam perferendam ante tribunal Christi, & vsque ad finem vitæ ex Dei præcepto seruandam esse; quod non potest actui conuenire. Quartò, idem Concilium Sess. 6. cap. 15. affirmat, fidem non amitti quovis peccato mortali, sed tantùm peccato infidelitatis: Ergo agnoscit fidem in nobis permanere, etiam dum nullum fidei actum exercemus, imò etiam dum peccamus mortaliter, excepto peccato infidelitatis directè fidei opposito. Hanc autem permanentiam nomine habitus significamus, quo etiam nomine vtitur Concilium Viennense, vt refertur in Clementina de Summa Trinitate. Iam verò illa qualitas permanens, & habitualis non potest aptè significari, & intelligi nomine fidei, nisi sit habitus operatiuus, & cognoscitiuus, valens ad credendum. Fides enim propriè vel est actus credendi, vel principium habituale talis actus; & Concilium Viennense

suprà non obscurè supponit hos habitus virtutum infundi ad vsum, id est, ad actus proportionatos, quos infantes non possunt exercere: propter quod aliqui Theologi illius temporis existimabant non infundi illis habitus; vt ibidem refertur.

3. *Habitus ille est supernaturalis in substantia.*

Dici etiam nequit hunc habitum esse naturalem in substantia. Primò, quia est infusus per se, & non tantùm per accidens. Ergo per se superat vires naturales, à quibus acquiri non potest, sed debet necessariò à Deo infundi gratuitò, & supernaturaliter: Consequentia patet: Antecedens probatur, quia si esset infusus tantùm per accidens, posset acquiri naturaliter, & haberet modum alium productionis sibi connaturalem. Quod enim fit per accidens vno modo, potest fieri per se alio modo: Et nihil est, quod non habeat connaturalem aliquem modum, quo produci possit: At habitus fidei, spei, & charitatis iustificantis non possunt acquiri naturaliter, neque aliter haberi, quàm per infusionem Spiritus sancti: cùm ne quidem possimus solis viribus naturalibus sufficienter ad illos disponi, ex Trident. Sess. 6. cap. 5. 6. & 7. & can. 3. Deinde habitus naturales non dant posse simpliciter, sed dant facilè posse, & inclinant ad operandum. At hi habitus infusi dant posse simpliciter: quia potentia sine illis, vel auxilio æquiualenti supplente habitum, nihil potest; & non inclinant ad operandum; nam baptizatus non plus sentit facilitatis, & inclinationis, quàm antea. Tertiò, habitus naturales pelluntur naturaliter per habitus contrarios. At hi habitus infusi, neque pellunt malos habitus contrarios: (iustificati enim sentiunt eandem inclinationem ad vitia, quàm antea, donec habitus acquisitos contrarios acquirant) neque ab illis pelluntur; sed tantùm amittuntur per actus contrarios, si culpabiliter exerceantur, & sint peccata mortalia. Quod signum est non physicè ab illis, sed tantùm meritoriè pelli: Eadem enim est natura, & entitas physica actus infidelitatis culpabilis, & actus inculpabilis ob defectum libertatis: Et tamen inculpabilis non pellit habitum fidei infusum: Ergo neque culpabilis illum pellit naturâ suâ, & ex natura rei. Alioquin vbi est eadem natura, esset eadem vis, eadémque expulsio.

4. *Vltra illum datur alius naturalis.*

Vltra hunc habitum fidei infusum, & supernaturalem, datur alius naturalis, & acquisitus, qui per actus producitur, non tantùm per naturales (quos circa fidei obiectum dari posse ostendimus alibi) sed etiam per supernaturales. Ratio enim cur potentiæ acquirant habitus naturales, & facilitatem ad operandum, est quia operando sese exercent. Atqui non minùs se exercent concurrendo ad actus supernaturales, quibus non minùs se impendunt, quique nullo experimento à naturalibus discerni possunt. Ergo, &c. Confirmatur experientiâ ipsâ, quanta in rebus supernaturalibus esse potest. Videmus enim fideles, qui actus fidei crebrò, & intensè exercent, magnam facilitatem credendi acquirere; quam non amittunt, licet per aliquod peccatum infidelitatis totam fidem supernaturalem amittant; sentiunt enim eandem facilitatem, quam antè, ad alia obiecta; à quibus non dissentiunt. Ad hunc habitum est referanda facilitas, quam sentimus ad credendum supernaturaliter; quamquam interdum aliunde prouenit, nempe à copia, & præstantia auxiliorum intellectum illuminantium, & mouentium voluntatem; vt fit, cùm primi actus fidei promptè, & facilè eliciuntur. Neque enim id oriri potest ab habitu nondum acquisito, neque per accidens infuso, vt supponimus.

5. *Ad quos actus inclinet? & quomodo ad supernaturales?*

Dices cum Suare lib. 6. de Gratia cap. 14. n. 6. talem habitum non posse inclinare ad actus supernaturales, quia qualitas naturalis non habet naturalem appetitum ad supernaturalia: Item, quia naturalis inclinatio habitus fundatur in ipsius naturali virtute actiua, seu potiùs est ipsa virtus actiua. At non habet virtutem actiuam naturalem circa actus supernaturales: Ergo, &c. Respondeo talem habitum inclinare tantùm naturaliter ad actus naturales, quos circa idem obiectum potest cum causis naturalibus exercere; obedientialiter verò, ad supernaturales, posito quòd naturalis potentia ad eos eleuetur. Ad quos licet non possit ipse concurrere, nisi eleuante principio supernaturali: facit tamen vt potentia eleuata se facilius in illis producendis exerceat.

Instabis: quia habitus non facilitat seu inclinat obedientialiter ad id, ad quod facilitat naturâ suâ: atqui facilitat naturâ suâ ad actus supernaturales similes ijs, à quibus fuit productus. Respondeo distinguendo Maiorem: Ad id, ad quod facilitat naturâ suâ naturaliter spectatâ, seu comparatâ cum causis naturalibus, quibuscum possit facilè id operari: Concedo. Naturâ suâ spectatâ supernaturaliter, id est, coniunctâ cum principio eleuante: Nego. Ad minorem respondeo distinguendo similiter, & nego consequentiam. Simile argumentum fieri posset contra ipsam potentiam obedientialem, quæ in sua entitate formaliter naturalis est, constituitque formaliter subiectum potens operari actus supernaturales, non quidem naturaliter, sed tantùm obedientialiter, ob indigentiam causæ eleuantis.

6. *Differt realiter à potentia.*

Porro hic habitus acquisitus est quoque distinctus realiter à potentia, vt suppono ex vera, & communi sententia Philosophorum. Nam est nouitas in re, id est, noua facilitas, & inclinatio potentiæ. Non ostenditur autem superflua esse distinctio formæ, à qua talis facilitas, & inclinatio prouenit: & principium Nominalium tollendi distinctiones, nisi limitetur ad superfluas, est importunum, periculosum, & ad errorem ducens, vt alibi ostendimus. Quod autem non probetur distinctio esse superflua, patebit examinando argumenta quorundam recentiorum, qui contrarium sentiunt.

7. *Contraria sententia.*

Aiunt primò, esse quidem experientiâ euidens, dari habitus; quia experimur potentias aliquas reliquis omnibus dispositionibus paribus, ex solo vsu faciliùs operari: sed hanc facilitatem non esse aliud, quàm ipsammet potentiam, quæ posita conditione, quòd aliàs operata sit, potest per se solam faciliùs operari, quamvis ex priori operatione nihil relictum

sit. Sicut (inquiunt) anima potest recordari ex eo solùm, quòd antea obiectum cognouerit, absque vlla specie relicta. Sicut etiam lapis, positâ percussione, semetipsum in altum agit, sine cuiusquam productione. Nam de illo producto quæreretur, cur ipsum moueat in vnam partem, cùm posset in aliam; & vel dabitur processus in infinitum, vel omnino fatendum erit positâ tali applicatione lapidem natum esse in eam partem sese agere.

Soluitur prima eius obiectio. Respondeo nullo modo apparere, neque esse probabile quòd operatio, quæ iam non est, neque quidquam reliquit, possit physicè iuuare ad faciliùs operandum, vel ad recordandum, quemadmodum experimur nos physicè, id est, non moraliter tantùm, & æstimatiuè, iuuari per habitus, & species. Nam quod physicè iuuat, debet esse physicè, vt physice iuuet: sicut quod physicè agit, debet esse physicè, vt physicè agat: At nihil physicè iam est, sed operatio præterita perinde physicè se habet, ac si nunquam fuisset. Exemplum verò illud de motu lapidis, & aliorum proiectorum nouum figmentum est, absurdum, & incredibile, vt ostendimus disp. 37. de Eucharistia, Sect. 4. quam consule. Cur autem virtus impressa proiectis moueat potiùs in vnam partem, quàm in aliam, prouenit à concursu causæ primæ cum virtute impressa, iuxta exigentiam projicientis, & modum, quo res projicitur. Id enim puto probabilius esse, quàm quod post Aristotelem fusè docet Hieronymus Dandinus in 2. de anima digress. 40. proiecta moueri solùm ab aëre, vel aqua impellente ob commotionem initio factam à projiciente ad eam partem, versus quam facta est commotio.

8. Objiciunt secundò, distinctionem habituum non probari, nisi hoc argumento: Potentia potest esse, & non esse habitus: Ergo distinguitur ad habitu: quod argumentum non plus valet, quàm si quis dicat, Res poterat esse, & non esse extensio: Ergo extensio est aliqua forma superaddita rei; aut si quis dicat, Per motum res alibi est, quàm antea erat: Ergo per motum producta est aliqua forma. Ante approximationem ignis non poterat comburere, sed post approximationem id potest: Ergo per approximationem acquisiuit aliquam formam.

Satisfit secundæ. Respondeo argumentum distinctionis malè, & tantùm ex parte referri; addenda enim erat propositio alia, quòd nimirum vbi est nouitas in re, & fundamentum contradictionis, non est distinctio neganda, nisi appareat manifestè superflua: quia modus philosophandi negando distinctiones, nisi ita restringatur, ducit apertè ad errorem, & hæresim: Valet enim per se loquendo, & quantum est ex vi materiæ, & formæ, argumentandi, ad probandum accidentia quoque panis & vini non distingui realiter à substantia: quod est falsum & Hæreticum. Hac autem restrictione positâ, non sunt ad rem instantiæ propositæ de extensione, & motu locali, in quibus distinctio manifestè apparet superflua; cum res seipsa formaliter, sublato quovis alio distincto, sit extensa, eo solo quòd partes eius sunt aliæ extra alias, seu non sunt in eodem loco; & res quælibet seipsa formaliter impleat spatium, in quo est, eo solo quòd eius entitas est ab illo indistans; sitque euidenter æquè impossibile rem implere spatium formaliter per aliud à se diuersum, quàm existere formaliter, seu esse in rerum natura, per aliud à se diuersum; quidquid enim aliud ponatur, si ipsamet non est in spatio, non illud implet. Et si ipsamet est, seipsa implet, sublato quovis alio re, & ratione. Ad vltimam verò instantiam de propinquitate ignis ad passum. Respondeo illam non requiri, vt vim agendi, sed vt conditionem necessariam, quæ tamen vt iuuet ad agendum, debet actu esse. Nam licet ignis fuerit antea propinquus; si iam non est, non agit, neque magis iuuatur à propinquitate præterita, quàm si non fuisset. Quare malè proferunt aduersarij hoc exemplum, ex quo potius inferendum est potentiam non posse iuuari physicè ab operatione præterita, quæ iam physicè non est, si nihil sit ex ea relictum, quod ad operandum iuuare possit physicè, siue vt conditio, siue vt principium operationis.

Objiciunt tertiò: Istæ qualitates pro diuersitate actuum essent diuersæ, & inclinarent ad eos solos actus, à quibus essent productæ. Hoc autem est contra experientiam; liquet enim animum assuetum speculandis difficilibus, ad quæcumque difficilia perüestiganda fieri promptiorem. Respondeo, habitus naturales primò, & præcipuè inclinare, & iuuare ad eam speciem actuum, per quos producti sunt; secundariò verò, & minùs efficaciter, ad alios, quorum exercitium habet cum illis magnam affinitatem, & similitudinem. Interdum etiam facilitas illa ad alios actus prouenit ex organi dispositione, quæ cum aptior fit ad intelligendum, aut recordandum vnum aliquid, inseruire potest alijs intelligendis, aut recordandis, quibus eadem dispositio est æquè commoda. 9. Tertia refellitur.

Objiciunt quartò: Sequeretur posse animam habere habitum, & non posse faciliùs operari. Sint enim duo huiusmodi habitus contrarij in anima, intensi vt quatuor. Alter tantùm impediet, quantùm alter iuuabit. Ergo anima habebit facilitatem, & non poterit faciliùs operari, quod est ridiculum. Respondeo primò, retorquendo argumentum in sententiam Aduersariorum: Ponamus animam quater exercuisse actus contrarios, v. g. quatuor actus amoris, & postea quatuor act[u]s odij eiusdem obiecti. Anima per quatuor priores actus facta erit facilitas, vt ipsi loquuntur. Et tamen quia quatuor posteriores tantùm impediunt, quantùm priores iuuant, non poterit facilè operari. Ridiculum ergo est non id quod inferunt Aduersarij, sed quod tam leuiter sibi contradicunt. Secundò, respondeo directè, animam in eo casu habere facilitatem in actu primo, id est, principium quo iuuari possit ad operandum faciliùs, si non impediatur; sed non habere facilitatem in actu secundo, propter impedimentum; id est, reipsâ non facilè operari, & principium illud non facilitare. Sicut cùm duo æquè grauia in bilance mutuò se impediunt, ne descendant; habent vim ad descendendum, sed impeditam. 10. Quarta refutatur.

Objiciunt quintò: Actio motiua est tantùm 11.

Quinta diluitur. ad motum localem. Atqui motitando manus artificiosè, comparatur facilitas ad motum artificialem: Ergo comparatur sine vlla actione; quod est falsum, & impossibile. Neque dicas fieri actione motus. Nam motus nihil est præter rem motam: vel si hic terminus sumatur verbaliter, est complexè significabile: quod certè nequit esse principium alicuius entitatis. Respondeo, habitum artificiosè mouendi non comparari in manu, in qua si quæ facilitas vsu acquiritur, prouenit ex Organi dispositionibus, quæ aptiores ad motum euadunt: neque in potentia loco motiua; sed in cognoscitiua, & appetitiua, dirigente, & applicante ad motum. Cuius rei signum est, quòd res inanimes, & carentes cognitione, & appetitu, nullam vsu acquirunt facilitatem ad motum, nisi fortè mutent dispositionem, aut figuram: v. g. lapis etiamsi millies descendat, non descendit faciliùs, aut celeriùs. Quare habitus, qui acquiritur à mobilibus cognoscitiuis, acquiritur solùm à potentia cognoscente, & appetente, per actus practicos dirigendi, & applicandi potentiam loco-motiuam; qui actus non perfectè exercentur, nisi in ipso vsu: ideóque sine illo non acquiritur perfectè habitus. Respondeo secundò, posito quòd habitus acquireretur in manu, & in potentia loco-motiua; causam illius facilè assignari posse; nimirum ipsam potentiam, positâ motione, seu exercitio se mouendi, vt conditione sine qua non. Nam licet communis sententia sit habitus produci per actus; est tamen etiam probabile habitus produci physicè, non ab ipsis actibus, sed à potentijs se exercentibus, posito illo exercitio vt conditione sine qua non. Quod autem addunt, motum nihil esse præter rem motam, & esse tantùm complexè significabile, alibi fuit refutatum, in hoc ipso tractatu, disp. 2. Sect. 2. & seqq.

11. Sexta reijcitur. Objiciunt sextò: Illi habitus debent semper perseuerare, donec contrarijs habitibus cedant. At hoc est falsum: quia experientiâ constat, deficere solâ desuetudine: v. g. vt quis dediscat Philosophiam, non est opus vt habeat ignorantiam prauæ dispositionis, assentiendo contrarijs enunciabilibus: sed sufficit sola cessatio à contemplandis huiusmodi obiectis. Respondeo primò retorquendo argumentum; si enim habitus seu facilitas desinit desuetudine: Ergo non est sola potentia, quæ positâ conditione, quòd aliàs sit operata, possit per se solam faciliùs operari; vt volunt Aduersarij. Nam semper manet, quòd potentia aliàs operata sit; estque impossibile id desinere esse verum. Quare facilitas semper maneret, si potentia ex eo solo, quòd aliàs operata sit, posset per se solam faciliùs operari. Similitérque si species intelligibilis nihil est aliud quàm potentia, quæ potest recordari eius quod antè cognouit, positâ solùm conditione, quòd antea cognouerit: Impossibile est species intelligibiles vnquam desinere: quia impossibile est potentiam non cognouisse quod cognouit. Quare possemus in perpetuum recordari eorum omnium, quæ vnquam cognouimus; quod est contra experientiam. Neque dicas posse quidem ad tempus, & non semper: quia si nihil reale perijt, nulla est ratio, cur non semper possimus, & cur vis illa physica perierit.

Respondeo secundò, Negando Antecedens: desinunt enim habitus ipsâ desuetudine, nisi per actus subinde foueantur, Deo suum concursum subducente; quia sunt naturæ labilis, & fluxæ, vt sonus, & virtus proiectis impressa, & species intelligibiles, aut sensibiles sensus interni. Quare falsum est quod addunt Aduersarij, id de habitibus dici sine exemplo, & Deum non solere concursum suum subducere, nisi vt aliqua causa non priuetur sua actiuitate. Priuat enim etiam, quando finis, & officium, ad quos res quædam sunt institutæ naturâ suâ, id exigit; vt patet in sono, qui si semper duraret, vt durat aliquandiu sine influxu causæ secundæ; mirabilis, & importunissima sonorum, ac vocum confusio semper existeret.

Objiciunt septimò: Tales habitus si distinguerentur, à Deo infundi possent; & ita, si aliunde deessent species, nullo modo facilitarent; & consequenter non essent facilitates. 12. Respondetur 7. obiectioni. Imò cùm comparentur habitus etiam ad faciliùs recordandum, & pronuntiandum totam aliquam orationem; tot erunt diuersi habitus, quot animæ operationes. Cur ergo post vnam operationem vnus potiùs, quàm alius facilitabit ad actum sibi proprium? Erit certè opus, vt moneatur instare tempus, in quo ipse præ alio agere debeat. Quod cùm sit surdo loqui; fatendum est hanc esse solius animæ vim, quæ potest eo ordine plura reddere, quo accepit; itaque recurrendum est ad vim animæ, quæ talis est, vt positâ aliquâ dispositione plura possit præstare, quàm sine illa.

Ad primum Respondeo, In eo casu facilitaret in actu primo, sed non in actu secundo, defectu specierum quoad obiecta absentia, quæ sine illis cognosci non possunt; id est, Esset principium, sed non esset vsus, & exercitium, defectu obiecti, vel conditionis necessariæ ad cognoscendum. Licet autem difficile sit intelligere, & explicare, quomodo species, vel habitus iuuent ad recordandum eodem ordine id quod antea didicimus: multò tamen difficilius est, & omnino in-intelligibile, id quod physicè nullo modo est, iuuare physicè ad operandum, vt dicunt Aduersarij planè gratis, & sine vllo exemplo. Quamvis enim tum anima, tum aliæ causæ, possint præsente, & actu existente aliquâ dispositione, plura præstare, quàm sine ea; nulla tamen est, quæ physicè iuuetur à dispositione absente, & præterita, quæque physicè omnino nihil est: neque id magis potest intelligi, quàm quòd aliquis possit iuuari physicè à chimæra: aut quòd physicè agere valeat id quod physicè non est; quod esse impossibile fatentur Aduersarij. Cùm autem memoriter addiscimus, acquirimus species, & habitus non tantùm verborum singulorum, aut periodorum; sed etiam ordinis, & connexionis eiusdem, quâ didicimus; à quibus speciebus, habitibúsque iuuamur, vt eodem ordine repetamus: indéque etiam fit, vt post vnam operationem, vnus habitus potiùs, & priùs quàm alius, facilitet ad actum sibi proprium; quia

ratione obiecti habet cum illo connexionem immediatam: tendit enim ad suum obiectum, vt connexum cum obiecto illius, id est, ad cognitionem vtriusque obiecti ita ordinati. Mitto reliqua ab aduersarijs obiecta, quia leuiora sunt, & minùs digna refutatione: vel iam alibi soluta; vt quod aiunt de indistinctione actuum vitalium à potentia vitali, ipsóque viuente & substantiali principio: quod falsum esse demonstrauimus Disput. 10. Sect. 5.

SECTIO II.

Vtrùm habitus fidei supernaturalis sit vnus, vel multiplex: & an præter habitum fidei dentur species infusæ, vel alij habitus, qui per se iuuent ad credendum?

14. Probatur esse vnũ. PRima conclusio: Habitus fidei supernaturalis est vnus, & simplex in quolibet subiecto. Prima pars est D. Thomæ quæst. 4. art. 6. affirmantis fidem habitualem esse vnam specie, & differentem numero in diuersis. Vbi cùm ait differre numero in diuersis, significat non differre numero in eodem. Idémque docent communiter Theologi, vnicum scilicet in quolibet fideli esse habitum fidei supernaturalis, quo elicit omnes assensus fidei. Paulus quoque Heb. 11. de fide velut vnâ loquitur, eique tribuit plurimos, & diuersissimos assensus, speculatiuos, & practicos. Eodémque modo de fide velut vnica loquitur Trid. Sess. 6. cap. 7. & 15. Ad idem confirmandum adduci solet illud Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma:* quod in hunc sensum exponit S. Augustinus 13. de Trinit. cap. 2. Vnde Valentia quæst. 4. Punct. 6. initio, contendit rem esse de fide: Sed non est manifestum illum esse sensum Apostoli. Hortatur enim ibi ad pacem, & vnionem; assumitque in argumentum vnam spem vocationis, vnum Dominum, & vnam fidem. Quamvis autem essent multi specie habitus fidei, sufficeret ad intentionem Pauli vnitas conformitatis; si omnes illi essent pariter in vnoquoque. Præterquam quòd intelligi potest de fide obiectiua, id est, de fidei obiecto, eiusque vnitate; quatenus omnes idem credimus, sicut idem speramus. Idem etiam solet probari, quia omnes actus fidei sunt eiusdem speciei, propter vnitatem formalis obiecti. Sed hæc ratio falsum supponit, vt ostendimus alibi: neque in hunc sensum ratio D. Thomæ attic. cit. explicanda est: sed potiùs, quòd cùm fidei obiectum sit vnum aliquo modo, propter eandem auctoritatem Dei reuelantis, quæ est ratio formalis obiecti: vnus & idem specie habitus supernaturalis valere potest ad totum illud obiectum, & complecti quidquid credibile est propter Dei auctoritatem: Licet enim id fiat per actus specie diuersos: vniuntur tamen omnes, seu conueniunt in illo motiuo, & ratione formali assentiendi, potestque dari vnum specie principium supernaturale, valens ad omnia diuinitus reuelata, & ad multos actus specie differentes: sicut vnus idemque intellectus valet ad omnia intelligibilia: & vnus visus ad omnia visibilia, omnesque actus videndi, quantumvis specie diuersos. Habitus enim supernaturales se habent per modum potentiæ: quia dant posse simpliciter, & non facilè posse: ideóque non mirum est, si, vt potentiæ, valere possunt ad multos actus specie differentes; idque eorum excellentiæ valde conuenit. Adde quòd non producuntur physicè per actus, sicut habitus naturales, seu acquisiti, qui idcirco multiplicantur specie iuxta specificam diuersitatem actuum, à quibus producuntur, & quibus proportionantur, vt suppono ex Philosophia: sed producuntur à Deo solo, qui facilè potest infundere principia supernaturalia vniuersalia, id est, quæ valeant ad plurimos actus specie diuersos. Vnde collige discrimen esse inter habitum fidei supernaturalis, & habitum fidei acquisitæ: quòd ille vnus numero valeat ad omnes veritates à Deo reuelatas: iste autem multiplicetur pro varia specie actuum, per quos producitur sitque vnus tantùm moraliter per quandam aggregationem; vt Physica, Metaphysica, & aliæ scientiæ totales.

Vide Disp. 10. Sect. 6.

Secunda pars conclusionis, quòd habitus fidei infusæ sit simplex, intelligenda est primò de ipso habitu fidei præcisè sumpto, prout est proximum principium actuum fidei; non autem de aggregato ex habitu illo, & alijs quibusdam habitibus intellectum, & voluntatem ad credendum iuuantibus, vt explicabimus conclusionibus sequentibus. Secundò, intelligenda est de simplicitate opposita aggregationi, seu compositioni morali ex multis habitibus partialibus specie diuersis, qualem esse iam diximus in habitu totali fidei acquisitæ; & compositioni extensiuæ partium diuersarum, qualis est in albedine, & similibus qualitatibus corporeis: Neutra enim compositio conuenit fidei infusæ, quæ per eandem entitatem vnam, & indiuisibilem, valet ad omnia credibilia, sicut idem intellectus ad omnia intelligibilia. At non debet intelligi de simplicitate opposita compositioni ex partibus intensiuis, quibus fides intendi possit, & augeri in eodem subiecto. Certum enim est habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, intendi posse, & augeri, iuxta illud Luc. 17. v. 5. *Domine adauge nobis fidem:* Et in oratione Dominicæ 13. post Pentecosten Ecclesia sic orat, *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Et Trident. Sess. 6. cap. 10. Et can. 32. affirmat Iustos in iustitia crescere, & mereri augmentum gratiæ. Intensio autem qualitatum fit per additionem gradus ad gradum, & inductionem partium intensiuarum, vt ostendemus Disp. 17. Sect. 4. 15. Probatur esse simplex habitus.

16. Non infunduntur species sicut habitus fidei. Secunda conclusio: Præter habitum fidei non infunduntur nobis communiter aliquæ species intellectuales supernaturales circa illius obiectum. Probatur: quia non apprehendimus res fidei, nisi modo naturali, per Analogiam ad res sensibiles, si sunt spirituales; & prout de illis instruimur aliorum hominum ministerio: eóque meliùs, quò meliùs instruimur, vel quò magis valemus ingenio: acquirendo earum species eodem planè modo, quo acquirimus species rerum aliarum per viam disci-

plinæ. Experimur quoque infantes, & adultos, quamvis baptizatos, non posse magis, quàm infideles apprehendere obiecta fidei, de quibus nihil audiuerunt, aut quorum species modo naturali non acquisiuerunt. Atqui si species eorum accepissent in iustificatione, possent ea apprehendere, sicut possumus alia cognoscere, quorum species impressas habemus. Experimur, inquam, infantes baptizatos, postquam adolcuerunt, æquè ignaros esse mysteriorum fidei, nisi de illis instruantur, atque alios non baptizatos. Quod non esset, si haberent species infusas. Neque enim egemus instrui de ijs, quorum species iam habemus, sed earum interuentu possumus illa cognoscere, vt patet in rebus alijs. Experiuntur etiam Hæretici se æquè perfectè apprehendere res fidei, ac antè; & æquè perfectè, imò perfectiùs, si doctrinâ, & ingenio valent, quàm fideles indoctos, & rudes. Et alioquin experimento illis posset constare se species aliquas infusas amittere per hæresim: sicut iustificati experirentur sibi infundi per iustificationem; quod est falsum. Iuuat quidem Deus vt meliùs, & fortiùs obiecta fidei apprehendamus ad credendum sicut oportet: at hoc non fit per species infusas, sed per opem diuinam iuuantem intellectum, vt per obiecti præsentis determinationem, aut per species naturaliter acquisitas, illud meliùs, & vehementiùs apprehendat: sicut oculi, & alij sensus iuuantur aliquibus medijs, vt cum huiusmòdi obiectis, vel speciebus meliùs operentur.

17. Species supernat. non sunt necessariæ ad credendum.

Vnde collige species impressas supernaturales non esse necessarias ad eliciendum actum fidei supernaturalis; vt communiter docent Theologi, quorum plurimos citat, & sequitur Ripalda lib.3. de Ente supernat. Disp.54. Sect.3. Si enim tales species essent necessariæ ad actum fidei supernaturalem, infunderentur nobis in iustificatione, simul cum habitu fidei. Atqui non infunduntur. Ergo non sunt necessariæ. Minor patet ex dictis. Maior verò probatur, quia par esset vt vtroque principio necessario ad credendum supernaturaliter, habitu scilicet, & speciebus impressis supernaturalibus, essemus intrinsecè, & permanenter instructi, & constituti in actu primo completo. Item quia, si species illæ essent necessariæ, non minùs esset conueniens, vt actus fidei eliceretur cum illarum concursu, quàm vt eliciatur à principio vitali intrinseco completo per habitum. Itaque licet primus actus credendi, quo disponimur ad iustificationem, fieret sine concursu speciei nondum infusæ, sicut fit absque concursu habitus nondum infusi, & naturâ posterioris: par tamen esset ratio vt alij actus fidei, qui post iustificationem exercentur, procederent à vitali potentia, instructa specie impressâ, æquè ac habitu.

18. Satisfit arg. contrarijs.

Obijcies speciem concurrere ad cognitionem obiecti. Ergo vt connaturaliter concurrat ad cognitionem fidei supernaturalem, & de obiecto supernaturali, debet ipsa esse supernaturalis. Item si Deus videretur concurrente specie impressâ; deberet illa necessariò esse supernaturalis: & concursus Dei obiectiuus, seu determinatiuus, vice speciei, ad sui visionem, est supernaturalis. Ergo species concurrentes ad actum fidei supernaturalis debent pariter esse supernaturales.

Ad primum Respondeo, species impressas non concurrere effectiuè ad cognitionem, sed determinatiuè tantùm, vt alibi diximus. Et quamvis concurrerent effectiuè; possent eleuari, æquè ac potentia naturalis, per habitum fidei, vel auxilium æquiualens, ad coefficiendum actum fidei supernaturalem. Sicut autem potentia naturalis eleuata non concurrit naturaliter, sed obedientialiter: sic & species impressa obiecti fidei: siue concurrat efficiendo, siue potiùs determinando tantùm vice obiecti. Ipsi verò actui fidei non magis est præternaturale fieri mediante specie naturali impressâ, sufficiente ad determinandum; quàm fieri mediante naturali potentiâ sufficiente [illegible]italiter influendum & concurrendum cum principio eleuante. Tom. 1. Disp. 8. Sect. 1. & Disp. 38.

Ad secundum Respondeo, disparem esse rationem visionis Dei, & cognitionis fidei. Nam visio Dei repræsentat Deum sicuti est, germanè, & intuitiuè. Cognitio autem fidei non repræsentat reuelationem diuinam, & obiecta supernaturalia germanè, & intuitiuè, sed abstractiuè, & analogicè ad modum naturalium, & materialium. Quamvis autem non possint repræsentari germanè, & intuitiuè, ac propriè, supernaturalia, nisi per species supernaturales, aut per determinationem obiecti supernaturalem: secus tamen abstractiuè, impropriè, & analogicè tantùm. Quemadmodum, licet non possit Deus videri sicuti est, sine tali specie, vel concursu obiectiuo: naturaliter tamen cognoscitur abstractiuè, & analogicè, per creaturas, absque vllo concursu supernaturali.

19. Actus supernat. relinquunt speciem sui.

Porro, sicut alibi diximus actus supernaturales intellectus, & voluntatis producere habitus naturales: quia potentia æquè per illos actus se exercet: ab exercitio autem oritur facilitas, & inclinatio. Sic in præsenti dicendum est, actus fidei supernaturales relinquere species impressas naturales, quæ valeant ad recordationem; neque alias, aut alterius naturæ imprimere, quàm si essent actus merè naturales circa idem obiectum. Ratio est, quia ideo actus nostri imprimunt speciem sui, quia à nobis percipiuntur vitaliter: vnde si leuiter percipiuntur, leuem speciem imprimunt. Atqui non minùs percipiuntur supernaturales, quàm naturales; imò supernaturalitas ipsa ad perceptionem nihil facit; neque enim ipsa percipitur vt talis, ita vt distinguamus actus supernaturales à naturalibus: Ergo non imprimunt quâ supernaturales, sed quatenus vitaliter percipiuntur eodem modo, quo actus naturales. Ergo non est vnde species illæ differant, multóque minùs, vnde sint supernaturales. Quòd autem actus supernaturales relinquant aliquam sui speciem, patet experientiâ: quia non minùs recordamur actuum supernaturalium, quàm naturalium: Ergo non minùs relinquunt sui speciem, quàm actus naturales: hoc enim est indicium, ex quo Philosophi colligunt actus relinquere speciem sui.

Dixi in conclusione, communiter non infundi species, &c. quia non est negandum, quin Deus, si velit, possit extraordinariè illas infundere, sicut primo Parenti, & Angelis multas infudit initio creationis.

20. Vltra habitū fidei non infunditur lumen supernaturale. Conclusio tertia: Præter habitum fidei non infunditur aliquod lumen supernaturale circa res fidei, nisi per lumen illud intelligatur habitus ad rectè iudicandum de credibilitate, quem infundi probabile est, æquè ac habitum pij affectus credulitatis in voluntate. Prima pars huius conclusionis est contra nonnullos affirmantes in fide habituali distingui debere duas qualitates; vnam, quæ sit lumen fidei; alteram, quæ sit habitus fidei; sicut in naturalibus lumen intellectus distinguitur ab habitu scientiæ. Ad quod probandum adducunt illud 1. Petri 2. *Vocauit nos in admirabile lumen suum*: & 2. Cor. 4. v. 6. *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.* Sed hæc distinctio sic intellecta planè superflua est. Alia enim est ratio luminis intellectus, quod idem est cum ipsa potentia; ideóque distinguitur ab habitu superaddito, & subiectiuè ad illum se habet; & alia, de lumine fidei, quod nulla necessitas exigit distingui ab habitu fidei. Quidquid enim illi tribuitur, conuenit vni eidémque fidei habituali, quæ & habitus est, quatenus est qualitas permanens, valens ad actus fidei producendos; & lumen quoddam supernaturale habituale, quatenus facit cognoscere res fidei: Omnis enim cognitio, illuminatio quædam est; & omne quod manifestatur, in lumine manifestatur: atque ita Deus vocans ad fidem, vocat *ad lumen admirabile*, quo manifestat obiecta reuelata: & *illuxit in cordibus nostris*, quando per habitum, vel per auxilia æquiualentia dat notitiam rerum reuelatarum, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*, vel imperfectam huius vitæ, qualem habemus formaliter per fidem; vel perfectam, & plenam; vt in patria, ad quam fides, velut ad finem ordinatur.

21. Sed habitus ad iudicandū de credibilitate, & ad volendum credere. Pars secunda couclusionis de duplici habitu; altero infuso intellectui ad iudicandum de credibilitate; altero voluntati, ad volendum liberè credere, & vt bene afficiatur circa fidei honestatem, probatur: quia cùm actum fidei supernaturalem, & liberum præcedat necessariò actus voluntatis, qui est supernaturalis; & huic actui voluntatis necessariò præeat similis actus intellectus, quo cognoscitur credibilitas, & vt vera, atque euidens; dignáque assensu proponitur: probabile est infundi duplicem habitum supernaturalem vtrique actui respondentem, quo intellectus, & voluntas constituantur permanenter, & completè potentes intrinsecè ad illum eliciendum, vt fidelis sit perfectè & omni ex parte instructus habitualiter ad exercendos actus fidei, qui nunquam producuntur liberè sine aliquo actu præuio intellectus, & voluntatis. Confirmatur, quia voluntas non est minùs impotens ad actum volendi efficaciter credere, sicut oportet; quàm intellectus ad actum fidei supernaturalis. Ergo valde conueniens est vt sicut Deus instruit intellectum habitu fidei, quo sit potens intrinsecè constanter, & permanenter ad eum exercendum: sic & voluntatem instruat habitu, quo iuuetur vt efficaciter velit credere. Porrò hi duo habitus, fidei præuij, quia toti ad illam referuntur, & propter illam sunt, confunduntur cum illa, censentúrque vnus & idem habitus moraliter: vnde etiam simul cum fidei habitu acquiruntur, & perduntur, vt alibi notauimus, Disp. 10. Sect. 10. num. 77.

Objicies Tridentinum Sess. 6. cap. 7. nullam facere mentionem huiusmodi habituum, sed solùm Fidei, Spei, & Charitatis. Et cap. 8. dicit fidem esse radicem, & fundamentum totius iustificationis; quod non esset verum, si ante fidem præirent illi habitus. 22. Soluitur obiectio.

Respondeo Tridentinum noluisse id definire, sed nihilominus probabile esse infundi, æquè ac virtutes morales, iuxta D. Thomam, & communem sententiam, quarum tamen virtutum Tridentinum non magis meminit. Cùm autem ait cap. 8. fidem esse radicem, & fundamentum iustificarionis, loquitur de actu fidei, vt voluntario, & liberè ac prudenter elicito. Quo pacto iudicium de credibilitate, & actum voluntatis liberum comprehendit.

Conclusio quarta: Habitus prædicti sunt virtutes speciales, ab alijs distinctæ. Ratio est, quia sunt ad bonum determinati, & habent obiecta formalia ab alijs diuersa: habitus quidem intellectus, diuinam credibilitatem propositam sufficienter: habitus autem voluntatis, honestatem, quæ est in assentiendo Dei testimonio sufficienter proposito, summeque credibili, propter supremam Dei auctoritatem. Vnde collige priorem habitum esse virtutem intellectualem, quia ad verum determinat: posteriorem esse virtutem voluntatis, quia determinat ad bonum honestum. Collige præterea, hanc virtutem voluntatis non esse ipsam charitatem, vel religionem, vel obedientiam, & similes virtutes. Quia licet illæ omnes possint imperare actum fidei: non tamen imperant formaliter propter ipsammet fidei honestatem: sed charitas, quia Deo placet: religio, quia facit ad cultum Dei: obedientia, quia præceptus est; & sic de reliquis, quarum quælibet respicit suum obiectum formale. At verò hic habitus pij affectus circa res fidei, respicit formaliter, & præcisè, ipsam honestatem, quæ est in adhærendo Dei testimonio, & subjiciendo intellectum eius auctoritati; quod nulla alia virtus respicit. 23. Habitus illi sunt virtutes speciales.

Quòd si dicas id pertinere per se ad religionem, quia est actus quidam reuerentiæ, & cultus erga Deum, vt summam veritatem. Respondeo esse quidem aliquem Dei cultum generaliùs sumptum, qui etiam inest actibus Spei, & Charitatis, alijsque officijs, erga Deum, vt Deum, exhibitis: at non idcirco pertinere ad religionem; quia non fit ex animo seu motiuo protestandi excellentiam diuinam, vt summo honore dignam, sicut adoratio, sacrificium, &c. sed ex honestate speciali adhærendi per fidem, seu firmum assensum ei, qui fide dignissimus est, quia nec falli potest, nec fallere. Sed neque etiam id pertinet ad virtutem studiositatis, 24. Differunt à Religione.

vt malè aliqui putant. Aliud enim est moderari studium sciendi, id est, efficere ne homo, aut plus, aut plura scire velit, quàm deceat rectam rationem: aut quæ scienda sunt negligat propter laborem; quod facit studiositas: & aliud, piè velle assentiri Dei testimonio proposito sufficienter, propter honestatem, quæ est in tali assensu dato diuinæ auctoritati tanquam fide dignissimæ.

25. Sintne virtutes Theologicæ. Superest quærere, vtrùm isti duo habitus, iudicandi de credibilitate, & piè volendi credere, sint virtutes Theologicæ, an potiùs morales? Respondeo esse quidem reductitiè Theologicas, quatenus pertinent ad fidem Theologicam, & vnum moraliter habitum cum illa constituunt: at non propriè, & per se; quia non respiciunt Deum immediatè velut obiectum suum materiale, & formale, sed aliquid creatum: habitus quidem iudicandi de credibilitate, motiua siue argumenta credibilitatis per se euidentia: habitus autem volendi credere, ipsum assensum fidei, quem expetit propter ipsius honestatem, quémque immediatè respicit vt talem, mediatè verò dumtaxat Deum, & eius auctoritatem; quod ad virtutem Theologicam non sufficit; quippe quæ debet immediatè versari circa Deum, velut obiectum suum materiale, & formale. Hinc enim vocatur Theologica. Sed quamvis illi habitus essent virtutes Theologicæ, non esset propterea multiplicandus ternarius numerus vulgò datus: tum quia, vt dixi, faciunt vnum moraliter cum fide Theologica; tum & maximè quia numerus ille intelligendus est de virtutibus Theologicis infusis, & reuelatis huius vitæ, vltra quas datur in patria lumen gloriæ; & hîc in via datur habitus naturalis scientiæ Theologicæ, & Fidei acquisitæ, Spei, & Charitatis naturalis circa Deum.

SECTIO III.

Vtrum habitus fidei sit virtus intellectualis, & Theologica: & sitne practicus an speculatiuus: quémve ordinem seruet inter virtutes Theologicas?

26. Fides est virtus. Respondeo, fidem infusam esse virtutem intellectualem, supernaturalem, & Theologicam, eminenter speculatiuam & practicam, primámque ordine naturæ, seu generationis inter virtutes Theologicas. Prima pars responsi, quòd scilicet habitus fidei Theologicæ sit virtus, traditur communiter à Recentioribus, vt à Banne q. 4. art. 5. concl. 1. in commentar. Suare Disp. 7. Sect. 1. num. 8. Ægid. Coninck disp. 16. dub. 3. num. 26. Turriano disp. 40. dub. 1. Maldero ad quæst. 4. art. 5. dub. 3. & alijs, qui docent habitum fidei diuinæ, etiam præcisè sumptum ab habitu voluntatis, esse per se & essentialiter virtutem intellectualem. Ratio est, quia est per se, & essentialiter determinatus ad rectam operationem, nempe ad assentiendum vero. Atqui omnis talis habitus est essentialiter virtus: Ergo, &c. Maior probata fuit Disp. 3. Sect. 1. & sequentibus. Minor autem sumitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 55. art. 1. Vbi docet virtutem esse habitum determinantem potentiam ad bonum: & ex Arist. 6. Ethic. c. 3. Vbi affirmat habitus illos esse in intellectu virtutes, quibus intellectus perficitur ad proprium opus, quod est veritatem dicere. Pro quo nota nomen virtutis sumi dupliciter. Primò latiùs, pro quovis principio determinato ad rectè operandum circa obiectum proprium cuiusque potentiæ: quo modo habitus intellectum determinantes ad verum assensum, sunt virtutes intellectuales. Secundò strictiùs, pro principio determinato operationis honestæ, & bonæ specialiter, tendentis ad bonum honestum vt tale, quod solis competit voluntatis habitibus: & hanc virtutem D. Thomas 1. 2. q. 56. art. 3. vocat virtutem simpliciter, eamque distinguit à virtutibus intellectualibus, quæ versantur circa verum vt tale. Nos hîc virtutem priori sensu accipimus cum Arist. loco supra citato; qui si enumerans quinque virtutes intellectuales non meminit fidei; sed tantùm intellectus, sapientiæ, scientiæ, prudentiæ, & artis; causa est, quia fides diuina erat illi ignota; humana verò non est ad verum determinata, cùm falso æquè, ac vero credere possit.

Oppositum sentire videtur D. Thomas q. 4. art. 5. Vbi docet fidem formatam charitate, esse virtutem, quia vt sic est semper principium actus boni: informem verò, id est, præcisè sumptam, & sine charitate, non esse virtutem: quia vt sic non est principium actus boni, & perfecti, siquidem illius actui deest semper bonitas debita ex parte voluntatis. At fides informis, est fides essentialiter; cùm sit vera fides, nec quicquam sine sua essentia esse possit: Ergo fides non est virtus essentialiter, sed per accidens tantùm ratione charitatis. Addi potest ex Durando in 3. dist. 23. q. 6. quòd virtus sit habitus ad perfectè operandum, vltimâ perfectione, quam potentia habere potest: quia est dispositio perfecti ad optimum, vt ait S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 7. in corp. post Aristotelem 7. Physic. c. 3. text. 18. At fides non est per se essentialiter talis habitus, imò nec potest constitui talis per charitatem, neque per aliquid aliud. Optimum enim intellectus, & vltima perfectio, est euidens & clara cognitio, quam fides non attingit. 27.

Ad primum respondeo cum Ægidio Coninck, Disp. 16. num. 29. & alijs suprà citatis, mentem D. Thomæ esse non negare quin fides sit essentialiter virtus in sensu antea explicato; sed tantùm dicere quòd fides informis non sit virtus secundùm accidentariam quandam perfectionem, ei conuenientem, ac debitam, vt profit ad vltimum finem, ad quem refertur; id est, ad vitam æternam; quæ perfectio appellatur status virtutis. Quo sensu D. Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. docet nullam virtutem habere rationem, & statum perfectæ virtutis, nisi possit esse fructuosa, & meritoria vitæ æternæ; contenditque nullam veram, & perfectam virtutem nisi in iusto reperiri posse. Quo etiam sensu dicitur Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Sensus ergo D. Thomæ est, Soluitur argum. contraria.

fidem informem, licet sit virtus in suo genere, & gradu non habere statum conuenientem virtuti supernaturali, ad vitam æternam ordinatæ: atque ita non habere rationem perfectæ virtutis. Confirmatur ex eodem D. Thoma quæst. 23. art. 7. in corp. Vbi dicit, aliquo modo nullam esse veram virtutem sine charitate; & alio modo esse virtutes quasdam sine charitate. Cùm enim (inquit) virtus ordinetur ad bonum: & bonum sit principaliter finis: istéque sit duplex; vnus vltimus, & alius proximus. Si virtus sumatur, provt ordinat ad principale bonum hominis, quod est vltimus finis; sic nulla vera virtus potest esse sine charitate. Si verò accipiatur virtus secundùm quod est in ordine ad aliquem finem particularem; sic potest aliqua virtus dici sine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum.

18. Ad secundum respondeo primò, definitionem illam D. Thomæ, sumptam ex Arist. posse hoc sensu intelligi, quòd virtus sit dispositio perfecti, id est, supremæ partis animæ, intellectus scilicet, & voluntatis, ad optimam operationem circa suum obiectum, verum scilicet, & bonum honestum. Secundò respondeo, illam definitionem non esse virtutis in communi; sed esse virtutis summæ, & tendentis ad vltimum finem; vt exponit D. Thom. verbis modò relatis: eandémque non rectè tribui Aristoteli, quasi per eam definierit virtutem generatim. Aristoteles enim tantùm asserit virtutem esse perfectionem quandam: idque probat, quoniam vnumquodque tunc maximè perfectum est, quando est adeptum propriam virtutem, & maximè secundùm naturam. Quibus posterioribus verbis significat posse esse varios virtutum gradus. Quare id tantùm rectè ex illo colligitur; quòd cùm vnumquodque sit maximè perfectum, quando adeptum est propriam virtutem, & maximè secundùm naturam; sequitur maximam virtutem esse maximam perfectionem: ita tamen vt virtutes non-maximæ, sint etiam perfectiones, licet non maximæ, sed singulæ in suo ordine. Neque vniuersim est de ratione virtutis vt inclinet ad summum bonum potentiæ, aut illud attingat summâ perfectione: alioquin vna tantùm esset virtus in qualibet potentia: sed sufficit vt tendat determinatè ad bonum & perfectionem potentiæ.

19. *Fides est virtus intellectualis.* Secunda pars responsi initio Sectionis dati, quòd scilicet habitus fidei sit virtus intellectualis, probatur, quia valet per se primò ad intelligendum, datúrque vt compleat intellectum, & eleuet ad actum credendi supernaturalem, qui est actus intellectus, vt patet ex dictis Disp. 10. Sect. 1. præcipuéque ex Apost. qui postquam dixit Hebr. 10. v. penult. *Iustus autem meus ex fide viuit*, vbi sine dubio sermo est de fide diuina & iustificante; subdit, loquens de eadem fide cap. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei:* & paulò post, v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Intelligere autem est manifestè actus intellectus. Credere quoque Deum esse, & esse remuneratorem, non est actus voluntatis appetentis aliquam bonitatem, sed intellectus cognoscentis aliquam veritatem. Patet etiam ex Trid. Sess. 6. cap. 6. & can. 9. vbi actum fidei constituit in actu intellectus, credentis vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt; eúmque distinguit ab alijs actibus, & dispositionibus, quæ sunt in voluntate. Similique modo loquuntur alia Concilia, & Sancti Patres: vt Arausicanum can. 7. & Aug. lib. de Prædest. Sanctorum cap. 2. vbi definit *credere* esse *cum assensione cogitare.* Ratio verò est, quia cognitio intellectus est fundamentum operationum voluntatis: amor enim pendet à cognitione: & firmitas spei, à firmitate cognitionis obiecti quod speratur. Ergo sicut voluntas per spem, & charitatem supernaturalem perficitur: sic intellectus per fidem, à qua vita supernaturalis debet incipere. Sicut etiam voluntas in Dei obsequium per Spem, & Charitatem impenditur: Sic intellectus, quando Fidei subjicitur, & in captiuitatem redigitur in obsequium Christi, vt loquitur Apostolus 2. Cor. 10. v. 5.

Tertia pars eiusdem responsi, quòd scilicet habitus fidei sit supernaturalis, patet ex dictis Disp. 10. Sect. 2. vbi ostendimus actum fidei, quo credimus sicut oportet ad iustificationem, esse supernaturalem, & quidem in substantia: talémque, vt neque ipse, neque similis in specie, possit fieri solis viribus naturalibus, & sine concursu alicuius causæ supernaturalis eleuantis. Ex quo sequitur habitum fidei, qui est huiusmodi actui proportionatus, quique est illius principium connaturale, debere esse supernaturalem in substantia. Confirmatur, quia à solo Deo infunditur gratuitò; & dispositio ad illum prærequisita in adultis, est huiusmodi, vt sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio, haberi nequeat; vt docet Trid. Sess. 6. can. 3. & cap. 5. 6. & 7. post Arausic. can. 6. & 7. & Mileuit. can. 4. 30. *Est supernaturalis in substantia.*

Quarta pars, quòd habitus fidei sit virtus Theologica, patet similiter ex dictis Disp. 1. de obiecto materiali & formali fidei. Ostendimus enim obiectum materiale principale fidei, esse Deum, tum secundùm quod in seipso est, tum vt est principium, & finis creaturarum, præcipuéque rationalium: Formale verò esse quoque Deum, vt primam veritatem reuelantem, propter cuius auctoritatem credimus quicquid ab illo reuelatum est, & sufficienter propositum. Omnis autem habitus, qui habet Deum pro obiecto formali, atque etiam pro materiali principali, est virtus Theologica. Eadémque de causa habitus Spei, & Charitatis, sunt virtutes Theologicæ, quia versantur circa Deum, vt obiectum, quod amant; & vt motiuum formale, propter quod amant: Spes quidem, provt Deus est summum bonum nostrum: Charitas verò, provt est in seipso bonus, & summo amore propter se dignus. 31. *Est virtus Theologica.*

Porro non sufficit ad virtutem Theologicam, respicere Deum quocumque modo: alioqui religio, & iustitia erga Deum, & obedientia, vel gratitudo erga eundem, essent virtutes Theologicæ. Nam religio Deum attingit, cui honorem, & cultum, propter summam ipsius

excellentiam exhibet: & iustitia similiter, obedientia, & gratitudo erga Deum, versantur circa Deum, vt obiectum cui debitum iustitiæ, vel obseruantiæ, vel gratitudiuis exhibent. Non sufficit, inquam, quòd virtutes, quæ Theologicæ vocantur, quomodocumque Deum respiciant: sed requiritur, vt illum attingant directè, & immediatè, tanquam obiectum *quod*, principale inter materialia, atque etiam formale. Quemadmodum Fides, Spes, & Charitas illum respiciunt: at non religio, quæ immediatè versatur circa cultum, & honorem Dei, id est, circa signa, interna, vel externa diuinæ excellentiæ, quæ signa vult, & imperat potentijs, à quibus exhibentur, quia recta ratio postulat exhiberi. Iustitia verò versatur immediatè circa debitum, & indebitum ex iure: & obedientia vel gratitudo, circa debitum ex obseruantia, vel ex gratitudine.

Notandum tamen est ternarium virtutum Theologicarum esse intelligendum de virtutibus supernaturalibus huius viæ, & certò reuelatis. Vltra quas tamen lumen gloriæ in patria non minùs est virtus Theologica, quàm Fides: & habitus naturales Fidei, Spei, & Charitatis circa idem obiectum, sunt virtutes Theologicæ, quamvis inferiores supernaturalibus: sed excluduntur ab illo ternario ob rationem allatam: propter quam etiam donum sapientiæ, vel intellectus, aut scientiæ, & similia, ab eodem numero excludenda sunt, quia non certò constat dari tales habitus supernaturales à fide distinctos. Ob eandem causam excluditur ab hoc ternario habitus Theologiæ, quamvis immediatè Deum attingat, vt obiectum materiale principale, atque etiam formale, discurrendo ex principijs reuelatis, quibus propter auctoritatem Dei assentitur; & propter illa, conclusionibus legitimè deductis.

32. Quinta pars eiusdem responsi, quòd habitus fidei infusæ sit eminenter speculatiuus, & practicus, est Caietani, & Bannez ad art. 2. q. 4. Valentiæ q. 4. p. 2. Suaris Disp. 7. Sect. 1. num. 7. Neque dissentiunt in reipsa Ægidius Coninck disp. 16. dub. 2. num. 16. & alij, quos citat, cùm aiunt esse formaliter speculatiuum, & practicum, quia elicit aliquas cognitiones formaliter speculatiuas, & alias formaliter practicas. Fateor enim hac ratione dici posse formaliter speculatiuum, & practicum. Quia tamen in vna simplici entitate vim vtramque continet, dicitur non immeritò eminenter speculatiuus, & practicus, quatenus vtrique rationi seorsim sumptæ supereminet, magisque se extendit: sicut intellectus ipse est eminenter speculatiuus, & practicus. Ratio verò huius partis est, quia inter assensus fidei, quidam sunt speculatiui, vt Deum esse trinum; & quidam practici, vt Deum esse summè amandum: Sicut inter obiecta reuelata quædam sunt purè speculabilia, & quædam practica. Nec immeritò, quia homines non tantùm egent reuelatione diuinâ ad cognoscendas veritates speculabiles; sed etiam ad cognoscendas quasdam practicas, vt practicæ sunt; cùm intellectus, se solo, non possit eas vel omnino, vel tam perfectè attingere. Habitus autem fidei infusæ ad hæc omnia valet: Ergo est simul speculatiuus, & practicus.

Est eminenter speculatiua, & practica.

33. *Contrarijs argumentis fit satis.* Contrarium videtur sentire D. Thomas q. 4. a. 2. ad 3. vbi ait fidem esse in intellectu speculariuo tanquam in subiecto; & fieri extensione practicam, quia per charitatem operatur. Contrà verò Scotus q. 4. Prologi, §. *Ad quæstionem*, affirmat fidem esse simpliciter practicam, quia omnis cognitio apta mouere ad rectum affectum voluntatis est practica. At fides, etiam quatenus per eam credimus ea, quæ de Deo, eiusque natura reuelata sunt, mouet affectum voluntatis; quia incitat ad Deum amandum, & colendum. Ergo etiam quà talis est practica. Sed D. Thomas intelligendus est, vt exponitur à Caietano, de fide non adæquatè sumpta, sed prout respicit suum primarium obiectum, & magis principale, quod est Deus vt in seipso est. Ad Scotum verò respondeo cum Ægidio Coninck num. 17. vt cognitio aliqua sit practica, non sufficere quòd apta sit mouere affectum aliquo modo; sed requiri, vt per se, & immediatè respiciat operationem, præscribendo agendum esse, vel non esse agendum; aut docendo modum, quo agendum, vel non agendum est. Cuiusmodi sunt istæ, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Oportet vos nasci denuo: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c. Secus autem istæ, Spiritus est Deus; In principio erat verbum: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c.

34. *Sitne prima virtutum.* Sextò denique, quòd fides sit prima, generationis seu naturæ ordine, inter virtutes Theologicas, probatur, quia Trid. Sess. 6. cap. 7. fidem primo loco ponit inter habitus, quibus perficitur iustificatio: aitque fidem infusam inchoare nostram vnionem cum Christo, sed non perfectè illi vnire, neque corporis eius viuum membrum efficere, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas. Loquitur autem de Fide, Spe, & Charitate, deque vnione habituali & permanente cum Christo, vt patet ex verbis antecedentibus & consequentibus. Et cap. 6. ait dispositionem ad iustificationem incipere ab actu fidei, ex quo sequuntur actus Spei, Timoris, Pœnitentiæ, & Dilectionis. Eundémque ordinem Paulus obseruat 1. Cor. 13. v. 13. Et Hebr. 11. v. 1. dicit fidem esse substantiam, id est, basim, & fundamentum rerum sperandarum, & consequenter Spei; quia proponit certò quæ speranda sunt. Estque par ratio, vt sit etiam fundamentum Charitatis, quia proponit quæ diligenda sunt. Atque inde sumitur ratio assertionis: quia scilicet fides est in intellectu ad assentiendum doctrinæ diuinæ, per quam nobis offeruntur quæ speranda, vel diligenda sunt. Priùs autem est intellectum instrui ad assentiendum, quàm voluntatem ad sperandum, vel amandum. Item, nunquam infunduntur aliæ sine Fide: Fides autem sine illis infunditur interdum, atque etiam remanet; vt de Charitate affirmat Trid. Sess. 6. cap. 15. Fides etiam sæpe operatur sine alijs; aliæ verò non operantur in statu viæ sine præuia cognitione Fidei. Ex quo colligitur Fidem habere aliquam prioritatem ordine naturæ, seu generationis, respectu Spei,

& Charitatis, atque etiam virtutum moralium supernaturalium cum Charitate infusarum, non modò quoad actum, verùm etiam quoad habitum, qui propter actum infunditur, illique proportionatur. Licet etiam non sit naturalis & necessaria subordinatio inter habitus, sicut est inter actus: est tamen conueniens priùs infundi habitum illius virtutis, cuius actus præsupponitur aliarum actibus: atque ita est quædam subordinatio moralis inter habitus illos. Idem etiam sancti Patres affirmant, cum aiunt fidem esse fundamentum ædificij spiritalis consistentis in Fide, Spe, & Charitate. Vt D. August. Serm. 10. de verbis Apostoli, vbi dicit *Domum Dei credendo fundari, sperando erigi, Charitate perfici.* Et Origen. in cap. 4. Epist. ad Roman. longè post medium, *Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, ipsa fides est: profectus verò, & augmenta ædificij, Spes est: perfectio autem, & culmen totius operis, Charitas.* Et Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. *Fides*, inquit, *est prima in Deum inclinatio: post quam amor, & spes, & pœnitentia.* Et inferiùs: *Præcessit fides, timor autem ædificat, perficit autem dilectio.*

35. Saltem naturæ ordine, & generationis prima est inter Theologicas. Dixi fidem esse primam naturæ ordine, seu generationis: quia non est prima ordine dignitatis, seu perfectionis: sic enim maior est Charitas, vt dicitur 1. Corinth. 13. v. vlt. & fides accipit à Charitate statum, & perfectionem virtutis, ac sine illa non prodest ad salutem, vt Sect. sequenti exponemus, & Paulus ibidem confirmat v. 2. Quare non est prima perfectione, sed inferior Charitate, à qua summè perficitur. Dixi præterea, esse primam inter virtutes Theologicas; quia si comparetur cum virtutibus naturalibus, non est illis prior generatione: Nam ante fidem infusam, & ante reuelationes diuinas cognitas, possunt esse actus aliqui recti in intellectu, & in voluntate, per quos acquirantur habitus. Quod etiam docet S. Thomas q. 4. art. 7. neque repugnat D. August. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. vbi quod ait, fortitudinem, & humilitatem, aliásque virtutes naturales non esse veras virtutes, intelligendum est, non de veritate essentiæ virtutis, sed de veritate perfectionis accidentariæ, congruentis, & conducentis ad vitam æternam: iuxta ea, quæ diximus suprà n. 27. de Fide sine Charitate. Fides insuper non est prior scientiâ, & alijs virtutibus intellectualibus naturalibus, quæ sine illa esse possunt; neque cum illis hîc comparatur fides supernaturalis, sed cum alijs Theologicis, vel etiam, cum moralibus infusis, quæ pariter fidei cognitionem ad operandum præsupponunt: sequuntur enim lumen fidei, non lumen purum rationis naturalis; sicut voluntas sequitur cognitionem intellectus, & non sensus, vt facit appetitus inferior.

Quomodo alijs præsupponatur? Notandum tamen est Charitatem, & Spem, aliásque virtutes supernaturales non ita necessariò præsupponere Fidem, & eius actus; quin sine illa operari possint ex alia æquiualenti, vel nobiliori notitia; vt in Christo, & in Beatis. Illa ergo dependentia non est ex mera rei natura, sed ex diuina ordinatione, quæ puris viatoribus lumen fidei dedit ad dirigendos actus supernaturales voluntatis. Præterea, vt fides simpliciter prima censeatur ordine generationis inter omnes alias supernaturales, nomine Fidei intelligendi sunt, tum habitus assentiendi veritatibus à Deo reuelatis, tum etiam habitus volendi credere, & iudicandi de credibilitate. Hoc enim totum præcedit reliquas virtutes, & pertinet per se ad fidem. Inter hos verò tres habitus non constat habitum assentiendi priùs naturâ infundi, quàm habitum volendi credere, vel habitum iudicandi de credibilitate: Qui quemadmodum quoad actum præsupponuntur actui fidei naturæ ordine, possunt etiam præcedere quoad generationem. Priùs enim est iudicium de credibilitate; quàm actus volendi prudenter, & efficaciter credere, qui per iudicium tale dirigitur. Et priùs est actus volendi credere, quàm assensus credendi ex imperio, & consensu voluntatis.

SECTIO IV.

An, & quomodo habitus Fidei pendeat à Charitate?

Conclusio prima: Habitus fidei supernaturalis non pendet simpliciter à Charitate in fieri, sed potest ante illam infundi, & probabiliter infunditur, quoties quis ad fidem conuertitur per actum fidei supernaturalem, antequam sufficienter disponatur ad iustificationem: simúlque cum illo infunduntur habitus piè volendi credere, & iudicandi de credibilitate, velut accessorium iunctum principali. 36. Potest infundi sine charitate. Prima pars huius conclusionis est D. Thomæ q. 6. a. 2. ad 3. vbi expressè docet fidem aliquando dari sine Charitate: idémque tenent Caietanus, Bannes, Valentia, Suares, Ægidius, Turrianus, & plures alij. Ratio præcipua est, quia talis dependentia Fidei à Charitate neque ex Scriptura, neque ex Concilijs, aut aliunde constat; & alioquin conuenientius est fidem prædicto modo infundi: Ergo probabiliùs est Deum ita infundere. Pars prima antecedentis patebit ex solutione argumentorum. Secunda verò probatur, quia Deus paratus est conferre dona sua sufficienter dispositis, & non ponentibus obicem. Et sæpe infunditur reipsa. At ille qui exercet actum fidei supernaturalem, est dispositus sufficienter ad fidem habitualem: cùm actus ille sit eiusdem ordinis, & perfectionis, & ad illam se habeat vt contritio ad charitatem: neque aliunde ponit obicem, quia non peccat per infidelitatem, cùm è contrario credat actu; quòd autem sit in peccato habituali, nondum remisso, non obest; quia fides habitualis esse potest, & manere in peccatore; neque enim amittitur per quodvis peccatum mortale, vt dicemus inferiùs. Confirmatur, quia potest quis baptismum recipere cum sufficienti dispositione ad fidem, & sine sufficiente dispositione ad Charitatem. Baptismus autem dat illum omnem effectum secum, cui non ponitur obex; sicut semper imprimit characterem, quia character non habet obicem.

Contrarium sentiunt aliqui veterum Scholasticorum in 3. dist. 23. ant 36. Vega lib. 1. in 37.

Contraria sententia. Trident. cap. 28. & Sotus ex parte, lib. 2. de Gratia, cap. 8. Probant primò; quia ex nostra sententia sequeretur fidem nunquam infundi adultis in baptismo. Nam actus fidei supernaturalis ad baptismum prærequiritur velut dispositio necessaria ad illius effectum: posito autem actu infunditur habitus ante baptismum. At hoc repugnat Concilio Viennensi, supponenti vt certum, fidem adultis in baptismo infundi. Secundò, Trid. Sess. 6. cap. 7. ait in iustificatione cum remissione peccatorum simul accipi Fidem, Spem, & Charitatem. Ergo fides non infunditur ante charitatem. Tertiò, cùm ante iustificationem homo sit in peccato mortali, & inimicus Dei, non conuenit fidem illi infundi, quæ tam excellens, donum est. Et si est in peccato habituali infidelitatis, quomodo potest illi fides infundi non remisso peccato repugnante incompatibiliter? Quod enim repugnet, patet ex eo quòd fides præexistens destruitur per peccatum infidelitatis. Atqui peccatum hoc non minùs illi repugnat in fieri, quàm in conseruari; & aliunde, plura requiri solent ad fieri, quàm ad conseruari. Quartò, Deus non dat salutem dimidiatam, & imperfectam, ex August. lib. de Vera, & falsa Pœnitentia cap. 9. Et D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. docet actus quidem fidei esse priores ordine generationis actu Charitatis; habitus tamen simul infundi. Quintò, sequeretur habitus infusos non esse æquales in iusto. Si enim habitus fidei infunditur sine Charitate; potest etiam intendi, non intensâ Charitate. Sextò, licet peccator exerceat actus supernaturales virtutum moralium; non propterea illas recipit, sed infunduntur simul cum gratia, & Charitate: Ergo fides similiter.

Soluuntur eius argumenta. Ad primum respondeo, Concilium Viennense docere tantùm infundi nobis habitus Fidei, Spei, & Charitatis in baptismo, quantum est ex vi illius, id est, si non ponatur obex, infunduntur in baptismo, vel primò, vel quoad augmentum. Infundit enim baptismus aliquid ex opere operato, supra id quod præcessit ex opere operantis: quemadmodum si quis confitetur Sacramentaliter, & absoluitur, præuiâ contritione perfectâ; recipit aliquid gratiæ virtute Sacramenti, vltra id quod præcisè respondet contritioni, vt operi operantis, id est, spectatæ sine Sacramento. Et qui per contritionem Charitate perfectam iustificatur ante susceptionem baptismi, accipit vi illius augmentum gratiæ seu Charitatis.

38. Ad secundum respondeo Tridentinum eodem modo, quo Viennense intelligendum esse: & addo particulam, *simul*, non semper significare temporis simultatem, sed interdum connexionem solam, & idem esse, ac *pariter, æque, perinde*: vt Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Et Ecclesiast. 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Et mens Tridentini erat tantùm definire hæc tria haberi per iustificationem perfectam, quia sine his tribus perfecta vnio cum Deo esse non potest, vt addit immediatè pòst; quicquid sit de prioritate, vel simultate infusionis, quæ ad vnionis illius perfectionem impertinens est. Denique Concilium loquitur vniuersim de iustificatione tam infidelis, quàm fidelis lapsi in peccatum mortale, cui tamen fides non primùm infunditur, cùm eam non amiserit, si non peccauit peccato infidelitatis: iuxta doctrinam eiusdem Concilij Sess. 6. cap. 15. de qua plura dicemus paulò post.

Ad tertium respondeo, non haberi rationem indignitatis, sed dispositionis sufficientis. Nam etiam qui peccat mortaliter alio peccato, quàm infidelitatis, est indignus tanto Dei dono; & tamen ei non aufertur. Peccatum verò actuale infidelitatis, id est, dum actu committitur, repugnat quidem incompatibiliter fidei habituali secundum præsentem Dei ordinationem; at non ita peccatum habitualiter tantùm morali modo remanens; ad cuius destructionem fides illa vtilis erit, concurrendo ad vnam è dispositionibus necessariò præuijs remissioni illius peccati.

Ad quartum: auctor libri citati, qui non est Augustinus, loquitur de remissione vnius mortalis sine alio. Absolutè verò, & generaliùs loquendo, Deus dat quidem salutem perfectam sufficienter disposito; imperfectè verò disposito, imperfectam. D. Thomas autem affirmat tantùm non esse necessariò naturæ ordinem inter habitus illos infusos per se sumptos, sicut est inter actus, sed quantùm est ex se, simul infundi posse. 39.

Ad quintum: non est incommodum quod sequitur; habitus scilicet infusos fore inæquales in homine iusto. Lumen autem gloriæ respondebit in cœlo intensioni gratiæ, & charitatis.

Ad sextum: non est quoque inconueniens priùs infundi virtutes morales, si priùs earum actus supernaturales exerceantur. Neque verum est quod Suares, & alij quidam affirmant, has virtutes manare à gratia, ideóque non infundi ante illam, sed ab ipsa profluere. Nam gratia non distinguitur à charitate; vt alibi probauimus: vna autem virtus supernaturalis non est principium efficiens alterius; sed omnes immediatè à Deo solo physicè efficiuntur, Sacramentis, & Christi meritis moraliter tantùm concurrentibus, vel actibus nostris, per modum dispositionum moraliter prærequisitarum. Quòd si, vt docent communiter Theologi, & ego non diffiteor, virtutes illæ morales non infunduntur, nisi cum charitate, & amissâ illâ, simul pereunt; alia causa huius rei assignari debet; nimirum, quia non dantur nisi in gratiam charitatis, ad illius comitatum, & ornatum, suntque veluti accessorium quid sequens principale, sicut diximus de habitibus fidei præuijs, in secunda parte conclusionis, quæ ex dictis Sectione superiori clara est. Vide Com. 2. Disp. 40. Sect. 1.

Conclusio secunda: Habitus fidei supernaturalis non pendet simpliciter in conseruari à charitate, sed sæpissimè manet illâ destructâ. Est de fide, ex Trident. Sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem amitti: aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua: aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Et cap. 15. docet fidem non amitti, nisi per peccatum infidelitatis: Gratiam verò, quovis 40. Fides manere potest sine charitate.

quouis peccato mortali. Paulus quoque 1. Cor. 13. dicens, *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: si de habitibus loquitur, significat vnum sine alio esse posse. Ex eodemque loco D. Augustinus 15. de Trinitate cap. 18. rectè infert sine charitate fidem esse posse, sed non & prodesse; quia ipsam fidem non facit vtilem, nisi charitas. Idem alij Patres, de quibus vide Bellarminum lib. 1. de Iustificatione cap. 15. Ratio verò est, quia si fides non potest conseruari sine charitate; vel hoc est ex Dei ordinatione, quia Deus statuit non conseruare sine illa; vel ex ipsa rei natura. Non primum: quia de tali ordinatione non constat per reuelationem, aut testimonium fide dignum; imò potiùs constat oppositum ex Trid. & alijs infra citandis. Non etiam secundum: quia fides est virtus distincta à charitate, & prior illâ, velut eius fundamentum; fundamentum autem potest esse sine reliquo ædificio; licet non vice versa.

41. Error cōtrarius Caluinistarum. Contrarium sentiunt Caluinistæ, affirmantes veram fidem nunquam esse sine charitate, & nunquam amitti: fidem verò sine charitate, & ad tempus, esse fictam, & falsam; vt videre est apud Molinæum in clypeo fidei, ad art. 21. & 22. Per fidem autem intelligunt actum credendi certissimè peccata sibi esse remissa, & diuinas promissiones generales ad se pertinere, quam vocant fidem iustificantem. Sed hæc fides alibi fuit refutata, velut imaginaria, & malè fundata, cùm nusquam reuelatum sit peccata mihi, vel tibi in particulari esse remissa. Disput. 1. Sect. 2. Neque minùs falsum est fidem veram amitti non posse: cùm de fidelibus, Christo per fidem veram insertis, dictum sit Ioan. 15. v. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Et v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Et 1. Timoth. 1. v. 6. *A quibus*, scilicet corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, *quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium*: Et v. 19. *Quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Et cap. 4. v. 1. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide*, verâ scilicet, in qua priùs erant. Denique nisi vera fides amitti posset, frustra diceret Paulus Rom. 11. v. 20. *Fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Frustra etiam Paulus moneret fideles, vt caueant ab Hæreticis, ne amittant fidem; quia sermo eorum serpit vt cancer, 2. Timoth. 2. v. 17. Denique fides pendet à libertate nostra in conseruari, æquè ac in fieri: vt Scriptura docet locis modò citatis. Quare sicut aliqui liberè eam initio rejiciunt; ita & liberè perdunt. Nusquam verò Deus promisit se non passurum, vt qui fidem semel accepit, nunquam eam perdat: Sed potiùs 2. Timoth. 2. v. 12. dicitur, *Si negauerimus, & ille negabit nos.*

42. Refellitur ex Scriptura, & pro- Posse autem manere fidem amissâ charitate, patet ex Iacob. 2. v. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides saluare illum?* batur fidem manere sine charitate. Fidem enim esse sine charitate, idem est in adultis, atque esse sine operibus; quia charitas operatur, si est. Maximè in sententia Caluinistarum, qui non agnoscunt charitatem habitualem, sed tantùm actualem, consistentem in actibus, seu operibus dilectionis. Neque respondeant Iacobum non loqui de fide vera. Nam fides non vera, non est fides. Quare potiùs dixisset Iacobus, si quis dicat se fidem habere sine operibus, mentitur, aut fallitur: quia illa non est vera fides. At hoc non dixit Sanctus ille Apostolus: sed potiùs supponens esse veram fidem, subiungit, *Numquid poterit fides saluare illum?* Deinde, Iacobus de eadem fide loquitur, cùm dicit, sine operibus mortuam esse; &, cum operibus iustificare, seu ex operibus consummari, vt mox subdit de fide Abrahæ. Atqui fides iustificans ex operibus, est vera fides: Ergo & fides illa quæ sine operibus mortua est, vera tamen fides est. Adde illud 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, &c.* Vbi non loquitur Paulus de fide fictâ, sed de verâ; & plenâ, & valde mirabili: ait enim, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Item, de fide illa loquitur, de qua in fine capitis concludit, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; maior autem horum est Charitas.* Loquitur autem hîc sine dubio de vera Fide, Spe, & Charitate. Deinde Paulus non hoc dixit per exaggerationem, ex hypothesi impossibili: sed potiùs alludit ad illud Christi Matth. 7. v. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, &c.* Et Ioan. 12. v. 43. *Multi ex Principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.* Credebant ergo per fidem, & non diligebant per charitatem; vt rectè exponit S. Augustinus tract. 53. & 54. in Ioan. Et credebant verâ fide, sicut de alijs dicitur quòd non credebant. Ergo fides vera in illis erat sine charitate, propter timorem hominum. Ergo simili modo esse potest in peccatoribus, qui, credentes licet, ab eadem charitate, propter timorem, aut alium malum affectum, deficiunt.

Obiectiones Caluinistarum solutas vide apud Bellar. cap. cit. & Suarem lib. 11. de Gratia cap. 5. Breuiter dico, falsò eos supponere fidem solam iustificare: & nunquam posse perdi iustitiam, quin fides perdatur, quia qui fidem habet, hoc ipso iustus est, ac proinde in charitate. Nam id apertè repugnat verbis Iacobi Apost. cap. 2. v. 24. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et v. 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Et 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, &c. Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Et Galat. 5. v. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Error cōtrarius nititur falsis suppositionibus.

43. Falsò dicunt fidē esse non posse sine operibus. Frustra etiam contendunt veram fidem sine charitate & sine operibus esse non posse: quia, inquiunt, vera fides proponit Christum vt medium, & Saluatorem; simúlque nostram miseriam nobis ostendit: vnde necessariò sequitur amor erga Christum. Deinde, qui confidit

in Deo, ad ipsum confugit: qui autem peccat contra charitatem, ab illo recedit. Implicat autem confugere simul ad Christum, & ab eo recedere. Item, Paulus ad Galat. 5. dicit, fidem, veram scilicet, operari per charitatem. Et 1. Ioan. 2. v. 3. *In hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus.* Ergo vera fides non est sine obseruantia mandatorum. Et Actor. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum.* Ergo quisquis habet fidem, est iustus, & purus. Et 1. Ioan. 5. v. 18. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum.* Nascimur autem ex Deo per fidem; Ioan. 1. v. 12. & 13. Ergo qui fidem habet, non est sine charitate; neque potest illam perdere, quia non peccat.

44. Respondetur eorum argumentis. Ad primum respondeo, amorem illum esse liberum: ideóque posse liberè & culpabiliter amitti; vt de Iudæis dicitur Ioan. 12. v. 43. Aliud autem est credere simpliciter; & aliud, confidere in Deum, quod ad spei virtutem pertinet. Deinde, qui confidit in Deum habitualiter, non semper actu confidit: neque est opus vt quando peccat, actu confidat: actus enim peccati potest esse sine tali fiducia. Tertiò, potest quis simul peccare & confidere Deum fore sibi propitium aut non imputaturum: vt faciunt Hæretici: Imò potest eo liberiùs peccare. Ad secundum respondeo, Paulum non dicere, veram fidem semper, aut necessariò per charitatem operari; sed tantùm affirmare nihil valere fidem; nisi per charitatem operetur. Quare hic locus Scripturæ magis nocet aduersarijs, quàm faueat. Ad tertium dico, Ioannem loqui priori loco de cognitione non nuda, & simplici; sed affectiuâ, & approbatiuâ, junctâ scilicet affectui, & obedientiæ; quam non habent, qui peccant. Sicut interdum dicuntur in Scriptura peccatores *negare fidem* peccando, aut *non nosse Deum*, 1. Timoth. 5. v. 8. Et 1. Ioan. 2. v. 4. alijsque locis: qui perinde faciunt, ac si Deum non cognoscerent, & fidem non haberent. *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.* Tit. 1. v. 16. Sic etiam dicitur Deus nescire, & non nosse, quos non amat, Math. 7. v. 27. & cap. 25. v. 12.

45. Ad quartum, Scriptura loco cit. non dicit fide solâ purificari hominem: sed tantùm ait fide cor purificari, partialiter scilicet, quatenus habitus fidei est vna de partibus iustificationis, in qua cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem, vt ait Trident. Sess. 6. cap. 7. vel etiam dispositiuè quatenus actus fidei est vna de dispositionibus prærequisitis in adultis ad iustificationem, vt sæpius docet Scriptura, & Trident. cap. 6. & can. 3. Sess. citatæ. Ad quintum respondeo, Ioannem loqui de iusto, Dei filio adoptiuo, operante quatenus talis est, & secundùm id quod habet ex generatione diuina; quæ illum conseruat, si eius ductum sequi velit, & auxilijs vi illius concessis cooperari liberè ad perseuerandum in gratia: sed non affirmat non posse omnino non peccare; Imò contrarium satis manifestè supponit ibid. v. 15. & 16. fideles sic admonens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quod ergo ait, non peccare illum qui natus est ex Deo, sed generatio Dei conseruat illum; hunc habet sensum: quòd natus ex Deo, quantum est ex vi illius natiuitatis (quæ per fidem inchoatur, & per charitatem perficitur) non peccat: quia gratia de se peccato resistit, & ita conseruat illum. Ac si diceretur (inquit D. Thom. 4. contra Gentes cap. 7.) Iustus non committit iniustitiam: vel sicut vulgari Sermone dicitur, virum nobilem nihil abiectum aut humile cogitare.

Conclusio tertia: Fides in esse viuæ seu formatæ & meritoriæ, ac status perfectæ virtutis, pendet à charitate, vt à forma extrinseca, & morali. Ita D. Thom. q. 4. art. 3. 4. & 5. & cæteri communiter; sumiturque ex Iacobi 2. v. vltimo, vbi ait fidem sine charitate mortuam esse, sicut corpus sine spiritu mortuum est. Dupliciter autem Charitas est forma Fidei, & aliorum habituum supernaturalium. Nimirum tum quoad actum primum, quatenus per suam præsentiam tribuit illis vt possint meritoriè operari: atque etiam suâ præsentiâ excellentiori cohonestat, & Sanctitatem cum illis consummat, cuius ipsa suprema perfectio est. Tum deinde, quoad actum secundum, quatenus refert earum actus ad finem suum excellentiorem, eisque tribuit moralem quamdam bonitatem nobiliorem, ratione finis extrinseci excellentioris, Dei scilicet propter se dilecti, ad quem eos ordinat: sicque illos quodammodo perficit, redditque meritorios vitæ æternæ; sed neutro modo charitas est forma intrinseca, & physica fidei: tum quia non est in ipsa vt in subiecto, neque illam componit intrinsecè: tum etiam quia id, sine quo aliquid esse potest, non est forma essentialis, & intrinseca illius. At fides, tam quoad actum, quam quoad habitum, potest esse sine charitate, vt suprà ostendimus: Ergo, &c. Est ergo forma tantum extrinseca, & moralis, cohonestando ipsam moraliter, & eius actus; eisque statum perfectiorem conferendo. Deinde collige fidem habitualem, quæ de informi fit formata, vel de formata, fit informis, per accessum, aut abscessum charitatis, eandem numero esse. Primò, quia fides non pendet intrinsecè à charitate, neque mutatur per illam in esse physico. Ergo eadem est, siue charitas accedat, siue abscedat. Secundò, fides non semper amittitur, amissâ charitate, ex Trident. Sess. 6. cap. 15. & can. 28. Ergo eadem numero fides, quæ erat formata, fit informis; si enim eadem non manet, amittitur; cum tamen Concilium affirmet non amitti, & esse veram fidem sine charitate. Quorum verborum proprietas simplex non patitur expositionem Gregorij de Valentia q. 4. punct. 4. §. *Est autem obseruandum*, affirmantis non esse certum ex Trident. quòd eadem numero fides remaneat, amissâ charitate. Si enim non est eadem numero, non remanet fides, sed re verâ amittitur, licet alia succedat. Ac si fides succedens solo numero differt, nonne vana & inutilis est illa commutatio! Quis autem dicat Tridentinum de illa loqui? Sique dicitur non esse specie eadem, nec vera fides; nonne id apertè repugnat Tridentino asserenti

46. Fides in esse viuæ pendet à charitate.

fidem, quæ remanet amissa charitate, esse veram fidem? Quod si qui Patrum, & Catholicorum negant esse veram fidem, intelligendi sunt, non de veritate ipsiusmet fidei essentiali, seu substantiali; sed de accidentali, consistente in perfectione, quam habet à charitate, vt sit viua, & meritoria vitæ æternæ.

47. Neque minùs improbabile est quod ait Vasques 1. 2. disp. 91. cap. 4. Tridentinum posse sufficienter explicari de actibus fidei, seu de statu quodam morali, in quo, ratione actuum non interruptorum per actus contrarios, denominatur quis fidelis. Etenim Trid. ibi loquitur de ea fide, & charitate, quam cap. 7. dixerat infundi in iustificatione. Infunduntur autem habitus, non actus. Item, quando cap. 15. dicit amitti gratiam quovis peccato mortali, loquitur de gratia habituali sanctificante, non autem de statu quodam morali solùm. Ergo quando ibidem ait in eadem periodo, amitti fidem per peccatum infidelitatis, loquitur de habituali. Id enim postulat sermonis proprietas, & sinceritas.

Certum est infundi habitus Fidei, Spei, & Charitatis, in iustificatione.

Porro, in iustificatione infundi habitus Fidei, Spei, & Charitatis, tam certum est ex Trid. Sess. 6. cap. 7. vt sine magno errore in dubium vocari non possit, inquit meritò Suares lib. 7. de Gratia, cap. 15. num. 8. & sine ingentissima temeritate non possit negari, inquit, Dominicus Sotus lib. 2. de Gratia, cap. 19. in fine; imò nec sine hæresi, inquiunt Çuriel, Lorca, & Malderus, locis citatis ab Ægidio Coninck disp. 6. de habitibus supernaturalibus dub. 1. n. 10. quod ipse quoque probabilius esse iudicat n. 32. necnon Valentia, tom. 2. disp. 4. q. 3. punct. 4. §. *Quoad quæstionem*, Pesantius 1. 2. quæst. 10. art. 1. disp. 2. conclusione 4. Vega lib. 7. in Trident. cap. 24. Granado 1. 2. controuersia 4. de habitibus, disp. 2. n. 4. & Bellarminus lib. 1. de Gratia, & libero arbitr. cap. 3. §. *Concilium etiam*, vbi ait contrarium satis apertè videri definitum à Tridentino. Idque de infantibus certum esse ex Trid. fatetur etiam Vasques. Sed negat de iustificatione adultorum: in quo reliqui ferè omnes Theologi ab illo dissentiunt, vt ostendimus in tract. de gratia, & iustificatione.

SECTIO V.

Quomodo habitus fidei acquiratur, vel augeatur?

48. Acquiritur dupliciter.

Dico primò, fidem, sicut & reliquos habitus infusos, acquiri, vel per Sacramenta ex opere operato, id est, virtute ipsius Sacramenti; vel per actus proportionatos, tanquam dispositiones, ex opere operantis; qui actus non procedunt ab habitu; siquidem ei præsupponuntur naturâ priùs, suntque illius causæ dispositiuæ; sed à potentia naturali, Deo illam iuuante specialiter, & eleuante, atque habitum supplente quoad concursum, & vim efficiendi. Reliqui verò actus, qui post infusionem habitus exercentur, fiunt cum eius concursu, & auxilio Dei proportionato. Similiter autem fides, & alij habitus infusi intenduntur, & augentur, vel ex opere operato per Sacramenta, vel ex opere operantis per actus proportionatos. Semper autem causa physicè efficiens, siue primò producens, siue intendens habitus supernaturales, est solus Deus: nam Sacramenta sunt tantùm instrumenta moralia, vt suo loco ostendemus. Actus quoque nostri supernaturales, qui ex opere operantis illos acquirunt, vel intendunt, concurrunt tantùm moraliter per modum dispositionis moralis, aut meriti mouentis Deum vt physicè producat, vel intendat. Nam habitus supernaturales sunt similes potentijs, plusque habent de ratione potentiæ, quàm de ratione habitus; quia dant posse simpliciter, & non facilè posse: licet vocentur habitus, ad distinctionem potentiæ naturalis. Atqui potentiæ nec producuntur, nec intenduntur physicè per actus, quibus potiùs præsupponi debent ad hoc, vt vel simpliciter, vel modo magis connaturali fiant. Item, habitus supernaturales latissimè patent, valéntque in simplici entitate, non ad vnam tantùm speciem actuum, sed ad plurimas. At actus, qui sigillatim exercentur, & sunt limitati ad suam speciem, non habent vim efficiendi habitum tam vniuersalem, tamque excellentis, & amplæ entitatis, ac virtutis. Sicut autem probabiliter infunditur fides ante charitatem per actus fidei, velut dispositionem sufficientem: ita probabile est augeri per similes actus fidei informis, vt dispositiuos ad augmentum, vel meritorios de congruo. Atque omnino certum est augeri saltem per actus fidei viuæ operantis per charitatem, siue per meritum de condigno, ex Trid. Sess. 6. cap. 10. & 16. & can. 24. vbi dicit Iustos crescere in iustitia per bona opera facta in charitate à viuis Christi membris: Iustitia autem consistit in remissione peccatorum, & habitibus permanentibus Fidei, Spei, & Charitatis; vt idem docet cap. 7. Sess. citatæ.

Augetur & intenditur ijsdem modis.

Dico secundò, habitum fidei supernaturalem non creari propriè, sed educi de potentia obedientiali animæ. 49. Nō creatur sed educitur è subiecto. Cùm enim fides, & alij habitus supernaturales sint formæ accidentales, quæ naturâ suâ postulant educi ex subiecto, ipsique inhærere; conuenientius est eorum naturæ, vt educantur de potentia obedientiali animæ, si id fieri possit. Posse autem ostenditur ex eo, quòd actus vitales supernaturales, qui sunt eiusdem ordinis cum habitibus, ex illa educuntur; quippe qui fiunt concurrente vitali principio, & eliciente ex seipso, cum auxilio eleuante. Atque ita sentiunt Suares lib. 8. de gratia, cap. 2. Et alij Moderni communiter. Dissentiunt verò plerique antiquorum, affirmantes habitus supernaturales propriè creari. Primò, quia Scriptura sic loquitur Psalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Secundò, quia Concilia dicunt habitus illos infundi. Atqui non dicerentur propriè infundi, si educerentur è potentia subiecti. Tertiò, quia non sunt in potentia subiecti, cùm sint supernaturales, ac supra potentiam animæ rationalis, æquè aut multò magis quàm anima ipsa sit

supra materiam, & corpus: Nam formæ infusæ sunt præstantiores substantiâ Angelicâ: multóque magis animâ humanâ.

Satisfit argum. cōtrarijs. Ad primum respondeo, *Creare* sæpe in Scriptura sumi pro *facere*, & ipsis actibus vitalibus tribui; vt Ephes. 2. v. 10. *Creati in operibus bonis.* Secundò dico, Scripturam hîc fortè vti nomine creationis, vt significet iustificationem à peccato (de qua Dauid loquebatur) fieri ex nihilo moraliter, id est, ex nullo nostro merito.

50. Ad secundum respondeo, habitus supernaturales dici infundi: quia causa physicè efficiens, tota extrinseca est, Deus scilicet operans supra vires & exigentiam subiecti. Vel etiam nomine infusionis significatur solùm, quòd fiant supra ordinem, & debitum naturæ. Nam actus quoque vitales dicuntur infundi, qui tamen certè eliciuntur à vitali potentia ex seipsa. Dicuntur, inquàm, infundi illuminationes, inspirationes, & pij affectus voluntatis: Et Ecclesia sic orat in Hymno de Spiritu sancto, *Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibus:* & alibi Deum precatur vt infundat cordibus nostris inuiolabilem suæ charitatis affectum.

Ad tertium respondeo, Si actus supernaturales, quantumvis nobilissimi, & eiusdem ordinis cum habitibus, sunt nihilominus in potentia obedientiali subiecti, è quo educuntur, imò vitaliter ab ipso eliciuntur; quod etiam de visione beatifica, & alijs actibus beatificis verum est; sic habitus, &c. Neque verum est tantam esse distantiam, & disproportionem causalem inter intellectum, & fidem; quanta est inter corpus, & animam rationalem: plus enim distant materialia à spiritalibus; quàm spiritalia à spiritalibus, quoad causalem proportionem; sicut de obiectiua docent communiter omnes cum D. Thoma part. 1. q. 12. art. 1. Neque enim est tanta distantia in ratione obiecti cognoscibilis inter Deum, & intellectum creatum, à quo clarè videri potest; quanta inter animam rationalem, vel Angelum, & oculum corporeum, à quo nullo modo videri potest.

51. Potest esse maior in vno, quàm in alio. Dico tertiò, fidem supernaturalem posse esse maiorem in vno, quàm in alio intensiuè, & extensiuè quoad actus: quoad habitum verò, tantùm intensiuè. Prima pars probatur; quia potest vnus intensiùs credere, quàm alius. Potest & plura obiecta distinctè, & expressè credere: Item, potest cum maiori certitudine, & firmitate, cúmque maiori deuotionis, & voluntatis affectu credere, vt experientiâ patet, & affirmat S. Thom. quæst. 5. a. 4. Ratio secundæ partis est, quia fides habitualis est extensiuè simplex, & indiuisibilis, valens per se ad omnia obiecta credibilia. Ergo non potest crescere neque extensiuè; neque secundum essentiam, quæ in omnibus eadem est. Potest tamen esse intensior in vno, quàm in alio; quia est capax augmenti intensiui: iuxta illud Luc. 17. v. 5. *Domine adauge nobis fidem:* quod incrementum à Deo postulat Ecclesia; quando sic orat, *Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis augmentum:* vt ait Trident. Sess. 6. cap. 10. vbi loquitur de habitibus in iustificatione acceptis, vt patet ex verbis præcedentibus. Et cap. 7. eiusd. Sess. affirmat Fidem, Spem, & Charitatem infundi secundùm præcedentem dispositionem. Sæpe autem contingit, vt vnus alio meliùs disponatur, & intensiùs: atque ita fidem, aliósque habitus supernaturales in gradu intensiori, & perfectiori recipiat. Item, constat ex Trid. cap. 16. & can. 32. eiusdem Sessionis, iustos per opera meritoria crescere in gratia, & iustitia accepta. Potest autem vnus plus alio mereri: ergo & plus crescere in fide, cæterisque virtutibus, in quibus consistit iustitia supernaturalis. Notandùm verò est fidem aliter cadere sub meritum condignum, & aliter sub impetrationem. Nam sub impetrationem cadit per orationes, vota & sacrificia; sub meritum verò, per opera facta in charitate, cum promissione Dei, & alijs conditionibus ad merendum requisitis; qui modus infallibilis est, non autem prior modus impetrationis. Vlteriùs etiam potest augeri fides per Sacramenta ex opere operato, sicut & tota iustitia. Neque enim habent vim minorem ad augendum, quàm ad primò infundendum. An verò fides informis augeatur meritoriè de congruo per actus proprios, patet ex dictis in fine Sectionis præcedentis.

SECTIO VI.

Quomodo fides amittitur: & quodnam sit eius subiectum adæquatum?

Prima conclusio: Habitus fidei supernaturalis non manet in peccantibus mortaliter peccato infidelitatis, adeóque non est in Hæreticis, vel alijs Infidelibus, qui vel vnum fidei articulum scienter, & libere discredunt, quamuis alijs adhæreant; sed cùm peccant circa vnum, fidem circa omnes amittunt. 52. Perditur fides per peccatū infidelitatis. Hæc conclusio traditur à D. Thoma q. 5. art. 3. alijsque Theologis ibid. vel in 3. dist. 23. Probatúrque efficaciter ex Trid. Sess. 6. cap. 15. affirmante fidem peccato infidelitatis amitti, sicut charitatem quovis peccato mortali; nimirum totam fidem quovis peccato infidelitatis: sicut tota charitas perditur quovis peccato mortali. Deinde Paulus 1. Timoth. 1. v. 19. ait Hæreticos circa fidem naufragari. Naufragari autem est, amissa naui nudum, omnibusque destitutum euadere, vt notat S. Chrysost. ibidem. Et 2. Corinth. 6. v. 14. dicit non esse participationem luci cum tenebris, nec fideli cum infideli. Indéque probat non debere fideles inire matrimonium cum infidelibus: quia congruè fieri nequit vt fidelis habens lucem fidei, in idem iugum conueniat cum infideli, qui versatur in tenebris infidelitatis. Vlteriùs, quisquis grauiter peccat peccato infidelitatis, meretur efficaciter vt fide supernaturali priuetur, & spolietur à Deo. Fides autem illa est indiuisibilis extensiuè, quia per eandem simplicem entitatem extendit se ad omnia obiecta: vt suprà ostendimus. Ergo quando amittitur circa vnum obiectum, amittitur pariter circa omnia. Item, qui peccat peccato infidelitatis, reddit se in-

habilem ad exercendum vllum actum fidei supernaturalis: quippe qui exerceri nequit sine generali, & plena subiectione intellectus ad diuinum testimonium sufficienter propositum circa quodcunque obiectum. Ergo conuenienter priuatur toto illius habitu, cuius nullum actum exercere potest, quamdiu hæret scienter & liberè in peccato infidelitatis. Confirmatur, quia alioquin ille qui tantùm discredit vnum articulum, esset simpliciter fidelis, & membrum Ecclesiæ; quod non conuenit verbis Apostoli proxime relatis, nec communi sensui fidelium, & iudicio ipsius Ecclesiæ. Ad fidem ergo retinendam, quæ inest omnibus Viatoribus, qui per Sacramentum, aut per propriam dispositionem illam adepti sunt, necessarium est, vt ab omni peccato mortali infidelitatis abstineant.

53. Contrarium sentit Durandus in 3. dist. 23. q. 9. num. 8. Sed eius argumenta nullius sunt momenti. Malè enim comparat fidem supernaturalem cum habitibus naturalibus, qui & compositi sunt ex multis partialibus realiter distinctis, & physicè per actus destruuntur; secus ac fides supernaturalis. Nec obest quòd Hæretici eâdem facilitate, quâ priùs, assentiuntur alijs articulis. Id enim faciunt actu naturali, & per habitum acquisitum, qui non perit per infidelitatem circa alium articulum. Quare hinc malè Durandus infert eos non amisisse fidem supernaturalem, à quâ non prouenit posse facilè credere, sed posse simpliciter credere actu supernaturali, & sicut oportet ad iustificationem.

Non Physicè, sed meritoriè, ab illo destruitur.

Amittitur autem habitus fidei supernaturalis per peccatum mortale infidelitatis, non quòd physicè ab illo pellatur, sed moraliter & meritoriè, ob peccantis indignitatem; iunctam cum speciali, & directa oppositione peccati infidelitatis ad actum internum fidei, qui est assensus firmus circa res reuelatas, propter infallibilem Dei auctoritatem. Quæ oppositio, quia in quolibet peccato mortali infidelitatis reperitur, idcirco tollit fidem; ad eum modum, quo desperatio tollit spem, & quodvis peccatum mortale charitatem. Quod enim physicè non tollat, patet, quia qualitas, quæ physicè destruit aliam; vel effectiuè id facit, inducendo contrariam, & incompossibilem in eodem subiecto, vt calor ignis pellit frigus ab aqua per calorem, quem in aquam inducit: vel formaliter, id est, per formalem incompossibilitatem, quatenus ipsamet est physice contraria, & incompatibilis cum illa, suâque præsentiâ est causa desitionis alterius in eodem subiecto. At peccatum infidelitatis neutrum habet respectu habitus fidei. Non quidem primum; quia nihil physicum inducit in intellectum, præter speciem sui impressam, & habitum vitiosum; neutrum autem repugnat physicè fidei, & vtrumque manet in Hæretico quando ad fidem conuertitur. Non etiam secundùm; quia idem actus erroris, & infidelitatis, secundùm omnia physica esset, quamvis non liberè fieret; in quo casu non expelleret fidem habitualem; quia non esset peccatum mortale infidelitatis. Ergo non expellit physicè, & secundùm physicum, quòd habet: alioquin vbi esset idem physicum, esset eadem expulsio formalis, quia esset eadem physica incompossibilitas. Indéque confirmatur id, quod iam diximus de specie, vel habitu per actum inducto. Nam iste actus non liber, produceret speciem sui, & habitum vitiosum, non minùs quàm si liber esset; & tamen non expelleret fidem. Ergo non expellit physicè, neque per se formaliter, neque effectiuè per speciem, vel per habitum, seu quid aliud physicum à se physicè productum. Adde quòd actus peccati, & habitus fidei supernaturalis, non sunt eiusdem generis, & ordinis; quódque actus non opponitur immediatè, & formaliter habitui, sed actui: quòd denique peccatum infidelitatis formaliter consistit interdum in priuatione, seu carentia actus fidei; quæ priuatio non est physicè contraria fidei habituali, nec physicè quidquam producit fidei oppositum, à quo physicè pellatur. Neque dicas pelli physice per peccatum habituale: quia peccatum habituale, cùm non sit physicè, non potest physicè pellere. Nihil enim aliud est peccatum habituale, quàm ipsummet peccatum actuale moraliter manens, donec remittatur: vt alibi probauimus, tom. 2. Disput. 19. Sect. 2.

Iisdem argumentis probatur neque habitum pij affectus erga fidem, neque alios habitus infusos pelli physicè per peccata opposita; sed moraliter, ob malum meritum, iunctum cum speciali oppositione ad actum eorum internum. 54.
Quod addo, quia infidelitas non pellit fidem solùm ratione mali meriti; alioqui deberet etiam pelli per odium Dei, aliaque peccata grauiora infidelitate: Item, qui suis falsis prædicationibus totam aliquam prouinciam peruerteret, & in hæresim induceret; grauiùs peccaret, etiam contra fidem, quàm si solus ipse discrederet: & tamen ipse non amittit fidem, neque est verè Hæreticus, nisi assentiatur erroribus, quos prædicat, vel statuat nunquam credere oppositum. Qua de re plura in sequenti disputatione.

Secunda conclusio: Fides habitualis non manet in Beatis, neque in damnatis: secus autem in animabus existentibus in Purgatorio. Prima pars est D. Thomæ quæst. 5. art. 1. & communis veterum Scholasticorum, quos sequuntur Suares, Malderus, Vasq. Valent. Ægid. Coni. Turrian. Mæræt. & alij recentiores. Probatur ex 1. Corinth. 13. v. 9. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Id est, cum venerit visio, fides euacuabitur. Et v. 12. *Videmus nunc per speculum, & in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte*, id est obscurè, & imperfectè: *tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*; id est, clarè, & intuitiuè, videndo Deum sicuti est. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Quibus verbis innuit Paulus hæc eadem non mansura omnia in patria, quamvis neque omnia excident: quia vt ait ibid. v. 8. *Charitas nunquam excidit: siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Si autem quidquam horum trium debet excidere, 55. Fides nō manet in Beatis.

maxime fides, cuius nullus potest esse vsus in patria; cùm Beati sint indispositi in perpetuum ad actum fidei, neque possint vnquam illum exercere. Quidquid enim Deus illis reuelat, clarè reuelat, ob perfectionem illius status: siue reuelet in Verbo, id est, in seipso clarè viso, siue aliter. Estque illis euidens se non falli sed vacare errore in omni assensu, quem eliciunt. Error enim, cùm sit malum intellectus, repugnat statui beatitudinis; sicut & peccatum, quod est malum voluntatis. Quare Beati non habent fidem reuelatorum, sed claram cognitionem; cùm illis constet euidenter Deum reuelare, & nec falli, nec fallere. Manet tamen in Beatis habitus piæ credulitatis, quo Beati amant fidei honestatem, & parati sunt credere, si opus esset. Idémque dico de habitu iudicandi de credibilitate euidenti. Iudicant enim Beati, & quidem euidentissimè, credibilia esse quæcunque Deus reuelauit; & debere credi à viatoribus, licet istis sit obscurum aliquatenus Deum reuelasse.

Contrarium sentiunt aliqui probabiliter, pro quibus objici potest fidem habitualem non dedecere Beatos; & multa mansura in Beatitudine, quorum nullus erit vsus; vt potentiam generatiuam, & nutritiuam: esséque conueniens vt Beati triumphent cum armis, quibus vicerunt. Respondeo fidem habitualem minùs decere Beatos licet eos non dedeceat; & in aliud multò melius mutari, nempe in lumen gloriæ; vt si vestes vilissimæ mutarentur in triumpho in vestes pretiosissimas, vel arma in meliora. Potentia verò generatiua, & nutritiua ideo manebunt, quia sunt de integritate corporis humani, & perfecta hominis constitutione naturali. At fides habitualis est accidens naturæ indebitum. Quare non est par ratio vt manere debeat.

56. Neque in damnatis. Secunda pars conclusionis de damnatis; est D. Thomæ q. 5. a. 2. & communis Theologorum. Probatur autem, quia damnati, siue homines, siue Dæmones, sunt in statu desperationis, & incapaces iustitiæ supernaturalis: quare habitualis fides non eis conuenit, sed conuenienter illâ priuantur, si priùs illam habuerunt. Sunt enim tanto dono indigni; & rationi consentaneum est vt cùm sint penitùs à salute exclusi, ne quidem primum fundamentum salutis, & spiritalis vitæ retineant. Loquor autem de fide supernaturali: naturalem enim habitualem, & actualem circa mysteria fidei illis inesse non nego, vt neque D. Thoma eod. artic.

Secus in Purgat. Alia verò est ratio de animabus existentibus in Purgatorio: nam animæ illæ sunt adhuc in via salutis, & ad patriam tendunt, ad quam nondum peruenerunt: cúmque nondum acceperint quod perfectum est, non debuit euacuari quod ex parte est. Item, amant Deum ex charitate supernaturali, & per spem summum suum bonum vehementer desiderant præuiâ cognitione fidei supernaturalis, quæ non repugnat earum statui. Licet enim aliquid experimento clarè didicerint; manet adhuc sufficiens obscuritas testimonij diuini, & rerum reuelatarum quoad alia plurima; & euidentia per vnum medium, non impedit fidem per aliud medium.

Contrarium sentit de damnatis Durand. in 3. dist. 23. q. 9. num. 9. pro quo objici potest 57. primò, fidem non repugnare statui damnatorum, imò necessariam esse vt per illam cognoscant fœlicitatem, quam amiserunt, vt de illa crucientur. Secundò, non habent actum fidei contrarium: ergo non merentur illâ priuari. Tertiò, retinent baptismi characterem, vt discernantur ab alijs. Ergo & fidem. Addi potest ad idem probandum de Dæmonibus, illud Iacob. 2. v. 19. *Tu credis quoniam vnus est Deus. Bene facis. Et Dæmones credunt, & contremiscunt.* Vbi si non sit sermo de fide supernaturali, argumentum Iacobi nullum est. Vult enim probare solam fidem supernaturalem non sufficere ad salutem. Quod probat exemplo dæmonum, qui credunt, & damnati sunt.

58. Soluuntur arg. contraria. Ad hæc respondeo primò, fidem, quæ est initium salutis, non conuenire statui eorum, qui sunt penitùs exclusi à salute. Secundò, siue habeant actum contrarium, siue non, (vtrumque enim contingere potest) priuari fide propter indignitatem, & prædictam disconuenientiam. Norunt verò aliunde, partim experimento, partim fide naturali, statum suum miserrimum, & amissionem fœlicitatis. Tertiò, non esse certum quòd maneat character, quódque sit indelebilis etiam post hanc vitam; ac si manet, non discernit apud damnatos, & dæmones, qui non possunt naturaliter cognoscere qualitates in substantia supernaturales. Sed licet maneret character, maior est ratio, vt fides non remaneat. Cæterùm non est necesse, vt damnati intelligant qualis quisque fuerit, & qua de causa quisque puniatur: sed si sentiunt se iustè puniri, pro qualitate, & grauitate suorum peccatorum; intelligunt alios quoque iustè puniri. Si autem id non sentiunt, quid interest sciántne qua de causa quisque puniatur, an non? Quartò denique, ad S. Iacobi testimonium respondent aliqui particulam, *Credunt*, habere vim præteriti, & respectum ad statum, quo fuerunt in via, fidémque supernaturalem habuerunt. Sed expositio coacta est, neque satis cohæret cum sequenti verbo, *& contremiscunt*, quod de præsenti dicitur. Respondeo igitur Iacobum loqui de fide naturali, & coacta, vt exponunt D. Augustinus, & S. Thomas, alijque communiter: vel de notitia euidenti, quæ latè fides, id est, certa persuasio vocatur. Dæmones enim multis certissimis argumentis sciunt vnum esse Deum, cuius potentiam, & iustitiam tot iam sæculis experti sunt. Neque propterea nullum est D. Iacobi argumentum: quia Hæretici, qui iam tunc asserebant fidem sine operibus sufficere ad salutem, non faciebant vim in modo credendi, sed in obiecto credito, firmóque illius assensu, quomodocunque haberetur; vt ait Suar. Disp. 6. Sect. 9. n. 10. Vel potiùs Iacobus non probat eo argumento fidem supernaturalem solam non sufficere ad salutem; sed sine operibus non minùs esse mortuam, & otiosam, quam fidem dæmonum: quia nullos fructus bonos profert, æquè ac fides dæmonum, qualiscunque ista sit. Possunt

autem dæmones credere fide naturali Deum esse, licet id sciant euidenter per aliud medium: iuxta ea quæ diximus. Porro licet quæ diximus de damnatis, non omnia conueniant Catechumenis, si qui post fidem acceptam decedunt cum solo peccato originali, nondum obtentâ iustificatione: cùm tamen illi quoque sint penitùs extra viam salutis, conuenientius est vt fidem non retineant.

59. Subiectũ adæquatũ fidei. Ex his collige primò habitum fidei tripliciter amitti. Nimirum vel per peccatum infidelitatis, vel per aduentum luminis gloriæ, vel per decessum in peccato mortali, æternamque damnationem. Collige secundò, subiectum adæquatum fidei non esse aliud, quàm Angelos & homines in via qui vel ex opere operantis, id est, præuia dispositione sufficienti, aliquo scilicet actu fidei; vel ex opere operato, id est, virtute alicuius Sacramenti; vel aliter, vt fortasse B. Virgo, habitum fidei acceperunt, aut deinceps accipient, quamdiu status viæ durabit. Suppono autem tanquam probatum tomo 1. disp. 43. Angelos ante beatificationem iustificatos fuisse vt adultos, id est, præuiâ cognitione, & libero consensu. Neque enim poterant ipsi viribus solis naturalibus cognoscere statum supernaturalem, ad quem erant vocati, & media supernaturalia, quibus Deus statuerat eos iustificare, & ad gloriam perducere. Quare opus fuit reuelatione diuinâ: quæ licet clara esse potuerit, absolutè loquendo, inferior quidem visione beatificâ, sed superior fide: potuit tamen esse quoque obscura, Deo tantùm credibiliter proponente per media interna, vel externa. Atque omnino probabilius est talem fuisse: tum quia ad fidei obedientiam, vel meritum, id magis conueniens est: tum etiam quia Trid. Sess. 6. cap. 7. affirmat, sine fide nulli vnquam contigisse iustificationem; vbi non loquitur tantùm de habitu; sed de actu, vt patet ex cap. 6. & Paulus Hebr. 11. affirmat sine fide impossibile esse placere Deo; non ex mera rei impossibilitate, quia Christus, & Beati, sine illa placent Deo; sed ex Dei ordinatione circa puros viatores, quos Deus statuit non promouere ad gratiam per aliam cognitionem, quàm fidei: Angeli autem, & homines ante lapsum erant puri viatores, per actus liberos perducendi ad terminum. Denique probabilius est primam illam iustificationem hominum, & Angelorum, fuisse similem alijs, quam deinceps consequuti sunt. Quare sicut adulti deinceps non fuerunt iustificati nisi per fidem, ex Trid. & Apost. sup. citatis, & cum fide actuali acceperunt habitualem permanenter iustificantem, & iuuantem ad actus deinceps exercendos: Sic Angeli, & primi parentes; qui certè imperfectiùs iustificati fuissent, nisi habitus permanentes accepissent. Quod autem objicit Dur. in 3. d. 23. q. 9. num. 12. non potuisse Angelis reuelationem diuinam esse obscuram, alibi refutatum fuit.

DISPVTATIO TERTIADECIMA.

De effectibus Fidei, & donis cum ea connexis.


Væ de causa efficiente fidei docet S. Thom. quæst. 6. vel facilia sunt, vel alibi exposita. De effectibus verò, & Donis fidei connexis disputat. q. 7. 8. & 9. In quarum prima docet timorem, &

puritatem cordis esse effectum fidei, propter rationem paulò post referendam. In 2. & 3. disputat de donis Intellectus, & Scientiæ, velut fidei connexis. Docetque Intellectum esse donum Spiritus sancti quo, tanquam lumine supernaturali, iuuamur ad ea intelligenda, quæ naturalem cognitionem excedunt: esseque donum illud simul cum fide permanens: ac principaliter quidem speculatiuum, sed tamen etiam practicum, & ad quædam operabilia se extendens; existens in omnibus, & solis habentibus gratiam, distinctúmque ab alijs donis Spiritus sancti. Scientiam autem esse donum Dei, quo homo certum, & rectum iudicium habet de rebus diuinis, discernendo credenda à non credendis: sicut Intellectus donum Dei est, quo eadem sibi proposita sanè capit. Versarique donum illud circa res humanas: sicut Sapientia est circa diuinas, vel circa res creatas, quatenus de illis per primam, & altissimam causam iudicatur, scilicet Deum. Addit donum illud primò quidem, & principaliter respicere speculationem, inquantum scilicet homo scit quid fide tenere debeat: secundariò autem extendere se ad operationem: secundùm quod per scientiam credibilium, & eorum, quæ ad credibilia consequuntur, dirigimur in agendis.

SECTIO I.

Quinam sint effectus Fidei?

1. Timor est effectus fidei. DIuus Thomas q. 7. duos effectus fidei tribuit. Primus est timor cùm seruilis, tum filialis. Nam, inquit, timor seruilis est effectus apprehensionis alicuius mali per diuinum iudicium in pœnam inferendi; quæ apprehensio generatur per fidem. Timor autem filialis est ille, quo aliquis timet separari à Deo; vel quo aliquis refugit comparare se Deo: & sequitur ex apprehensione, quâ Deus existimatur esse summum bonum, à quo separari, & cui se æquare velle, malum sit. Quam existimationem fides quoque producit. Ideóque vterque timor est effectus fidei. Prior quidem, fidei informis: posterior verò fidei formatæ, quæ per charitatem facit hominem Deo adhærere, eique subjici. Alter effectus est purificatio cordis, iuxta illud Actorum 15. *Fide purificans corda eorum:* non perfectâ quidem, quæ non fit sine charitate; sed imperfectâ & inchoatiuâ; nam impuritas vniuscuiusque rei consistit in hoc, quòd rebus vilioribus misceatur. Non enim dicitur argentum esse impurum, ex permixtione auri, per quam melius redditur; sed ex permixtione stanni, vel plumbi. Est autem manifestum quòd anima est nobilior omnibus temporalibus & corporalibus creaturis. Ideoque impura redditur, quando se illis subjicit per amorem. Perficitur autem per contrarium motum, cùm scilicet tendit in id, quod est supra se, nimirum in Deum. In quo motu primum principium est fides: *Accedentem enim ad Deum oportet credere quia est*, Hebr. 11. Et ideo primum principium purificationis cordis est fides, quâ purificatur impuritas erroris. Quæ si perficiatur per charitatem, tunc perfectam purificationem causat. Hæc D. Thomas.

Et purificatio cordis.

2. Timor triplex. Circa quæ nota primò, timorem ab alijs triplicem poni: seruilem, filialem, & reuerentialem, quem postremum aliqui definiunt esse resilitionem, id est, affectum resiliendi à Diuina Maiestate, consideratione propriæ paruitatis: qui timor ad virtutem humilitatis pertinet; primus verò ad spem; & secundus ad charitatem elicitiuè, & proximè; remotè verò omnes ad fidem pertinent, quatenus fiunt ex illius dictamine de pœnis peccatorum, déque summa bonitate, & excellentia Dei infinita, quâ rebus omnibus supereminet. Porro, quod ait S. Thomas timorem seruilem esse effectum fidei informis, filialem verò esse effectum fidei formatæ, non est vniuersaliter & in rigore intelligendum quasi fides informis non possit etiam excitare ad timorem filialem, & fides formata ad seruilem: sed quòd fideles existentes in peccato mortali, & destituti charitate, soleant timere seruiliter, iusti verò filialiter.

3. Alij effectus fidei. Nota secundò, multos alios esse effectus fidei, partim physicos, partim morales. Nam in genere causæ finalis effectus fidei est quidquid ipsius gratiâ fit: cuiusmodi est vocatio, id est, obiecti fidei propositio; & interior inspiratio, id est, illustratio intellectus; & pia motio voluntatis ad credendum. In genere causæ formalis, effectus eius physicus, immediatus & adæquatus, est fidelis vt talis, in actu primo per habitum, & in actu secundo per actum. Extrinsecè verò & moraliter fides ornat alias virtutes infusas, vt ornatur ab ipsis. In genere causæ materialis, actus fidei est dispositio moralis ad habitum acquirendum: & habitus fidei præsuppositiuè se habet ad habitus spei, & charitatis, per modum fundamenti iustificationis: quod ad causalitatem materialem reducitur. Item, actus

fidei præit actibus spei, & charitatis, aliarúmque virtutum supernaturalium: qua de causa Paulus Hebr. 11. affirmat fidem esse substantiam, id est, basim, & fundamentum rerum sperandarum, loquitúrque de actu fidei, vt patet ex verbis immediatè sequentibus, *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Denique in genere causæ efficientis, actus est effectus physicus, immediatus, & adæquatus ipsius habitus fidei: mediatè verò; & remotè illi tribuuntur quæcumque fiunt ab actibus. Actus autem physicè quidem producit habitum naturalem, & speciem sui impressam, quæ iuuet ad recordationem, more actuum naturalium, vt alibi diximus. Vltra quam causalitatem physicam effectiuam, actus intellectus, qui immanentes sunt, nullam aliam habent. Moraliter verò est causa meritoria habitus supernaturalis fidei, siue de congruo, vt primùm infunditur: siue de condigno, vt sæpe fit quando augetur. Est etiam causa moraliter efficiens eorum omnium, ad quæ per se inducit, aut quæ vi illius fiunt: cuiusmodi sunt actus omnes aliarum virtutum infusarum, ad quos fidei cognitio non minùs iuuat, & inducit, quàm ad timorem seruilem, & filialem, de quo suprà D. Thomas. Sicut enim per fidem cognoscimus pœnas à Deo constitutas peccatoribus, & Deum esse summè bonum: sic & Deum esse summè amandum propter se per charitatem; & sperandum, vt summum bonum nostrum; & colendum per religionem, & sic de cæteris virtutum officijs. Valet etiam cognitio fidei, non tantùm ad actus voluntatis, sed etiam ad aliquos actus ipsiusmet intellectus, vt ad actus prudentiæ; & ad actus potentiæ executiuæ, qui secundùm fidei normam diriguntur. Est enim fides fundamentum bene operandi, & bene viuendi secundùm doctrinam diuinam. Præterea effectus huiusmodi actuum pertinent remotè ad fidem. Atque ita præmia meritorum, & beneficia impetrata per orationem, & similia, sunt remotè effectus fidei, sine qua nullus actus est meritorius de condigno, nec de congruo, quoad bona supernaturalia: & sine qua per orationes, & similes actus non possunt impetrari beneficia supernaturalia. Loquor autem de puris viatoribus, carentibus lumine altiori supernaturali, quale in Christo fuit.

4 Fides iuuat, & iuuatur ab alijs virtutibus.

Nota tertiò, sicut fides iuuat & excitat ad actus aliarum virtutum exercendos, quorum idcirco dicitur esse causa: sic ab illis vicissim iuuari & excitari ad suos. Virtutes enim mutuam sibi operam præstant, & vicissim se iuuant. Atque ita charitas v.g. potest fidei actum expetere, & imperare, vt Deo gratum: spes, vt expedit ad bonum supernaturale sperantis, vel ad vitandum malum oppositum: Religio, vt facit ad cultum Dei: & sic de alijs virtutibus. Quo sensu dicitur Eccles. 2. *Qui timetis Deum, credite illi.* Et 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est, &c. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Quomodo fides purificat?

Nota quartò, purificationem, seu purgationem fieri propriè per remotionem alicuius disconuenientis, aut minùs conuenientis: idque tam in intellectu, quàm in voluntate, & alijs potentijs, aut subiectis. Sic enim Angeli superiores dicuntur purgare inferiores, cum eos liberant ab obscuritate, & ignorantia circa res eas, quas illis reuelant. Fides ergo tam actualis, quàm habitualis purificat quidem formaliter, & immediatè; quatenus liberat formaliter intellectum ab errore, vel ignorantia opposita: hæc verò liberat formaliter a priuatione opposita, seu carentia talis formæ supernaturalis. Verumtamen neutra cor perfectè purificat se solâ: quia non tollit maculam peccatorum, neque priuationem aliorum habituum supernaturalium, quibus formaliter constat integra, & perfecta iustificatio. Dixi, se solâ: quia dispositiuè, & partialiter actus fidei concurrit ad perfectam iustificationem, cum alijs actibus necessarijs ex parte voluntatis: & habitus fidei concurrit formaliter cum spe, & charitate, ad formam integram iustificationis: vt patet ex Trid. sess. 6. cap. 6. & 7. & confirmabitur ampliùs ex sequentibus.

5. Error Caluinist.

Contrarium sentiunt Caluinistæ, qui art. 18. Confess. Gallic. aiunt Iustitiam consistere formaliter in remissione peccatorum, seu non-imputatione, cui coniungunt imputationem obedientiæ Christi. Illius verò iustitiæ participes se fieri per fidem affirmant art. 20. Et art. 22. addunt fidem necessariò producere bona opera; sed negant opera valere ad iustitiam, vel ad meritum. Primum errorem probant his Scripturæ locis citatis in margine articuli 18. *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Psalm. 31. v. 1. Rom. 4. v. 7. & 8. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis &c.* 2. Cor. 5. v. 19. & 20. *Non est aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. v. 12. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Rom. 5. v. 19. Ad secundum verò errorem confirmandum proferunt hæc Scripturæ testimonia in margine articuli 20. *Vbi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Rom. 3. v. 27. & 28. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Galat. 2. v. 10. & cap. 3. v. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Et Ioan. 3. v. 15. & 16. *Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Tertium denique errorem stabiliunt sequentibus Scripturæ locis citatis in margine articuli 22. *Quid proderit, fratres mei, si quis dicat se fidem habere, opera autem non habeat: nunquid poterit fides saluare eum?* Iacob 2. v. 14. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Galat. 5. v. 6. *Filioli mei hæc scribo vobis, vt non peccetis: & in hoc scimus, quia cognouimus eum, si mandata eius seruamus.* 1. Ioan. 2. v. 1. & 3. Et cap. 3. v. 3. *Quicumque habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est.* Et cap. 5. v. 18. *Scimus quia quicumque ex Deo natus est, non peccat.* Nascimur autem ex Deo per fidem, vt ait idem Apostolus cap. 1. Euangelij, v. 12.

& Iacobus cap. 1. epistolæ suæ catholicæ, versu 18.

6. Soluuntur corū argumēta. Sed hæc omnia, & alia æquè inutilia, quæ breuitatis causa prætereo, ineptè proferuntur. Licet enim Scriptura beatum prædicet eum, cui remissa sunt peccata (quæ remissio in quo consistat, alibi exposuimus) non propterea affirmat per id solùm, & præcisè beatum esse, quòd peccata sint ei remissa: neque alias partes iustificationis excludit, quibus simul sumptis, semperq; & necessariò cum remissione connexis, homo perfectè beatus constituitur beatitudine huius vitæ, quæ est æternæ inchoatio. Neque ait remissionem solam esse totam beatitudinem hominis, licet sit aliqua partialis, vt sunt aliæ multæ, quæ prædicantur alibi in Scriptura. *Beatus vir, qui non abijt in concilio impiorum &c.* Psal. 1. *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati pacifici, beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Matth. 5. Quòd autem peccata remittantur propter Christum eiusque merita, & obedientiam, nihil facit contra nos, qui illi veluti causæ meritoriæ, totam nostram iustificationem tribuimus, cum Trid. sess. 6, cap. 7. Paulus verò, quando negat nos iustificari per legem factorum, aut ex operibus legis, loquitur de lege & operibus legis Mosaicæ, cui fidem Christi opponit, per quam iustificatio quærenda est, non per opera legis Mosaicæ: vel etiam de operibus naturalibus sine fide: sed non ait per eam solam nos iustificari seclusâ charitate, & alijs, quæ idem Apostolus, alijque Scriptores sacri requirunt varijs locis, vt paulò post videbimus. Non ait etiam fidem solam sufficere ad vitam æternam: sed quod dicitur Ioan. 3 & similibus locis, intelligendum est de eo, qui credit fide viuâ, quique habet alia ad salutem alibi requisita, vt locus Iacobi subiunctus apertè significat. Qui tantùm abest vt prosit Nouatoribus ad probandum oppositum. Non enim dicit, quòd si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, fallitur; quia verè non habet fidem: sed dicit fidem non illi sufficere vt saluetur, esseque sine operibus mortuam. Paulus quoque loco citato ad Galat. non dicit fidem semper ac necessariò per charitatem operari: sed tantùm asserit eam fidem valere apud Deum, quæ per charitatem operatur. Alibi verò 1. Cor. 13. v. 2. Significat fidem sine charitate esse posse, ac nihil valere. Ioannes autem loquitur de notitia, non simplici, sed approbatiua, & affectiua: de qua etiam Sermo est Sapientiæ 15. v. 3. vbi Deo sic dicitur, *Nosse te consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis:* quâ notitiâ scilicet non tantùm creditur, sed & amatur, & viuitur secundùm dictamen fidei: quo etiam sensu dicuntur, fidem negare, & non credere, qui contra fidem viuunt: *Qui dicit se nôsse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* 1. Ioan. 2. v. 4. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* Tit. 1. v. 16. Denique, qui viuit secundùm fidem, & spem diuinam, sanctificat se, & non peccat vt sic, neque in quantum ex Deo natus est: & ideo nascitur, ac per fidem instruitur, vt non peccet, séque sanctificet in actu secundo per bona opera. Potest tamen ex propria libertate peccare, & contra fidem agere vt patet exemplo Moysis, Aaronis, Dauidis, Salomonis, Petri Apostoli, & similium, qui licet fideles, grauiter tamen peccârunt contra dictamen fidei.

7. Iustificatio non est sola peccatorum remissio. His tribus erroribus Hæreticorum oppono hæc Scripturæ testimonia. Primò, quòd iustificatio non consistat in sola peccatorum remissione, patet ex Rom. 8. v. 9. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Renasci autem non est solùm remitti, aut non imputari, sed aliquid positiuum. Et ad Galat. 5. v. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.* At iustus est aliquid, estque Deo charus & amicus. Ergo licet quis habeat omnem fidem, adeóque fidem remissionis peccatorum, non est iustus sine charitate, de qua dicitur Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

Iustitia Christi non solâ fide participatur. Secundò, quòd non sola fides participes nos faciat iustitiæ, patet quia Christus, Marci vltimo, cum fide iunxit baptismum, quando dixit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Petrus Act. 2. v. 38. ad remissionem peccatorum requisiuit pœnitentiam, & baptismum. Et Luc 13. v. 3. & 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Et 1. Petri 4 v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Ioan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Tertiò, quod fides non producat necessariò bona opera, neque sit semper iuncta cum charitate, patet exemplo Dauidis adulterantis, & Vriam occidentis: qui certè non arguitur de infidelitate, sed de adulterio, & homicidio, 2. Reg. 12. v. 7. & sequentibus. Item exemplo Petri Apostoli, in quo, Christum negante, cum iuramento, Marc. 14. v. 71. non erant bona opera, neque charitas; & tamen non defecerat fides, iuxta illud Christi Luc 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* quæ rogatio non fuerat sine effectu; alioqui Christus non illam commendâsset. Deus quoque in Testamento veteri sæpissime per prophetas exprobrat peccata populo suo, quamuis fideli: pluribus enim locis non illum arguit infidelitatis, sed auaritiæ, iniustitiæ, luxuriæ, inobedientiæ, contumaciæ, impœnitentiæ: significátque se loqui fidelibus, Et in Apocalyp. Angelo, id est, Episcopo Pergami sic dicitur, *Scio vbi habitas, vbi sedes est, Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam &c. Sed habeo aduersus te pauca &c. Pœnitentiam age,* cap. 2. v. 13. & sequentibus. Ibidemque v. 4. Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, de fidei puritate, & constantia laudatus, arguitur quòd primam charitatem suam reliquerit, monetúrque vt videat vnde exciderit, & agat pœnitentiam, & prima opera faciat.

Bona opera valent ad vitam æternam. Denique, quòd opera bona valeant ad iustitiam, & ad vitā æternam, docet apertè Scriptura Roman. 2. v. 13. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Ia-

cob. 1. v. 24. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Ibidémque v. 21. affirmat Abraham ex operibus iustificatum esse, offerendo filium suum super altare, & non ex fide tantùm: quod quomodo conueniat cum Pauli verbis Rom. 4. v. 2. & sequentibus, exposuimus in tract. præcedenti, fusiúsque explicatum videri potest apud Suarem lib. 8. de Gratia cap. 22. vbi hac de re longam texit disputationem. Summa responsionis est Iacobum affirmantem nos ex operibus iustificari, loqui de operibus ex fide procedentibus: Paulum verò negantem nos ex operibus iustificari, loqui de illis quæ fidem antecedunt, aut sine illa fiunt: vt ait S. Augustinus lib 83. quæst. q. 76. Adde innumera Scripturæ loca, quibus vita æterna promittitur propter bona opera, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Rom. 8. *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Iacob 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Ex quibus omnibus liquet totam illam doctrinam Hæreticorum à veritate longè abesse.

SECTIO II.

De Donis Spiritus sancti cum fide connexis.

8 Dona illa distinguuntur à virtutibus ex multorum sententia.

SEntentia multorum Theologorum est, præter virtutes infusas Theologicas, & morales, dari omnibus iustis septem alios habitus supernaturales, qui specialiter Dona Spiritus sancti appellantur, & partim ad fidem, partim ad alias virtutes reuocantur: à quibus tamen distinguuntur realiter, neque infunduntur, nisi cum gratia, & charitate; destruuntúrque illâ sublatâ per quodlibet peccatum mortale: ita vt dona illa sint status gratiæ, & iustitiæ propria. In hac sententia sunt D. Thomas 1. 2. quæst. 68. & 2. 2. q. 8. & 9. alijsque locis. Richardus in 3. dist. 34. art. 1. q. 1. vbi affirmat esse communem, licet oppositam aliqui sequantur, Bonauentura, Albertus, Antonin & alij quos refert & sequitur Suares. lib. 2. de gratia cap. 17. n. 9.

Eorum argumẽta.

Fundamenta eorum præcipua hæc sunt. Primò, quia Scriptura, Isaiæ 11. v. 2. affirmat Spiritum sanctum iustis infundi cum his septem donis, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Quæ licet de Christo sint dicta, extenduntur tamen à sanctis Patribus ad omnes iustos; quia de eius plenitudine omnes accipiunt, & Christus ea non sibi soli, sed illis quoque accepit: vt videre est præcipuè apud Chrysost. in psalm. 44. Cyrillum lib. 2. in Isaiam, non longè ab initio vtrobique, Cyprianum lib. de Cardinalibus Christi operibus, cap. de vnct. Chrismatis Ambros. lib. 3. de Sacrament. cap. 2. August. lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 4. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 12. aliàs 28. & homil. 19. in Ezechiel. Ecclesia quoque Latina vniuersa in hymno Spiritus sancti sic eum alloquitur, *Tu septiformis munere,* alludens ad illa septem dona, quæ iustis infundit. Quare negari non potest hæc dona iustis reipsa dari. Quòd verò distinguantur realiter à virtutibus probant quia Scriptura loquitur de his donis, tanquam de septem actibus, vel habitibus proprijs Spiritus sancti: ideóque vocat eos spiritus, vel certè Spiritum sanctum specialiter ab illis denominat, verbis relatis ex Isaiæ 11. Ergo significat eos esse distinctos ab actibus, vel habitibus virtutum. Secundò, Patres loquuntur de illis vt distinctis; præcipuè S. Gregor. 1. Moral. cap. 28. alias 12. vbi per septem filios Iob, intelligit septem illa dona Spiritus sancti: per tres autem filias, intelligit tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem. Et lib. 2. Moral. cap 16. aliàs 26. distinguit septem dona Spiritus sancti à quatuor virtutibus cardinalibus. Nam eas comparat quatuor angulis, quibus vento concussis, & dirutis, corruit tota domus, & septem filios Iob oppressit, id est, septem dona Spiritus sancti extinxit. Tertiò, licet latè loquendo virtutes infusæ dona vocari possint, quatenus à Deo donantur; nisi tamen, loquendo strictiùs, distinguantur à virtutibus illa, quæ specialiter dona vocantur, non potest reddi ratio, cur aliquæ virtutes dicantur dona, & non omnes; & cur aliqua computentur inter dona, quæ non computantur inter virtutes, vt patet de timore; inquit D. Thomas dicta quæst. 68. art. 1.

Adde quartò, quòd habent diuersum principium, eique proportionantur. Nam virtutes infusæ sequuntur principium internum, id est, rationem supernaturali lumine adiutam: dona verò sequuntur principium externum, id est, Deum, & motionem Spiritus sancti: vnde specialiter Spiritus appellantur, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Consilij & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, & Timoris Domimini. Quæ duo principia in actibus humanis agnouit aliquo modo Philosophus lib. 7. Moral. ad Eudemum. cap. 18. dicens, eos, qui Dei instinctu impelluntur, non debere consulere humanam rationem, quia mouentur à meliori principio, quàm sit ratio humana. Et lib. 7. Ethic. ad Nicomach. cap. 1. ait, præter communes virtutes, alias esse heroïcas, quæ homines efficiunt quadam ratione diuinos, ad singularia quædam opera suscipienda. Quintò denique, non potest dici hæc dona nihil esse aliud, quam ipsas virtutes infusas. Nam quod aliqui dicunt, sapientiam, intellectum, & scientiam, non esse aliud, quàm fidem ipsam, sub diuersa ratione, & respectu conceptam, vel secundùm diuersos actus: consilium verò non differre à prudentia infusa: nec fortitudinem, à virtute infusa fortitudinis: nec pietatem à iustitia, cuius actus præcipuus est pietas. Timorem verò reuerentialem pertinere ad humilitatem, quæ in temperantia infusa continetur: seruilem, ad spem: & filialem, ad charitatem: atque ita nullum esse horum septem donorum, quod non pertineat ad aliquam è septem virtutibus infusis Theologicis & moralibus seu cardinalibus.

9. Modus operandi huiusmodi donorũ.

Hoc, inquam, refutatur, quia illa dona intellectualia Sapientiæ, Intellectus, & Scientiæ, fuerunt in Christo, qui tamen fidem non habuit. Ergo sunt aliquid diuersum à fide. Item, manent in Beatis, & sunt in sanctis Angelis, in quibus non est fides. Item, hæc dona sunt propria iustorum. Ergo non manent in peccatoribus, licet in illis fides maneat. Ergo sunt habitus distincti. Vlteriùs, Scriptura de illis loquitur vt distinctis tam inter se, quàm à fide. Nam Salomon iam fidem habebat, quando inuocauit, & obtinuit Spiritum Sapientiæ, Sap. 7. v. 7. & Dauid, licet iam fidelis, sic orabat, Psal. 118. v. 73. *Da mihi intellectum, & discam mandata tua.* Et Ecclesiast. 15. de iusto dicitur, *Implebit eum Spiritus Sapientiæ, & Intellectus.* Et cap. 24. de primis Parentibus dicitur, *Creauit illis scientiam Spiritus.* Quæ omnia & similia, quæ in Scriptura de his donis leguntur, non est probabile dici de sola fide vel de illius augmẽtó: maximè cùm distinctio rationum, vel actuum ipsius fidei, non possit aptè conuenire nominibus sapientiæ, scientiæ, & intellectus. Et Isaiæ 2. v. 9. iuxta LXX. fides distinguitur ab intellectu, cùm sic dicitur, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Alia verò quatuor dona, quæ alijs virtutibus conuenire dicuntur, non habent eundem operandi modum: cùm non sequantur rationem, & legem communẽm, vt virtutes: sed motum extraordinarium, & instinctum specialem Spiritus sancti supra legem communem, vt videbitur paulò post. Ergo differunt à virtutibus. Adde quòd ad maiorem gratiæ perfectionem, & amplitudinem pertinet, vt præter virtutes infundantur dona distincta: vtque iustus habitualiter reddatur bene mobilis, non solùm à ratione, & lege communi per virtutes: sed etiam à motione extraordinaria Spiritus sancti, per dona. Ita precipuè D. Thomas 1. 2. q. 68. art. 1. & Suares lib. 2. de gratia, cap. 17. n. 9. & sequentibus.

10. *Quomodo distinguantur à virtutibus?* Quia verò difficile est rationem distinctionis assignare tum inter dona, & virtutes, tum inter ipsa dona inter se: magna in eo est dissensio inter Auctores opinionis relatæ: quorum nonnullas explicationes refert & refutat D. Thomas art. cit. Ipse verò ibidem ait differentiam donorum à virtutibus in eo consistere, quòd virtutes nos bene disponunt, vt bene moueamur à ratione; dona verò, vt bene moueamur ab inspiratione & motione Spiritus sancti. Et art. 4. Dona sic inter se distinguit, vt velit quatuor ad intellectum pertinere, tria ad appetitũ. Homo enim, inquit vtrâque sui parte moueri potest ab instinctu diuino, sicut à quadam superiori potentia. Cùm autem duo sint in intellectu; apprehensio scilicet, & iudicium: & iterum vtrumque esse possit speculatiuum, vel practicum: perficitur quoad apprehensionem speculatiua ratio per intellectum: practica verò, per consilium: ad rectè autem iudicandum perficitur speculatiua ratio per sapientiam; practica verò, per scientiam. Appetitus denique in his quidem quæ sunt ad alterum, perficitur per pietatem: in his autem quæ sunt ad se ipsum; perficitur per Fortitudinem contra Timorem periculorum: contra concupiscentiam verò inordinatam delectabilium, per timorem, iuxta illud Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a iudicijs enim tuis timui.* Hæc ibi S. Thomas.

At 2. 2. q. 8. art. 6. aliter circa illam distinctionem Philosophatur, corrigitque id quod suprà dixerat, donum intellectus versari tantùm circa speculatiua; donum verò scientiæ, tantùm circa practica. Ait enim vtrumque donum circa vtraque ferri. Sed ea inter se, & ab alijs duobus ad cognitionem pertinentibus sic distinguit; vt velit quatuor illa dona referri ad supernaturalem cognitionem, quæ per fidem in nobis fundatur. Fides autem versatur primò, & principaliter circa primam veritatem: secundariò circa creaturas: & vlteriùs se extendit etiam ad directionem humanorum operum, secundùm quòd per charitatem operatur. Duo verò (vltra scilicet assensum fidei) requiruntur ex parte nostra circa ea, quæ fidei proponuntur credenda. Primò quidem, vt intellectu penetrentur, vel capiantur: & hoc pertinet ad donum intellectûs. Secundò autem, oportet vt de illis homo habeat iudicium rectum, vt æstimet eis esse inhærendum, & ab eorum oppositis recedendum. Hoc ergo iudicium quantùm ad res diuinas pertinet ad donum Sapientiæ; quantùm vero ad res creatas, ad donum scientiæ: quantùm denique ad applicationem ad singularia opera, pertinet ad donum consilij. Huc vsque S. Thomas. *Altera explicatio huius distinctionis.*

11. *Tertia eiusdem expositio.* Suares verò lib. 2. de gratia, cap. 18. & sequentibus doctrinam illam D. Thomæ partim exponens, partim in alium sensum accommodans, ait donum Sapientiæ à fide differre, quia fides iudicat simpliciter verum esse id, quod reuelatum est, & quia reuelatum est: Sapientia verò non iudicat de veritate ipsa reuelata, quòd vera, vel falsa sit; sed iudicat de rebus diuinis, quatenus conuenientiam habent, & dignæ sunt vt credantur, vel amentur. Sicut in mysterio Incarnationis. v. g. aliud est iudicare ita esse: aliud, esse conueniens, & decens diuinam bonitatem, & sapientiam. Primum, ad fidem pertinet. Secundum, ad sapientiam, quando fit ex peculiari instinctu, & motione Spiritus sancti: & est iudicium quodammodo reflexum supra rem directè creditam per fidem, attentiùs illam contemplando, & ponderando, ac tandem iudicando, esse illi adhærendum, velut dignissimæ fide, vel dilectione. Quod si obijcias, etiam fidem iudicare res fidei esse dignas assensu, & mysteria supernaturalia esse conuenientia. Respondet fidem non habere directè hæc iudicia: & quando illa habet; solum esse sub ea ratione, quâ proponuntur velut à Deo dicta. Sapientia verò de his iudicat ex contemplatione ipsarum per fidem reuelatarum, quasi intuendo in illis; vel ex earum effectibus agnoscendo rationes conuenientiæ, aut amabilitatis, vel alias, de quibus iudicat. *Donum sapientiæ quid sit?*

Donum intellectus. Intellectum verò dicit esse donum, quo penetramus veritates fidei, solùm quoad sensum loquentis, ita vt iudicemus hunc esse sensum reuelationis. Cùm enim veritates fidei, verbis obscuris proponantur, sintque supernaturales, spiritales, & captum nostrum excedentes; egemus

mus auxilio Spiritus sancti, non tantùm vt assentiamur, sed etiam vt intelligamus quid proponatur. Hoc ergo iudicium de sensu reuelationis, & fortè etiam de credibilitate, pertinet ad donum Intellectus, qui in eo sistit: nam iudicare de veritate reuelata pertinet ad fidem. Sapientia verò vtrumque actum supponit, & iudicat de conuenientia rei iam creditæ, modo superiùs explicato. Ad idem donum Intellectus pertinere ait illustriorem, & explicatiorem conceptionem rerum diuinarum, quas fides reuelat. Itemque varios modos explicandi mysteria fidei, per plures similitudines, vel exempla: necnon penetrationem, & inuentionem plurium rationum, quæ res fidei illustrent, vt magis intelligibiles reddantur, vel vt non appareant impossibiles, & rationi repugnantes. Item veram locorum Scripturæ intelligentiam: iuxta illud Luc. vltim. *Et aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*: & Matth. 15. *Adhuc & vos sine intellectu estis?*

12. Donum Scientiæ. Scientiam verò affirmat esse donum simile Sapientiæ, quatenus iudicat de conuenientia rei reuelatæ: differre autem ab illa, quatenus Sapientia iudicat in materia supernaturali, de conuenientia eius, per æternas, & diuinas rationes, ad Deum ipsum, eiusque attributa, & honorem pertinentes. Scientia verò, per rationes inferiores & creatas, vel humanas, de iisdem rebus iudicium profert. Ex. gr. Scientia iudicat permissionem peccatorum fuisse conuenientem ad seruandam libertatem, & ad complementum Vniuersi. Sapientia verò iudicat id fuisse conueniens ad ostensionem diuinæ Iustitiæ, & Sapientiæ, quæ nouit ex malis bona facere.

Donum Consilij. Consilium ait esse iudicium omnino practicum, & per applicationem ad particularia, cum circumstantijs hîc & nunc determinatis. In quo differt ab actu fidei, & à tribus donis prioribus speculatiuis, vel in materia, vel in modo vniuersali. A Prudentia verò tam naturali quam infusa differt, quia fundatur solùm in instinctu Spiritus sancti, qui sæpe est præter ordinarias Regulas tam naturales, quàm supernaturales. Et quamvis interdum possit illis esse conformis; tamen homo, qui sic mouetur, non alias Regulas attendit; nec discursu quasi proprio mouetur, sed agitur potiùs, quàm agat. Tale fuit iudicium Samsonis de seipso cum Philistæis ruinâ domus opprimendo, Iudic. 16. Eleazari sub elephantem ingressi, & suo triumpho sepulti, 1. Machab. 6. Apolloniæ in ignem seipsam conijcientis, apud Eusebium lib. 6. hist. c. 31. & similia, quæ secundùm prudentiam iudicari non poterant esse actus virtutis Fortitudinis, sed tantùm ex peculiari instinctu Spiritus sancti.

13. Donum Fortitudinis. Sicut autem donum Consilij rationem perficit ad iudicandum ex instinctu Spiritus sancti in materia Prudentiæ, id est, in singularibus agibilibus: sic Fortitudinem ait esse donum, quo voluntas in materia Fortitudinis mouetur similiter ex peculiari instinctu Spiritus sancti; & Pietatem, in materia Iustitiæ: & Timorem Domini, in materia Temperantiæ. Nam Pietatis nomine, velut præcipuæ partis, compre- Donum Pietatis.

henditur per synecdochen tota Iustitiæ materia, siue omnis actio quæ est ad alterum, quatenus per instinctum Spiritus sancti singulariter perficitur, & propriâ eius motione fieri potest. Timor verò Domini significat timorem reuerentialem, seu timorem reuerentiæ magnitudinis diuinæ maiestatis; qui est actus humilitatis; humilitas enim est præcipua pars Temperantiæ: & ideo sub nomine præcipuæ partis tota Temperantia intellecta est, sicut de Pietate respectu Iustitiæ diximus. Atque ita in omni materia virtutum moralium dona possunt operari altiori modo. Consilium, in materia Prudentiæ; Fortitudo, in materia Fortitudinis; pietas, in materia Iustitiæ: & Timor Domini, in materia Temperantiæ. Reliqua tria ad fidem spectant: Intellectus, ad sensum reuelationum penetrandum: Sapientia, ad iudicandum de conuenientia rerum creditarum per rationes diuinas: Scientia verò, per rationes inferiores, creatas vel humanas. Hæc Suares, cuius opinio probabilitate non caret, præcipuè propter auctoritatem S. Thomæ, & S. Gregorij magni, superiùs citati. Donum Timoris.

SECTIO III.

Probatur Dona Spiritus sancti non distingui à Fide, & ab alijs virtutibus.

Existimo tamen hanc distinctionem Donorum à virtutibus neque sufficienti fundamento niti, neque satis commodè explicari: 141
quam idcirco rejiciunt, vel non omnino approbant Scotus in 3. dist. 34. q. vnica, §. *Ad istam quæstionem*, Gabriel dist. 34. quæst. vnica, art. 2. concl. 2. Durandus ibidem quæst. 1. n. 9. Maior quæst. 1. Rubio quæst. 1. art. 2. Altissiodor. lib. 3. Summæ, tract. 8. quæst. 1, in fine, Almain. in Moral. tract. 3. cap. 23. Vasq. 1. 2. disp. 89. cap. 2. Ratio est, quia licet Isaias affirmet spiritum Domini quieturum in Christo, idque cum proportione ad iustos extendendum sit: non propterea asserit daturum illis septem Dona distincta à virtutibus infusis, sed potiùs Spiritum sanctum illis nominibus nuncupat, quia facit sapere, intelligere, scire, timere, &c. siue quia cunctarum virtutum fons est, atque principium; vt exponit Hieronymus in cap. 11. Isaiæ, v. 2. vel vt ait Cyrillus lib. 2. in Isaiam aliquantò post initium, *In hoc flore*, Christo scilicet, *acquieturum ait spiritum Dei, multis virtutibus, & viribus pollentem. Spiritum enim ipsum nominat consilij, & intelligentiæ, & cognitionis, & sapientiæ, & fortitudinis, & religionis, & timoris Dei.* Et paulò pòst addit, hos non esse diuersos spiritus, sed vnum, & eundem hæc omnia operantem. Et Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto dicit illo numero significari plenitudinem virtutum, quas scilicet Spiritus sanctus operatur in nobis; ita vt numerus definitus ponatur pro indefinito, neque sit necesse intelligere ibi enumerari omnia dona; vel omnes effectus Spiritus sancti, sed aliquos illustres, multòque minùs hæc à virtutibus distinguere. Augustinus quoque lib. 1. de Sermone Illa distinctio non benè colligitur ex Isaia.

Domini in monte, cap. 4. sic ait, *Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus, sententijsque congruere*, id est, octo beatitudinibus, de quibus Matth. 5. v. 3. & sequentibus. Et lib. 1. quæstionum Euangeliorum, q. 8. subindicat septem spiritus malos quos immundus spiritus cùm exierit ab homine secum assumit, opponi septem illis spiritualibus virtutibus ab Isaïa enumeratis. Alijque Patres similiter dona illa virtutes vocant, neque à virtutibus Theologicis, vel Cardinalibus distingui significant, excepto Gregorio, de quo paulò pòst.

15. Non magis quàm distinctio Beatitudinum. Secundò, quâ facilitate asseritur dona distingui à virtutibus, propter verba Isaiæ citata; eâdem posset quis suspicari distingui ab ijsdem octo beatitudines, de quibus Christus Matth. 5. Et Duodecim Fructus Spiritus sancti, de quibus Apostolus ad Galat. 5. qui fructus sunt etiam dona quædam Spiritus sancti. Et tamen neque D. Thomas, neque alij Theologi volunt distingui: notántque neque omnes beatitudines illic enumerari, neque hìc omnes fructus Spiritus sancti: ergo similiter, &c. Tertiò in textu Hebraïco Isaiæ vnicum nomen est, יראה *yrà*, quo pietas, & timor significantur iuxta versionem LXX. & iuxta Vulgatam: vnde aliqui, vt Adamus in eum locum, sex tantùm dona numerari ab Isaïa volunt. Propter quod tamen non est recedendum à Vulgata, & à communi versione Sanctorum Patrum. Potuit enim Spiritus sanctus vtrumque donum eâdem voce comprehendere: & vox illa יראה *yra*, significat duo: Primò timorem, & reuerentiam: Secundò, pietatem, quæ naturaliter sequitur reuerentiam erga Deum: vt notat Carnel. à lapide in eundem locum. Potuit etiam altera vox ex Hebræo textu excidisse, post versionem LXX. interpretum, qui correctissimo exemplari vsi sunt: vel etiam post versionem Vulgatæ, quæ cum LXX. interpretibus hac in parte consentit.

16. Dona sũt potiùs ipsa virtutes. Quartò, nullum est ex his donis, quod ad virtutem aliquam pertinere facilè non possit: Ac primò quidem virtutes ipsæ dona sunt Spiritus sancti, quatenus gratis ab ipso infunduntur. Sicque Paulus Ephes. 2. v. 8. ait fidem esse donum Dei. Et Rom. 5. v. 5. dicit charitatem Dei diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sunt, inquam, dona, quatenus gratis donantur: & virtutes, quatenus valent determinatè ad bene operandum. Illa quoque dona Spiritus sancti, quæ alij contendunt esse à virtutibus distincta, sunt etiam virtutes, quatenus sunt habitus boni, & ad bene operandum determinati: neque potest vera vlla definitio virtutis assignari, quæ illis non conueniat. Quare ex vi huius appellationis nulla est ratio distinguendi generatim hæc dona, & virtutes. Speciatim verò cognitio diuinarum traditionum, siue scriptæ sint, siue non scriptæ, est nobis reuera quædam Sapientia, scientia, intellectus, & consilium, seu prudentia. Sicque vocatur in Scriptura, Deuteron. 4. v. 4. *Hæc est vestra Sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hac, dicant: En populus Sapiens, & intelligens* Et Psalm. 118. v. 98. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo:* & v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, id est, scientia quodammodo, & clara cognitio: de qua etiam intelligi potest, quod ait ibidem, v. 66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Est, inquam, Sapientia, id est, altissimarum rerum per indicia altissima cognitio: nempe Dei vnius in essentia, & trini in personis, ipsiúsque attributorum, & actuum, & institutorum, per ipsius testimonium certissimum, miraculis, & signis illustribus confirmatum. Est præterea intellectus, id est, simplex assensus sine discursu, circa res à Deo reuelatas, propter ipsius testimonium immediatè illis applicatum: vel etiam quatenus per habitum & actum præuium voluntati credendi, est iudicium simplex de credibilitate propter ipsius euidentiam immediatam. Est etiam scientia, id est, supereminens humanæ scientiæ intelligentia verissima & certissima rerum inferiorum, quâ Christiani meliùs, quàm Philosophi, cognoscunt hunc mundum, eiusque creationem, conseruationem, gubernationem, & res alias Deo inferiores. Est denique consilium, seu prudentia, quatenus valet ad discernendum, & iudicandum meliùs, quàm soleant homines per rationem naturalem; estque rectissima agendi, atque viuendi ratio. Et quamvis vltra fidem versantem circa reuelationes diuinas possit Deus dare lumen infusum, & notitiam infusam, quæ habeat vim intelligentiæ, & Sapientiæ, & scientiæ, & prudentiæ, & artis; sicut dedit olim Adamo, Salomoni, Beseleeli, & alijs: non tamen satis constat talem notitiam dari ijs omnibus, quibus dona dicuntur dari, id est, omnibus iustificatis.

Fortitudo verò, & pietas, & timor, possunt ad Spem, & Charitatem pertinere. Nam *fortis est, vt mors, dilectio:* & ambæ valent ad audendum, ad timendum, & ad Deum honorandum. Quòd si præter virtutes Theologicas infunduntur quoque morales, vt fert communis Theologorum sententia; quicquid dicitur de consilio, fortitudine, pietate, & timore Domini, potest illis facilè tribui. Valent enim ad bene agendum, & decenter, tam erga alios, quàm erga se: & tam secundùm communes Regulas, quàm secundùm speciales reuelationes, aut motiones diuinas. Et vt aliquid speciatim his donis tribuatur, sufficit dicere esse actus illustres virtutum, cum speciali auxilio Spiritus sancti elicitos: siue ad credendum, & cognoscendum meliùs reuelationes diuinas ex meliori propositione obiecti, maiorique Spiritus sancti illustratione: siue ad agendum extraordinario quodammodo, ex instinctu peculiari Spiritus sancti, circa virtutum aliarum materiam, extraordinariè propositam. Etenim omnes virtutes infusæ valent ad hominem mouendum circa suam materiam à quacumque inspiratione diuina propositam, cuius diuersitas non mutat obiectum formale. Ex. gr. fortitudo valet ad periculorum, & mortis contemptum, quotiescumque id expedire, aut necessarium esse constabit: siue per leges communes con-

17. Alia cum spe, & charitate, aut virtutib. moralib.

Quædam cum fide identificantur.

ftet, siue per inspirationem extraordinariam.

18. Soluuntur arg. contrariæ sententiæ. Neque multùm vrgent argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum enim, constat ex dictis quo sensu Spiritus sanctus dicatur spiritus Sapientiæ, & Intellectus, &c. & Spiritus septiformis munere: quia scilicet septem illos actus in nobis operatur: siue per totidem principia habitualia, siue non; & siue illi actus distinguantur ab actibus virtutum, siue non: quod Scriptura non asserit: & alibi æquè tribuit Spiritui sancto Fidem, & Charitatem, aliarúmque virtutum actus. Ad secundum respondeo, Patres non loqui de his donis, vt distinctis à virtutibus, excepto Gregorio, qui etiam ibidem vocat eadem dona, *virtutum sensus*, id est, ipsarum virtutum opera, & effectus. Ita vt loqui videatur de actibus, & distinguere septem dona Spiritus sancti ab alijs actibus virtutum Theologicarum, & Cardinalium, veluti septem actus illustriores: quos idcirco septem fratribus comparat, id est, septem filijs Iob, masculis scilicet, & fortibus: fidem verò, Spem, & Charitatem quoad reliquos actus, comparat tribus eorum sororibus: virtutes autem Cardinales, quatuor angulis domus, quibus euersis domus corruit, & septem fratres oppressit, id est, vt ipse allegoricè interpretatur, septem dona Spiritus sancti: quia qui deficit in actibus minoribus, multò magis deficit in actibus illustrioribus, & fortioribus. At verò alij Patres dona ista, & virtutes pro eodem sumunt, vt ex Hieronymo, Cyrillo, Ambrosio, & August. suprà ostendimus. Tridentinum quoque Sess. 6. cap. 7. cùm initio dixisset iustificationem fieri per susceptionem gratiæ, & donorum; paulò pòst, dona illa explicans, ait, *In iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem*: neque aliorum donorum meminit.

19. Ad tertium: Nulla est virtus infusa, quæ donum Spiritus sancti dici non possit: nullum etiam ex his septem donis, quod virtus non dicatur; vt patet ex Patribus suprà citatis. Quamvis loquendo generaliùs, donum latiùs pateat, quàm virtus. Nam remissio peccatorum est donum, & tamen non est virtus, quia non valet ad operandum: auxilia quoque transeuntia, vt illustrationes, & piæ motiones, Spiritus sancti dona sunt, non virtutes, sumendo virtutem pro habitu. Ad quartum, iam suprà respondimus diuersitatem illam principij non mutare obiectum formale virtutum infusarum, quæ valent ad sequendam quamcumque motionem diuinam circa suam materiam. Philosophus verò non dicit esse diuersos habitus; alterum virtutis simpliciter, & alterum virtutis Heroïcæ: sed esse eundem habitum magis perfectum; vel à virtutis habitu aliquando fieri opus aliquod Heroïcum ex instinctu diuino.

20. Ad quintum: Sicut Christus habuit per lumen excellentius quicquid nobis præstat fides, sine ipsius imperfectione: sicper idem lumen, siue gloriæ, siue aliud multiplex, habuit Sapientiam, Scientiam, &c. multò perfectiorem, & diuersæ rationis à nostra: qualis etiam est in Beatis, & in sanctis Angelis, siue in illis maneat habitus fidei, siue non. In peccatoribus verò retinentibus fidem, remanent quoad habitum dona cum fide identificata, quæ falsum est esse iustorum propria. Salomon autem Sapientiam postulauit, & obtinuit, peculiarem, à fide diuersam, & paucis communicatam, vt Adamo, Christo, B. Virgini: omnibus verò iustis eandem dari nullum indicium, vel argumentum probat. Dauidis verba, & Ecclesiastici, possunt facilè intelligi de maiori illustratione intellectus, & meliori propositione, & explicatione obiecti fidei. Fides enim habitualis non operatur sine propositione obiecti, & inspiratione Spiritus sancti: eóque meliùs operatur, quò meliùs obiectum proponitur, aut quò magis intellectus illustratur: vtque sit Sapientia, Intellectus, & Scientia in actu secundo, oportet proponi obiecta fidei altissima, vel alia inferiora: quæ quo distinctiùs proponuntur, eò meliùs percipiuntur, cæteris paribus. Hæc autem propositio fieri solet ab extrinseco; neque ad illam necessarius est internus habitus, sed sufficiunt externa adiumenta à Deo posita, Ecclesia, Doctores & alia media externa, internaque illuminatio Spiritus sancti, quæ interdum sine medijs externis operatur.

Potest etiam hoc ipsum, quod objiciunt Aduersarij de Salomone, Dauide, & Ecclesiastico, in ipsos retorqueri. Nam illi non tantùm fideles erant, sed etiam iusti, quibus omnibus hæc dona dicuntur esse infusa. Quomodo ergo eadem petuntur ab illis, aut eis promittuntur, siquidem iam habebantur? Quâ verò ratione conueniant fidei nomina, Sapientiæ, Scientiæ, Intellectus, & Consilij, superiùs ostendimus. Illud denique Isaiæ, *Si non credideritis, non intelligetis*, potest similiter in Aduersarios retorqueri. Nam secundùm illos, Intellectus, qui est iudicium de sensu reuelationis, debet præcedere fidem, quæ est iudicium de re reuelata secundùm sensum reuelantis iam cognitum: & tamen Isaias Fidem præponit Intelligentiæ. Verus autem sensus illius loci est, quòd qui non humiliter captiuant intellectum in obsequium fidei, non possunt intelligere mysteria diuina, quæ humanæ rationi sunt impenetrabilia. De reliquis virtutibus iam diximus valere ad vtrumque modum operandi: & secundùm legem communem, & secundùm motionem extraordinariam. Idque non minùs gratiæ perfectionem, & amplitudinem commendat, quàm distinctio illa virtutum, & donorum: quæ cùm sine sufficienti fundamento inducitur, res fidei minùs credibiles reddit, & multiplicat habitus supernaturales absque necessitate.

Ratio verò differentiæ à D. Thoma primo loco assignata, illud habet incommodi, quòd dona Intellectus, & Consilij sunt valde imperfecta, si tantùm valent ad apprehensionem credibilium, quam alioqui constat fieri communiter naturali modo ad propositionem obiecti. Deinde, Sapientia, & Scientia iudicare non possunt, nisi apprehendant illud ipsum, de quo iudicant. Quid ergo est opus donis distinctis, & supernaturalibus ad apprehendendum illud ipsum, quod ipsæ debent necessariò apprehendere? Tertiò, cùm de rebus diuinis cogni- 21. Refelluntur modi distinguendi ab alijs assignati.

tis per altiſſimas cauſas, quædam ſint practicæ, vt de Deo ſummè diligendo propter ſe: & de rebus inferioribus quædam ſint ſpeculatiuæ, vt de natura, & proprietatibus hominum, & Angelorum, de mundi creatione, & ſimilibus: malè reſtringitur Sapientia, quæ eſt de rebus altiſſimis, ad iudicium ſpeculatiuum: & Scientia, quæ eſt de rebus inferioribus, ad iudicium practicum: cùm vtraque valeat ad ſpeculationem, & praxim.

22. *Dona illa distincta sunt superflua.* Ad poſteriorem rationem differentiæ, quâ D. Thomas priorem correxit, & ad totam Suaris expoſitionem, dico, ad penetrandum ſenſum reuelationis, qualem habemus communiter, ſufficere diſtinctam, & debitam propoſitionem, cum interno auxilio Spiritus ſancti: ad iudicium verò ſupernaturale de conuenientia rerum reuelatarum cum rationibus ſuperioribus, vel inferioribus, quale communiter habetur, ſufficere ipſam fidem. Nam in diuinis reuelationibus non continetur quomodocumque myſterium Incarnationis v. g. ſed etiam eius conuenientia cum Dei Sapientia, Bonitate, & Amore, cúmque vtilitate, & neceſſitate hominum, atque aliæ rationes, ſecundùm quas æſtimari debet, in quas etiam fides tendit. Si verò interdum homines ſunt languidiores ad ſentiendum, & æſtimandum, propter aliquem defectum, aut impedimentum; non eſt mirum, cùm etiam ad credendum actu patiantur interdum ſimilia incommoda. Poſſunt & vltra conuenientias reuelatas aliæ excogitari humanâ induſtriâ, præſertim ſpeciali Dei ope adiutâ: ad quas tamen non conſtat dari communiter habitus. Poſſunt etiam vltra fidem dari alij habitus in intellectu: ſed inde non ſequitur infundi iuſtis omnibus dona diſtincta à virtutibus.

23. Præterea, non eſt neceſſe vt ad omnes actus ponantur habitus infuſi. Deus enim quoſdam ſibi reſeruare poteſt: præcipuè verò actus illos extraordinarios ſuprà legem communem; qui rariſſimi ſunt; quia nunquam recedere licet à lege naturali, & diuina poſitiua, niſi certiſſimè impellente Spiritu ſancto ad aliter agendum: Quod rariſſimè contingit; & tunc fortè magis patitur homo, quàm agit: Sique liberè agit, accipit à Deo mirabiliter intelligentiam, quâ cognoſcat licere ſibi, Auctore Deo, ſic agere. Deus autem, vt moueat ad extraordinaria, & rariſſima, non debet habitus infundere; ſed poteſt ſine habitibus mouere. Adde, fidem habitualem valere ad omnem cognitionem, Dei reuelatione interna, vel externa habitam: & reliquas virtutes valere ſimiliter ad proſequendam bonitatem ſui obiecti, quomodocumque notam. Ac ſi Suares præter quatuor virtutes Cardinales, ponit quatuor dona realiter diſtincta ad operandum altiori modo, in eiuſmodi virtutum materia, ſecundùm motionem extraordinariam Spiritus ſancti: debet pari ratione, alia duo ponere ad operandum ſimili modo in materia Spei, & Charitatis; nam in illa poteſt non minùs dari motio extraordinaria Spiritus ſancti. Atque ita nouem dona conſtituenda erunt, quod Suares non admittit. Si verò, iuxta Suarem, Spes, & Charitas ſufficiunt ad operandum circa ſuum obiectum formale, quomodocumque propoſitum, ordinariè, vel extraordinariè: ſic & aliæ virtutes infuſæ non egent donis ſuperadditis, ſed poſſunt ſine illis extraordinariè operari. Et hactenus de ſeptem donis Spiritus ſancti.

SECTIO IV.

Quomodo Fides, differat à gratijs Gratis datis; & præcipuè à Prophetia?

Gratiæ gratis datæ nouem à D. Thoma numerantur, 1. 2. q. 111. art. 4. & ab alijs communiter, colliguntúrque ex illis Pauli verbis 1. Corinth. 12. *Alij per Spiritum datur ſermo Sapientiæ: alij ſermo Scientiæ ſecundùm eundem Spiritum, alij Fides in eodem Spiritu, alij Gratia ſanitatum, alij Operatio virtutum, alij Prophetia, alij Diſcretio ſpirituum, alij Genera linguarum, alij Interpretatio ſermonum.* Ex quibus tres ſunt, nempe fides, prophetia, & operatio virtutum, quarum differentia à virtute fidei Theologicæ, eget aliqua explicatione. Debent autem ab illa differre aliquo modo. Nam ex omnium conſenſu, gratiæ gratis datæ ſunt aliqua Dei beneficia collata per ſe primò ad bonum, & vtilitatem aliorum; virtutes verò ſupernaturales, & aliæ gratiæ gratum facientes, dantur per ſe primò ad bonum, & vtilitatem ipſius recipientis, vt illum Deo gratum reddant. 24. *Quot sũt illæ gratiæ?*

Circa primum: exiſtimant aliqui, cum S. Chryſoſtomo in locum Pauli citatum, fidem gratis datam, de qua ibi loquitur Apoſtolus, nihil aliud eſſe, quàm fidem miraculorum, quæ vltra fidem Theologicam, includit fiduciam quandam magnam, atque conſtantem impetrandi, vel operandi miracula, vt dicemus Sectione 6. Sed hæc ſententia non placet: quia fides miraculorum ſignificatur potiùs à Paulo per operationem virtutum, quæ ſignificat donum patrandi, vel obtinendi maiora quædam miracula, quàm ſit curatio morborum, ibidem ſignificata per gratiam ſanitatum; vt agnoſcit S. Chryſoſtomus loco, ſupra citato. Quare fides gratis data aliquid aliud ſignificare debet. *Quid ſit fides gratis data?*

Alij verò, vt Ambroſius, Anſelmus, & Caiet. per fidem hoc loco intelligunt donum conſtanter, & intrepidè profitendi, & prædicandi fidem, ad vtilitatem aliorum: qualis fuit data martyribus, præcipuè illis, qui ſexu, vel ætate, aut complexione erant imbecilliores. Sed hæc gratia ſpectat potiùs ad virtutem fortitudinis, vel ad auxilia gratiæ gratum facientis, quibus Deus nos iuuat, & corroborat ad conueniens exercitium virtutum ſupernaturalium. Alij tertiò, & meliùs, intelligunt peculiarem quandam, & magis excellentem notitiam rerum fidei, datam ad vtilitatem aliorum, cum facilitate, & energia explicandi eius myſteria: quæ à D. Thoma 2. 2. q. 4. art. 5. ad 4. vocatur Sermo fidei: & differt à duabus alijs gratijs, priùs ab Apoſtolo enumeratis; nempe à ſermone Sapientiæ, & à ſermone Scientiæ, in eo, quòd ſermo Sapientiæ eſt donum ad ex- 25. *Quomodo differt à fide Theologica?*

plicandas res fidei per causas altissimas, & ad veritates reconditas ex illius principijs eliciendas, alijsque persuadendas: sermo scientiæ est donum ad explicanda, & confirmanda fidei mysteria per effectus, & rationes naturales: sermo verò fidei est donum ad illa simpliciter, & sine illo ornatu sapientiæ, vel scientiæ, propriè tamen, & valde appositè explicanda. Ita ferè D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 4. in corpore, vbi tres illas gratias exponit in hunc modum: Gratia gratis data, inquit, ordinatur ad hoc, quòd homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum. Homo autem ad hoc operari non potest interiùs mouendo (hoc enim solius Dei est:) sed solùm exteriùs docendo, vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data, illa sub se continet, quibus homo indiget, vt alterum instruat in rebus diuinis, quæ sunt supra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primò quidem, quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis diuinorum, vt ex hoc alios instruere possit. Secundò, vt possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit; aliàs non esset efficax eius doctrina. Tertiò, vt ea, quæ concipit, possit conuenienter auditoribus referre. Ad primum istorum tria sunt necessaria. Primò enim necessarium est, vt qui alium debet instruere de rebus supernaturalibus, optimè nôrit, & excellenti quodam modo, principia fidei; illáque possit optimè proponere. Et ad hoc datur fides, siue sermo fidei. Secundò, oportet vt rectè se habeat circa principales conclusiones, quæ ex principijs fidei deduci possunt, illas scilicet eliciendo, & explicando per altissimas causas; & sic ponitur sermo Sapientiæ, quæ est cognitio rerum per causas supremas. Tertiò, oportet vt etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas. Et ad hoc ponitur sermo Scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum inseruiens cognitioni supernaturalium: quia *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Hæc D. Thomas. Qui tamen paulò secius easdem gratias explicare videtur 2. 2. q. 177. art. 1. vbi significat sermonem fidei pertinere simpliciter ad docendum, & instruendum intellectum aliorum de rebus fidei. Sermonem Sapientiæ dari ad delectandos auditores, & alliciendos, vt suauiter, & libenter audiant verbum Dei. Sermonem verò scientiæ ad hoc valere, vt auditores flectat, moueátque efficaciter ad amandum, & volendum exequi ea, quæ verbis proponuntur. Quocumque autem modo ex his duobus explicetur Fides gratis data, patet illam differre à Fide gratum faciente, seu virtute Theologica: quatenus illi addit facultatem explicandi valde propriè, facilè, & appositè fidei mysteria: quod interdum experimur fieri multò meliùs, & efficaciùs à quibusdam simplicioribus, pijs & Sanctis, quàm à Doctis Theologis dono illo carentibus.

26. *Quomodo distinguitur à Prophetia?* Circa secundum, de differentia virtutis Fidei à Prophetia, dicendum est Prophetiam, ex vi vocis, idem esse propriè, ac prædictionem futurorum. Deriuatur enim vox illa à πρὸ & φημὶ, id est, prædico, prænuntio. Extenditur tamen ad cognitionem quorumcumque occultissimorum, quæ non possunt cognosci naturaliter; siue illa futura sint, siue præsentia, siue præterita; vt rectè docet S. Gregorius Homil. 1. in Ezechiel. Quo sensu dicuntur Prophetæ, qui secreta cordis aperiunt, 1. Cor. 14. & Moyses prophetauit, quando mundi creationem Spiritu Dei reuelante descripsit. *Multipliciter sumitur Prophetia.* Sumitur etiam in Scriptura pro quacumque cognitione habita per diuinam reuelationem vt alijs enuntietur: & pro tota Scriptura diuina, quia fuit diuino Spiritu tradita: & pro illius interpretatione, vel interpretandi dono: & pro ministerio canendi laudes diuinas: & pro operatione miraculorum factorum in confirmationem alicuius Prophetiæ, vel Sanctitatis alicuius Prophetæ: & denique pro detectione occultorum facta per Angelos bonos, vel malos, ex spiritu proprio, vel fundata in sola ipsorum reuelatione, aut locutione, vt quando Pithones, & Pithonissæ dicuntur prophetare: quemadmodum rectè notarunt Cornelius à Lapide in Prooemio in Isaiam, & alios Prophetas; & Suares disp. 8. de Fide, Sect. 5. vbi has omnes prophetiæ acceptiones confirmat varijs Scripturæ testimonijs, & exemplis, partim certis, partim tantùm probabilibus, & incertis. Cuiusmodi est illud, quod ait de Saule 1. Reg. 11. non aliter ipsum prophetâsse, quàm quia fuit motus à Spiritu sancto, vt cum alijs Prophetis caneret laudes diuinas. Hoc enim solùm si fecisset, non fuisset adeo mirabile, vt locum daret Prouerbio in Israël, *Saul inter Prophetas.* Cuiusmodi est etiam quòd putat illud 2. Petr. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, &c* dictum esse de tota Scriptura diuina: probabilius enim est quod diximus alibi cùm D. Aug. sermonem specialiter ibi esse de prophetijs Christum prænuntiantibus in Testamento veteri, quas Petrus ait certius esse de Christi diuinitate testimonium, quàm vocem de cœlo super ipsum delapsam in monte Thabor, à magnifica gloria.

27. *Et specialiter pro futurorum prænotione.* Hîc autem sumimus prophetiam in primo, & proprio sensu, quo significat prædictionem certam, & infallibilem futurorum contingentium, pendentium à Dei, vel à creaturarum libertate: siue donum illa prædicendi certò, & infallibiliter, ex Dei reuelatione: neque enim possunt aliter certò, & infallibiliter prænosci, vt ostendimus disp. 4. Sect. 4. n. 31. Huius itaque gratiæ obiectum materiale sunt futura libera, quæ à Deo reuelantur Prophetis. Formale verò est ipsa reuelatio diuina, quæ dupliciter fieri potest: obscurè scilicet, aut euidenter. Neutrum enim repugnat prophetiæ. In quo differt à fide, quæ semper nititur obscura reuelatione, & tantùm euidenter credibili. Actus verò illius proprius est prænotio in mente Prophetæ, eorum quæ ipsi reuelantur, & eorumdem exterior prædictio, seu significatio per voces, scripta, vel alia signa. Quæ sola exterior prædictio, sine interiori cognitione, & assensu, non est verè, & propriè, & perfectè prophetia: sed instinctus quidam propheticus, & directio linguæ hominis, vt intentioni Spiritus sancti inseruiat, ipso non intelligente: perinde ac si Deus statuâ, vel bestiâ vteretur ad idem enuntiandum: in quo casu

bestia, vel statua non esset Propheta. Ideóque nec Caiphas fuit verè Propheta, quando Ioan. 11. affirmauit expedire Christum mori, vt non tota gens periret: quia sensum propheticum suæ assertionis non intellexit: vt rectè ait S. Thomas 2. 2. q. 173. art. 4. post D. Aug. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 1. Neque etiam Pharao, & Nabuchodonosor, præsomniantes futura, quæ non intelligebant, Genes. 41. & Daniel. 2. Nec enim propterea illi Prophetæ fuerunt; sed Ioseph, & Daniel, qui Dei reuelatione, id, quod per somnia illa præsignificabatur intellexerunt. Rectè tamen notat ibidem D. Thomas, fieri posse vt Propheta non assequatur omnem sensum quem Spiritus sanctus intendit significare per eius locutionem: quia est instrumentum inadæquatum virtutis Spiritus sancti. Sed Prophetæ denominatio non conuenit illi propriè, nisi respectu eorum, quæ intelligit.

28. Prænotio illa est supernaturalis. Porro, illam prænotionem certam, & infallibilem futurorum liberorum esse supernaturalem certissimum est: quia est huiusmodi, vt solis viribus naturalibus sine Dei reuelatione haberi non possit, quemadmodum patet ex dictis sect. citata. Et si reuelatio facta sit obscurè, est actus fidei Theologicæ; cuius obiectum materiale adæquatum est quicquid à Deo obscurè, & credibiliter reuelatur: formale verò, reuelatio obscura, & credibilis: comprehenditque non modò illa, quæ publicè credenda proponuntur, sed etiam priuatas reuelationes cuicumque factas, vt suo loco ostendimus. Quare ex hac parte prophetia coincidit cum fide. Differt tamen ab illa ex fine extrinseco. Quia vt dicatur specialiter prophetia, & gratia gratis data, debet dari specialiter & per se primò ad aliorum vtilitatem: vt illis enuntietur, & prosit eorum saluti. Tales autem fuerunt communiter reuelationes factæ Prophetis, circa quas velut obscurè sibi factas exercuisse ipsos actum fidei docet Scriptura: vt Abrahamum, Genes. 15. & Rom. 3. circa reuelationem de filio sibi nascituro: de qua dicit Apost. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et de Isaac, Iacob, alijsque multis significat idem Apost. Hebr. 11. Eâdemque de causa 1. Corinth. 13. cognitionem propheticam vocat *imperfectam, & cognitionem ex parte*, euacuandam in cœlo, propter imperfectionem obscuritatis. Et ad assentiendum huiusmodi reuelationibus non est opus alio habitu, quàm ipso habitu fidei supernaturalis: Vel si deest habitus, potest elici cum auxilio actuali æquiualente habitui æquè ac quilibet actus fidei.

Aliquando est actus fidei. Vide supra Disp. 1. sect. 10. & seq.

29. Aliquando est euidens. Sed nihilominus quòd prophetica reuelatio possit euidenter fieri, & interdum fiat, patet exemplo Christi, qui fuit verè propheta, tametsi nullam reuelationem obscuram habuerit. Talis etiam probabiliter fuit illa reuelatio, de qua dicebat Dauid, 2. Reg. 23. Deum sibi loquutum esse, *Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat.* Et tunc manifestum est assensum illum propheticum euidentem, differre intrinsecè, & specificè ab assensu fidei: & non elici per eius habitum, neque per auxilium illi tantùm æquiualens, sed per lumen superius atque perfectius: de quo dubitari potest, sit ne tantùm actuale, & datum per modum illustrationis, & actus transeuntis. An verò etiam habituale, & permanens? Quæ difficultas totâ sectione sequenti explicabitur.

SECTIO V.

Quale sit lumen, quod vltra Fidem, infunditur Prophetis ad futura prænoscenda.

Respondeo, & dico primò, nunquam infundi lumen habituale Prophetis, quo res liberè futuras in seipsis immediatè cognoscant certò, & infallibiliter, absque vllo medio cognito, vel incognito. Ratio est, quia tale lumen est impossibile. Solius enim Dei, propter illimitatam eius perfectionem intelligendi, proprium est posse attingere directè per se primò, & immediatè futura libera in seipsis euidenter & infallibiliter, illàque cognoscere absque vllo medio, eo solo quòd verum est illa esse futura. Quæ independentia in cognoscendo arguit necessariò independentiam in essendo, vt ostendimus suprà, disput. 4. sect. 4. num. 31. & 1. p. disp. 11. sect. 1. num. 2. & sequentibus. Dixi autem, *absque vllo medio cognito, vel incognito*. quia non repugnat infundi lumen habituale, quo mediantibus speciebus futurorum, vt talium, & temporis, ac loci, aliarumque circumstantiarum, in quibus liberè futura sunt, cognoscantur: quale lumen fuisse Christo reipsa infusum dicemus in tractatu de Incarnat. disp. 10. sect. 4. num. 45. & 46. Idemque docent Moncæus disp. 5. cap. 7. num. 3. & Martinus disp. 30. de Angelis sect. 1. 2. & 3. affirmantes tale lumen; & modum præuidendi futura libera directè in seipsis, fuisse datum animæ Christi per species rerum futurarum eius animæ infusas.

30. Non sufficit lumen habituale sine medio cognoscendi futura.

Contra quod frustra opponunt quidam Recentiores, species, infusas esse medium incognitum, valens tantùm ad formandam apprehensionem rerum, quas repræsentant: vt de ipsis etiam speciebus, quæ prophetis imprimuntur, affirmat D. Thom. 2. 2. quæst. 173. art. 2. in corp. Ergo non sufficiunt ad formandum iudicium certum, & euidens, quòd res illæ futuræ sint: estque impossibile intellectum id iudicare sine aliqua euidentia obiecti, vel per se immediatè præsentis, & euidenter apparentis vel per medium aliquod cognitum, id est, per aliquod argumentum infallibile, vi cuius sit certus de illius existentia. Solæ autem species impressæ non sunt tale medium. Neque etiam res futuræ sunt per seipsas præsentes menti Prophetarum: neque euidenter illi apparent ex simplici apprehensione terminorum, quibus significantur esse futuræ. Quare Prophetæ non possunt iudicare certò, & euidenter, vi sola specierum, illas esse futuras infallibiliter. Confirmatur, quia Prophetæ pendebant à Dei locutione interna, vel externa, illamque petebant aut expectabant, vt futura prædicerent: neque poterant quæcunque prænuntiare; sed ea solùm, quæ Deus ipsis reuelabat: vt apparet ex multis Scripturæ exemplis 1. Reg. 16. & 4. Reg. 3. & 4. & Isaiæ 50. alijsque locis. Atqui si Prophetæ habuissent lumen habituale, quo eui-

Possunt species infusæ esse medium sufficiens.

denter cognoscerent futura in seipsis immediatè, non eguissent Dei locutione interna; vel externa; sed sine illa potuissent futura prædicere.

Ad primum respondeo, quemadmodum species rerum vt præsentium, aut præteritarum, vt talium, & cum ijs circumstantijs, in quibus præteritæ sunt, non valent tantùm ad formandam aprehensionem, sed etiam ad iudicandum quòd extiterint: ita species à Deo impressas intellectui de rebus liberè futuris vt talibus, & cum omnibus circumstantijs, in quibus liberè futuræ sunt, non valere solum ad apprehendendũ; sed etiam ad iudicandum quòd sint liberè futuræ: Non repugnat autem tales à Deo species infundi, quæ habeant respectu liberè futurorum, id quod species naturaliter acquisitæ habent respectu liberè præteritorum. Patetque experientiâ in somniantibus, & in phreneticis, & in illis, quorum imaginatio à Dæmone turbatur per magiam? species certo modo coordinatas, aut excitatas valere non solùm ad simpliciter apprehendendum; sed etiam ad assentiendum obiectis per eas repræsentatis, interdum vt præsentibus, aut præteritis, interdum etiam vt futuris.

31. Satisfit argumentis contrarijs.

Ad secundum: D. Thomas art. cit. non negat tales species posse à Deo imprimi menti Prophetarum: sed tantùm affirmat, vltra species à Deo impressas, vel de nouo, speciali modo coordinatas ad repræsentandas veritates intelligibiles, quæ hominis mentem excedunt, requiri lumen intellectuale, quo cognoscatur veritas rei intelligibilis, per species illas repræsentatæ: Et hoc lumen esse partem prophetiæ præcipuam: imò propheticam reuelationem quandoque fieri per solam huius luminis influentiam: idque sufficere vt dicatur homo Propheta; quemadmodum probat exemplo Ioseph explicantis somnium Pharaonis: quandoque autem etiam fieri per species de nouo impressas, vel aliter ordinatas, id est, per lumen intellectuale, & species simul: & in eo maiorem esse excellentiam & plenitudinem prophetiæ: quia, vt ait S. August. lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 9. *Maximè Propheta est, qui vtroque præcellit, vt videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat.* Possunt autem species tales à Deo imprimi, id est, tam viuæ & efficaces, de rebus liberè futuris vt talibus, vel modo tam mirabili coordinari ad illas repræsentandas, quatenus tales; vt per illas euidenter repræsentetur obiectum menti Prophetarum, perinde fere, ac si coram exhiberetur. Estque probabile interdum ita fieri, eaque de causa Prophetas loqui aliquando de rebus futuris, vt de præsentibus, & à se visis. Præsertim ope luminis intellectualis, quo vis, & natura huiusmodi specierum bene percipiatur, certòque, aut euidenter intelligatur illas esse effectum Dei specialem & proprium: adeòque non fallere. Ad quod etiam iuuare potest experientia euentus infallibiliter iam sæpe secuti post similes specierũ impressiones, & prænotiones ex illis habitas.

32. Non contradicit D. Thomas.

33. Ad confirmationem respondeo, eam probare solùm non habuisse Prophetas lumen habituale, & species impressas, aut coordinatas ad cognoscenda pro libito quæcunque vellent, & quandocunque vellent, futura libera: sed eguisse vel luminis intellectualis infusione, vel specierum impressione, aut noua & speciali coordinatione: quod non diffitemur. Illa verò specierum impressio, aut coordinatio à Deo facta luminisque intellectualis infusio, loquutio quædam mentalis est, & reuelatio prophetica; vt affirmat S. Thom. art. citato. Illâque solâ Deus interdum vtebatur erga Prophetas. Sicut enim loquimur adinuicem per diuersam ordinationem earumdem literarum, & syllabarum, voce aut scripto formatam secundùm quam accipitur diuersus intellectus: Ita Deus potest loqui Prophetis interiùs per variarum specierum impressionem, aut diuersam specierum earumdem coordinationem, factam in mente Prophetæ, secundùm quam repræsentat illi diuersas veritates intelligibiles.

Dico secundò, infundi posse lumen habituale Prophetis, quo cognoscant quæcunque futura libera ipsis euidenter reuelantur à Deo: probabile tamen est nulli eorum infusum fuisse hac in vita, præterquam Christo Domino. Prima pars probatur, quia si potest infundi, & reipsa infunditur, principium habituale valẽs ad assentiendum certò & infallibiliter omnibus Dei reuelationibus obscuris circa res liberè futuras, qui est ipse habitus virtutis fidei supernaturalis, quidni etiam infundi queat principium habituale, & supernaturale, valens ad assentiendum euidenter omnibus diuinis reuelationibus euidenter factis circa eadem futura libera? Certè nulla ratio differentiæ sufficiens afferri potest. Si autem potest tale lumen infundi, non est negandum fuisse infusum Christo Domino, ad cuius perfectionem plurimùm conducebat, eratque vel pars nobilissima scientiæ illius infusæ, à beatifica distinctæ; vel ipsum lumen gloriæ, quod valet ad cognoscendum Deum immediatè, & ad cognoscendum, saltem mediatè in Verbo, quidquid Beatis à Deo reuelatur de liberè futuris, manifestando illis immediatè suam de illis cognitionem, aut decretum liberum.

34. Potest infundi lumen habituale propheticum ad euidenter reuelata cognoscenda.

Secunda pars eiusdem assertionis, quòd sit probabile non fuisse infusum tale lumen Prophetis hac in vita, probatur, quia hæc est communis sententia Theologorum, vt testatur Suares prolegom. 3. de gratia c. 5. n. 30. contra quam nihil affertur magni momenti. Nam quæcumque dicuntur in Scriptura de Prophetis, potuerunt facilè fieri per lumen actuale, id est, per auxilium transiens, & supernaturale, quo cognoscerent Deum sibi reuelare futura: & in eius reuelatione, veluti medio cognito, infallibiliter cum illis connexo, cognoscerent ipsa futura. Quòd verò id non sit plus quàm probabile, sed planè incertum, rectè affirmat idem Auctor cap. citato. n. 28. quia, inquit, nihil est, quo id certò probari possit. Si quid enim: maximè quia certum est ex Scriptura, & sanctis Patribus, non habuisse Prophetas (præter Christum quem semper excipimus) habitualem vim prophetandi quicquid vellent, & quandocumque vellent pro suo arbitrio; vt patet ex Scripturæ locis paulò antè ab eodem Doctore relatis: sed tantùm ea, de quibus reuelationem à Deo accipiebant, & non antè quam ac-

35. Non infunditur reipsa.

ciperent. At inde non potest inferri certò quòd non habuerint lumen habituale infusum ad ea cognoscenda, positâ sufficienti reuelatione. Nam sicut ex eo quòd fideles in infantia baptizati non possunt cognoscere res à Deo reuelatas, nisi quando reuelatio illis proponitur sufficienter, inferri nequit non habere illos habituale principium ad illas cognoscendas, quotiescumque sufficienter proponuntur: sic, &c.

36. Actus prophetiæ relinquunt speciem sui.

Dico tertiò, ex reuelatione facta Prophetis remanere species permanentes, siue tunc illis infusas, siue naturaliter acquisitas per actum assentiendi: atque etiam habitum, qui ex illo actu naturaliter gignitur: quorum ope possunt Prophetæ recordari postea reuelationis; & idem, quod ante, prædicere. Ratio primæ partis est, quia reuelatio prophetica tripliciter fit, vt docent Gregor. Magnus lib. 28. Moral. c. 2. & D. Thomas q. 173. art. 2. Nimirum, vel primò per aliqua obiecta externa sensibus oblata: siue sit locutio, siue aliquid aliud. Vel secundò per imaginariam visionem, seu repræsentationem. Vel tertiò per visionem, seu repræsentationem intellectualem. Qui tres modi possunt non solùm in vigilia, sed & in somno contingere, vt interdum accidisse docet Scriptura: Deo sensus externos confortante ad percipiendum obiecta externa sensibilia & intellectum ad iudicandum, & assentiendum propositæ reuelationi, ligatis licet sensibus per somnum: aut etiam in extasi, & abstractione ab illorum operatione. In primo modo reuelationis propheticæ, qui fit per obiecta sensibilia exteriùs oblata, non est necessarium infundi species à Deo, iuxta probabilem sententiam illorum, qui dicunt sensus non egere speciebus in præsentia obiectorum, sed ab ipsis sufficienter determinari, seu moueri obiectiuè: & ab eorum sensatione determinari sensum internum ad idem simul percipiendum: & à sensu interno, intellectum. In secundo verò necessarium est infundi species, nisi phantasmata, præexistentia in imaginatione, sufficiant ad repræsentandum id quod Deus intendit reuelare, addita solùm coordinatione aliquo eiusmodi phantasmatum, quam Deus faciat per seipsum immediatè, vel per Angelos, per quos interdum reuelat Prophetis. Idémque dico de tertio modo purè intellectuali: in quo tunc solùm necessariū est imprimi à Deo species intellectui, quando non præexistunt aliæ, quæ cum aliqua coordinatione de nouo adueniente sufficiant. Quia verò Deus interdum aliqua reuelat secundò, & tertio modo, quorum species sufficientes non præexistunt: tunc saltem species imprimit, natura sua permanentes, & similes illis, quas naturaliter acquirimus quásve colligimus esse permanētes, ex diuturna recordatione eorumdem obiectorum sensibiliū, aut intelligibilium, antea perceptorū.

37. Species illa iuuat ad recordationem actus præteriti.

Secunda verò pars probatur, quia sicut ex actibus naturalibus intelligendi relinquitur species in intellectu, iuuans ad illorum, atque ad obiecti, per eos cogniti recordationem, vt suppono ex communi sententia Philosophorum, (quam satis confirmat experientia) & ex dictis prima parte disp. 38. Sect. 5. num. 45. & sequentibus: atque etiam habitus acquisitus iuuans potentiam ad eliciendum faciliùs similes actus, saltem circa obiecta, in quibus cognoscendis laborat difficultate aliquâ: iuxta ea, quæ diximus disp. 12. Sect. 1. n. 4. & sequentibus: Ita etiam ex actibus illis, quibus Prophetæ percipiunt reuelationes sibi à Deo factas, illisque assentiuntur, relinquitur communiter eorum species, & habitus acquisitus: vt patet ex eo, quòd non minùs possunt istorum actuum facilè recordari deinceps, quàm aliorum. Nec obest quòd actus illi sunt supernaturales. Nam per illos non minùs vsitatur potentia naturalis, quàm per actus naturales: cùm in illis eliciendis potentia non se minùs vitaliter exerceat. Ab illa verò vsitatione, & exercitio vitali paritur facilitas. Actus quoque supernaturales possunt relinquere aliquod sui vestigium valens ad recordationem: vt experimur ex eo, quòd non minùs eorum recordamur, quàm actuum naturalium. Confirmatur, quia alioqui possemus euidenti experientia discernere actus supernaturales à naturalibus. Nam experiremur nos operando supernaturaliter, non posse ampliùs eorum actuum recordari; & sæpius atque intensè operando nullam tamen facilitatem acquirere. Neque enim hæc facilitas haberi posset per habitum naturalem, qui non acquiritur, ex suppositione: neque per habitum supernaturalem, aut eius augmentum: quia habitus supernaturales non dant posse facilè, sed posse simpliciter operari. Qua de re plura diximus 1. 2. disputat. 36. Sect. 4. num. 38. Et hactenus de distinctione inter Fidem, & Prophetiam.

SECTIO VI.

Notantur aliqua circa differentiam fidei Theologicæ à Fide miraculorum, & Operatione virtutum?

Circa tertium suprà propositum, de differentia Fidei Theologicæ à Fide miraculorum, & Operatione virtutum, nota primò Operationem, virtutum hîc sumi non in actu secundo pro actuali effectione miraculorum; sed in actu primo, pro facultate operandi, aut impetrandi miracula, tenente se ex parte hominis operantis, aut impetrantis: quæ facultas non est physicum aliquod principium, efficiens vi sua miracula: sed morale, consistens in quibusdam actibus, quos Deus requirit ab illis, per quos, aut in quibus operatur miracula, id est, opera naturæ vires superantia, & Omnipotentiæ ipsius propria. Huiusmodi verò actuum primus est persuasio viua, & firma, quòd Deus possit facere miraculum, quod petimus, sitque illud facturus hîc, & nunc, si expediat, & petatur sicut oportet. Et hæc persuasio est actus Fidei Theologicæ, quæ versatur circa ea omnia, quæ à Deo reuelata sunt: Est autem reuelatum omnia esse Deo possibilia: & daturum esse petentibus quicquid petierint sicut oportet. Hunc actum Fidei exigebat Christus in operaturis miracula, quando dicebat. Marc. 11. v. 23. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tollere, & mittere in mare, &c.* Et Matth. 17. v. 19. *Amen dico vobis, Si habueritis fidem sicut gra-*

38. Operatio virtutum quid sit.

Ad patranda miracula requiritur viua & firma fides omnipotentiæ Dei.

num sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Vbi per fidem Dei intelligitur phrasi Hebraica fides magna, & excellens: & per fidem sicut granum sinapis, intelligitur fidei virtus magna, & viuida: nam granum illud, licet mole paruum, tamen virtute magnum, & viuidum est: vt exponunt Hieronymus, Beda, & Strabus in locum Matthæi citatum. De eâdemque Paulus dicebat 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Eandem etiam Christus requirebat ab illis, in quibus miraculum operaturus erat Matth. 9. quando scilicet cæcis visum petentibus dicebat, *Creditis quia hoc possum facere vobis?* & illis respondentibus, *Vtique Domine;* subiunxit tangens eorum oculos, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Et cap. 13. de Christo dicitur, *Non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.*

39. Ex fiducia voluntatis. Secundus actus, quem Deus requirit ad operandum, vel impetrandum miraculum, est magna quædam fiducia voluntatis, seu confidentia de Omnipotentia diuina, déque eius promissione applicata hîc, & nunc: quæ fiducia est viua quædam, & generosa voluntatis erectio, & spes obtinendi bonum quod desideratur, quantumvis arduum, & difficile, innitendo Omnipotentiæ Dei, eiusque promissioni, fidelitati, & misericordiæ. Quem actum Christus sæpe exigebat, quando petentibus miracula dicebat vt confiderent. Vt quando dixit paralytico, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, &c. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam* Matth. 9. Hic autem non est propriè actus fidei, sed spei Theologicæ, vel alterius virtutis pertinentis ad voluntatem. Vocatur tamen aliquando fides metonymicè, nomine causæ translato ad effectum; propterea quod nascitur ex actu fidei viuo, & firmo, de omnipotentia Dei, eiúsque promissione, & in illo fundatur. Vnde sicut actus ille fidei non est iudicium absolutum quòd miraculum fiet hîc & nunc, sed tantùm conditionatum, quòd fiet si expediat, & petatur sicut oportet; ita fiducia illa voluntatis non est absoluta, sed affecta eâdem conditione.

40. Quæ aliquando est absoluta. Notandum tamen est secundò, posse operantem, aut impetrantem miraculum, habere iudicium absolutum, & fiduciam absolutam, quòd hîc, & nunc fiet miraculum. Quod iudicium si fundatur in reuelatione, sufficienter facta, est actus fidei Theologicæ, quæ complectitur quascumque reuelationes diuinas, siuè publicè, siue priuatim factas, vt alibi probauimus. Potest autem in illa fundari. Nam Deus, qui mouere solet specialiter & extraordinariè ad petendum miraculum, eos, per quos vult illud operari: potest illis sufficienter reuelare quòd sint infallibiliter impetraturi. Et tunc etiam fiducia voluntatis absoluta, fundata in illo actu fidei, est actus spei Theologicæ, aut alterius virtutis supernaturalis. Aliquando verò iudicium illud absolutum fundatur tantùm in coniecturis moraliter certis, aut probabilibus, quòd hîc & nunc expediat miraculum fieri, & petatur sicut oportet, adeóque futurum sit. Et tunc non est actus fidei Theologicæ,

Vide suprà Disp. 1. sect. 12.

sed iudicium prudentiæ: & similiter fiducia in illo fundata non est actus spei Theologicæ, & supernaturalis, quæ sequitur iudicium fidei, & in illo veluti basi fundatur, vt docet Apostolus Hebr. 11. v. 1. Dixi, moraliter certis: quia si euidenter constaret hîc, & nunc expedire fieri miraculum, & peti sicut oportet: iudicium illud absolutum, esset actus fidei, tendens in reuelationem generalem, applicatam euidenter huic propositioni particulari: iuxta ea, quæ diximus de reuelatis mediatè Disp. 6. Sect. 6. & sequentibus.


Hinc collige, fidem propriè dictam, quæ intéruenit, & requiritur ad patranda miracula, non esse aliam, quàm actum virtutis fidei Theologicæ circa reuelationem Dei generalem, aut particularem: ita vt fides miraculorum sit eadem substantialiter cum fide Theologica. Quod efficaciter confirmari potest ex Apostolo 1. Cor. 13. vbi postquam dixit, *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam:* addit paulò pôst, de eadem sine dubio loquens, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Vbi omnino loquitur de fide Theologica. Et Hebr. 10. v. vltimo, postquam dixit, *Iustus autem meus ex fide viuit*, quod nemo dubitat intelligendum esse de fide Theologica, seu iustificante; addit immediatè post, cap. 11. vers. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium;* quæ est definitio fidei Theologicæ. Et v. 4. *Sine fide impossibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum, oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Et paulò pôst, loquens de eadem fide, ait sanctos per illam obturasse ora leonum, extinxisse impetum ignis, effugisse aciem gladij. Differt tamen fides Theologica simpliciter dicta à fide miraculorum, penes quandam firmitatem, & intensionem, ac vigorem, fiduciámque illi coniunctam, quam non omnes fideles habent, ideóque non dicuntur habere fidem miraculorum: quámque habere hîc, & nunc in particulari, quando miraculum est patrandum, aut obtinendum, difficile est, ob maiorem apprehensionem difficultatis, & operis præsentis. Differt etiam penes illud iudicium prudentiale absolutum, & fiduciam in ea fundatam; quod tamen non semper intéruenit in operatione miraculorum; multóque minùs actus fidei, & spei Theologicæ absolutus de miraculo impetrando. Neque illud Christus postulabat, cùm diceret Marc. 11. v. 23. *Quicumque dixerit huic monti. Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.* Aut Iacobus cap. 1. dicens, *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Nam, vt Glossa, & interpretes ibid. aduertunt, non loquitur Christus, aut Iacobus Apost. de hæsitatione orta ex consideratione nostræ infirmitatis, aut indignitatis, & defectus alicuius, ex parte nostra in petendo sicut oportet; sed de illa quæ esset circa Dei omnipotentiam, vel promissionem; circa quam multi, licet alioqui fideles, non satis viuidè, & firmiter, atque generosè se habent per fidem, & spem, quando miracula hîc, & nunc operanda, vel impe-

41. Fides miraculorũ differt ne à Theologica?

tranda sunt: vt patet exemplo Mosis, & Aaronis, Numer. 20. v. 10.

41. Deus non semper tot actus requirit ad miracula quot solet communiter requirere.

Nota tertiò, id quod diximus, Deum requirere actus superiùs enumeratos, ab illis, per quos, aut in quibus operatur miracula, esse communiter intelligendum; non autem semper, & sine exceptione. Nam aliquando Deus operatur miracula in infidelibus, aut carentibus actu fidei supradicto, ad preces aliorum; vt patet ex Sanctorum historijs. Interdum etiam operatur miracula per infideles & indignos, non in fauorem infidelitatis, aut in confirmationem erroris; sed in fauorem virtutis alicuius, & ad maiorem commendationem virtutis Christi, aut Sanctorum aliorum, quorum nomine interposito fiunt: cuius rei exemplum habetur Marc. 9. v. 38. iuxta expositionem Bedæ, & Theophyl. in eum locum, & D. August. lib. 4. de consensu Euangelist. cap. 5.



DISPVTATIO QVARTA-DECIMA.

De Infidelitate, & varijs eius speciebus.

DE Infidelitate, & varijs eius speciebus disputat S. Thomas quæst. 10. & quinque sequentibus. In quarum prima docet Infidelitatem, non purè negatiuè sumptam, (quæ magis est pœna peccati) sed contrariè, quâ scilicet aliquis Fidei repugnat, aut eam contemnit, esse peccatum, existens in intellectu, velut in proximo subiecto; in voluntate autem, sicut in proximo motiuo. Esséque grauissimum peccatorum illorum, quæ contingunt in morum peruersitate; quia magis à Deo separat. Posse tamen Infideles aliquid boni operari: quia Infidelitas non corrumpit totum naturæ bonum. Addit plures esse species Infidelitatis consideratæ per comparationem ad Fidem; Paganismum scilicet, Hæresim, & Iudaismum: quarum grauissima est Hæresis, suscipiens, & profitens Euangelium, illudque corrumpens. Esséque peccatum disputare cum Infidelibus, nisi prudenter id fiat. Et ex Infidelibus

non esse cogendos ad fidem, nisi Hæreticos, & Apostatas, vt adimpleant quod promiserunt. Horum etiam dumtaxat commercium esse interdictum. Infideles quoque non esse præficiendos fidelibus: præfectos tamen posse tolerari. Sicut & Infidelium ritus licite tolerantur à fidelibus, boni alicuius consequendi, aut mali vitandi causâ. Denique liberos infidelium ante vsum iudicij, & rationis non esse baptizandos inuitis parentibus quia Ecclesiæ consuetudo id numquam probauit, & iustitiæ naturali repugnat, & fidem in periculum adducit.

In secunda quæstione, quæ est speciatim de hæresi, docet hæresim esse speciem Infidelitatis, pertinentem ad eos, qui fidem Christi recipiunt in reipsa, & tamen eius dogmata corrumpunt: versarique, circa ea, quæ ad fidem pertinent, id est, circa articulos fidei, & ea, quæ ex ipsis sequuntur. Quâ qui infecti sunt, si post vnam, aut alteram monitionem obstinatè veritati resistunt, anathematis primùm, deinde mortis supplicio iure puniuntur. Et quamvis Hæretici resipiscentes, semper recipiendi sint ad pœnitentiam, quotiescumque relapsi fuerint: non tamen semper sunt recipiendi, & restituendi ad bonorum huius vitæ participationem, neque liberandi à sententia mortis. Tum quia sunt inconstantes in fide: & si iterum relaberentur, alios inficerent: tum etiam quia si absque pœna euaderent, liberiùs in hæresin laberentur.

In tertia, quæ est de Apostasia, affirmat Apostasiam non ab ordine, vel à religiosa professione, sed à fide iam suscepta, esse speciem Infidelitatis. Cúmque aliquis per sententiam denuntiatur propter Apostasiam excommunicatus, ipso facto liberari eius subditos ab eius dominio, & à iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.

In quarta, quæ est de Blasphemia in genere, asserit illam esse peccatum confessioni fidei oppositum: quatenus per illam homo corde, vel ore, & intellectu, vel affectu, Deo tribuit, quæ ei non conueniunt; vel negat quæ illi conueniunt. Esseque peccatum mortale ex suo genere, quia derogat diuinæ bonitati, quæ est obiectum charitatis: adeóque repugnat Charitati diuinæ. Esse præterea grauissimum peccatorum ex suo genere, ipsam etiam Infidelitatem, quæ maximum est peccatorum, agrauans; & omnibus, qui apud inferos suorum scelerum pœnas luunt, commune.

In quinta, quæ est de Blasphemia in Spiritum sanctum, docet Blasphemum esse in Spiritum sanctum non modò eum, qui Blasphemum aliquid dicit contra Deum, & Tres personas diuinas: vel qui vsque ad mortem in peccato mortali perseuerat, ac nequidem in extremo vitæ spiritu pœnitentiam agit: sed etiam qui peccat ex certa malitia, ea repellendo, atque contemnendo, quæ possent illum à peccato retrahere. Et sex esse species Blasphemiæ in Spiritum sanctum: Desperationem, Præsumptionem, Impœnitentiam, Obstinationem, Impugnationem, veritatis agnitæ, & Inuidentiam fraterna gratiæ. Quæ omnes licet ex se veniâ indignissimæ sint: Dei tamen bonitate, atque misericordia nonnunquam remittuntur, excepta finali Impœnitentia. Et quamvis possit aliquis primò peccare in Spiritum sanctum, abijciendo per contemptum ea, per quæ retrahitur à peccato: secus tamen si per peccatum in Spiritum

sanctum intelligatur finalis impœnitentia: quippe quæ est continuatio peccatorum vsque ad finem vitæ. Hactenus D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum Infidelitas sit peccatum, & quale, & in quo subiecto sit?

1. Non omnis Infidelitas est culpabilis.

PRima conclusio: Non omnis Infidelitas est peccatum, sed ea solum; quæ scienter & liberè admittitur contra debitum. Ita D Thom. q. 10. a. 1. & alij communiter. Ratio est, quia nihil est peccatum, propriè dictum scilicet, & culpabile, nisi sit voluntarium, & liberum, & contra debitum morale. Ergo neque Infidelitas est peccatum nisi sit talis. Quod Christus apertè significauit Ioan. 15. v. 22. cùm de Iudæis in se non credentibus dixit: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* excusati scilicet ob ignorantiam inculpabilem: *nunc autem*, post prædicationem scilicet tot miraculis confirmatam, & obligantem ad credendum, *excusationem, non habent de peccato suo.* Et v. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

2. Confirmatur ex D. Thom. art. cit. vbi duplicem Infidelitatem distinguit. Vnam merè negatiuam, quæ consistit in simplici carentia fidei, sine debito morali credendi: cuiusmodi est in ijs, qui nihil vnquam de fide audiuerunt, nec vnquam credere debuerunt: & hos affirmat sine culpa non credere, ac proinde non committere peccatum Infidelitatis. Alteram eorum, qui fidei auditui repugnant, vel ipsam etiam contemnunt, post sufficientem scilicet propositionem. Et hi peccant per Infidelitatem, siue repugnant positiuè, exercendo actum contrarium: siue priuatiuè, omittendo credere ex affectu reijciendi fidem. Alij verò, qui nihil de fide audiuerunt, non peccant, siue tantùm negatiuè se habeant, non credendo; siue etiam positiuè contrarijs erroribus per ignorantiam inculpabilem adhæreant. Vtrumque autem contingere potest, saltem circa illa fidei mysteria, quæ lumen naturale rationis excedunt. Imò non modò possunt sine culpa ignorari mysteria fidei supernaturalia: sed etiam plurima naturalia: quæ non sunt per se nota, & non sine doctrina aliqua vel studio addiscuntur. Et horum aliqua in perpetuum, alia saltem ad tempus. Cuiusmodi etiam est illud, Deum esse, quod saltem ad tempus potest inculpabiliter ignorari ab aliquibus, qui neque satis habent ingenij; vt id statim ex rebus creatis intelligant, neque ab alijs docentur: Nullus tamen est hominum sensu & ratione vtentium, qui longo tempore, instinctu naturali, & creaturarum aspectu, atque diuina inspiratione, non moueatur immediatè ad agnitionem diuini numinis, adeo vt illius ignorantia non diu sit sine aliqua culpa. Qua de re plura videri possunt apud Ægid. Coninck. d. 18. dub. 2. & Suar. Disp. 17. Sect. 2. n. 6. & 7. Vbi obiecta fidei naturalia speculatiua, & practica in tres ordines distinguit. Primum eorum, quæ per se notissima sunt quæque ideo inuincibiliter ignorari non possunt: vt, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris. Secundum eorum, quæ ex illis facilè deducuntur; quæ etiam non possunt ignorari, ob facilitatem illationis: possũt tamen magis quàm illa prima, defectu notitiæ bene inferendi. Tertium eorum, quæ sunt obscuriora, quosque multo lumine, vel discursu indigent vt cognoscantur: & in istis potest facilè contingere inuincibilis ignorantia, etiam diuturna, atque perpetua.

Obijcies primò: Si Infidelitas non est peccatum, nisi scienter, & liberè admittatur, id est, nisi sit voluntaria, & libera; impossibile est vllam Infidelitatem esse peccatum. Nam quidquid est voluntarium, & liberum, est cognitum: sed Infidelitas non potest esse cognita: ergo nec esse voluntaria, & libera. Maior patet, quia voluntas non potest ferri in cognitum. Minor verò probatur, quia si Infidelis cognosceret suam Infidelitatem: ergo adhæreret errori cognito: quod est impossibile: cùm intellectus non possit assentiri ei, quod nouit esse falsum: aut dissentire ei, quod nouit esse verum. 3. Soluitur obiectio.

Respondeo primò, non omne peccatum Infidelitatis consistere in assensu, vel dissensu positiuo, quæ Infidelitas positiua est: sed interdum consistere in libera carentia assensus debiti circa fidei veritatem, quæ est Infidelitas priuatiua, & facilè potest reperiri in aduertente credibilitatem, & debitum credendi: neque enim minùs possumus liberè, & cum aduertentia abstinere à credendo; quàm ab alijs officijs debitis.

Respondeo secundò, Infidelem positiuè non posse quidem reuera dissentire alicui propositioni, & simul iudicare illam esse veram: quoniam hæc apertè repugnant: sed posse cum scrupulo dissentire, & cum formidine, per malam affectationem, contra remorsum conscientiæ dictantis potiùs credendum esse. Et licet videat sufficienter debitum credendi: tamen secundùm aliam considerationem, spectando aliquid aliud, potest reipsa liberè deserere rationes credibilitatis, & ad aliud se conuertere in oppositùm: potestque reipsa mentem ab illis rationibus auertere, & nolle ad illas attendere, vt aliud quippiam pro suo affectu sequatur, eique per assensum adhæreat contra stimulum conscientiæ remurmurantis, & ad credibilitatem malè reiectam subinde respectantis. Atque ita non simul dissentit, & iudicat propositionem fidei esse veram: sed postquam reiecit credibilitatem, dissentit. 4.

In contrarium verò obijci potest 1. cum Alensi 2. p. q. 112. aliás 129. memb. 8. & Altisiodorensi lib. 3. Summæ, tract. 2. quæst. 3. Nullam esse Infidelitatem, quæ non sit peccatum & aliquo modo voluntaria, & culpabilis: omnes tenentur credere, & possunt, si velint. Si enim velint viuere secundùm rectam rationem, illuminabuntur à Deo, iuxta vulgatum axioma, Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Si autem non illuminantur, causa est, 5. Datur ne possit inculpabilis.

est, quia ponunt voluntarium impedimentum, viuendo contra rationem. Ergo carentia fidei est illis imputabilis: quia qui potest, & tenetur facere, & non facit; hoc ipso omittit voluntariè, saltem indirectè.

Respondeo, præter ea, quæ alibi de eodem argumento dicta sunt; licet Infideles peccando contra rationem naturalem, ponant impedimentum illuminationi diuinæ: hoc tamen non posse illis ad culpam imputari, si planè sit incognitum, vt est illis, qui nihil vnquam audiuerunt de reuelationibus diuinis. Quia quod non est cognitum, non est voluntarium. At est planè incognitum ijs, qui nihil de fide audiuerunt: quare fidei carentia, licet ex talibus peccatis sequatur, non est illis voluntaria, & culpabilis: sicut & alia nocumenta non præuisa, ex peccato secuta, non sunt imputabilia. Addo, non sequi statim illuminatum iri infideles, si secundùm rectam rationem viuerent: Sat enim esset si in extremis illuminarentur. Neque opus esse vt de omnibus illuminentur: sufficit enim si ea doceantur diuinitus, quæ ad salutem planè necessaria sunt. Addo vlteriùs, non modo non peccare per infidelitatem eos, qui nihil de fide audiuerunt; sed neque eos, quibus nondum sufficiens propositio facta est: iuxta illud Christi Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quia præceptum credendi non obligat, nisi ad credendum prudenter, & cum recta ratione. Credere autem sine sufficienti propositione, non est prudenter credere. Peccant tamen, si audita propositione fidei, negligant adhibere diligentiam sufficientem ad rem tanti momenti, consulendo peritos, implorando opem supremi Numinis ad cognoscendam veritatem, & expendendo sincerè, & diligenter motiua credibilitatis sibi proposita. Sed si his omnibus adhibitis, iuxta iudicium, quod habent, non assequuntur sufficientem propositionem; non peccant non credendo.

6. Non omne peccatum contra fidem est infidelitas. Secunda conclusio: Non omne peccatum contra fidem admissum est peccatum infidelitatis simpliciter dictum, & denominans infidelem: sed illud tantùm, quo actus internus fidei circa idem obiectum omnino rejicitur, cùm quis statuit nihil vnquam credere, aut nunquam omnino credere aliquid, quod credere tenetur; saltem si sic statuit propter credendi difficultatem, contemnendo motiua velut insufficientia; & negando reuerentiam testimonio diuino, quamvis sufficienter proposito. Qualis fuisse videtur infidelitas Thomæ Apostoli, Ioan. 20. cùm dixit, *Nisi videro fixuram clauorum, &c. non credam.* Cui Christus, *Mitte manum tuam, &c. & noli esse incredulus, sed fidelis.* Vbi pro *incredulus*, in textu Græco est, ἄπιστος, id est, infidelis. Itaque Christus significauit illum fuisse infidelem, eò quòd statuisset non credere, propter rei difficultatem, proposito licet sufficienter diuino testimonio de Christi resurrectione. Tale etiam est peccatum, quo error positiuus scienter & liberè admittitur, oppositus actui interno fidei: quando aliquis scienter, & liberè dissentit reuelationi sufficienter propositæ, aut eius opposito assentitur. Tale est denique dubium voluntarium de fidei doctrina sufficienter exhibita vt diuina.

Prima pars conclusionis est Suaris Disp. 16. Sect. 1. n. 2. & lib. 11. de gratia cap. 7. Ægidij Coninck disp. 18. dub. 4. n. 25. & aliorum Recentiorum. Probatur, quia peccatum infidelitatis simpliciter dictum, destruit fidem, & constituit hominem infidelem, vt colligitur ex Trid. Sess. 6. c. 15. At non omne peccatum contra fidem admissum destruit fidem, & infidelem reddit. Nam peccatum contra solam fidei professionem externam admissum non tollit fidem: vt patet ex Apostolo Petro, qui licet ter Christum negando, grauiter peccauerit contrà fidei professionem; fidem tamen non amisit, iuxta illud Luc. 22. v. 32. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* quæ rogatio, nisi efficax fuisset, & cum effectu, non fuisset à Christo commendata. Item, qui legendo libros, vel audiendo conciones hæreticorum, exponit se periculo subuersionis; peccat contra fidem. Et tamen illam non amittit, neque censetur Hæreticus, donec veram fidem abjiciat, aut opposito assentiatur. Item, qui liberè omittit credere tempore debito, non propterea fit infidelis, nisi credendi voluntatem in perpetuum abjiciat, vel credere recuset propter difficultatem acceptandi motiua sufficientia, & captiuandi reuerenter intellectum in obsequium fidei. Neque etiam qui peccat priuatiuè, aut positiuè, contra fidem, voluntariè tantùm in causa, ex ignorantia vincibili: quatenus præuidit periculum omittendi actum fidei necessarium, vel errandi, nisi inquirendi studium adhiberet, quod tamen non adhibuit. Constat enim tales non censeri infideles, vel Hæreticos; vt testantur Ægidius suprà, & Suares lib. 11. de Gratia, cap. 7. n. 3. 4. & 5. vbi dicit hoc esse certum, & extra controuersiam. 7. Probatur efficaciter.

Secunda pars conclusionis est eiusdem Ægidij dub. cit. n. 26. vbi docet infidelitatem simpliciter dictam, quâ fides expellitur, esse tantùm quadruplicem. 1. quando quis dissentit rebus fidei sufficienter propositis. 2. quando assentitur oppositis, notis vt fidei repugnantibus: quia tunc fidem negat implicitè. 3. quando quis voluntariè dubitat de rebus fidei sufficienter propositis. 4. quando quis deliberatè statuit nunquam credere res fidei, aut omnes, aut aliquas quas credere tenetur; licet illis positiuè non dissentiat, neque assentiatur opposito. Addit Suares Disp. 16. Sect. 1. n. 3. peccatum infidelitatis simpliciter esse quoque in eo, qui totam fidei materiam ignorat, etiamsi nihil de reuelatione audierit. Quia enim tanta est ignorantia, vt omnino fidem excludat, illa est vera infidelitas: & vt culpabilis fiat, sufficit, quòd illi ignorantes totam fidem, habeant aliquam notitiam professionis, seu prædicationis illius, & negligentes sint in quærenda, & inuestiganda sufficienti propositione fidei, ideòque carentia sit eis voluntaria, & ad peccatum imputetur. Verùm si nihil penitùs audiuerunt de fide, non peccant propriè, & culpabiliter, quia non scienter, & liberè. Si autem audiuerunt, peccant tantùm secundùm quid, & voluntariè 8. Peccatū infidelitatis est quadruplex.

solùm in causa, contra fidem, quatenus negligunt inquirere: donec post sufficientem propositionem vel fidem penitùs rejiciunt, vel adhærent adhuc suis erroribus, aut dubitationibus fidei oppositis: tunc enim incipiunt esse simpliciter infideles culpabiliter, & fidem perdunt, si in baptismo antea acceperunt.

9. *Quomodo distinguuntur?* Ex his quatuor modis infidelitatis tres primi positiui sunt. Quartus verò licet actum positiuum adiunctum habeat ex parte voluntatis (propter quod à quibusdam vocatur infidelitas positiua, vt ab Ægidio suprà citato) ex parte tamen intellectus, in quo formaliter est infidelitas, priuatiuus est. Vnde collige peccatum infidelitatis generatim loquendo esse duplex. Priuatiuum scilicet, consistens in omissione prædicta; & positiuum, consistens in actu fidei opposito. *Quænam & cur fidem expellunt?* Ratio verò cur hæc duo genera peccatorum contra fidem admissorum sint infidelitas simpliciter, & fidem excludant, non alia, est, quàm quia ex natura sua repugnant specialiter actui interno fidei, ita vt illum omnino excludant ab eodem subiecto, & cum illo nequeant omnino consistere, ac vi sua neque tunc, neque vnquam aliàs, esse patiantur. Nam voluntas deliberata nunquam credendi, excludit in perpetuum fidei actum supernaturalem, qui elici non potest sine absoluto, & vniuersali affectu ad Dei testimonium. Error quoque fidei oppositus, aut dubitatio voluntaria, repugnat ex natura sua assensui firmo, & certo propter Dei testimonium, absolutè & vniuersaliter acceptatum; neque potest illum compati. Talis autem affectus absolutus, & vniuersalis circa Dei testimonium, plenáque submissio intellectus, ad omnem actum fidei supernaturalis necessariò requiritur, vt alibi ostendimus. Quare qui errat v.g. circa vnicum fidei articulum sufficienter propositum, reddit se incapacem, vi illius actus, credendi quicquam aliud fide supernaturali; quia destruit obiectum formale fidei, aut modum credendi supernaturaliter. Ideóque infidelis peccans voluntariè circa vnum dogma fidei, non potest fidem retinere circa alia; vt de hæretico affirmat D. Thomas quæst. 5. art. 3. quia destruit vniuersim obiectum formale fidei, vel modum assentiendi supernaturaliter. Neque enim iam præcisè quicquam credit, ex puro, integro, & sincero affectu erga Dei testimonium sufficienter propositum; sed adiuncta limitatione voluntaria, siue ex suo sensu humano, siue ex sensu hæresiarcharum, quorum iudicium sequitur in rebus fidei. Similitérque alij infideles culpabiliter, nihil credunt ex pura, sincera, & vniuersali adhæsione ad Dei testimonium, sed adiuncta aliqua modificatione, & affectu humano.

10. Alia verò peccata, sicut possunt consistere cum actu fidei, cui non penitùs, & vniuersaliter opponuntur: ita multò magis cum eius habitu. Ex. gr. omissio voluntaria credendi hîc & nunc, non excludit actum fidei pro alio tempore, nisi sit voluntas deliberata nunquam credendi, vel voluntas non credendi propter difficultatem submittendi plenè intellectum testimonio diuino sufficienter proposito. Affectatio quoque ignorantiæ non excludit assensum fidei circa propositionem factam sufficienter, cùm de ea constabit, quæ potest etiam non inquirenti, & ignorantiam affectanti, occurrere. Multóque minùs lectio librorum hæreticorum, vel negatio merè externa, excludit actum internum fidei; quippe qui potest esse, & vigere, cùm simul quis legendo, vel negando exteriùs, peccat.

Tertia conclusio: Peccatum infidelitatis, prout est infidelitas, formaliter est in intellectu: prout verò est morale, & culpabile, est in voluntate. 11. Ita D. Thomas q. 10. art. 2. Bannes & alij Thomistæ ibid. Suar. Disp. 16. Sect. 3. Ægid. Coninck disp. 18. dub. 3. & alij communiter. Ratio primæ partis est, quia contraria, vel priuatiuè opposita, sunt in eodem subiecto. *Peccatū infidelit. est partim in intellectu, partim in voluntate.* Fides autem, & infidelitas opponuntur priuatiuè, vel contrariè. Ergo sunt in eodem subiecto, nempe in intellectu. Secunda pars probatur, quia peccatum inde est morale, & culpabile, quòd liberè admittatur. At libertas, & eius exercitium est formaliter in sola voluntate: in alijs verò potentijs, & actibus, denominatiuè solùm ab actu voluntatis. Ergo, &c. Vnde collige primò, actum infidelitatis, præcisum ab actu voluntatis, & prout est in intellectu, habere quidem malitiam obiectiuam, quatenus turpis est, & dissentaneus rectæ rationi: moralem tamen malitiam, & formalem rationem peccati non habere, nisi à libero exercitio voluntatis, in quo est tota ratio culpabilis, & imputabilis; & à quo actus accipit denominationem liberi, & moralis. Vnde etiam fit, vt actus externus obiectiuè malus nihil addat malitiæ moralis & culpabilis actui interno: sed tantum sit malitiæ moralis dumtaxat, quantum est exercitij libertatis circa obiectum peccati: vt in tract. de actibus humanis explicatum fuit.

Collige secundò, peccatum infidelitatis formaliter nunquam committi in sola voluntate, 12. *Consummatur in intellectu.* sed consummari semper in intellectu: quia tale est, vt ex natura sua excludat actum credendi ab intellectu, vel priuatiuè, vel contrariè: contraria autem, & priuatiuè opposita versantur circa idem subiectum: & tam omissio actus credendi, quàm actus erroneus, pertinet formaliter ad intellectum. Neque potest quisquam velle deliberatè numquam credere, quin hoc ipso omittat credere, omissione culpabili, saltem quatenus est ex tali voluntate, & quatenus est pars, & inchoatio omissionis totalis: & tunc peccatum infidelitatis consummatur in tali omissione. Si autem quis velit dubitare, vel dissentire, vel assentiri contra fidem; peccatum infidelitatis non consummatur, seu constituitur formaliter in esse infidelitatis, nisi quando actu, & re ipsa dubitat, vel dissentit, aut assentitur contra fidem: dubitatio autem & dissensus, atque assensus pertinent ad intellectum: ac proinde verum est quod supra diximus, peccatum infidelitatis consummari semper in intellectu.

Quarta conclusio: Infidelitas est peccatum 13. *Est peccatum valde graue.* ex genere suo grauissimum: sed non simpliciter maximum peccatorum: neque facit vt quæcumque fiunt ab infidelibus, sint peccata. Prima pars conclusionis est D. Thomæ quæst. 10.

art. 3. vbi docet peccatum infidelitatis ex suo genere grauius esse illis, quæ committuntur contra virtutes morales, licet non sit grauius ijs, quæ committuntur contra alias virtutes Theologicas. Ratio est, quia infidelitas opponitur fidei, quæ vna est è maximis virtutibus. In moralibus autem illud ex genere suo pessimum est, quod optimo contrariatur; vt rectè dicunt Aristoteles 8. Ethic. cap. 10. & D. Thomas 1. 2. q. 73. art. 4. §. *Sed contra*, Quare peccatum infidelitatis ex suo genere pessimum, & grauissimum est. Confirmatur, quia peccatum infidelitatis destruit fidem, quæ est fundamentum salutis, & sine qua Deo placere impossibile est, quæque initium est coniunctionis habitualis cum Deo, & radix vitæ spiritualis, & veluti principium intrinsecum obtinendi auxilia & remedia contra peccata. Ergo infidelitas ex eo capite grauissimum peccatum est, & radix quodammodo aliorum. Quia tamen fides non est virtus simpliciter maxima, maior enim est
Sed non grauissimũ omnium. charitas, 1. Cor. 13. v. 13. Hinc est quòd infidelitas non est simpliciter maximum peccatorum ex genere suo: maius enim est odium Dei, charitati oppositum An verò desperatio maior sit infidelitate, dicemus alibi Disp. 16. Sect. 7. n. 63. Quia tamen virtutes Theologicæ, quæ circa Deum versantur, sunt nobiliores moralibus: peccata contra fidem commissa, sunt grauiora ex suo genere illis, quæ committuntur contra virtutes morales. Dico autem, *ex suo genere:* quia id non est verum de qualibet specie, vel de quolibet indiuiduo. Multa enim peccata contra virtutem ignobiliorem commissa, possunt esse grauiora plurimis contra nobiliorem commissis. Atque ita homicidium v. g. est grauius peccatum aliquo actu erroris, vel dubitationis contra sufficientem reuelationem alicuius veritatis fidei, non adeo necessariæ, & per se non magni momenti. Dicitur verò peccatum grauius ex genere suo, quando maxima species illius generis superat grauissimam alterius, licet non singulæ species vnius generis, comparatæ ad singulas alterius generis, sint illis grauiores; neque singula indiuidua istius, singulis indiuiduis alterius: vt bene ait Suares disp. cit. Sect. 2. n. 6.

14. Soluitur obiectio. Objicies, eos grauiùs peccare, qui grauiùs puniuntur. Sed fideles puniuntur grauiùs, quàm infideles, iuxta illud, *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, &c.* Luc. 12. v. 47. Respondeo fidelem comparatum cum infideli in eadem specie peccati moralis, ab vtroque commissi, peccare grauiùs: siquidem peccat ex maiori cognitione Dei. At hoc non obest quin infidelitas comparata cum peccatis morali virtuti oppositis, sit maius peccatum ex genere suo, propter rationes superiùs allatas: licet fideles in quibusdam peccent grauiùs, quàm infideles; & ob maiorem peccatorum multitudinem, & grauitatem in specie, vel in indiuiduo, possint esse magis Deo inuisi, & maioris pœnæ rei.

15. Non omnia opera infideliũ sunt peccata. Secunda pars eiusdem conclusionis est D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 4. affirmantis non omnia opera infidelium esse peccata: quia licet per peccatum infidelitatis priuentur gratia sanctificante, atque etiam tota fide supernaturali, quæ quolibet peccato mortali infidelitatis tota destruitur: & consequenter spe, & reliquis virtutibus supernaturalibus, quarum basis, & fundamentum fides est, quæque illâ amissâ desinunt: non tamen destruitur totum bonum naturæ, per quod potest aliquid fieri quod non sit peccatum. Et quemadmodum fidelis non quicquid operatur, refert ad finem fidei: sic infidelis non quicquid operatur, refert ad finem infidelitatis, neque ex eius affectu semper agit. Cõfirmatur ex Apost. Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, bene scilicet operando secundùm rectam rationem, naturali lumine cognitam. Et alibi Scriptura hortatur infideles ad aliqua opera bona, & quædam eorum opera laudat, quæ non laudaret, nisi essent bona, Daniël. 4. v. 24. Exod. 1. v. 20. & 21. alijsque locis. Trid. quoque Sess. 6. can. 7. damnat asserentes omnia opera, quæ fiunt ante iustificationem, esse peccata: & cap. 8. insinuat, posse ante fidem præcedere bona opera, licet non meritoria. Et in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra errores Michaëlis Baij, & altera Vrbani VIII. contra Iansenium, damnatur hic inter alios, quod in nullo infideli possint esse bona opera. Confirmatur secundò, quia in infideli manet lumen naturale, quo bona quædam cognoscere potest; & manet liberum arbitrium, quo potest secundùm rectam cognitionem operari, saltem vbi non magna difficultas operandi occurrit: imò etiam potest Dei auxilio iuuari contra difficultatem. Neque carentia fidei influit in eiusmodi opera, vt inde mala reddantur, si omnino per accidens se habet, æquè ac carentia gratiæ in eo qui est in peccato mortali: alioqui omnia opera facta à non iustificato, essent peccata, contra expressam definitionem Tridentini Sess. 6. can. 7. & Sess. 14. cap. 4. Consentiunt Patres, & Theologi communiter, vt alibi ostendimus in tract. de gratia.

Contrarium tamen docent Gregorius in 2. dist. 39. q. 1. art. 2. corollar. 3. & Catharin. in cap. 2. Geneseos. Primò, quia *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, Rom. 14. v. 23. quem locum D. Aug. tom. 4. lib. de Continent. c. 12. citat in hunc sensum, quòd ea omnia, quæ non sunt ex fide diuina, & Theologica, sunt peccata. Item, *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum*, Tit. 1. v. 15. &, *Sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. &, *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, Matth. 7. Infidelis autem est arbor mala: ergo non potest facere fructum boni operis. Præterea, D. Aug. varijs locis, præcipuè lib. 4. contra Iulianum cap. 3. dicit omnes actus Gentilium, quamvis laudabiles videantur, esse vitia & peccata: idémque dicunt Fulgentius lib. de Incarnat. c. 25. & Prosper lib. 1. de vocatione Gentium, c. 7. Denique bonitas operis pendet ex obiecto, fine, & circumstantijs. Sed infidelis, qui Deum ignorat, vel non vult de illo cogitare, & illi credere, peccat in circumstantia finis, quia non omnia refert ad Deum vt debet; imò se, suaque omnia refert in falsum Deum, quem 16. Contraria sententia.

colit, & pro vltimo fine habet.

Ad primum Scripturæ testimonium, respondeo, fidem ibi sumi pro dictamine conscientiæ iudicantis bonum, aut licitum esse id, quod fit; vt patet ex verbis immediatè præcedentibus. Soluuntur eius argumenta ex Scriptura. Auctor verò libri citati non est D. Augustinus, & apertè aberrat à vero sensu Apostoli. Quo autem sensu benignè exponi possit Augustinus ipse qui lib. 4. contra Iulian. cap. 3. alijsque locis, idem sentire videtur, dicemus paulò post. Secundus verò locus, ex Tit. 1. relatus, debet intelligi de coinquinatis, & infidelibus formaliter vt tales sunt. Vel potiùs loquitur ibi Apostolus de Christianis. quibus mundam habentibus, & rectam conscientiam, nulli cibi erant immundi: quippe qui sciebant legalem ciborum discretionem, non ampliùs obligare. Coinquinatis verò, & immundis hæreticis, aut Iudæis, vel alijs infidelibus, cibos ex illa discretione, vt obligante, sumentibus, & hanc obligationem introducere volentibus, nulli cibi sunt mundi: quia omnes praua illa existimatione, & intentione immundi fiunt, & illiciti. Ad tertium: Nemo potest placere Deo simpliciter sine fide: potest tamen placere secundùm quid per aliqua bona opera, quæ pro sua conditione sunt Deo grata, sed longè infra gradum sanctitatis, & iustitiæ supernaturalis, quæ sine fide non consistit. Ad quartum: Verum illud est, & à Christo dictum, de arbore mala, quâ mala est. Sed infidelis non agit omnia quâ infidelis.

17. Et ex Ss. Patribus. Ad D. Augustinum, & alios Patres, Respondeo eos negare solùm opera infidelium habere perfectam rationem virtutis valentem ad vitam æternam: ita vt operans, ab illis possit denominari absolutè iustus, & vi illorum euadere damnationem, & beatitudinem assequi: atque etiam quatenus deficiunt à perfecta illa ratione virtutis, eatenus esse mala, negatiuè scilicet, & defectuosa, licet alioqui sint bona in suo genere vel etiam quatenus fœdantur moraliter ab infidelitate, & mala conscientia; sicut bona iustorum opera cohonestantur moraliter à gratia, licet non influente, sed tantùm concomitanter se habente. Qua de re plura diximus in Anti-Iansenio, Disp. 19. Sect. 1. & sex consequentibus.

Et ex ratione. Ad vltimum respondeo opus iustitiæ, misericordiæ, temperantiæ, & similia opera virtutum, esse bona ex fine intrinseco, licet ad Deum non referantur, quod ad virtutem superiorem pertinet. Quamuis autē infidelis aliquo actu se ipsum, & sua omnia referat ad idolū, quod pro Deo & vltimo fine habet (tametsi id necesse non est, neque semper contingit, cùm non omnes infideles errent circa Dei notitiam) hæc tamen intentio non inficit omnes illius actus, sed eos tantùm, qui virtute illius fiunt, ita vt talis intentio nondum fuerit retractata, maneàtque adhuc moraliter, & virtualiter in aliquo ex illa secuto, quod ad præsentem actionem pertineat: alioqui non potest dici fieri ex illa intentione, si neque per se, neque per virtutem relictam influit. Videantur quæ diximus de intentione virtuali, tom. 4. disp. 22. sect. 4.

SECTIO II.

De varijs speciebus infidelitatis.

Species infidelitatis generatim loquendo duæ sunt: omissio actus credendi ex affectu reij ciendi fidem; & actus positiuus, qui triplex esse potest; nimirum dubitatio, vel dissensus circa obiectum fidei sufficienter propositum, aut assēsus circa eius oppositum notum vt tale. 18. Sunt duæ generatim. Sed hic assensus non est infidelitas, nisi quatenus est implicitus dissensus fidei: ideóque formaliter in ratione infidelitatis non constituit speciem diuersā, sicut non est diuersa infidelitas, siue quis abducatur à fide propter amorem pecuniæ, siue propter honorem, aut voluptatem: neque furtum specie differt in ratione furti, siue qui furatur, velit donare, siue aliter insumere. Rursus tam omissio, quàm dubitatio, aut dissensus, multiplex specie esse potest, iuxta diuersitatem obiectorum fidei, quibus opponuntur. Nam omnis infidelitas versatur circa obiectum fidei: eò quòd fides, & infidelitas repugnant inter se: actus autem repugnantes, debent esse repugnantes circa idem, aut circa repugnatia; cùm aliter secundùm se non repugnent. Multiplex earum sub diuisio ex parte formalis obiecti fidei. Debent inquam, esse repugnantes vel circa idem, ad quod diuerso & opposito modo tendunt: vel circa repugnantia ad quæ tendant eodem modo. Ergo credere, & non credere, aut dissentire, aut dubitare, debent esse circa idem obiectum, vt repugnent. Multiplex autem est obiectum fidei: formale scilicet, & materiale, quod iterum variè diuiditur in plurimas veritates reuelatas. In formali quoque multa continentur: nempe testificatio diuina verbalis; sufficiens eius propositio, per testimonium operis; & veracitas Dei sufficienter testificantis. Circa quæ diuisim infidelitas committi potest. Nam potest aliquis, contra debitum, post sufficientem propositionem, non credere Deum dixisse, quamuis habeat affectum credendi testimonio diuino, si crederet Deum testificatum esse. Quales erant Discipuli, & Iudæi, Ioan. 6. qui tametsi non dubitarent Deum esse veracem, neque recusarent credere ipsius testimonio, si crederent testificatum; non credebant tamen, contra debitum, doctrinam Christi esse diuinam, & Deum illi attestari. Talis etiam fuit Thomas Apostolus, Ioan. 20. v. 27. & alij Discipuli, Marc. vlt. v. 14. quibus Christus infidelitatem, & incredulitatem meritò exprobrauit, eò quòd non credidissent sufficientibus testimonijs, de ipsius resurrectione datis: quique habitis maioribus indicijs assenserunt, sine vlla dubitatione circa veracitatem diuinam. Potest etiam quis ita desipere, vt peccet circa ipsam veracitatem, non credendo Deum esse veracem, posséque fallere, vel mentiri, siuè absolutè, siue de lege ordinaria. Attamen vt ille sit propriè infidelis, eo sensu, quo hic loquimur, debet scienter, & liberè ita sentire contra debitum credendi oppositum. Alioqui non peccabit contra fidem formaliter, sed tantùm contra lumen naturale, & contra bonum sensum, quo communiter homines non impij, Deum cognoscentes, sciunt, aut certissi-

mè persuasum habent, Deum esse veracem omnino, & nec posse falli, nec fallere. Si quis autem persuasum habeat Deum esse veracem, & propositionem reuelationis diuinæ, sufficienter factam esse: non potest stante tali assensu, dissentire, ei, quod reuelatum est, aut assentiri opposito cognito, vt tali. Potest tamen intellectum aliò auertere, & credibilitatem mala fide reijcere, atque ita dissentire, vel adhærere opposito.

19. Et ex parte materialis. Ex parte vero obiecti materialis fidei possunt multo magis specie variari actus illi oppositi. Nam sicut assensus fidei specie differunt, prout habent obiecta adæquata diuersa, quæ attingunt prout sunt diuersa: sic pariter dissensus fidei oppositi. Vnde tam multæ possunt existere eorum species, quàm multa sunt obiecta reuelata essentialiter diuersa. Moraliter tamen, & in ordine ad confessionem sacramentalem, censentur omnes omissiones contra fidem, esse eiusdem speciei: itémque omnes dubitationes, & similiter omnes assensus, aut dissensus oppositi fidei: nisi fortè contineant specialem Dei contumeliam, sintque peccatum blasphemiæ, de quo dicemus paulò pòst.

Diuisio in Paganismum Iudaismum & hæresim. D. Thomas q. 10. art. 5. aliter distinguit species infidelitatis in Paganismum, Iudaïsmum, & Hæresim. Ait enim, si infidelitas attendatur secundùm habitudinem diuersam ad fidem, species infidelitatis esse numero determinatas; quia infidelitas secundùm diuersam habitudinem ad fidem, triplex est. Aut enim renititur fidei nondum susceptæ; & paganismus est. Aut fidei iam susceptæ in figura; & Iudaismus est. Aut fidei iam susceptæ in propria specie; & hæresis est. Si verò consideretur infidelitas secundùm diuersa, ad quæ infidelis conuertitur; non sunt, inquit, determinatæ species infidelitatis: quia errores in infinitum multiplicari possunt, vnde infidelitas potest ex ea parte multiplicari in infinitum. Hæc ibi D. Thomas: & quæst. 12. art. 1. ad 3. addit Apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, sed tantùm quandam circunstantiam aggrauantem, iuxta illud 2. Petri 2. *Melius erat illis veritatem non cognoscere, quàm post cognitam retrò ire.*

Circa quæ nota primò, non omnes modos infidelitatis enumerari à D. Thoma. Nam inter

20. Non est adæquata. Iudæos olim aliqui erant infideles, similes nostris Hæreticis; qui ad nullum ex his modis pertinent. Turcismus etiam, qui de singulis aliquid credit, aut saltem multa de lege Mosaïca, aliud membrum constituit. Apostasia quoque, quæ est totalis defectio à fide suscepta, non est hæresis, quæ deficit tãtùm ex parte: neque est Iudaismus, aut paganismus; quia deficit à fide suscepta in propria specie: Non fuit autem D. Thomæ intentio omnes enumerare, sed modos præcipuos assignare infidelitatis, qualis nunc est: ad quos alij facilè reuocari possunt ex toto, vel ex parte. Nam infidelitas illa Iudæorum, hæresis quædam erat, licet diuersæ rationis ab ea quæ nunc est, circa fidem Christi susceptam in propria specie, de qua loquitur S. Doctor. Turcismus ex parte ad Iudaismum, & ex parte ad Paganismum pertinet, vel ad hæresim, si aliquid noui Testamenti admittit. Apostasia verò differt ab hæresi secundùm magis & minùs. Quanquam ad hæresim aliæ quædam conditiones præter defectionẽ à fide requiruntur, vt dicemus inferiùs: sed quæ deficiunt ab eius perfectione, possũt nihilominus ad illam reuocari, quatenus ad illam accedunt.

Nota secundò, ad Iudaismum, vel ad hæresim, non requiri vt tales infideles veram fidem susceperint actu, vel habitu supernaturali: sed tantùm obiectiuè: id est, crediderint, aut cre- 21. dant aliquid, quod ad veram fidem pertinet, & Quid requiritur ad Iudaismum & hæresim. prout ad illam pertinet, nimirum propter reuelationem. Nam Iudæi hodierni, licet numquam actum, vel habitum supernaturalem fidei susceperint, sunt nihilominus infideles, speciali infidelitate Iudaismi: & filij hæreticorum, quamuis non ritè baptizati, ac proinde nunquam fidem adepti, sunt nihilominus infideles, & hæretici, latè loquendo, cùm pertinaciter parentum erroribus contra sufficientem propositionem veritatis, & quibusdam alijs fidei Euangelicæ veritatibus adhærent.

Nota tertiò, tres illas infidelitates non esse proprias, & rigorosas species; sed lato modo ita vocari, ob accidentalem & moralem diuersitatem, quã status quasi diuersos constituunt. Differunt specie propriâ. Nam infidelitas non est diuersæ speciei ex eo quòd sit contra fidem susceptam, aut contra fidem non susceptam; quoniam fides suscepta, vel non suscepta, non differt specie in ratione fidei sed circunstantiâ tantùm accidentali. Quare infidelitas in ratione oppositi fidei non est diuersæ speciei, ex eo quòd sit contra fidem iam susceptam, aut contra fidem non susceptam, licet in ratione peccati possit esse deterior ex illa circunstantia: vt de apostasia docet ipsemet D. Thomas loco posteriùs cit. Neque ista est prima, & præcipua consideratio infidelitatis, secundum diuersam habitudinem ad fidem: sed potiùs illa, secundùm quam repugnat ipsius actui, vel obiecto, vt suprà exposuimus: ex quo etiam sumitur differentia illius specifica.

Obijcies cum Banne ad articulum 5. q. 10. aliud esse specificè peccatum contra castitatem, 22. quam is, qui peccat, professus est: & aliud pec- Soluitur obiectio. catum, simplicis fornicationis. Item, aliud peccatum esse adulterium, etiam citra rationem iniustitiæ, si maritus consentiat; & aliud peccatum soluti cum soluta. Ergo similiter alia specie est infidelitas eius, qui fidem professus est: & alia eius, qui fidem non suscepit. Respondent Suares, Ægid: Conink, & quidam alij, huiusmodi peccata non differre in ratione intemperantiæ contra castitatem: sed quatenus habent adiunctam circunstantiam sacrilegij, aut iniustitiæ, cui non potest maritus derogare. Secundò, & meliùs responden, alij disparem esse rationem: quia ex voto solemni castitatis, vel ex coniugio, etiam citra rationem sacrilegij, vel iniustitiæ, oritur specialis disconuenientia ad copulam, & impedimentum irritans matrimonium; ideòque ratio specialis peccati contra castitatem, cui aduersatur per se omnis copula inter personas, quæ legitimè copulari non possunt: ita vt tales personæ sint diuersæ speciei ab alijs, intra ambitum luxuriæ. At professio fidei præcedens, & eius negatio, nihil tale constituunt, quod per se spectet ad fidem. Sed sicut in Intemperantia idem specie peccatum

est, siue quis peccet contra temperantiam priùs exercitam, siue non: sic idem est specie peccatũ, si quis recedat à fide suscepta, vel à non suscepta.

23. Obijcies secundò ex D. Thoma q. 10. art. 5. in corp. Species infidelitatis non esse determinatas per habitudinem ad ea, ad quæ infidelis conuertitur: & in solutione primi argumenti, addit infidelitatem, quâ parte est recessus à diuina veritate, non habere speciem, sed esse priuationem speciei. Respondeo, primum illud D. Thomæ pronuntiatum intelligendum esse de erroribus, quibus infidelis adhæret, recedendo à fide; qui errores in infinitum multiplicari possunt; & à quibus vt talibus non sumuntur species infidelitatis: sed à repugnantia cum actu, vel obiecto fidei, quæ formaliter determinata est, sicut actus, & obiecta reuelata, quibus repugnat, sunt determinata. Nam veritates reuelatæ sunt determinatæ, præsertim illæ, quæ per se pertinent ad Fidem Christianam: & ratio credendi illas est determinata, nempe diuina reuelatio. Quare ex ea parte species infidelitatis sunt determinatæ, siue consistant in non assentiendo, siue in dissentiendo positiuè, aut in dubitando. Neque id negat D. Thomas, sed ait tantùm non esse determinatas ex parte errorum, ad quos possunt conuerti infideles recedendo à veritate fidei. Secundum verò illius dictum debet intelligi de specie perfecta, & positiua, & de recessu negatiuè sumpto, vel priuatiuè. Nam huiusmodi recessus, vt sic, non habet speciem, nisi latè sumendo speciem pro quauis ratione communi quo modo etiam priuatio habet speciem suam, vt & rationem propriam, aut significationem nominis, seu conceptum illi respondentem. At verò recessus positiuus per contrarietatem cum fide, habet vt talis veram speciem positiuam, consistentem in speciali tendentia actus oppositi fidei. Dissensus enim positiuus non minùs habet speciem positiuàm atque perfectam, quàm assensus contrarius.

Altera oppositio diluitur.

24. Quæres quænam ex his infidelitatibus grauior sit? Respondeo, Hæresim ex genere suo esse maiorem intensiuè quoad modum repugnandi fidei: quia scilicet maiori cum notitia ei repugnat. Extensiuè autem, maiorem esse Paganismum, quia plures fidei articulos negat. Iudaismus quoque maior est Hæresi extensiuè: quia ad plura extenditur, quam ab Hæreticis negari soleant. Dixi autem, *ex genere suo:* quia in specie, & in indiuiduo, multiplex alius excessus intensiuus, & extensiuus, contingere potest. Fieri enim potest vt aliquis maiori cum notitia adhæreat Iudaismo, vel Paganismo, quàm alius Hæresi. Potest etiam Hæreticus aliquis plures articulos negare, quàm Iudæus. Quare in particulari non potest certa mensura statui. Heretici verò specialiter eo nomine pessimi sunt, quòd fideles se esse simulantes, sunt proditores & hostes domestici fidei, eiusque armis, Scripturis scilicet, & alijs, ad ipsius perniciem vtuntur. Maiorem autem nobis facit iniuriam, cæteris paribus, qui amicum se esse simulans, nos occultè impugnat, quàm qui se hostem apertum profitetur. Præterea, qui fidem antea susceptam negant per Hæresim, vel Apostasiam, peccant eo nomine grauiùs, & intensiùs: licet extensiuè minùs peccent, si non tam multos articulos negent.

Quæ grauior harum trium infidelitatum.

25. Quæres secundò, an huiusmodi species infidelitatis possint in eodem subiecto reperiri. Respondeo posse successiuè, sed non simul, integrè & perfectè. Prima pars liquet, quia potest aliquis è Pagano Iudæus fieri, tum Christianus, posteàque hæreticus. Secunda probatur, quia species illæ perfectè sumptæ continent aliquam repugnantiam, propter quam non possunt simul in eodem reperiri. Est enim repugnantia inter fidem susceptam, & non susceptam, vt sic: Ergo & inter Paganismum, qui repugnat fidei non susceptæ; & Iudaismum, ac hæresim, quæ repugnant fidei susceptæ. Est quoque repugnantia inter fidem susceptam in figura tantùm, & susceptam in propria specie: Ergo & inter Iudaismum repugnantem fidei susceptæ tantùm in figura, & Hæresim repugnantem fidei susceptæ in propria specie. Dixi autem, *perfectè, & integrè:* quia imperfectè misceri possunt. Nam potest aliquis secundùm quid esse Iudæus, & secundùm quid hæreticus; admittendo aliquid ex lege noua, non omnia; & simul adhærendo legibus, & ceremonijs Mosaïcis, vel omnibus, vel quibusdam.

Possintnè simul in eodem reperiri.

SECTIO III.

De Hæresi, Apostasia, & Blasphemia.

Qvæ D. Thom. q. 10. art. 7. & sequentibus disputat, an liceat cum infidelibus disputare, vel eos ad fidem cogere, aut eorum ritus, & errores tolerare, partim in textu perspicua sunt, partim commodiùs explicabuntur inferiùs, sect. 5. & seq. Priùs verò exponendi sunt tres illi modi infidelitatis, de quibus idem disputat. q. 11. & tribus consequentibus. Vt ergo à postremo incipiamus, Blasphemia, ex vi vocis, idem est, ac læsio famæ: à βλάπτω, id est, lædo, & φημη, id est, fama: significatque maledictum, seu conuitium, & probrum; quo videlicet alicui turpe aliquod malum, vel indecens, per vituperationẽ tribuitur; aut simili affectu detrahitur aliquid, quo carere turpe sit, atque ita fama ipsius læditur: aut etiam alio modo, aliquid ei per contemptum, aut vituperium exprobratur. Potestque ex vi suæ significationis, non solùm circa Deum, sed etiam circa creaturas versari. Per appropriationem tamen significat maledictum, quod in Deũ conijcitur, quodque est blasphemia per excellentiam, & sic definiri potest: *Est verbum maledicti, seu conuitij, aut contumeliæ in Deum.* Huiusmodi autem maledictum non magis oritur ab infidelitate, quàm ab odio, & mala in Deum voluntate. Imò etiam cum fide potest esse blasphemia. Quia tamen vel formaliter, vel virtualiter, continet semper aliquid falsum de Deo, idcirco D. Thomas q. 13. art. 1. in corp. & ad 3. posuit blasphemiam inter alios modos negandi fidem verbis, atque opponi confessioni fidei: vt Caietanus ibidem notat. 26.

Blasphemia quid sit?

Aduertendum tamen est primò, blasphemiam magis opponi religioni, quàm fidei. Nam fides respicit veritatem diuinam. Religio verò cultum, & honorem Dei, cui directè, & for- 27.

Religioni magis, quàm

fidei opponitur. maliter opponitur blasphemia, quæ est Dei vituperatio, potéstque consistere, licet blasphemus fidem in animo retineat, ac ne quidem speculatiuè quicquam fidei oppositum enunciet. Vt si quis verè credens Christum Dominum passum, & mortuum esse, mortem eius derideat; vel illi exprobret; aut eius membra per contumeliam nominet. In quo tamen continetur virtualiter error practicus contra fidem, quatenus eius mors, & passio, vel membra, ipsi turpiter esse indecora, & exprobranda, practicè iudicantur. Verumtamen blasphemia non est semper, & necessariò coniuncta cum errore intellectus, neque in illo consistit formaliter; sed in verbis contumeliosis, quæ ex indignatione in Deum, vel contemptu, proferri possunt; quamvis proferens non ita credat, neque vllum errorem fidei oppositum habeat: sicut homines frequenter iactant in alios verba contumeliosa, iræ explendæ gratiâ; licet talem de illis opinionem non habeant. Vnde oritur diuisio blasphemiæ in hæreticalem, & in simplicem, seu non hæreticalem: quarum prior iuncta est cum errore contra fidem; secus autem posterior, quæ non procedit ex falsa de Deo existimatione; sed ex affectu iræ, contemptus, odij contra Deum, vel alia passione inordinata, & diabolica: ac ne quidem exteriùs continet vllum errorem contra fidem. Quod addo, quia in iure canonico (in quo non iudicatur de errore purè interno, sed de eo quod exteriùs apparet) blasphemia hæreticalis vocatur omnis illa, quæ virtualiter, aut formaliter continet exteriùs, & significat falsitatem contra fidem. Cuiusmodi est omnis illa, quæ de Deo affirmat, aut negat aliquid contrarium fidei: vel etiam de illo dubitat: aut tribuit creaturæ id, quod secundùm fidem soli Deo conuenit. Idque vel enuntiatione formali, vel virtuali tantùm, vt si Deum vocet iniustum, improuidum, crudelem, &c. quibus nominibus implicitè affirmatur id, quod significant. Huiusmodi etiam est vulgaris illa, & pessima blasphemia, *Abnego*, vel vt dici solet, *Renego Deum*. Quia hic loquendi modus, & similes, speciem quandam infidelitatis præ se ferunt. Simplex autem blasphemia, seu non hæreticalis, secundùm Ius canonicum, dicitur omnis illa, quæ neque formaliter, neque virtualiter continet exteriùs falsitatem, quasi speculatiuam contra fidei veritatem (speculatiuam, inquàm; nam practica continetur quodammodo in omni blasphemia, sicut in odio Dei, & alijs affectibus inordinatis contra Deum) vt sunt illæ, quibus Deo tribuitur aliquid, quod verè ipsi competit, aut negatur quod non competit, sed irrisoriè, & contumeliosè: & illæ, quibus Deo optatur aliquod malum per imprecationem, maledictionem, aut aliud genus contumeliæ: vt cum dicitur, Inuito Deo, In despectum Dei, &c.

28. Multipliciter committitur. Aduerte secundò, blasphemiam non solùm verbis exteriùs ore prolatis, sed etiam scriptis, imò & mente, seu cogitatione, & verbo mentis solo committi posse. Sicut enim Deus potest aut mente solùm, aut etiam voce laudari: ita potest vtroque modo blasphemari. Vnde oritur alia diuisio blasphemiæ in internam, & externam: siue in eam, quæ fit verbo tantùm mentali: dicitúrque blasphemia cordis; & in eam, quæ fit verbo sensibili. Illa verò non consistit formaliter in affectu voluntatis, sed in locutione mentali, quæ est actus intellectus, seu verbum mentis: sicut blasphemia externa consistit formaliter in verbo sensibili contumelioso. Quocirca in vtraque affectus internus blasphemandi distinguitur ab ipsa blasphemia formaliter sumpta. Sicut affectus fornicandi, aut occidendi, distinguitur à fornicatione, vel ab homicidio, quod formaliter consistit in ipsa executione operis. Non est tamen blasphemia peccatum formale, id est, culpabile, sine illo affectu libero voluntatis: imò ab illo sumit totam suam malitiam formalem, & imputabilem, vt patet ex dictis in tract. de actibus humanis. Item licet Deus possit exteriùs tractari contumeliosè, non solùm verbis propriè dictis, ore, aut scripto formatis, verùm etiam factis, & gestibus Deum inhonorantibus: vt si quis in cœlum expuat contra Deum, vel Eucharistiam tractet vt cibum communem, aut brutis animantibus edendam præbeat, vt fecerunt hæretici: non est tamen propriè in huiusmodi factis blasphemia, nisi quando verbis, & signis expressè significantibus æquiualent, & quatenus illis æquiualent; ita vt differentia huiusmodi signorum, aut gestuum sit purè materialis. Nam blasphemia propriè opponitur laudi. Laus verò diuina propriè & formaliter consistit in verbis, non in alijs modis, quibus Deus potest exteriùs coli, & adorari: vt docet S. Thomas q. 103. art. 1. ad 3. vbi ait laudem, & honorem in eo distingui, quod laus propriè consistit in verbis; honor, in quibuslibet signis externis. Neque omnes actus externi, quibus Deus inhonoratur, sunt Blasphemia propriè loquendo, vt patet de idololatria, superstitione, periurio, & similibus vitijs, religioni oppositis.

Aduerte tertiò, Blasphemiam esse quadruplicem, generatim loquendo. Prima est, quâ Deo tribuitur aliquid turpe, & indecens, eiusque honori repugnans: vt quòd Deus sit auctor peccati: quòd Christus in cruce desperauerit: quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eiecerit dæmonia; de quo genere Blasphemiæ in Spiritum sanctum plura videri possunt apud D. Thomam tota quæst. 14. Altera est quâ Deo negatur aliquid, quod verè illi conuenit, nec sine illius contumelia negari potest: vt Deum esse omnipotentem, veracem, & summè bonum: Christum esse Dei filium & verum Deum: aut etiam si in dubium reuocetur aliquid, pertinens ad Dei perfectionem, vt ad Omnipotentiam, Sapientiam, & Prouidentiam: iuxta illud Psalmi 77. v. 19. *Et malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Eodemque pertinet dubitare num Deo positiuè conueniat aliquid contumeliosum. Tertia est, quâ exprobratur aliquid Deo, quod verè ipsi inest: aut exprobratur quod non habeat aliquid, quod re ipsa non habet: vt si quis Deo exprobet decretum, quod habuit circa hominum salutem procurandam per Christi passionem: vel exprobet quòd non omnes homines saluare velit efficaciter, sed plu- 29. Est quadruplex generatim.

timos damnari patiatur: vel Christo exprobret humanitatem assumptam, & infirmitates humanas, vel quòd morti, & passioni se non subtraxerit: vel ignominiosè nominet aliquid Deo conueniens, præsertim secundùm eius humanitatem, & secundùm partes eius ignobiliores. Hæc enim omnia cedunt in Dei contumeliam. Quarta denique fit per verba optandi vel imprecandi Deo malum aliquod, aut carentiam alicuius boni: vt cùm dicitur, *Inuito Deo, Ad despectum Dei, Displiceat Deo, &c.* quod qui enuntiant, significant se desiderare facere aliquid contra Dei voluntatem efficacem ipsique preualere: aut esse aliquid quod Deum angat, & malè habeat.

30. Extenditur ad res diuinas. Aduerte quartò, Blasphemiam extendi etiam ad res diuinas, & ad Sanctos, quatenus verba contumeliosa, in eos prolata, redundant in Deum, qui in eiusmodi rebus laudatur, aut vituperatur: vt si quis Scripturam diuinam arguat falsitatis, vel irrideat ob styli simplicitatem: vel affirmet Dei Matrem Sanctissimam non fuisse semper virginem. Vnde sumitur alia diuisio Blasphemiæ in eam, quæ directè, & immediatè est contra Deum: & illam, quæ immediatè est contra sanctos, vel alias res specialiter Deo deuinctas. Quæ tripliciter committi potest, vt bene docet Suares tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 6. Primò scilicet, cogitando simul expressè de Deo, & intendendo eius honori detrahere per contumeliam illatam Sanctis, aut alijs rebus Deo deuinctis: & tunc est formalissima Dei Blasphemia. Secundò, cogitando de Sanctis, vt de amicis Dei peculiaribus, vel de alijs rebus diuinis, vt diuinis, aut specialiter Deo deuinctis; & nihilominus eas tractando contumeliosè. Et tunc etiam est formalis Blasphemia: quia talis contumelia transit in Deum, ratione coniunctionis, quæ expresè consideratur inter Deum, & talem personam, aut rem aliam ad Deum specialiter pertinentem: licet hoc formaliter non intendatur. Nam ad malitiam formalem actus non est necesse intendere malum quà tale, sed sufficit illud scienter, & liberè admittere, vel permittere contra debitum. Tertiò, non cogitando expressè de Sancto, aut alia re, cum respectu ad Deum: sed tantùm de excellentia sanctitatis; in qua talis respectus fundatur. Et hoc sufficit ad participandam aliquo modo, quamuis imperfectiori, malitiam Blasphemiæ in Deum: quia est contumelia cedens per se in opprobrium ipsius Dei: vt bene docet ibidem Suares, contra Vasquem lib. 1. de adorat. disp. 6. c. 4. & valent. tom. 3. disputat. 1. quæst. 13. punct. 2. §. *Sed dicet tunc aliquis.*

31. Blasphemia formalis quid requirat? Quintò denique, addunt aliqui, vt sit Blasphemia formaliter, & non materialiter tantùm, debere omnia suprà dicta cogitari, vel dici & significari exteriùs per vituperationem, ex odio, indignatione, derisione, vel contemptu aliquo, quasi Deus idcirco sit contemnendus. Alioqui Blasphemia tantùm materialis est. Quare qui ex ira in proximum, vel leuitate, aut perturbatione animi, iurat per Dei caput, ventrem, sanguinem, & similia, non per modum conuitij, irrisionis, aut exprobrationis, improperando Deo quòd carnem assumpserit, non peccat formali peccato Blasphemiæ. Verùm, vt meliùs docet Suares lib. cit. cap. 6. n. 11. quando verba ipsa de se Blasphema sunt non sunt illi excusandi à peccato Blasphemiæ: quia ad illam non est necessaria formalis indignatio in Deum, siue in actu signato: sed sufficit quod in actu exercito ex ira, vel ex indignatione in hominem, prorumpat aliquis voluntariè in verba contumeliæ contra Deum. Ad contrahendam enim malitiam formalem alicuius peccati, non est necessarium illam directè, formaliter & expressè intendere; sed sufficit indirectè, & interpretatiuè in eam consentire. Omnino tamen certum est non esse Blasphemiæ peccatum proferre tantùm materialiter, & recitatiuè verba Blasphemiæ, non autem seriò, & significatiuè, seu assertiuè. Est quoquè certum hoc peccatum esse mortale, & grauissimum, nisi inaduertentia, vel imperfectio deliberationis excuset: quo pacto excusantur qui aliqua verba de se Blasphema proferunt, non intelligendo ipsorum malitiam. Estque grauius hoc peccatum, quando cum hæresi, vel cum iuramento, aut periurio coniunctum est, vt sæpe contingit. Non est tamen absolutè grauissimum peccatorum. Nam odium Dei grauius est: imò etiam hæresis, & desperatio est grauior Blasphemiâ præcisè sumptâ. Grauiora enim sunt ex genere suo peccata illa, quæ præstantioribus virtutibus opponuntur. Virtutes autem Theologicæ sunt nobiliores religione, cui Blasphemia opponitur. Quare cum aliqua exaggeratione accipiendum est illud Hieronymi in caput 18. Isaiæ, *Nihil horribilius Blasphemiâ, quæ ponit in Excelsum os suum, &c. Omne quippe peccatum comparatum Blasphemiæ, leuius est.* Huc vsque de Blasphemia.

Apostasia verò, ex vi vocis, defectionem significat: à Græco ἀφίσταμαι, id est, absisto, abscedo, deficio: potestque esse multiplex pro- 32. Apostasia quid, & quotuplex sit?
vt sunt multa, à quibus deficitur. Alia enim est ab obedientia, alia ab ordine religioso, alia à statu clericali, alia à fide: & hæc sola est peccatum infidelitatis, & propria huius loci: estque defectio à fide iam suscepta, saltem obiectiuè, quatenus desinit aliquis credere id, quod antea credidit, siue fide supernaturali, siue naturali tantùm. Licet autem vox de se indifferens sit ad significandam quamcumque defectionem, siue totalem, siue partialem: restringitur tamen ad totalem, vt distinguatur ab hæresi. Nam qui deficiunt penitus à fide, non vocantur Hæretici, sed Apostatæ, vt Julianus Imperator, ex Christiano factus Paganus, & Ethnicus: & qui tantùm ex parte deficiunt, non vocantur Apostatæ, sed Hæretici; vt Arriani, Nestoriani, Lutherani, Caluinistæ, & similes. Vnde collige Apostasiam differre tantùm ab hæresi secundùm magis & minus. Ideóque D. Thomas q. 10. art. 5. numerat solùm tres species infidelitatis: Paganismum, Iudaismum, & Hæresim, sub qua Apostasiam comprehendit, aiens Hæreticorum nomine comprehendi omnes, qui renituntur fidei Christianæ iam receptæ in propria specie, siue in ipsa veritatis manifestatione: & q. 12. art. 1. ad 3. dicit Apostasiam non constituère nouam spe-

ciem infidelitatis: sed tantùm addere nouam circumstantiam grauitatis. Hinc etiam in iure Canonico non sunt diuersi Tituli de Hæreticis, & de Apostatis à fide, sed tantùm de Hæreticis, sub quibus Apostatæ comprehenduntur, & ad quos leges, & pœnæ illæ æquè pertinent. Et quamvis lib. 5. Decretal. titul. 9. agatur de Apostatis ab ordine, & à religione: non tamen de Apostatis à fide: quia scilicet intelliguntur comprehensi sub titulo de Hæreticis: de quibus alioqui statuendum aliquid fuisset, cùm non minùs subsint Ecclesiæ, quàm Hæretici, si baptizati sunt. Cætera de Apostasia intelligentur ex dicendis de Hæresi, quæ illi erunt applicanda cum proportione; cùm vt iam diximus, tantùm differant penes magis & minus, eò quòd Hæresis sit partialis tantùm defectio; Apostasia verò, totalis.

33. Quid sit hæresis? Hæresis ergo, ex vi vocis, electionem sonat: à Græco αἱρέω, id est, eligo: significàtque electionem intellectus, & voluntatis, quâ quis adhæret quibusdam credibilibus, reiectis alijs. Et si fiat sine aduertentia, & libertate, est Hæresis tantùm materialiter. Sin autem cum sufficienti aduertentia, & libertate, est Hæresis formaliter, & peccatum culpabile consistens partim & formaliter in intellectu; partim & denominatiuè quoad esse moralis, seu liberi, & culpabilis, in voluntate: sicut fidei virtus consistit aliquo modo in vtroque. Porro licet omne tale peccatum, siue internum tantùm, siue etiam externum, id est, exteriùs proditum, & siue cum pertinacia, siue sine illa, sit coram Deo Hæresis aliqua: tamen ad Hæresim perfectam (vt & ad Apostasiam) quæ attenditur in foro externo, subestque legibus, & pœnis Ecclesiasticis, multa alia requiruntur: ideóque Hæresis perfecta non tam latè patet.

34. Quænam ad illam requirantur? Primò requiritur, vt defectio illa sit non modò voluntaria, & contra debitum, adeóque post sufficientem propositionem obiecti credibilis; sed etiam sit pertinax. Qui enim errant sine pertinacia, non censentur Hæretici: vt patet ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Damnamus, de Summa Trinit.* vbi referens errorem quendam Abbatis Ioachim, illum ab Hæresi excusat, eo quòd sine pertinacia errauerit. Et D. August. initio Epist. 162. *Qui sententiam*, inquit, *suam, quamvis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, &c. Parati corrigi cùm inuenerint*, (veritatem scilicet) *nequaquam sunt inter Hæreticos computandi.* Secundò requiritur, vt sit defectio hominis Christiani, & baptizati. Quod intellige de baptismo vero, & valido. Nam Ecclesia non exercet iudicium in illos, qui per baptismum in eam non sunt ingressi; vt ait Trid. Sess. 14. cap. 2. eoque sensu explicat illud Apostoli 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui forìs sunt, iudicare?* Idémque habetur in cap. *Gaudemus, de diuortijs.* Quare qui per verum baptismum non sunt ingressi in Ecclesiam, eique subiecti, non sunt Hæretici in foro externo, qui subiaceant legibus, & pœnis Ecclesiæ. Tertiò requiritur, vt non deficiant tantùm ab aliqua reuelatione priuata, sed à fide publica, communi, & Catholica. Quia Ecclesia non punit, nisi recedentes à sua fide, id est, à doctrina per ipsam proposita, & probata, quam, propter vniuersalitatem, Catholicam vocamus. Neque Ecclesia iudicat de internis & priuatis reuelationibus, nisi interdum examinando an sint veræ, vel falsæ, & discrepantes à veritate Catholica, à qua si non discrepent, liberum relinquit fidelibus, vt prudenter examinent quales sint. Quartò requiritur, vt prodatur actu externo, qui cum vera defectione interna sit coniunctus. Nam Ecclesia non iudicat de actibus internis; neque etiam punit solum actum externum, sine interna Hæresi, pœnâ excommunicationis, & alijs in iure statutis: quia iura loquuntur de Hæresi vera, & non tantùm simulata, quæ verè Hæresis non est: neque illi Hæreticorum nomine intelligendi sunt, vt docent communiter Theologi, & Canonistæ. Quod autem ait D. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 2. & 2. 2. q. 11. art. 2. ad 2. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur Hæresis*, intelligendum est vel præsumptiuè, quia in foro externo præsumitur esse Hæreticus, ille qui profert eiusmodi verba: vel occasionaliter, quia qui loquitur inordinatè de rebus fidei, occasionem alijs præbet concipiendi Hæresim, & in illam incidendi: vel etiam quia ille, qui loquitur inordinatè, versatur in periculo incidendi in Hæresim: qui enim spernit modica, paulatim decidet, *Ecclesiast.* 19. v. 1. Ex his collige perfectam Hæresim definiri sic posse: Est voluntaria, & pertinax, & exteriùs manifestata defectio ab aliqua parte fidei Catholicæ, in homine Christiano & baptizato. Quæ definitio, vt meliùs intelligatur, multa circa illam quærenda, & explicanda sunt. Definitio hæreseos.

SECTIO IV.

Soluuntur variæ quæstiones de Hæresi.

QVæritur primò, quæ pertinacia requiratur ad Hæresim perfectam? Respondeo requiri primò virtuale, aut formale propositum fixum, & firmum dissentiendi, aut nunquam assentiendi, contra debitum scienter & liberè, post sufficientem propositionem. Nam pertinacia est tenacitas quædam, & firmitas in malo: sicut constantia est tenacitas & firmitas in bono. Potéstque esse sine mora temporis, statim atque concipitur firmum & absolutum propositum; licet aliunde contingat vt illud citò mutetur: etenim pertinacia quæ non cedit vni, cedit alteri: vt aliquis est pertinax contra argumenta, qui non est contra verbera, vel contra periculum mortis. Qui autem ad pertinaciam requirunt temporis durationem, & persistentiam, vt Syluester *Verbo Hæresis* 1. *dub.* 2. loquuntur Canonisticè, in ordine ad iudicium ferendum in foro externo, in quo solet expectari fluxus aliquis temporis, ad iudicandum an aliquis sit pertinax. Secundo, requiritur vt pertinacia illa sit contra debitum perfectum credendi: quod debitum sufficientem propositionem requirit. Ideóque non suf- 35. Quãnam pertinaciam requirit?

ficit quòd aliqui Theologi, vel Episcopi, sentiant oppositum esse credendum; sed aliquid amplius necessarium est, quod sufficientem credibilitatem diuinam constituat. Tertiò, licet ad Hæresim latè sumptam, & coram Deo, sufficiat minor pertinacia; ad eam tamen quæ subest pœnis Ecclesiæ, & cuius in iure Canonico habetur ratio, requiritur voluntas expressa, vel interpretatiua resistendi Catholicæ doctrinæ, siue Ecclesiæ illam docenti; quæ resistentia fit per voluntatem non submittendi suum iudicium auctoritati Ecclesiæ. Ita cum D.Thoma sentiunt omnes Scholastici, teste Suare disp. 19. Sect. 3. n. 10. Idémque docent SS. Patres ab eodem citati: & speciatim D. August. lib. 4. de baptismo contra Donat. c. 16. vbi affirmat errantem in fide non esse Hæreticum, donec instruatur quid Ecclesia teneat, malitque illi resistere, quàm suam mutare sententiam. Fauet etiam communis vsus. Nam ille non censetur Hæreticus, qui paratus est submittere se iudicio Ecclesiæ.

36. Dupliciter resistitur auctoritati Ecclesiæ.

Dupliciter autem potest quis resistere auctoritati Ecclesiæ. Primò expressè, quando aduertit Ecclesiam docere contrarium. Secundò virtualiter, quando licet id non aduertat, habet tamen eiusmodi affectum, vt etiamsi Ecclesia contrarium doceat, non sit paratus mutare sententiam. Et hoc secundùm sufficit: Licet D. Augustinus verbis suprà relatis plus requirere videatur. Non excusat verò ab Hæresi, quòd errans non credat Ecclesiam, quæ docet oppositum, esse veram Ecclesiam: sed sufficit, quod teneatur credere Ecclesiam, quæ sic definit, esse veram. Alioqui vix vlli essent Hæretici: imò qui credunt, veram Ecclesiam docere oppositum, & veram Ecclesiam non errare in fide; non possunt dissentire, aut tenere contrarium eius quod sciunt doceri à tali Ecclesia. Non excusat etiam quòd errans sit paratus credere, si conuincatur ad credendum rationibus naturalibus, aut postquam illi, quantùm volet, constiterit Deum id reuelasse: sufficit enim quòd post sufficientem propositionem, non credat pertinaciter, modo suprà exposito. Omnino tamen propositio sufficiens necessaria est, sine qua non est debitum credendi, & consequenter nec peccatum Infidelitatis, nec Hæresis, quæ est Infidelitas culpabilis. Quare Hæreticorum filij, vel rustici quidam, & ignari, si illis nondum facta est propositio sufficiens euidentis credibilitatis, non sunt verè Hæretici, neque vt tales habendi; adeóque neque excommunicati, & alijs pœnis Ecclesiasticis obnoxij: neque opus est superiori potestate ad eos absoluendos in foro interno: cum reseruatio casuum, & censuræ Ecclesiasticæ de illis non loquantur, sed de verè & culpabiliter Hæreticis. Item non excusat paratum esse ad credendum Ecclesiæ, si magis constiterit de ipsius definitione. Postquam enim definitio Ecclesiæ est sufficienter proposita, Hæreticus est qui illam respuit. Et hoc notent qui circa Conciliorum definitiones perperam cauillantur, aut circa Bullas & censuras Pontificias in materia fidei.

37. Quæritur secundò, vtrum ignorantia affectata, vel ex crassa negligentia prouenicns, excuset ab Hæresi? Respondeo, præter ignorantiam inculpabilem, quæ sine dubio excusat ab Hæresi, sicut ab omni alio peccato, cùm nullum sit peccatum, nisi voluntariè & liberè fiat, adeóque cum cognitione eius, quod malè admittitur: ignorantiam culpabilem, & affectatam, vel crassam, dupliciter se habere posse, ad actum Infidelitatis, qui ob talem ignorantiam contingit. Primò antecedenter, ita vt sit illius causa, quatenus is qui contra fidem agit, non ageret, nisi ignoraret; nam si sciret esse de fide, crederet. Secundò concomitanter: quatenus non magis crederet, aut non minùs discrederet, etiamsi sciret rem esse de fide, quamvis de eo non cogitet, sed tantùm habitualiter ita sit affectus. Vterque modus excusat ab Hæresi, defectu pertinaciæ actualis post sufficientem propositionem. Nam in primo nulla est pertinacia, cùm sit paratus credere, si res sufficienter proponatur. In secundo est quidem pertinacia habitualis, quia non crederet quamvis proponeretur. Quia tamen non proponitur re ipsa, vt supponimus, neque liberè resistit sufficienti propositioni; non est pertinax re ipsa in actu secundo contra sufficientem propositionem, sicut ad Hæresim necessarium est. Nec obest quòd resisteret etiamsi proponeretur: quia quod re ipsa esset, non est, neque imputatur. Et hoc intelligendum est siue ignorantia affectetur, aut eius expulsio negligatur, ex affectu Infidelitatis, siue ex alio affectu malo. In quo quidem peccatur grauiter contra studium, & obligationem sciendi ea, quæ sunt fidei: & contra fidem aliquatenus, cùm quis præuidet fore vt ea occasione incidat in actum Infidelitatis. Attamen Hæresis non committitur, & peccatum Infidelitatis non consummatur in intellectu, nisi quando re ipsa resistitur pertinaciter propositioni sufficienter factæ.

Ignorantia excusat ab hæresi.

38. Contraria sententia.

Consentiunt quoad primam partem responsi Aragonius 2. 2. q. 11. art. 2. §. *Ad hæc argumenta*, Bannes ibidem §. *Sed quæret quis*, Azor tom. 1. Moral. lib. 1. c. 14. q. 9. Suar. suprà n. 15. & sequentib. Ægid. Coninck disp. 18. dub. 7. n. 94. & 97. Vasques 1. 2. disp. 126. n. 8. & Turrian. 2. 2. disp. 55. dub. 2. §. *Item ex doctrina*. Aliqui tamen illorum dissentiunt à nobis, quoad secundam partem responsi, id est, quoad posteriorem modum ignorantiæ: quia putant pertinaciam deesse quidem in prima, non autem in secunda. Verùm ex dictis patet deesse in vtroque modo pertinaciam Infidelitatis propriè dictæ, & consequenter Hæresis, quæ requirit sufficientem propositionem, sine qua non fit contra debitum credendi, vt tale, ac per se proximè, cum aduertentia, & libertate. Atque ita docent Ægidius suprà, n. 94. & Vasq. & Turrian. locis suprà citatis. Frustra verò objiciunt aliqui, in alijs peccatis ea, quæ committuntur ex ignorantia crassa, vel affectata, esse eiusdem speciei cum ijs, quæ committuntur scienter: quia priuant eâdem honestate: & qui ex tali ignorantia committit homicidium, vel adulterium, esse verè homicidam, vel adulterum. Respondeo enim id quidem verum

esse, quando ignorantia non tollit aliquid necessarium ad rationem talis peccati, vt in exemplis propositis. At ignorantia, de qua loquimur, tollit pertinaciam actualem, quæ necessaria est ad rationem Hæresis. Supponimus enim in vtroque casu responsi abesse pertinaciam actualem: quia in priori nulla penitùs est: in posteriori est tantùm habitualis cum ignorantia concomitante. Quòd si quis actu cogitaret de propositione Ecclesiæ, statueretque pertinaciter non credere, aut discredere contra debitum, quamvis ab Ecclesia proponeretur; esset Hæreticus. Quia haberet actualem pertinaciam contra aliquod dogma fidei, nempe, credendum esse quicquid Ecclesia tanquam de fide proponit.

39. Dubitans pertinaciter est hæreticus. Quæritur tertiò, an qui dubitat pertinaciter de rebus fidei post sufficientem propositionem, sit Hæreticus? Respondeo affirmatiuè, cum Caietan. 2. 2. q. 11. art. 2. circa responsionem ad 3. Valentia quæst. 11. punct. 1. §. *Sed verior & communior*, Suare Disp. 19. Sect. 4. n. 10. Ægidio Coninck disp. 18. dub. 7. n. 102. Syluestro, Azor, Toleto, à Castro, & alijs. Probatur efficaciter ex cap. 1. de Hæreticis, sic affirmante, *Dubius in fide, infidelis est:* & ex Concil. Vienn. in Clement. *de Summa Trinit.* §. *Porro*, vbi dicitur, doctrinam vertentem in dubium, an anima rationalis sit forma corporis humani, esse inimicam fidei Catholicæ: eique pertinaciter adhærentem, censendum esse Hæreticum. Idémque in Concilio Lateran. sub Leone X. statuitur de asserentibus, aut vocantibus in dubium, an anima rationalis sit immortalis, & diuersa in singulis hominibus. Probatur secundò, quia in casu proposito reuocare in dubium pertinaciter, est scienter, & liberè non credere per propositum fixum, contra credendi debitum. Hoc verò est peccatum Infidelitatis: & si non sit Apostasia totalis, est Hæresis: si nimirum de quibusdam, non de omnibus dubitetur.

40. Contrarium sentit Canus lib. 12. de locis c. 9. Primò, quia Hæresis est error Catholicæ veritati contrarius. Sed dubitatio non est error. Ergo non est Hæresis. Secundò, Hæresis est extremè contraria professioni Catholicæ veritatis. Sed dubitatio non est extremè contraria: Ergo, &c. Tertiò, Hæresis est electio, & firma adhæsio. Sed dubitatio non eligit, nec vlli adhæret. Quartò, si dubitatio est Hæresis, sequeretur Apostolos, qui dubitârunt de Christi resurrectione, fuisse Hæreticos; quod est impium dicere.

Soluuntur arg. contraria. Ad primum respondeo primò, non omnem Hæresim esse errorem, vt ostendemus paulò pòst. Secundò, dubitantem non vacare errore; quia qui dubitat de aliqua propositione, iudicat practicè illam esse dubiam. At qui iudicat aliquem fidei articulum sufficienter propositum, esse dubium, habet errorem fidei repugnantem, cùm fides doceat certissimum esse quemcunque articulum fidei sufficienter propositum. Ad secundum, nego maiorem sumptam vniuersaliter. Ad tertium respondeo, electionem esse voluntatis. Qui autem dubitat voluntariè, eligit dubitare potiùs, quàm certò assentire; & dubitare de his potiùs, quàm de alijs; in quo Hæreticus est. Ad quartum dico, Apostolos non fuisse pertinaces. Quòd si quis illorum fuit aliquandiu pertinax; non magis impium est dicere fuisse pro eo tempore Hæreticum, & in tali gradu; quàm peccasse grauiter, & pertinaciter per Infidelitatem contra sufficientem propositionem: vt de Thoma Apostolo fatendum est: hoc ipsum illi exprobrante Christo, Ioan. 20. versu 27. *Noli esse incredulus*, Græcè ἄπιστος, *sed fidelis*.

Quæritur quartò, vtrum ad Hæresim necessarius sit error in intellectu, vel actus positiuus in voluntate? Respondeo primò, non requiri generaliter ad Hæresim, vt voluntas physicè, & positiuè actum aliquem exerceat; sed sufficere, vt Infidelitas intellectus sit voluntaria interpretatiuè, quatenus voluntas eam aduertit, & non impedit, cùm liberè possit. Ita Ægidius Coninck disp. 18. dub. 7. n. 96. vbi hanc sententiam iam communem videri affirmat. Probatur, quia ille qui scienter, & liberè admittit aliquem errorem, quem videt repugnare fidei Catholicæ, & doctrinæ Ecclesiæ, est vere pertinax, eò quòd resistit auctoritati Ecclesiæ, contra quam errori adhæret scienter, & liberè. At hoc fieri potest sine actu positiuo voluntatis. Hoc enim ipso quòd voluntas aduertit, & non impedit; error fit liber, & voluntarius, & voluntas interpretatiuè, & tacitè vult illi adhærere contra auctoritatem Ecclesiæ: in quo est sufficiens pertinacia. 41. Potest esse hæresis sine actu positiuo volunt.

Respondeo secundò, licet communiter non sit Hæresis sine errore intellectus: simpliciter tamen consistere posse sine actu intellectus, in omissione libera, & totali, ex affectu pertinaci nunquam credendi, & resistendi semper auctoritati Ecclesiæ. In quo est quidem actus aliquis positiuus voluntatis, non tamen intellectus. Atque ita potest committi quidem Hæresis sine actu intellectus, & sine actu voluntatis diuisim; non tamen coniunctim, & sine alterutro. Prima pars patebit ex sequenti obiectione, & eius solutione. Secunda verò probatur, quia ex D. Thoma q. 10. art. 5. Ille est Hæreticus, qui renititur fidei iam susceptæ in propria specie, seu veritatis manifestatione. At ille, qui post sufficientem propositionem non credit pertinaciter modo superiùs explicato, renititur fidei iam susceptæ: Ergo est Hæreticus, posito quòd non renitatur in omnibus, & non deficiat totaliter à fide Christiana, iam suscepta, vt supponimus. Et quidem negari non potest quin ille peccet peccato aliquo infidelitatis repugnante fidei, & excludente ipsius actum, & habitum. Quòd autem peccet peccato hæresis, probatur, quia non deest pertinacia in affectu illo non credendi: neque electio vitiosa, cùm eligat non credere, & quibusdam credibilibus assentiri velit duntaxat, alijs non. Consentit Ægidius disput. 18. dub. 4. n. 26. vbi inter quatuor modos infidelitatis, quibus fides expellitur, quique in homine baptizato dicuntur Hæresis, vel Apostasia, hunc ponit, Quando aliquis secum deliberatè statuit nunquam credere articulos nostræ fidei, aut omnes, aut aliquos; quamvis ob euiden- 42. Et sine errore intellectus.

ideoque vel per se debent id præstare, vel alijs committere.

49. Lectio librorum Hæret. prohibita. Circa secundum: Tenetur quisque iure naturali abstinere à lectione Librorum, à quibus ipsi periculum imminet. Iure verò Ecclesiastico prohibitum est omnibus sub pœna Excommunicationis, legere libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel eos apud se retinere, imprimere, aut defendere. Quæ prohibitio non habebatur satis expressè in iure veteri, sed lata est in Bulla cœnæ, clausulâ 1. Vbi excommunicantur qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum. Circa quam prohibitionem legendi libros Hæreticorum. Nota primò, illam attingere omnes Christianos Summo Pontifice inferiores, cuiuscumque sint dignitatis, & status: adeóque etiam Doctos, & firmos in fide; ita vt nemo eos legere possit sine venia Sedis Apostolicæ, quam solus Papa potest concedere, vel alij ab illo commissi. Probatur, quia verba ipsa Bullæ id sonant; & debent accipi vt sonant: alioqui non satis occurreret periculo, quod vitare intendit, cùm possent multi facilè præsumere se in ea non comprehendi, quippe satis Doctos, & firmos in fide, aut quid simile. Grauiùs tamen peccant indocti, & infirmi, si legant. Nota secundò, libros ibi prohibitos esse libros Hæreticorum, id est, scriptos ab Hæreticis, tractantes de hæresi, aut de Religione, quam impugnent. In indice tamen librorum prohibitorum, Regula 2. prohibentur vlteriùs libri Hæresiarcharum de quacumque materia scripti. Hæreticorum quoque nomine comprehendi debent Catholici simulati, & veri Hæretici, qui libros suos hæresibus inferciunt: at non illi, qui per ignorantiam, vnam, aut paucas libris suis inseruerint.

An etiam audire? Nota tertiò, eos qui tantùm audiunt lectionem libri Hæretici, non incurrere hanc Excommunicationem, licet ad legendum impulerint; quia verba legis pœnalis sunt strictè & præcisè sumenda: loquuntur autem de legentibus, & non de audientibus. Item, ab illa incurrenda excusare materiæ leuitatem: vt si quis paginam tantùm legat. Quod enim excusat à peccato mortali, excusat pariter ab Excommunicatione maiori, quæ non incurritur, nisi ob peccatum mortale. Aut si quis bona fide retineat apud se librum Hæreticum aliquandiu, donec oblata commoditate tradat Episcopo, vel Inquisitoribus. Excusat etiam ignorantia, quamvis crassa; vt rectè docet Ægid. disp. 18. dub. 11. num. 178. quia non incurritur Excommunicatio sine contumacia.

Censura iniuncta huic peccato quomodo incurritur? Sufficit tamen ad censuram incurrendam, quodlibet singillatim ex illis quatuor, legere, retinere, imprimere, defendere: adeo licet quis non legat, nec animo legendi retineat; subiaceat tamen Excommunicationi isti, quæ incurritur ipso facto, à iure, non ab homine, saltem, vbi Bulla cœnæ recepta est. Nota quartò,

Iustitia prohibitionis. Ecclesiam iure, & sapienter huiusmodi libros prohibuisse, exemplo Apostolorum, qui Act. 19. libros prauos, magni licet pretij, comburi iusserunt: & Concilij Nicæni I. quod libros Arij comburi præcepit, teste Nicephoro lib. 8. cap. 18. Habetur etiam prohibitio similis in VI. Synodo can. 63. Trullano, vbi impij quidam libri prohibentur, & cremari iubentur. Ratio verò prohibitionis est, detestatio infidelitatis, & defensio cauta fidelium, ne venenum latiùs serpat, & multi incautè decipiantur.

Perperam autem objiciunt Nouatores illud 1. Thessalonic. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Loquitur enim ibi Apostolus de Prophetijs, siue interpretationibus nondum damnatis, aut nondum examinatis quales essent: non autem de libris Hæreticorum iam damnatis ab Ecclesia. Neque ait examen illud esse cuiusque priuati; sed ipsius Ecclesiæ, ad quam scribit, & Pastorum, ac Præsidum. Quòd si qui Patrum, hæreticorum libros legerunt, vt Dionysius Alexandrinus, Hieronymus, Aug. & alij, vel specialiter instinctu diuino id fecerunt, vt Dionysius; vel quia prohibitio illis facta non erat (est enim recens tam vniuersalis prohibitio) & aliunde id exigebat necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. 50. Soluuntur arg. contr.

Circa tertium, de quo D. Thomas q. 10. art. 9. Communicatio quævis cum infidelibus perniciosa, vel periculosa nobis, aut alijs, iure ipso naturali illicita est. Item, iure naturæ, & diuino prohibitum est communicare cum illis in sacris, ita vt sacrificiorum ipsorum, vel aliorum rituum simus aliquo modo participes. Non debet etiam ipsis permitti nostris interesse, nisi spes sit fore vt inde conuertantur, aut alia vtilitas magni momenti sequatur. Imò ne tunc quidem, si nominatim sunt Excommunicati. Iure autem Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizata, vel contrà, nullum est. Baptizati verò cum baptizata Infideli, aut contra, validum quidem est, sed communiter illicitum, ob incommoda, quæ inde sequuntur. Potest tamen iustas ob causas fieri licitè: vt si spes certa sit infidelem conuersum iri. In rebus autem ciuilibus communicatio non est prohibita generaliter iure Ecclesiastico, nisi cum ijs solis, qui sunt Excommunicati in particulari, & nominatim denuntiati: idque extra casum necessitatis, aut magnæ vtilitatis. Sic enim vetus prohibitio, quæ latiùs patebat ad omnes Excommunicatos notos, restricta fuit in Extrauag. *Ad euitanda* Concilij Constantiensis. Vlteriùs in constitutione Gregorij XIII. editâ anno 1581. quæ incipit, *Alias piæ memoriæ*, prohibetur grauiter Christianis vti medico Iudæo, vel Pagano, siue Saraceno: à quo tamen excusat grauis necessitas, sicut ab alijs præceptis positiuis. Et cap. *Ad hæc*, *de Iudæis*, prohibetur Christianis obstetricibus, aut nutricibus, Iudæorum liberos in ipsorum domibus nutrire. Ibidem etiam prohibetur Christianis famulari Iudæis: famulatu scilicet propriè dicto, qui propriè est, cum aliquis in eorum domibus tanquam famulus habitat. Quia ius expressè hunc solùm famulatum prohibet, vt docent Andreas, & Ostiensis in cap. cit. Quare non prohibet operam eis suam locare ad agrum excolendum, ad domum ædificandam, aut pro illis in domo propria laborare: quia hæc non sunt propriè famulati. Prohibetur etiam Episcopis, cap. *Si quis Epis.* 51. Quæ cõmunicatio cum Hæret. illicita?

copus de Hæreticis, ne non consanguineos, aut consanguineos Hæreticos, vel Paganos, hæredes instituant. Et lege 1. Cod. de Iudæis, statuitur inualidum esse legatum factum vniuersitati Iudæorum. De prohibitione verò quâ vetantur Christiani subijcere se Iudæorum seruituti, aut permittere vt apud se fungantur publicis officijs, dicam sect. sequenti. Alia quædam à nonnullis censentur esse cum Iudæis prohibita iure Ecclesiastico; sed non satis probantur, vt bene ostendit Ægidius Coninck disp.18.dub.11.num.165.& sequent. Vltra hos verò casus, & alios iure ipso naturali, & diuino prohibitos ob periculum, vel scandalum, propter quod olim ipsimet Apostoli Hæreticos accuratè vitarûnt, teste Irenæo lib. 3. c.3. & vitari iusserunt, Tit.3. v.9.& 10. & vitandos esse docent Cyprianus. lib.1 Epist.3. aliàs 55. ad Cornelium, in fine: Athanasius in vita S Antonij: Euseb. lib. 4. histor. cap. 14. Aug. Epist. 162. initio: alijque Patres: præter, inquam, hos casus iure Ecclesiastico, vel naturali prohibitos, licita est communicatio cum infidelibus; imò interdum vtilis, & necessaria, vt ab erroribus reuocentur ab ijs, quorum communicatione iuuari possunt: cuiusmodi sunt docti, & firmi in fide: vt rectè docet S. Thomas q. 10. art. 9.

SECTIO VI.

Vtrùm Infideles possint habere dominium supra Fideles.

52. Doctrina D. Thomæ. HAc de re D. Thomas q. 10. art. 10. vbi docet primò, non esse permittendum, vt prælatio, vel dominium Infidelium supra Fideles de nouo instituatur: quia id cederet in scandalum, & periculum fidei, cùm subditi facilè immutentur ab ijs, quibus subsunt. Ideóque Ecclesia nullo modo permittit, vt infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo officio. Secundò, dominium præexistens infidelium super fideles, posse ab illis retineri; Quia dominium, vel prælatio introducta sunt ex iure humano. Distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideóque distinctio fidelium, & infidelium, secundùm se considerata, non tollit dominium, & prælationem infidelium super fideles. Tertiò, posse tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli; quia infideles, merito suæ infidelitatis, merentur amittere potestatem super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Quartò, Ecclesiam quandoque illud tollere quibusdam infidelibus, qui temporali subiectione subsunt Ecclesiæ, & membris eius: sicut Iudæis sibi subditis tollit dominium in seruos Christianos. Alijs verò infidelibus, non subiectis temporaliter Ecclesiæ, aut membris eius, non tollere, ad vitandum Scandalum, licet de iure tollere possit. Hæc D. Thomas. Quæ vt meliùs intelligantur.

53. Dominium duplex despoticum & politicum. Nota primò, dominium hominis in hominem esse duplex: Despoticum scilicet, quale Dominus habet in sua mancipia: & Politicum, quale Princeps habet in subditos. De vtroque hîc sermo est. Secundò, infideles esse in quadruplici differentia. Quidam enim Ecclesiæ, vel eius membris sunt subiecti spiritualiter, & temporaliter: vt sunt infideles baptizati, & subiecti temporaliter summo Pontifici, aut alijs Principibus Christianis. Alij sunt spiritualiter tantùm subiecti: vt Hæretici, vel Apostatæ, qui subsunt Regibus Ethnicis. Alij tertiò sunt temporaliter tantùm subiecti: vt Iudæi Romæ degentes. Et alij infideles non baptizati, subiecti Principibus Christianis. Alij quartò sunt, qui nec spiritualiter, nec temporaliter Ecclesiæ subiecti sunt: vt Turcæ, Tartari, Sinenses, Iaponij, & similes infideles, neque baptizati, neque Principibus Christianis subiecti.

Infideles sunt capaces dominij in Fideles. His præmissis, dico primò, quoscumque infideles iure naturæ esse capaces dominij in fideles; Patet, quia siue dominium oriatur ex voluntaria subiectione, siue ex victoria in bello iusto; & similibus causis; Infideles sunt capaces iure naturæ, vt fideles illis se voluntariè subijciant, vel vt subiectionem olim factam conseruent: possunt etiam in bello iusto eos sibi subijcere: possunt emere mancipia Christianorum; & similibus modis dominium in illos acquirere spectato præcisò solo iure naturæ.

54. Retinent hoc dominium politicum. Dico secundò, Infideles non subditos Christianis licitè retinere dominium politicum, quod habent in Fideles neque posse illo per se, & directè priuari. Prima pars est D. Thomæ art. cit. & communis Theologorum. Probatur ex Scriptura, quæ iubet tales pro veris Dominis agnosci: Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.* & Tit. 3. *Admone illos vt Principibus obediant.* Principes autem, & potestates erant tunc infideles. Et 1. Petr. 14. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ: siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus, tanquam ab eo missis, &c.* Probatur secundò exemplo Christi, & veterum Christianorum. Nam Christus Matth. 22. iubet reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris: quamuis Cæsar esset infidelis, & Iudæi fideles. Christiani verò, Imperatores & Principes Ethnicos agnouerunt pro veris Dominis, & debitum illis honorem tribuerunt, vt patet ex Iustino martyre in Apolog. pro Christianis. Tertulliano in lib. ad Scapulam; Arnobio contra Gent. Eusebio lib. 4. histor. c. 14. alias 15. Vbi refert Polycarpum ita locutum esse paulò ante martyrium. *Docemur Principibus, & potestatibus ijs, quæ à Deo sunt, honorem deferre; eum scilicet qui religioni non sit contrarius.* Ratio quoque à D. Thoma allata, optima est: quia scilicet ius diuinum, ex quo oritur distinctio fidelium, & infidelium, non destruit, neque perturbat ius naturæ, vel ius humanum, ex quo dominium ortum est.

55. Possunt ne illo priuari. Secunda pars cõclusionis, quòd tales infideles non possint hoc dominio per se, & directè priuari, est Suaris disp.18. sect.5. n.3. aliorúmque plurimorum, quos citat. Probatur, quia nemo potest priuari suis bonis sine titulo iusto. Hoc autem dominium est inter præcipua bona infidelium. Ergo non possunt eo priuari sine titulo iusto. At infidelitas sola non est titulus iustus.

est, siue quis peccet contra temperantiam prius exercitam, siue non: sic idem est specie peccatũ, si quis recedat à fide suscepta, vel à non suscepta.

23. Obijcies secundò ex D. Thoma q. 10. art. 5. in corp. Species infidelitatis non esse determinatas per habitudinem ad ea, ad quæ infidelis conuertitur: & in solutione primi argumenti, addit infidelitatem, quâ parte est recessus à diuina veritate, non habere speciem, sed esse priuationem speciei. Respondeo, primum illud D. Thomæ pronuntiatum intelligendum esse de erroribus, quibus infidelis adhæret, recedendo à fide; qui errores in infinitum multiplicari possunt; & à quibus vt talibus non sumuntur species infidelitatis: sed à repugnantia cum actu, vel obiecto fidei, quæ formaliter determinata est, sicut actus, & obiecta reuelata, quibus repugnat, sunt determinata. Nam veritates reuelatæ sunt determinatæ, præsertim illæ, quæ per se pertinent ad Fidem Christianam: & ratio credendi illas est determinata, nempe diuina reuelatio. Quare ex ea parte species infidelitatis sunt determinatæ, siue consistant in non assentiendo, siue in dissentiendo positiuè, aut in dubitando. Neque id negat D. Thomas, sed ait tantùm non esse determinatas ex parte errorum, ad quos possunt conuerti infideles recedendo à veritate fidei. Secundum verò illius dictum debet intelligi de specie perfecta, & positiua, & de recessu negatiuè sumpto, vel priuatiuè. Nam huiusmodi recessus, vt sic, non habet speciem, nisi latè sumendo speciem pro quauis ratione communi quo modo etiam priuatio habet speciem suam, vt & rationem propriam, aut significationem nominis, seu conceptum illi respondentem. At verò recessus positiuus per contrarietatem cum fide, habet vt talis veram speciem positiuam, consistentem in speciali tendentia actus oppositi fidei. Dissensus enim positiuus non minùs habet speciem positiuàm atque perfectam, quàm assensus contrarius.

Altera oppositio diluitur.

24. Quæres quænam ex his infidelitatibus grauior sit? Respondeo, Hæresim ex genere suo esse maiorem intensiuè quoad modum repugnandi fidei: quia scilicet maiori cum notitia ei repugnat. Extensiuè autem, maiorem esse Paganismum, quia plures fidei articulos negat. Iudaismus quoque maior est Hæresi extensiuè: quia ad plura extenditur, quam ab Hæreticis negari soleant. Dixi autem, *ex genere suo:* quia in specie, & in indiuiduo, multiplex alius excessus intensiuus, & extensiuus, contingere potest. Fieri enim potest vt aliquis maiori cum notitia adhæreat Iudaismo, vel Paganismo, quàm alius Hæresi. Potest etiam Hæreticus aliquis plures articulos negare, quàm Iudæus. Quare in particulari non potest certa mensura statui. Heretici verò specialiter eo nomine pessimi sunt, quòd fideles se esse simulantes, sunt proditores & hostes domestici fidei, eiusque armis, Scripturis scilicet, & alijs, ad ipsius perniciem vtuntur. Maiorem autem nobis facit niuriam, cæteris paribus, qui amicum se esse simulans, nos occultè impugnat, quàm qui se hostem apertum profitetur. Præterea, qui fidem antea susceptam negant per Hæresim, vel Apostasiam, peccant eo nomine grauiùs, & intensiùs: licet extensiuè minùs peccent, si non tam multos articulos negent.

Quæ grauior harum trium infidelitatum.

Quæres secundò, an huiusmodi species infidelitatis possint in eodem subiecto reperiri. Respondeo posse successiuè, sed non simul, integrè & perfectè. Prima pars liquet, quia potest aliquis è Pagano Iudæus fieri, tum Christianus, posteàque hæreticus. Secunda probatur, quia species illæ perfectè sumptæ continent aliquam repugnantiam, propter quam non possunt simul in eodem reperiri. Est enim repugnantia inter fidem susceptam, & non susceptam, vt sic: Ergo & inter Paganismum, qui repugnat fidei non susceptæ; & Iudaismum, ac hæresim, quæ repugnant fidei susceptæ. Est quoque repugnantia inter fidem susceptam in figura tantùm, & susceptam in propria specie: Ergo & inter Iudaismum repugnantem fidei susceptæ tantùm in figura, & Hæresim repugnantem fidei susceptæ in propria specie. Dixi autem, *perfectè, & integrè:* quia imperfectè misceri possunt. Nam potest aliquis secundùm quid esse Iudæus, & secundùm quid hæreticus; admittendo aliquid ex lege noua, non omnia; & simul adhærendo legibus, & ceremonijs Mosaïcis, vel omnibus, vel quibusdam. 25.

Possintne simul in eodem reperiri.

SECTIO III.

De Hæresi, Apostasia, & Blasphemia.

Quæ D. Thom. q. 10. art. 7. & sequentibus disputat, an liceat cum infidelibus disputare, vel eos ad fidem cogere, aut eorum ritus, & errores tolerare, partim in textu perspicua sunt, partim commodiùs explicabuntur inferiùs, sect. 5. & seq. Priùs verò exponendi sunt tres illi modi infidelitatis, de quibus idem disputat. q. 11. & tribus consequentibus. Vt ergo à postremo incipiamus, Blasphemia, ex vi vocis, idem est, ac læsio famæ: à βλάπτω, id est, lædo, & φήμη, id est, fama: significàtque maledictum, seu conuitium, & probrum; quo videlicet alicui turpe aliquod malum, vel indecens, per vituperationẽ tribuitur; aut simili affectu detrahitur aliquid, quo carere turpe sit, atque ita fama ipsius læditur: aut etiam alio modo, aliquid ei per contemptum, aut vituperium exprobratur. Potestque ex vi suæ significationis, non solùm circa Deum, sed etiam circa creaturas versari. Per appropriationem tamen significat maledictum, quod in Deũ conijcitur, quodque est blasphemia per excellentiam, & sic definiri potest: *Est verbum maledicti, seu conuitij, aut contumeliæ in Deum.* Huiusmodi autem maledictum non magis oritur ab infidelitate, quàm ab odio, & mala in Deum voluntate. Imò etiam cum fide potest esse blasphemia. Quia tamen vel formaliter, vel virtualiter, continet semper aliquid falsum de Deo, idcirco D. Thomas q. 13. art. 1. in corp. & ad 3. posuit blasphemiam inter alios modos negandi fidem verbis, aitque opponi confessioni fidei: vt Caietanus ibidem notat. 26.

Blasphemia quid sit.

Aduertendum tamen est primò, blasphemiam magis opponi religioni, quàm fidei. Nam fides respicit veritatem diuinam. Religio verò cultum, & honorem Dei, cui directè, & for- 27.

Religioni magis, quàm

fidei opponitur. maliter opponitur blasphemia, quæ est Dei vituperatio, potéstque consistere, licet blasphemus fidem in animo retineat, ac ne quidem speculatiuè quicquam fidei oppositum enunciet. Vt si quis verè credens Christum Dominum passum, & mortuum esse, mortem eius derideat; vel illi exprobret; aut eius membra per contumeliam nominet. In quo tamen continetur virtualiter error practicus contra fidem, quatenus eius mors, & passio, vel membra, ipsi turpiter esse indecora, & exprobranda, practicè iudicantur. Verumtamen blasphemia non est semper, & necessariò coniuncta cum errore intellectus, neque in illo consistit formaliter; sed in verbis contumeliosis, quæ ex indignatione in Deum, vel contemptu, proferri possunt; quamuis proferens non ita credat, neque vllum errorem fidei oppositum habeat: sicut homines frequenter iactant in alios verba contumeliosa, iræ explendæ gratiâ; licet talem de illis opinionem non habeant. Vnde oritur diuisio blasphemiæ in hæreticalem, & in simplicem, seu non hæreticalem: quarum prior iuncta est cum errore contra fidem; secus autem posterior, quæ non procedit ex falsa de Deo existimatione; sed ex affectu iræ, contemptus, odij contra Deum, vel alia passione inordinata, & diabolica: ac ne quidem exteriùs continet vllum errorem contra fidem. Quod addo, quia in iure canonico (in quo non iudicatur de errore purè interno, sed de eo quod exteriùs apparet) blasphemia hæreticalis vocatur omnis illa, quæ virtualiter, aut formaliter continet exteriùs, & significat falsitatem contra fidem. Cuiusmodi est omnis illa, quæ de Deo affirmat, aut negat aliquid contrarium fidei: vel etiam de illo dubitat: aut tribuit creaturæ id, quod secundùm fidem soli Deo conuenit. Idque vel enuntiatione formali, vel virtuali tantùm, vt si Deum vocet iniustum, improuidum, crudelem, &c. quibus nominibus implicitè affirmatur id, quod significant. Huiusmodi etiam est vulgaris illa, & pessima blasphemia, *Abnego*, vel vt dici solet, *Renego Deum*. Quia hic loquendi modus, & similes, speciem quandam infidelitatis præ se ferunt. Simplex autem blasphemia, seu non hæreticalis, secundùm Ius canonicum, dicitur omnis illa, quæ neque formaliter, neque virtualiter continet exteriùs falsitatem, quasi speculatiuam contra fidei veritatem (speculatiuam, inquàm; nam practica continetur quodammodo in omni blasphemia, sicut in odio Dei, & alijs affectibus inordinatis contra Deum) vt sunt illæ, quibus Deo tribuitur aliquid, quod verè ipsi competit, aut negatur quod non competit, sed irrisoriè, & contumeliosè: & illæ, quibus Deo optatur aliquod malum per imprecationem, maledictionem, aut aliud genus contumeliæ: vt cum dicitur, Inuito Deo, In despectum Dei, &c.

28. Multipliciter committitur. Aduerte secundò, blasphemiam non solùm verbis exteriùs ore prolatis, sed etiam scriptis, imò & mente, seu cogitatione, & verbo mentis solo committi posse. Sicut enim Deus potest aut mente solùm, aut etiam voce laudari: ita potest vtroque modo blasphemari. Vnde oritur alia diuisio blasphemiæ in internam, & externam: siue in eam, quæ fit verbo tantùm mentali: dicitúrque blasphemia cordis; & in eam, quæ fit verbo sensibili. Illa verò non consistit formaliter in affectu voluntatis, sed in locutione mentali, quæ est actus intellectus, seu verbum mentis: sicut blasphemia externa consistit formaliter in verbo sensibili contumelioso. Quocirca in vtraque affectus internus blasphemandi distinguitur ab ipsa blasphemia formaliter sumpta. Sicut affectus fornicandi, aut occidendi, distinguitur à fornicatione, vel ab homicidio, quod formaliter consistit in ipsa executione operis. Non est tamen blasphemia peccatum formale, id est, culpabile, sine illo affectu libero voluntatis: imò ab illo sumit totam suam malitiam formalem, & imputabilem, vt patet ex dictis in tract. de actibus humanis. Item licet Deus possit exteriùs tractari contumeliosè, non solùm verbis propriè dictis, ore, aut scripto formatis, verùm etiam factis, & gestibus Deum inhonorantibus: vt si quis in cœlum expuat contra Deum, vel Eucharistiam tractet vt cibum communem, aut brutis animantibus edendam præbeat, vt fecerunt hæretici: non est tamen propriè in huiusmodi factis blasphemia, nisi quando verbis, & signis expressè significantibus æquiualent, & quatenus illis æquiualent; ita vt differentia huiusmodi signorum, aut gestuum sit purè materialis. Nam blasphemia propriè opponitur laudi. Laus verò diuina propriè & formaliter consistit in verbis, non in alijs modis, quibus Deus potest exteriùs coli, & adorari: vt docet S. Thomas q. 103. art. 1. ad 3. vbi ait laudem, & honorem in eo distingui, quod laus propriè consistit in verbis; honor, in quibuslibet signis externis. Neque omnes actus externi, quibus Deus inhonoratur, sunt Blasphemia propriè loquendo, vt patet de idololatria, superstitione, periurio, & similibus vitijs, religioni oppositis.

Aduerte tertiò, Blasphemiam esse quadruplicem, generatim loquendo. Prima est, quâ Deo tribuitur aliquid turpe, & indecens, eiusque honori repugnans: vt quòd Deus sit auctor peccati: quòd Christus in cruce desperauerit: quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eiecerit dæmonia; de quo genere Blasphemiæ in Spiritum sanctum plura videri possunt apud D. Thomam tota quæst. 14. Altera est quâ Deo negatur aliquid, quod verè illi conuenit, nec sine illius contumelia negari potest: vt Deum esse omnipotentem, veracem, & summè bonum: Christum esse Dei filium & verum Deum: aut etiam si in dubium reuocetur aliquid, pertinens ad Dei perfectionem, vt ad Omnipotentiam, Sapientiam, & Prouidentiam: iuxta illud Psalmi 77. v. 19. *Et malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Eodemque pertinet dubitare num Deo positiuè conueniat aliquid contumeliosum. Tertia est, quâ exprobratur aliquid Deo, quod verè ipsi inest: aut exprobratur quod non habeat aliquid, quod re ipsa non habet: vt si quis Deo exprobret decretum, quod habuit circa hominum salutem procurandam per Christi passionem: vel exprobret quòd non omnes homines saluare velit efficaciter, sed plu- 29. Est quadruplex generatim.

timos damnari patiatur: vel Christo exprobret humanitatem assumptam, & infirmitates humanas, vel quòd morti, & passioni se non subtraxerit: vel ignominiosè nominet aliquid Deo conueniens, præsertim secundùm eius humanitatem, & secundùm partes eius ignobiliores. Hæc enim omnia cedunt in Dei contumeliam. Quarta denique fit per verba optandi vel imprecandi Deo malum aliquod, aut carentiam alicuius boni: vt cùm dicitur, *Inuito Deo, Ad despectum Dei, Displiceat Deo, &c.* quod qui enuntiant, significant se desiderare facere aliquid contra Dei voluntatem efficacem ipsique preualere: aut esse aliquid quod Deum angat, & malè habeat.

30. Extenditur ad res diuinas. Aduerte quartò, Blasphemiam extendi etiam ad res diuinas, & ad Sanctos, quatenus verba contumeliosa, in eos prolata, redundant in Deum, qui in eiusmodi rebus laudatur, aut vituperatur: vt si quis Scripturam diuinam arguat falsitatis, vel irrideat ob styli simplicitatem: vel affirmet Dei Matrem Sanctissimam non fuisse semper virginem. Vnde sumitur alia diuisio Blasphemiæ in eam, quæ directè, & immediatè est contra Deum: & illam, quæ immediatè est contra sanctos, vel alias res specialiter Deo deuinctas. Quæ tripliciter committi potest, vt bene docet Suares tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. c. 5. n. 6. Primò scilicet, cogitando simul expressè de Deo, & intendendo eius honori detrahere per contumeliam illatam Sanctis, aut alijs rebus Deo deuinctis: & tunc est formalissima Dei Blasphemia. Secundò, cogitando de Sanctis, vt de amicis Dei peculiaribus, vel de alijs rebus diuinis, vt diuinis, aut specialiter Deo deuinctis; & nihilominus eas tractando contumeliosè. Et tunc etiam est formalis Blasphemia: quia talis contumelia transit in Deum, ratione coniunctionis, quæ expresè consideratur inter Deum, & talem personam, aut rem aliam ad Deum specialiter pertinentem: licet hoc formaliter non intendatur. Nam ad malitiam formalem actus non est necesse intendere malum quâ tale, sed sufficit illud scienter, & liberè admittere, vel permittere contra debitum. Tertiò, non cogitando expressè de Sancto, aut alia re, cum respectu ad Deum: sed tantùm de excellentia sanctitatis; in qua talis respectus fundatur. Et hoc sufficit ad participandam aliquo modo, quamuis imperfectiori, malitiam Blasphemiæ in Deum: quia est contumelia cedens per se in opprobrium ipsius Dei: vt bene docet ibidem Suares, contra Vasquem lib. 1. de adorat. disp. 6. c. 4. & valent. tom. 3. disputat. 1. quæst. 13. punct. 2. §. *Sed dicet tunc aliquis.*

31. Blasphemia formalis quid requirat? Quintò denique, addunt aliqui, vt sit Blasphemia formaliter, & non materialiter tantùm, debere omnia suprà dicta cogitari, vel dici & significari exteriùs per vituperationem, ex odio, indignatione, derisione, vel contemptu aliquo, quasi Deus idcirco sit contemnendus. Alioqui Blasphemia tantùm materialis est. Quare qui ex ira in proximum, vel leuitate, aut perturbatione animi, iurat per Dei caput, ventrem, sanguinem, & similia, non per modum conuitij, irrisionis, aut exprobrationis, improperando Deo quòd carnem assumpserit, non peccat formali peccato Blasphemiæ. Verùm, vt meliùs docet Suares lib. cit. cap. 6. n. 11. quando verba ipsa de se Blasphema sunt non sunt illi excusandi à peccato Blasphemiæ: quia ad illam non est necessaria formalis indignatio in Deum, siue in actu signato: sed sufficit quod in actu exercito ex ira, vel ex indignatione in hominem, prorumpat aliquis voluntariè in verba contumeliæ contra Deum. Ad contrahendam enim malitiam formalem alicuius peccati, non est necessarium illam directè, formaliter & expressè intendere; sed sufficit indirectè, & interpretatiuè in eam consentire. Omnino tamen certum est non esse Blasphemiæ peccatum proferre tantùm materialiter, & recitatiuè verba Blasphemiæ, non autem seriò, & significatiuè, seu assertiuè. Est quoquè certum hoc peccatum esse mortale, & grauissimum, nisi inaduertentia, vel imperfectio deliberationis excuset: quo pacto excusantur qui aliqua verba de se Blasphema proferunt, non intelligendo ipsorum malitiam. Estque grauius hoc peccatum, quando cum hæresi, vel cum iuramento, aut periurio coniunctum est, vt sæpe contingit. Non est tamen absolutè grauissimum peccatorum. Nam odium Dei grauius est: imò etiam hæresis, & desperatio est grauior Blasphemiâ præcisè sumptâ. Grauiora enim sunt ex genere suo peccata illa, quæ præstantioribus virtutibus opponuntur. Virtutes autem Theologicæ sunt nobiliores religione, cui Blasphemia opponitur. Quare cum aliqua exaggeratione accipiendum est illud Hieronymi in caput 18. Isaiæ, *Nihil horribilius Blasphemiâ, quæ ponit in Excelsum os suum, &c. Omne quippe peccatum comparatum Blasphemiæ, leuius est.* Huc vsque de Blasphemia.

Apostasia verò, ex vi vocis, defectionem significat: à Græco ἀφίσημι, id est, absisto, abscedo, deficio: potestque esse multiplex pro- vt sunt multa, à quibus deficitur. Alia enim est ab obedientia, alia ab ordine religioso, alia à statu clericali, alia à fide: & hæc sola est peccatum infidelitatis, & propria huius loci: estque defectio à fide iam suscepta, saltem obiectiuè, quatenus desinit aliquis credere id, quod antea credidit, siue fide supernaturali, siue naturali tantùm. Licet autem vox de se indifferens sit ad significandam quamcumque defectionem, siue totalem, siue partialem: restringitur tamen ad totalem, vt distinguatur ab hæresi. Nam qui deficiunt penitus à fide, non vocantur Hæretici, sed Apostatæ, vt Julianus Imperator, ex Christiano factus Paganus, & Ethnicus: & qui tantùm ex parte deficiunt, non vocantur Apostatæ, sed Hæretici; vt Arriani, Nestoriani, Lutherani, Caluinistæ, & similes. Vnde collige Apostasiam differre tantùm ab hæresi secundùm magis & minus. Ideóque D. Thomas q. 10. art. 5. numerat solùm tres species infidelitatis: Paganismum, Iudaïsmum, & Hæresim, sub qua Apostasiam comprehendit, aiens Hæreticorum nomine comprehendi omnes, qui renituntur fidei Christianæ iam receptæ in propria specie, siue in ipsa veritatis manifestatione: & q. 12. art. 1. ad 3. dicit Apostasiam non constituere nouam spe- 32. Apostasia quid, & quotuplex sit?

ciem infidelitatis: sed tantùm addere nouam circumstantiam grauitatis. Hinc etiam in iure Canonico non sunt diuersi Tituli de Hæreticis, & de Apostatis à fide, sed tantùm de Hæreticis, sub quibus Apostatæ comprehenduntur, & ad quos leges, & pœnæ illæ æquè pertinent. Et quamvis lib. 5. Decretal. titul. 9. agatur de Apostatis ab ordine, & à religione: non tamen de Apostatis à fide: quia scilicet intelliguntur comprehensi sub titulo de Hæreticis: de quibus alioqui statuendum aliquid fuisset, cùm non minùs subsint Ecclesiæ, quàm Hæretici, si baptizati sunt. Cætera de Apostasia intelligentur ex dicendis de Hæresi, quæ illi erunt applicanda cum proportione; cùm vt iam diximus, tantùm differant penes magis & minus, eò quòd Hæresis sit partialis tantùm defectio; Apostasia verò, totalis.

33. Quid sit hæresis? Hæresis ergo, ex vi vocis, electionem sonat: à Græco αἱρέω, id est, eligo: significátque electionem intellectus, & voluntatis, quâ quis adhæret quibusdam credibilibus, reiectis alijs. Et si fiat sine aduertentia, & libertate, est Hæresis tantùm materialiter. Sin autem cum sufficienti aduertentia, & libertate, est Hæresis formaliter, & peccatum culpabile consistens partim & formaliter in intellectu; partim & denominatiuè quoad esse moralis, seu liberi, & culpabilis, in voluntate: sicut fidei virtus consistit aliquo modo in vtroque. Porro licet omne tale peccatum, siue internum tantùm, siue etiam externum, id est, exteriùs proditum, & siue cum pertinacia, siue sine illa, sit coram Deo Hæresis aliqua: tamen ad Hæresim perfectam (vt & ad Apostasiam) quæ attenditur in foro externo, subestque legibus, & pœnis Ecclesiasticis, multa alia requiruntur: ideóque Hæresis perfecta non tam latè patet.

34. Quænam ad illam requiruntur? Primò requiritur, vt defectio illa sit non modò voluntaria, & contra debitum, adeóque post sufficientem propositionem obiecti credibilis; sed etiam sit pertinax. Qui enim errant sine pertinacia, non censentur Hæretici: vt patet ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Damnamus, de Summa Trinit.* vbi referens errorem quendam Abbatis Ioachim, illum ab Hæresi excusat, eo quòd sine pertinacia errauerit. Et D. August. initio Epist. 162. *Qui sententiam*, inquit, *suam, quamvis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt, &c. Parati corrigi cùm inuenerint*, (veritatem scilicet) *nequaquam sunt inter Hæreticos computandi.* Secundò requiritur, vt sit defectio hominis Christiani, & baptizati. Quod intellige de baptismo vero, & valido. Nam Ecclesia non exercet iudicium in illos, qui per baptismum in eam non sunt ingressi; vt ait Trid. Sess. 14. cap. 2. eoque sensu explicat illud Apostoli 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Idémque habetur in cap. *Gaudemus, de diuortijs.* Quare qui per verum baptismum non sunt ingressi in Ecclesiam, eique subiecti, non sunt Hæretici in foro externo, qui subiaceant legibus, & pœnis Ecclesiæ. Tertiò requiritur, vt non deficiant tantùm ab aliqua reuelatione priuata, sed à fide publica, communi, & Catholica. Quia Ecclesia non punit, nisi recedentes à sua fide, id est, à doctrina per ipsam proposita, & probata, quam, propter vniuersalitatem, Catholicam vocamus. Neque Ecclesia iudicat de internis & priuatis reuelationibus, nisi interdum examinando an sint veræ, vel falsæ, & discrepantes à veritate Catholica, à qua si non discrepent, liberum relinquit fidelibus, vt prudenter examinent quales sint. Quartò requiritur, vt prodatur actu externo, qui cum vera defectione interna sit coniunctus. Nam Ecclesia non iudicat de actibus internis; neque etiam punit solum actum externum, sine interna Hæresi, pœnâ excommunicationis, & alijs in iure statutis: quia iura loquuntur de Hæresi vera, & non tantùm simulata, quæ verè Hæresis non est: neque illi Hæreticorum nomine intelligendi sunt, vt docent communiter Theologi, & Canonistæ. Quod autem ait D. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 2. & 2. 2. q. 11. art. 2. ad 2. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur Hæresis*, intelligendum est vel præsumptiuè, quia in foro externo præsumitur esse Hæreticus, ille qui profert eiusmodi verba: vel occasionaliter, quia qui loquitur inordinatè de rebus fidei, occasionem alijs præbet concipiendi Hæresim, & in illam incidendi: vel etiam quia ille, qui loquitur inordinatè, versatur in periculo incidendi in Hæresim: qui enim spernit modica, paulatim decidet, *Ecclesiast.* 19. v. 1. Ex his collige perfectam Hæresim definiri sic posse: Est voluntaria, & pertinax, & exteriùs manifestata defectio ab aliqua parte fidei Catholicæ, in homine Christiano & baptizato. Quæ definitio, vt meliùs intelligatur, multa circa illam quærenda, & explicanda sunt. Definitio hæreseos.

SECTIO IV.

Soluuntur variæ quæstiones de Hæresi.

Quæritur primò, quæ pertinacia requiratur ad Hæresim perfectam? Respondeo requiri primò virtuale, aut formale propositum fixum, & firmum dissentiendi, aut nunquam assentiendi, contra debitum scienter & liberè, post sufficientem propositionem. Nam pertinacia est tenacitas quædam, & firmitas in malo: sicut constantia est tenacitas & firmitas in bono. Potéstque esse sine mora temporis, statim atque concipitur firmum & absolutum propositum; licet aliunde contingat vt illud citò mutetur: etenim pertinacia quæ non cedit vni, cedit alteri: vt aliquis est pertinax contra argumenta, qui non est contra verbera, vel contra periculum mortis. Qui autem ad pertinaciam requirunt temporis durationem, & persistentiam, vt Syluester *Verbo Hæresis* 1. *dub.* 2. loquuntur Canonisticè, in ordine ad iudicium ferendum in foro externo, in quo solet expectari fluxus aliquis temporis, ad iudicandum an aliquis sit pertinax. Secundò, requiritur vt pertinacia illa sit contra debitum perfectum credendi: quod debitum sufficientem propositionem requirit. Ideóque non suf- 35. Quâm pertinaciam requirit?

ficit quòd aliqui Theologi, vel Episcopi, sentiant oppositum esse credendum; sed aliquid ampliùs necessarium est, quod sufficientem credibilitatem diuinam constituat. Tertiò, licet ad Hæresim latè sumptam, & coram Deo, sufficiat minor pertinacia; ad eam tamen quæ subest pœnis Ecclesiæ, & cuius in iure Canonico habetur ratio, requiritur voluntas expressa, vel interpretatiua resistendi Catholicæ doctrinæ, siue Ecclesiæ illam docenti; quæ resistentia fit per voluntatem non submittendi suum iudicium auctoritati Ecclesiæ. Ita cum D.Thoma sentiunt omnes Scholastici, teste Suare disp. 19. Sect. 3. n. 10. Idémque docent SS. Patres ab eodem citati: & speciatim D. August. lib. 4. de baptismo contra Donat. c. 16. vbi affirmat errantem in fide non esse Hæreticum, donec instruatur quid Ecclesia teneat, malitque illi resistere, quàm suam mutare sententiam. Fauet etiam communis vsus. Nam ille non censetur Hæreticus, qui paratus est submittere se iudicio Ecclesiæ.

36. Dupliciter resistitur auctoritati Ecclesiæ. Dupliciter autem potest quis resistere auctoritati Ecclesiæ. Primò expressè, quando aduertit Ecclesiam docere contrarium. Secundò virtualiter, quando licet id non aduertat, habet tamen eiusmodi affectum, vt etiamsi Ecclesia contrarium doceat, non sit paratus mutare sententiam. Et hoc secundùm sufficit: Licet D. Augustinus verbis suprà relatis plus requirere videatur. Non excusat verò ab Hæresi, quòd errans non credat Ecclesiam, quæ docet oppositum, esse veram Ecclesiam: sed sufficit, quòd teneatur credere Ecclesiam, quæ sic definit, esse veram. Alioqui vix vlli essent Hæretici: imò qui credunt, veram Ecclesiam docere oppositum, & veram Ecclesiam non errare in fide; non possunt dissentire, aut tenere contrarium eius quod sciunt doceri à tali Ecclesia. Non excusat etiam quòd errans sit paratus credere, si conuincatur ad credendum rationibus naturalibus, aut postquam illi, quantùm volet, constiterit Deum id reuelasse: sufficit enim quòd post sufficientem propositionem, non credat pertinaciter, modo suprà exposito. Omnino tamen propositio sufficiens necessaria est, sine qua non est debitum credendi, & consequenter nec peccatum Infidelitatis, nec Hæresis, quæ est Infidelitas culpabilis. Quare Hæreticorum filij, vel rustici quidam, & ignari, si illis nondum facta est propositio sufficiens euidentis credibilatis, non sunt verè Hæretici, neque vt tales habendi; adeóque neque excommunicati, & alijs pœnis Ecclesiasticis obnoxij: neque opus est superiori potestate ad eos absoluendos in foro interno: cum reseruatio casuum, & censuræ Ecclesiasticæ de illis non loquantur, sed de verè & culpabiliter Hæreticis. Item non excusat paratum esse ad credendum Ecclesiæ, si magis constiterit de ipsius definitione. Postquam enim definitio Ecclesiæ est sufficienter proposita, Hæreticus est qui illam respuit. Et hoc notent qui circa Conciliorum definitiones perperam cauillantur, aut circa Bullas & censuras Pontificias in materia fidei.

37. Quæritur secundò, vtrum ignorantia affectata, vel ex crassa negligentia prouenieus, excuset ab Hæresi? Respondeo, præter ignorantiam inculpabilem, quæ sine dubio excusat ab Hæresi, sicut ab omni alio peccato, cùm nullum sit peccatum, nisi voluntariè & liberè fiat, adeóque cum cognitione eius, quod malè admittitur: ignorantiam culpabilem, & affectatam, vel crassam, dupliciter se habere posse, ad actum Infidelitatis, qui ob talem ignorantiam contingit. Primò antecedenter, ita vt sit illius causa, quatenus is qui contra fidem agit, non ageret, nisi ignoraret; nam si sciret esse de fide, crederet. Secundò concomitanter: quatenus non magis crederet, aut non minùs discrederet, etiamsi sciret rem esse de fide, quamvis de eo non cogitet, sed tantùm habitualiter ita sit affectus. Vterque modus excusat ab Hæresi, defectu pertinaciæ actualis post sufficientem propositionem. Nam in primo nulla est pertinacia, cùm sit paratus credere, si res sufficienter proponatur. In secundo est quidem pertinacia habitualis, quia non crederet quamvis proponeretur. Quia tamen non proponitur re ipsa, vt supponimus, neque liberè resistit sufficienti propositioni; non est pertinax re ipsa in actu secundo contra sufficientem propositionem, sicut ad Hæresim necessarium est. Nec obest quòd resisteret etiamsi proponeretur: quia quod re ipsa esset, non est, neque imputatur. Et hoc intelligendum est siue ignorantia affectetur, aut eius expulsio negligatur, ex affectu Infidelitatis, siue ex alio affectu malo. In quo quidem peccatur grauiter contra studium, & obligationem sciendi ea, quæ sunt fidei: & contra fidem aliquatenus, cùm quis præuidet fore vt ea occasione incidat in actum Infidelitatis. Attamen Hæresis non committitur, & peccatum Infidelitatis non consummatur in intellectu, nisi quando re ipsa resistitur pertinaciter propositioni sufficienter factæ. Ignorantia excusat ab hæresi.

38. Contraria sententia. Consentiunt quoad primam partem responsi Aragonius 2. 2. q. 11. art. 2. §. *Ad hæc argumenta*, Bannes ibidem §. *Sed quæret quis*, Azor tom. 1. Moral. lib. 1. c. 14. q. 9. Suar. suprà n. 15. & sequentib. Ægid. Coninck disp. 18. dub. 7. n. 94. & 97. Vasques 1. 2. disp. 126. n. 8. & Turrian. 2. 2. disp. 55. dub. 2. §. *Item ex doctrina*. Aliqui tamen illorum dissentiunt à nobis, quoad secundam partem responsi, id est, quoad posteriorem modum ignorantiæ: quia putant pertinaciam deesse quidem in prima, non autem in secunda. Verùm ex dictis patet deesse in vtroque modo pertinaciam Infidelitatis propriè dictæ, & consequenter Hæresis, quæ requirit sufficientem propositionem, sine qua non fit contra debitum credendi, vt tale, ac per se proximè, cum aduertentia, & libertate. Atque ita docent Ægidius suprà, n. 94. & Vasq. & Turrian. locis suprà citatis. Frustra verò objiciunt aliqui, in alijs peccatis ea, quæ committuntur ex ignorantia crassa, vel affectata, esse eiusdem speciei cum ijs, quæ committuntur scienter: quia priuant eâdem honestate: & qui ex tali ignorantia committit homicidium, vel adulterium, esse verè homicidam, vel adulterum. Respondeo enim id quidem verum

esse, quando ignorantia non tollit aliquid necessarium ad rationem talis peccati, vt in exemplis propositis. At ignorantia, de qua loquimur, tollit pertinaciam actualem, quæ necessaria est ad rationem Hæresis. Supponimus enim in vtroque casu responsi abesse pertinaciam actualem: quia in priori nulla penitùs est: in posteriori est tantùm habitualis cum ignorantia concomitante. Quòd si quis actu cogitaret de propositione Ecclesiæ, statueretque pertinaciter non credere, aut discredere contra debitum, quamvis ab Ecclesia proponeretur; esset Hæreticus. Quia haberet actualem pertinaciam contra aliquod dogma fidei, nempe, credendum esse quicquid Ecclesia tanquam de fide proponit.

39. Dubitans pertinaciter est hæreticus. Quæritur tertiò, an qui dubitat pertinaciter de rebus fidei post sufficientem propositionem, sit Hæreticus? Respondeo affirmatiuè, cum Caietan. 2. 2. q. 11. art. 2. circa responsionem ad 3. Valentia quæst. 11. punct. 1. §. *Sed verior & communior*, Suare Disp. 19. Sect. 4. n. 10. Ægidio Coninck disp. 18. dub. 7. n. 102. Syluestro, Azor, Toleto, à Castro, & alijs. Probatur efficaciter ex cap. 1. de Hæreticis, sic affirmante, *Dubius in fide, infidelis est:* & ex Concil. Vienn. in Clement. *de Summa Trinit.* §. *Porro*, vbi dicitur, doctrinam vertentem in dubium, an anima rationalis sit forma corporis humani, esse inimicam fidei Catholicæ: eique pertinaciter adhærentem, censendum esse Hæreticum. Idémque in Concilio Lateran. sub Leone X. statuitur de asserentibus, aut vocantibus in dubium, an anima rationalis sit immortalis, & diuersa in singulis hominibus. Probatur secundò, quia in casu proposito reuocare in dubium pertinaciter, est scienter, & liberè non credere per propositum fixum, contra credendi debitum. Hoc verò est peccatum Infidelitatis: & si non sit Apostasia totalis, est Hæresis: si nimirum de quibusdam, non de omnibus dubitetur.

40. Contrarium sentit Canus lib. 12. de locis c. 9. Primò, quia Hæresis est error Catholicæ veritati contrarius. Sed dubitatio non est error. Ergo non est Hæresis. Secundò, Hæresis est extremè contraria professioni Catholicæ veritatis. Sed dubitatio non est extremè contraria: Ergo, &c. Tertiò, Hæresis est electio, & firma adhæsio. Sed dubitatio non eligit, nec vlli adhæret. Quartò, si dubitatio est Hæresis, sequeretur Apostolos, qui dubitârunt de Christi resurrectione, fuisse Hæreticos; quod est impium dicere.

Soluuntur arg. contraria. Ad primum respondeo primò, non omnem Hæresim esse errorem, vt ostendemus paulò pòst. Secundò, dubitantem non vacare errore; quia qui dubitat de aliqua propositione, iudicat practicè illam esse dubiam. At qui iudicat aliquem fidei articulum sufficienter propositum, esse dubium, habet errorem fidei repugnantem, cùm fides doceat certissimum esse quemcunque articulum fidei sufficienter propositum. Ad secundum, nego maiorem sumptam vniuersaliter. Ad tertium respondeo, electionem esse voluntatis. Qui autem dubitat voluntariè, eligit dubitare potiùs, quàm certò assentire; & dubitare de his potiùs, quàm de alijs; in quo Hæreticus est. Ad quartum dico, Apostolos non fuisse pertinaces. Quòd si quis illorum fuit aliquandiu pertinax; non magis impium est dicere fuisse pro eo tempore Hæreticum, & in tali gradu; quàm peccasse grauiter, & pertinaciter per Infidelitatem contra sufficientem propositionem: vt de Thoma Apostolo fatendum est: hoc ipsum illi exprobrante Christo, Ioan. 20. versu 27. *Noli esse incredulus*, Græcè ἄπιστος, *sed fidelis*.

Quæritur quartò, vtrum ad Hæresim necessarius sit error in intellectu, vel actus positiuus in voluntate? Respondeo primò, non requiri generaliter ad Hæresim, vt voluntas physicè, & positiuè actum aliquem exerceat; sed sufficere, vt Infidelitas intellectus sit voluntaria interpretatiuè, quatenus voluntas eam aduertit, & non impedit, cùm liberè possit. Ita Ægidius Coninck disp. 18. dub. 7. n. 96. vbi hanc sententiam iam communem videri affirmat. Probatur, quia ille qui scienter, & liberè admittit aliquem errorem, quem videt repugnare fidei Catholicæ, & doctrinæ Ecclesiæ, est vere pertinax, eò quòd resistit auctoritati Ecclesiæ, contra quam errori adhæret scienter, & liberè. At hoc fieri potest sine actu positiuo voluntatis. Hoc enim ipso quòd voluntas aduertit, & non impedit; error fit liber, & voluntarius, & voluntas interpretatiuè, & tacitè vult illi adhærere contra auctoritatem Ecclesiæ: in quo est sufficiens pertinacia. 41. Potest esse hæresis sine actu positiuo volunt.

Respondeo secundò, licet communiter non sit Hæresis sine errore intellectus: simpliciter tamen consistere posse sine actu intellectus, in omissione libera, & totali, ex affectu pertinaci nunquam credendi, & resistendi semper auctoritati Ecclesiæ. In quo est quidem actus aliquis positiuus voluntatis, non tamen intellectus. Atque ita potest committi quidem Hæresis sine actu intellectus, & sine actu voluntatis diuisim; non tamen coniunctim, & sine alterutro. Prima pars patebit ex sequenti obiectione, & eius solutione. Secunda verò probatur, quia ex D. Thoma q. 10. art. 5. Ille est Hæreticus, qui renititur fidei iam susceptæ in propria specie, seu veritatis manifestatione. At ille, qui post sufficientem propositionem non credit pertinaciter modo superiùs explicato, renititur fidei iam susceptæ: Ergo est Hæreticus, posito quòd non renitatur in omnibus, & non deficiat totaliter à fide Christiana, iam suscepta, vt supponimus. Et quidem negari non potest quin ille peccet peccato aliquo infidelitatis repugnante fidei, & excludente ipsius actum, & habitum. Quòd autem peccet peccato hæresis, probatur, quia non deest pertinacia in affectu illo non credendi: neque electio vitiosa, cùm eligat non credere, & quibusdam credibilibus assentiri velit dumtaxat, alijs non. Consentit Ægidius disput. 18. dub. 4. n. 16. vbi inter quatuor modos infidelitatis, quibus fides expellitur, quique in homine baptizato dicuntur Hæresis, vel Apostasia, hunc ponit, Quando aliquis secum deliberatè statuit nunquam credere articulos nostræ fidei, aut omnes, aut aliquos; quamvis ob euiden- 42. Et sine errore intellectus.

tiam rationum, siue argumentorum, quibus fidei veritas ei probatur, illis articulis positiuè non dissentiat, iudicando eos non esse veros.

43. Contraria sententia. Contrarium verò docet Suares Disp. 19. Sect. 4. n. 2. post multos Scholasticos in 4. dist. 13. & Canonistas in cap. *Firmiter, de Summa Trinit.* Quorum auctoritas facit esse probabile, quòd non sint perfectè hæretici, adeóque non sint subiecti pœnis Ecclesiasticis contra hæresim statutis, quicumque non errant positiuè. Argumenta Suaris in fauorem huius sententiæ sunt, primò quia D. Thomas q. 11. art. 1. & 2. docet Hæreticum esse eum, qui cum profiteatur se credere in Christum, eius dogmata corrumpit: quod non fit sine iudicio erroneo. Ergo sentit hoc esse necessarium ad hæresim. Secundò, D. Augustinus initio libri de vtilitate credendi, ait Hæreticum esse, qui temporalis commodi gratiâ, nouas, & falsas opiniones gignit, vel sequitur; quod refertur in cap. *Hæreticus*, 24. *q.* 3. Et lib. 4. de Baptismo, cap. 16. ad hæresim postulat, vt contradicatur doctrinæ Ecclesiæ cognitæ: quod sine iudicio erroneo non fit. Et cap. *Hæc est fides, q. cit.* Hæreticus dicitur qui corrumpit dogmata fidei: quod etiam docent Gregorius Magnus, Hieronymus, Cyprianus, Tertull. Origen. & Irenæus, dicentes hæresim loqui peruersa dogmata, continere peruersum dogma, esse fictionem contra veritatem, & deserto quod priùs erat, id sibi eligere, quod antea non erat. Tertiò, hæresis non consummatur in sola voluntate, sed sumitur ex actu intellectus, quem habet pro obiecto, & pro effectu: Ergo non est sine actu intellectus. Confirmatur, quia hæresis opponitur fidei contrariè, & non tantùm priuatiuè: & pro materia propria habet propositionem Hæreticam, quæ est obiectum illius iudicij, in quo hæresis consummatur. Ac sicut aliæ infidelitates Paganismi, vel Iudaïsmi, consistunt in erroribus intellectus: ita etiam hæresis: nam continetur sub eodem genere positiuo infidelitatis.

44. Satisfit eius argumentis. Ad primum respondeo dogmata fidei corrumpi etiam cùm detrahitur eorum integritati: vt fit ab eo qui pertinaciter, & ex affectu rejiciente fidem, non vult credere aliquid esse reuelatum, & esse dogma fidei, esséque verum, vt tale: licet positiuum dissensum non eliciat, vel assensum contrarium. Ad secundum respondeo, D. Augustinum priori loco non intendisse definire exactè Hæreticum, quando dixit Hæreticum esse qui temporalis commodi gratiâ, nouas opiniones gignit, vel sequitur: sed Hæreticum describere qualis communiter esse solet. Neque enim negabit Suares Hæreticum esse eum, qui, licet non temporalis commodi gratiâ, nouas opiniones gigneret, aut sequeretur contra fidem, quocumque alio modo, vel affectu id faceret, pertinaciter, & liberè. Posteriori autem loco D. Augustinus comprehendit eum, de quo loquimur. Ille enim contradicit doctrinæ Ecclesiæ, qui ex affectu rejiciente fidem, & resistente auctoritati Ecclesiæ, non vult credere, quod credendum est. Nam doctrina fidei est, Ecclesiæ auctoritatem sequendam esse. Cæteri Patres à Suare relati, loquuntur similiter de Hæretico, vel de hæresi, qualis solet esse communiter, & secundùm partem illius præcipuam. Et quidem illa omnia, quæ de hæresi dicuntur à Patribus, non possunt soli dubitationi conuenire propriè: quam tamen Suares fatetur esse hæresim, vt nos suprà retulimus. Quare ipsi quoque fatendum est non intendisse Patres hæresim exactè, & Metaphysicè definire. Ad tertium respondeo hæresim quidem non esse sine actu intellectus, sed vel positiuo, vel priuatiuo. Ad confirmationem, nego hæresim vniuersaliter opponi fidei contrariè ex parte intellectus. Interdum enim priuatiuè solùm ei opponitur: vt probauimus num. 42. Aliæ quoque infidelitates consistunt similiter partim in actu positiuo, partim in priuatiuo. Nam qui nullam penitùs reuelationem admittit, neque vnquam admisit, Paganus est hoc ipso, quamvis non haberet errores fidei contrarios. Et infidelitas Iudaïsmi non in eo solùm consistit, quòd Iudæus adhæreat suis erroribus; sed etiam in eo, quòd pertinaciter non vult credere impleta iam esse in lege noua, quæ in veteri promittebantur, aut prænuntiabantur.

Quæritur quintò, vtrùm ad rationem hæresis necessarium sit, vt qui Hæreticus est, intendat assentiri Christo, & testimonio diuino? Respondeo primò, impossibile esse vt Hæreticus intendat vniuersim, & absolutè assentiri Christo, & testimonio diuino sufficienter proposito. Si enim id intenderet, assentiretur cuicumque reuelationi diuinæ sufficienter propositæ: adeóque non esset Hæreticus: neque enim pertinaciter dissentiret, aut negaret assensum. Confirmatur ex D. Thoma, q. 5. art. 3. in corp. vbi docet Hæreticum tollere formale fidei, & non tenere per fidem ea, quæ sunt fidei; sed aliter: intellige, tollere aliquatenus, quia restringit pro libito; & non tenere ea, quæ sunt fidei per motiuum formale fidei vniuersaliter acceptatum, cum plena submissione, & reuerentia ad Dei testimonium sufficienter apparens; sed adiuncta propria electione. Confirmatur secundò, quia ille, qui suo arbitratu eligit ex sacra doctrina quod credat, non relinquit re vera fundamentum fidei integrùm, sed tollit aliquatenus; quia pro mensura credendorum non accipit diuinum testimonium, sed suum iudicium. Est autem possibilis hic modus infidelitatis; & est quædam hæresis, cùm non vsquequaque deseritur doctrina diuina, neque etiam simpliciter recipitur secundùm se, sed iuxta arbitratum, & electionem recipientis. Hinc collige falli eos, qui dicunt nullum Hæreticum habere voluntatem non credendi Deo. Nam potiùs nullus Hæreticus habet absolutè voluntatem credendi Deo. Vt enim sit Hæreticus, & Infidelis, debet culpabiliter non assentire, aut dissentire alicui sufficienter proposito, velut dicto à Deo. Qui autem talis est, non habet absolutè voluntatem credendi Deo. 45. Credantne absolutè in Christum hæretici?

Respondeo secundò, dari posse hæresim, quæ erret circa Christum ipsum, ita vt Hæreticus non intendat illi assentiri. Probatur, quia ad hæresim sufficit, vt quis recedat à fide recepta 46. Possunt multipliciter circa illum errore.

cepta

cepta in veritatis manifestatione, id est, à veritate Euangelica, non totaliter, sed ex parte, vt colligitur ex D. Thoma q. 10. art. 5. Potest autem quis à Christo recedere, & alia quædam in Euangelica lege contenta retinere, quæ habentur de rebus alijs in Apocalypsi, in Epistolis Pauli, in Actibus Apostolorum. Non potest tamen penitùs recedere à diuino testimonio: quia si nihil propter illud admittit, non est Hæreticus, sed Apostata, vel Paganus. Iam enim non ex parte credit, & ex parte non credit: sed omnino nihil credit. Quod autem ait D. Thomas q. 11. art. 1. Hæresim esse speciem infidelitatis pertinentem ad eum, qui Christi fidem profitetur, sed eius dogmata corrumpit: intelligendum est de hæresi, non qualis absolutè esse potest, sed qualis communiter est, & fuit huc vsque: nulla enim penitùs Christum negauit, licet in multis circa ipsum errauerint plerique Hæretici.

47. *Propositionum qualificationes.* Quæritur sextò, quomodo differat propositio Hæretica ab erronea, scandalosa, temeraria, & similibus qualificationibus, quæ in Bullis Pontificum, Concilijs, & libris Theologorum habentur? Respondeo propositionem Hæreticam esse illam, quæ apertè opposita est, siue contrariè, siue contradictoriè, alicui veritati, quam certò constat esse de fide. Erronea verò, siue error in fide, dicitur illa, quæ directè contradicit, non ipsi fidei, sed conclusioni Theologicæ, deductæ ex aliquo principio fidei, & alio saltem moraliter certo, vel etiam euidenti, iuxta sententiam multorum qui putant non esse de fide propositionem, licet euidenter deductam ex vna de fide, & altera naturaliter euidenti. Errori verò proxima illa est, quæ valde probabiliter tali modo deducitur. Temeraria in materia religionis est illa, quæ in rebus ad fidem aliquo modo, aut etiam ad bonos mores pertinentibus, sine sufficienti fundamento contra communem Doctorum sententiam asseritur. Scandalosa, quæ præbet occasionem peccati, aut deceptionis perniciosæ, circa rem non paruæ sequelæ, pertinentem ad religionem. Blasphema, quæ Deo contumeliosa est. Seditiosa, vel Schismatica, quæ vim habet commouendi seditionem, vel Schisma. Ambigua, & incerti sensus, vel malè sonans, vocantur illæ, quæ in aliquo sensu sunt vitiosæ, & malæ, vel aliquid mali præ se ferunt: intellige semper in materia religionis, de qua hîc tantùm sermo est: neque enim loquimur de propositionibus Philosophicis, aut purè moralibus. Piarum denique aurium offensiua dicitur illa, quæ verè piarum, & deuotarum mentium sensibus aduersatur. Vera autem pietas, & deuotio, ac religiositas, non est citra Regulam rectæ rationis, & Scientiæ. Cæterùm huiusmodi propositiones tales sunt per se, siue proferantur ex malo affectu ipsis proportionato, siue non: vt rectè contra Caietanum docet Suares Disp. 19. Sect. 2. apud quem plura de his videri possunt, & apud Ægid. Coninck disp. 18. dub. 8. Canum lib. 12. de Locis c. 11. & Bannem q. 11. art. 2.

SECTIO V.

An liceat cum Infidelibus disputare, libros eorum legere, vel cum ipsis communicare?

Circa primum, D. Thomas q. 10. art. 7. & cæteri communiter affirmant licitum esse cum Infidelibus disputare, etiam publicè, modò seruentur debitæ conditiones. Vt patet exemplo Apostolorum, & Discipulorum disputantium cum varijs Infidelibus, Act. 6. 7. & 9. & Christi cum Pharisæis, Ioan. 8. & Athanasij, Hilarij, Augustini, Hieronymi, Cyrilli Alexand. aliorumque Patrum, & Conciliorum Generalium, in quibus publicè cum Hæreticis, vel Paganis disputatum fuit. Conditiones verò debitæ sunt, intentio bona in disputante fidem propagandi, & errores destruendi: sufficiens doctrina, & loquendi gratia: necessitas, vel vtilitas audientium, sine periculo scandali infirmiorum. Vnde, vt sapienter monet D. Thomas, non est disputandum de fide coram simplicioribus, qui faciliùs capiunt argumenta, quàm solutiones; nisi priùs cœperint ipsi Hæreticorum argumentis moueri, & disputatio ad eos confirmandos necessaria, vel vtilis futura sit. Disputationes quoque, ex quibus nullus speratur fructus ob duritiem infidelium, vitandæ sunt, iuxta illud Apostoli, *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita*, Tit. 3. v. 9. quo etiam sensu intelligendi sunt Patres, qui eas improbant. Item, in cap. *Quicumque*, §. *Inhibemus, de Hæreticis in 6.* Sub pœna excommunicationis ferendæ prohibetur omnibus Laïcis, ne cum Hæreticis de fide disputent. Vbi per Laïcos intelligendi sunt omnes, qui non sunt Clerici, vel Religiosi studijs literarum vacantes: non autem soli Laïci indocti, vt Glossa ibidem malè, quamvis dubitanter, exponit. Nam si hi soli intelligerentur, non vitaretur incommodum, quod lex vitare intendit: facilè enim multi Laïci se satis Doctos esse præsumerent. Excipiendus tamen est casus necessitatis, aut euidentis vtilitatis, vt ait Valentia q. 10. punct. 4. aut quando non est disputatio formalis, seriò nempe facta ad conuincendos errantes in fide; sed materialis tantùm, exercitij causa, vt fit in Scholis: vt ait Caietanus ad art. 7. quæstionis 10. Et in Locis, vbi Catholici permixtim cum Hæreticis habitant, censetur illa lex contrario vsu sublata, ob frequentes occurrentias. Passim enim, Prælatis tacitè consentientibus, disputant priuatim Catholici Laïci cum Hæreticis: & non peccant, si ad id satis idonei sunt, aliásque debitas conditiones seruant. Addo non licere, etiam Clericis, disputationem publicam instituere cum Infidelibus, nisi de consensu, & licentia Superiorum, præcipuè Episcoporum: vt colligitur ex Concilio Chalcedon. Act. 3. & refertur in Codice de Summa Trinit. leg. 4. *Nemo Clericus*, & Codice de Hæreticis leg. 6. *Damnato*. Nimirum quia hoc est proprium munus Episcoporum, æquè ac verbum Dei prædicare:

48. *Doctrina D. Thomæ.*

Conditiones ad disput. requisitæ.

Prohibetur Laïcis.

Et Clericis sine consensu Prælati.

ideòque vel per se debent id præstare, vel alijs committere.

49. Lectio librorum Hæret. prohibita. Circa secundum: Tenetur quisque iure naturali abstinere à lectione Librorum, à quibus ipsi periculum imminet. Iure verò Ecclesiastico prohibitum est omnibus sub pœna Excommunicationis, legere libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel eos apud se retinere, imprimere, aut defendere. Quæ prohibitio non habebatur satis expressè in iure veteri, sed lata est in Bulla cœnæ, clausulâ 1. Vbi excommunicantur qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum. Circa quam prohibitionem legendi libros Hæreticorum. Nota primò, illam attingere omnes Christianos Summo Pontifice inferiores, cuiuscumque sint dignitatis, & status: adeòque etiam Doctos, & firmos in fide; ita vt nemo eos legere possit sine venia Sedis Apostolicæ, quam solus Papa potest concedere, vel alij ab illo commissi. Probatur, quia verba ipsa Bullæ id sonant; & debent accipi vt sonant: alioqui non satis occurreret periculo, quod vitare intendit, cùm possent multi facilè præsumere se in ea non comprehendi, quippe satis Doctos, & firmos in fide, aut quid simile. Grauiùs tamen peccant indocti, & infirmi, si legant. Nota secundò, libros ibi prohibitos esse libros Hæreticorum, id est, scriptos ab Hæreticis, tractantes de hæresi, aut de Religione, quam impugnent. In indice tamen librorum prohibitorum, Regula 2. prohibentur vlteriùs libri Hæresiarcharum de quacumque materia scripti. Hæreticorum quoque nomine comprehendi debent Catholici simulati, & veri Hæretici, qui libros suos hæresibus inferciunt: at non illi, qui per ignorantiam, vnam, aut paucas libris suis inseruerint.

An etiam audire? Nota tertiò, eos qui tantùm audiunt lectionem libri Hæretici, non incurrere hanc Excommunicationem, licet ad legendum impulerint; quia verba legis pœnalis sunt strictè & præcisè sumenda: loquuntur autem de legentibus, & non de audientibus. Item, ab illa incurrenda excusare materiæ leuitatem: vt si quis paginam tantùm legat. Quod enim excusat à peccato mortali, excusat pariter ab Excommunicatione maiori, quæ non incurritur, nisi ob peccatum mortale. Aut si quis bona fide retineat apud se librum Hæreticum aliquandiu, donec oblata commoditate tradat Episcopo, vel Inquisitoribus. Excusat etiam ignorantia, quamvis crassa; vt rectè docet Ægid. disp. 18. dub. 11. num. 178. quia non incurritur Excommunicatio sine contumacia.

Censura iniuncta huic peccato quomodo incurritur? Sufficit tamen ad censuram incurrendam, quodlibet singillatim ex illis quatuor, legere, retinere, imprimere, defendere: adeo licet quis non legat, nec animo legendi retineat; subiaceat tamen Excommunicationi isti, quæ incurritur ipso facto, à iure, non ab homine, saltem, vbi Bulla cœnæ recepta est.

Iustitia prohibitionis. Nota quartò, Ecclesiam iure, & sapienter huiusmodi libros prohibuisse, exemplo Apostolorum, qui Act. 19. libros prauos, magni licet pretij, comburi iusserunt: & Concilij Nicæni I. quod libros Arij comburi præcepit, teste Nicephoro lib. 8. cap. 18. Habetur etiam prohibitio similis in VI. Synodo can. 63. Trullano, vbi impij quidam libri prohibentur, & cremari iubentur. Ratio verò prohibitionis est, detestatio infidelitatis, & defensio cauta fidelium, ne venenum latiùs serpat, & multi incautè decipiantur.

50. Soluuntur arg. contr. Perperam autem objiciunt Nouatores illud 1. Thessalonic. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Loquitur enim ibi Apostolus de Prophetijs, siue interpretationibus nondum damnatis, aut nondum examinatis quales essent: non autem de libris Hæreticorum iam damnatis ab Ecclesia. Neque ait examen illud esse cuiusque priuati; sed ipsius Ecclesiæ, ad quam scribit, & Pastorum, ac Præsidum. Quòd si qui Patrum, hæreticorum libros legerunt, vt Dionysius Alexandrinus, Hieronymus, Aug. & alij, vel specialiter instinctu diuino id fecerunt, vt Dionysius; vel quia prohibitio illis facta non erat (est enim recens tam vniuersalis prohibitio) & aliunde id exigebat necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.

51. Quæ communicatio cum Hæret. illicita? Circa tertium, de quo D. Thomas q. 10. art. 9. Communicatio quævis cum infidelibus perniciosa, vel periculosa nobis, aut alijs, iure ipso naturali illicita est. Item, iure naturæ, & diuino prohibitum est communicare cum illis in sacris, ita vt sacrificiorum ipsorum, vel aliorum rituum simus aliquo modo participes. Non debet etiam ipsis permitti nostris interesse, nisi spes sit fore vt inde conuertantur, aut alia vtilitas magni momenti sequatur. Imò ne tunc quidem, si nominatim sunt Excommunicati. Iure autem Ecclesiastico matrimonium baptizati cum non baptizata, vel contrà, nullum est. Baptizati verò cum baptizata Infideli, aut contra, validum quidem est, sed communiter illicitum, ob incommoda, quæ inde sequuntur. Potest tamen iustas ob causas fieri licitè: vt si spes certa sit infidelem conuersum iri. In rebus autem ciuilibus communicatio non est prohibita generaliter iure Ecclesiastico, nisi cum ijs solis, qui sunt Excommunicati in particulari, & nominatim denuntiati: idque extra casum necessitatis, aut magnæ vtilitatis. Sic enim vetus prohibitio, quæ latiùs patebat ad omnes Excommunicatos notos, restrictâ fuit in Extrauag. *Ad euitanda* Concilij Constantiensis. Vlteriùs in constitutione Gregorij XIII. editâ anno 1581. quæ incipit, *Alias piæ memoriæ*, prohibetur grauiter Christianis vti medico Iudæo, vel Pagano, siue Saraceno: à quo tamen excusat grauis necessitas, sicut ab alijs præceptis positiuis. Et cap. *Ad hæc, de Iudæis*, prohibetur Christianis obstetricibus, aut nutricibus, Iudæorum liberos in ipsorum domibus nutrire. Ibidem etiam prohibetur Christianis famulari Iudæis: famulatu scilicet propriè dicto, qui propriè est, cum aliquis in eorum domibus tanquam famulus habitat. Quia ius expressè hunc solùm famulatum prohibet, vt docent Andreas, & Ostiensis in cap. cit. Quare non prohibet operam eis suam locare ad agrum excolendum, ad domum ædificandam, aut pro illis in domo propria laborare: quia hæc non sunt propriè famulari. Prohibetur etiam Episcopis, cap. *Si quis Epis*,

copus de Hæreticis, ne non consanguineos, aut consanguineos Hæreticos, vel Paganos, hæredes instituant. Et lege 1. Cod. de Iudæis, statuitur inualidum esse legatum factum vniuersitati Iudæorum. De prohibitione verò quâ vetantur Christiani subijcere se Iudæorum seruituti, aut permittere vt apud se fungantur publicis officijs, dicam sect. sequenti. Alia quædam à nonnullis censentur esse cum Iudæis prohibita iure Ecclesiastico; sed non satis probantur, vt bene ostendit Ægidius Coninck disp.18.dub.11.num.165.& sequent. Vltra hos verò casus, & alios iure ipso naturali, & diuino prohibitos ob periculum, vel scandalum, propter quod olim ipsimet Apostoli Hæreticos accuratè vitarûnt, teste Irenæo lib. 3. c.3. & vitari iusserunt, Tit.3. v.9.& 10. & vitandos esse docent Cyprianus. lib.1 Epist.3. aliàs 55. ad Cornelium, in fine: Athanasius in vita S Antonij: Euseb. lib. 4. histor. cap. 14. Aug. Epist. 162. initio: alijque Patres: præter, inquam, hos casus iure Ecclesiastico, vel naturali prohibitos, licita est communicatio cum infidelibus; imò interdum vtilis, & necessaria, vt ab erroribus reuocentur ab ijs, quorum communicatione iuuari possunt: cuiusmodi sunt docti, & firmi in fide: vt rectè docet S. Thomas q. 10. art. 9.

SECTIO VI.

Vtrùm Infideles possint habere dominium supra Fideles.

52. Doctrina D. Thomæ. HAc de re D. Thomas q. 10. art. 10. vbi docet primò, non esse permittendum, vt prælatio, vel dominium Infidelium supra Fideles de nouo instituatur: quia id cederet in scandalum, & periculum fidei, cùm subditi facilè immutentur ab ijs, quibus subsunt. Ideóque Ecclesia nullo modo permittit, vt infideles acquirant dominium super fideles, vel qualitercumque eis præficiantur in aliquo officio. Secundò, dominium præexistens infidelium super fideles, posse ab illis retineri; Quia dominium, vel prælatio introducta sunt ex iure humano. Distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ideóque distinctio fidelium, & infidelium, secundùm se considerata, non tollit dominium, & prælationem infidelium super fideles. Tertiò, posse tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli; quia infideles, merito suæ infidelitatis, merentur amittere potestatem super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Quartò, Ecclesiam quandoque illud tollere quibusdam infidelibus, qui temporali subiectione subsunt Ecclesiæ, & membris eius: sicut Iudæis sibi subditis tollit dominium in seruos Christianos. Alijs verò infidelibus, non subiectis temporaliter Ecclesiæ, aut membris eius, non tollere, ad vitandum Scandalum, licet de iure tollere possit. Hæc D. Thomas. Quæ vt meliùs intelligantur.

53. Dominium duplex despoticum & politicum. Nota primò, dominium hominis in hominem esse duplex: Despoticum scilicet, quale Dominus habet in sua mancipia: & Politicum, quale Princeps habet in subditos. De vtroque hic sermo est. Secundò, infideles esse in quadruplici differentia. Quidam enim Ecclesiæ, vel eius membris sunt subiecti spiritualiter, & temporaliter: vt sunt infideles baptizati, & subiecti temporaliter summo Pontifici, aut alijs Principibus Christianis. Alij sunt spiritualiter tantùm subiecti: vt Hæretici, vel Apostatæ, qui subsunt Regibus Ethnicis. Alij tertiò sunt temporaliter tantùm subiecti: vt Iudæi Romæ degentes. Et alij infideles non baptizati, subiecti Principibus Christianis. Alij quartò sunt, qui nec spiritualiter, nec temporaliter Ecclesiæ subiecti sunt: vt Turcæ, Tartari, Sinenses, Iaponij, & similes infideles, neque baptizati, neque Principibus Christianis subiecti.

Infideles sunt capaces dominij in Fideles. His præmissis, dico primò, quoscumque infideles iure naturæ esse capaces dominij in fideles; Patet, quia siue dominium oriatur ex voluntaria subiectione, siue ex victoria in bello iusto; & similibus causis; Infideles sunt capaces iure naturæ, vt fideles illis se voluntariè subijciant, vel vt subiectionem olim factam conseruent: possunt etiam in bello iusto eos sibi subijcere: possunt emere mancipia Christianorum; & similibus modis dominium in illos acquirere spectato præcisò solo iure naturæ.

54. Retinent hoc dominium politicum. Dico secundò, Infideles non subditos Christianis licitè retinere dominium politicum, quod habent in Fideles neque posse illo per se, & directè priuari. Prima pars est D. Thomæ art. cit. & communis Theologorum. Probatur ex Scriptura, quæ iubet tales pro veris Dominis agnosci: Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c.* & Tit. 3. *Admone illos vt Principibus obediant.* Principes autem, & potestates erant tunc infideles. Et 1. Petr. 14. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ: siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis, &c.* Probatur secundò exemplo Christi, & veterum Christianorum. Nam Christus Matth. 22. iubet reddi Cæsari quæ sunt Cæsaris: quamuis Cæsar esset infidelis, & Iudæi fideles. Christiani verò, Imperatores & Principes Ethnicos agnouerunt pro veris Dominis, & debitum illis honorem tribuerunt, vt patet ex Iustino martyre in Apolog. pro Christianis, Tertulliano in lib. ad Scapulam; Arnobio contra Gent. Eusebio lib. 4. histor. c. 14. alias 15. Vbi refert Polycarpum ita locutum esse paulò ante martyrium. *Docemur Principibus, & potestatibus ijs, quæ à Deo sunt, honorem deferre; eum scilicet qui religioni non sit contrarius.* Ratio quoque à D. Thoma allata, optima est: quia scilicet ius diuinum, ex quo oritur distinctio fidelium, & infidelium, non destruit, neque perturbat ius naturæ, vel ius humanum, ex quo dominium ortum est.

55. Possint-ne illo priuari. Secunda pars cõclusionis, quòd tales infideles non possint hoc dominio per se, & directè priuari, est Suaris disp.18. sect.5. n.3. aliorúmque plurimorum, quos citat. Probatur, quia nemo potest priuari suis bonis sine titulo iusto. Hoc autem dominium est inter præcipua bona infidelium. Ergo non possunt eo priuari sine titulo iusto. At infidelitas sola non est titulus iustus.

Quia si præcisè consideretur, vt est priuatio fidei; non tollit fundamentum politicæ potestatis, quæ non fundatur in fide, sed in iure humano. Si verò spectetur vt peccatum, & pœnâ dignum; non pertinet ad Ecclesiam vel ad Christianos Principes eos punire, quibus nec spiritaliter, nec temporaliter subiecti sunt, vt supponimus. Dixi autem, *per se, & directè:* quia per accidens, & indirectè, si fidelibus molesti, & iniurij sunt, possunt isti fugere, seque illorum dominio subtrahere. Potest etiam Ecclesia, si ad bonum fidelium necessarium fuerit, eos subtrahere infidelium iurisdictioni; & si expediat, per Principes Christianos illos eripere. Possunt denique ipsi Principes Christiani fidelium iniurias auertere, & vlcisci, pro sua suprema potestate, & iure naturæ, quo quisque potest innocentem iniustè oppressum, defendere.

56. *Idem dicendum de dominio despotico.* Dico tertiò, idem sentiendum esse de dominio despotico huiusmodi infidelium supra fideles; licitè scilicet illud habere posse; neque posse directè illo priuari, sed indirectè solum. Patet ex 1. Petr. 2. v. 18. vbi iubentur serui fideles parere Dominis infidelibus, etiam discolis, & Gentilibus. Et cap. *Si quis seruum,* 17. q. 4. quod ex Concilio Gangrensi sumptum est, iubetur grauissimè argui, & anathematizatur qui sub prætextu religionis, seruo fugam suaserit. Denique hoc dominium non fundatur in fide: & Ecclesia nullum ius habet in tales infideles. Si tamen sint iniurij fidelibus, possunt hi licitè fugere: idque non modò si ipsismet iniurij sunt, sed etiam si tantùm alijs Christianis. Atque ita serui, & mancipia Turcarum possunt licitè fugere, ob iniurias communes, quas illi inferunt Christianis, de quorum numero illos esse supponimus. Possunt etiam Principes Christiani, & Ecclesia illis succurrere modo suprà dicto.

57. *Possunt eo priuari si subduntur Ecclesiæ, vel Principibus Christianis.* Dico quartò, infideles, licet non baptizatos, subditos tamen temporaliter Ecclesiæ, vel Principibus Christianis, posse tum directè, tum indirectè, priuari dominio, quod habent in fideles. Probatur quoad potestatem directam, quia Princeps fidelis, habens iurisdictionem in huiusmodi infideles, potest in illis requirere, ad hoc vt alijs præsint, qualitates necessarias ad iustam distributionem, vel ad honorem, & pacem, & securitatem Reipublicæ, bonúmque subditorum. Ergo potest infideles hoc titulo excludere. Potestas verò indirecta patet à fortiori ex dictis in 2. & 3. conclusione. Probatur secundò ex multiplici vsu talis potestatis in iure canonico, & ciuili. Nam cap. *Cum sit nimis, de Iudæis, & Saracenis,* Innocentius III. præcipit, vt per Concilium prouinciale grauiter arguantur illi, qui Iudæos, aut Paganos, publicis officijs præfecerint. Et leg. vltima cod. de Iudæis Iustinianus prohibet ne Iudæi publica officia gerant respectu fidelium. Et L. *Hac valitura, cod. de Iudæis, & Cælicolis,* priuantur Iudæi iurisdictione in Christianos, & prohibentur admitti vlla ratione ad similem iurisdictionem. Et L. vlt. *Cod. de Iudæis, & Cod. de Episcopis & Clericis,* statuitur, vt si infidelis, seruus huiusmodi infidelium, conuertatur ad fidem, statim fiat liber: Et si fidelis ematur ab infideli ad seruitutem, hoc ipso fit liber. Si verò ematur ad mercaturam, intra tres menses vendatur fideli, alioqui libertatem consequatur.

Ratio istarum omnium constitutionem est honor fidei, & periculum subuersionis fidelium, si sub Dominis infidelibus sint, aut infideli magistratui subiaceant. An verò possint infantes huiusmodi infidelium, qui subsunt tantùm temporaliter Ecclesiæ, baptizari inuitis parentibus, vide apud D. Thomam q. 10. art. 12. Communis sententia est posse validè, sed non licitè; quandiu paruuli sunt, & baptismũ non expetunt cum discretione sufficienti: excepto casu necessitatis, citra periculum scandali: vt si infans sit in mortis articulo, & occultè baptizari possit. Excepto etiam casu, quo infideles essent mancipia Christianorum: qua de re plura diximus in tract. de Baptismo, tom. 4. disput. 24. sect. 4. 58. *Possintne licite eorum infantes baptizari.*

Contra secundam, & tertiam conclusionem existimant aliqui Ecclesiam posse absolutè infideles sibi nullo modo subditos priuare dominio, quod habent in fideles, licet ad scandala vitanda id non faciat. Atque ita videtur sentire D. Thomas q. cit. art. 10. Sicque illum exponunt, & sequuntur Bannes, & Lorca ibidem. Probant primò quia Apostolus 1. Cor. 6. v. 1. reprehendit fideles, quod apud Iudices infideles iudicio contenderent. Ergo supponit esse liberos ab eorum iurisdictione. Secundò, quia iure Ecclesiastico licet coniugi fideli deserere infidelem, si nolit conuerti, 1. Cor. 7. v. 12. & sequentibus. Ergo multò magis licet seruo fideli, vel subdito, Dominum, vel Principem deserere. Tertiò, indignum est, & periculosum, fidelem subijci, vel seruire infideli. Ergo Ecclesia nomine Dei potest eum priuare tali dominio. Maximè cùm infidelis mereatur priuari vita: Ergo multò magis tali dominio. Addi quartò potest exemplum Alexandri VI. qui Indos Orientales, & Occidentales subiecit Regibus Lusitaniæ, & Hispaniæ. *Contraria sententia.*

59. *Satisfit eius argum.* Ad hæc respondeo primò, D. Thomam loqui indistinctè, & explicandum esse de priuatione indirecta, iuxta ea, quæ suprà diximus. Secundò, Paulum locis antè relatis manifestè docere fideles manere subditos Dominis infidelibus, & debere illis parere. Loco autem illo proximè citato ab aduersarijs ex 1. Cor. 7. reprehendit tantùm Christianos quòd contra charitatẽ, & cum scandalo infidelium contenderent inter se: cùm deberent potiùs iniuriam pati, ad scandalum vitandum, & charitatem conseruandam. Tertiò, quòd matrimonium infidelium non baptizatorum possit dissolui vno ex illis conuerso ad fidem, & altero manente pertinaciter in infidelitate, non esse à iure Ecclesiæ, quæ circa dissolutionem matrimonij consummati nihil potest: sed à iure diuino, declarato per Apostolum loco citato in obiectione. Docet enim fidelem conuersum, tametsi meliùs facit, si persistit in matrimonio cum coniuge infideli, dummodò iste velit cohabitare pacificè sine iniuria Creatoris: in gratiam tamen baptismi, & Christianissimi suscepti, non obligari ad continuandum tam arctum vinculum cum coniuge infideli pertinaci: sed Deum, qui multis alijs de causis permiserat Iudæis dare libellum repudij, dedisse etiam huiusmodi infidelibus conuersis facultatem relinquendi coniugem in infidelitate persistentem. At neque idem

Apostolus, neque alij Scriptores diuini significant subditos, ad baptismum, & ad fidem Christianam conuersos, accepisse à Deo parem libertatem excutiendi iugum Dominorum, aut Principum infidelium: sed è contrario affirmant Christianos debere illis esse subiectos, *non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. 13. v. 5. & 1. Petr. 2. v. 17. 18. & 19. quia scilicet peccant, nisi illis subiaceant, & obsequantur. Quartò, indignitas illa, de qua in tertio argumento sermo est, non est tanti momenti, vt propterea infideles possint priuari dominio. Alioquin eodem argumento probaretur, fideles quoque grauibus peccatis obstrictos posse illo priuari. Nam indignum etiam est fideles bonos, & Deo gratos, subjici, vel seruire Dominis vitiosis, & diaboli mancipijs. Quòd autem attinet ad periculum, quod in eodem argumento obijcitur, respondeo illud nullum esse si Dominus infidelis permittit fideli vt pacificè Deum colat, nec illi propter fidem molestus est. Si verò tale periculũ est, potest priuari indirectè, vt diximus. Et quamuis infidelis culpabiliter, pœnam mereatur: non potest tamen puniri ab Ecclesia, nec à Principibus Christianis, quibus neque temporaliter, neque spiritualiter subiacet, vt supponimus. Quintò denique, Alexander VI. non subiecit Indos Regibus illis Christianis, neque dominium proprijs eorum Regibus eripuit, Sed tantùm Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ, ius dedit prædicatores ad illos mittendi, eosque, & fideles conuersos protegendi, aut etiam aliquid ibi acquirendi modo licito. Paulus verò III. in Bulla quadam, teste Bannez ad quæst. 10. art. 10. dub. 3. concl. 5. ad 3. obiect. definiuit Indos infideles esse veros rerum suarum dominos, nec ijs spoliari posse, nisi per iniuriam darent iustam causam, ob quam spoliarentur. Quod si Hispani, aut Lusitani plus sibi interdum licere existimarũt, Ecclesia iniustam illam vsurpationem non approbat.

SECTIO VII.

Vtrum Infideles sint compellendi ad Fidem?

60. D. Thomæ Doctrina.

DOctrina D. Thomæ hac de re, q. 10. art. 8. est, Infideles illos, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Iudæos, nullo modo compellendos esse, vt credant: quia credere voluntatis est: esse tamen compellendos à fidelibus, si adsit facultas, vt fidem non impediant blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel apertis persecutionibus: propter quod etiam fideles iustè interdum contra eos bellum mouent. Alios autem infideles, qui quandóque fidem susceperunt, vel eam profitentur, sicut Hæretici, & Apostatæ, compellendos esse, etiam corporaliter, vt impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt.

Quæ Doctrina vt meliùs declaretur, repetenda est distinctio infidelium in infideles baptizatos, qui per baptismum subiecti sunt spiritualiter Ecclesiæ, cuiusmodi sunt hæretici, & apostatæ; & in infideles non baptizatos, circa quos Ecclesia spiritualem iurisdictionem non habet, siue temporaliter sint illi subiecti, aut eius membris, vt Iudæi Romæ degentes, & Pagani viuentes sub ditione Principum fidelium: siue etiam neque temporaliter subiecti sint, vt Turcæ, Sinenses, Iaponij, & similes.

Hoc supposito, quod attinet ad infideles non baptizatos, dico primò Ecclesiam non modò habere potestatem, sed etiam verum ius Fidem vbique prædicandi omnibus infidelibus. Prima pars, quod habeat potestatem simpliciter, & veluti licentiam facti, patet, ex Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, &c.* & Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Christus enim, qui sic præcepit, & instituit dedit Apostolis, & eorum successoribus potestatem id exequendi. Secunda pars, quòd etiam verum ius habeat, & potestatem specialem, cui sine iniuria obsisti nequit, probatur, quia Christus habet ius in vniuersos homines, tanquam in suam hæreditatem mediante fidei prædicatione acquirendam: iuxta illud Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam:* & Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Hoc autem ius Christus non exercuit per seipsum; sed Apostolis, & successoribus exercendum commisit, velut ipsius Legatis, iuxta illud 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur:* & Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, &c. alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*, id est, Ecclesiæ ex omnibus gentibus congregandæ. Hinc sequitur Ecclesiam habere ius tuendi suos Prædicatores contra eos, qui per vim impediant prædicationem. Habet enim ius propulsandi, & vlciscendi iniuriam sibi factam: fit autem ipsi iniuria, quando impeditur prædicatio fidei, cuius prædicandæ ius habet. Confirmatur ex D. Thoma q. 10. art. 8. affirmante posse infideles compelli, vt fidem non impediant, & propter hoc bellum à fidelibus interdum iustè in eos moueri. 61. Habet Ecclesia ius prædicandi fidem vbique.

Ius mittendi Prædicatores ad infideles in totum orbem terrarum, pertinet ad Summum Pontificem, Pastorem vniuersalem, & Christianæ Religionis supremum Monarcham. 62. Quibusnam hoc ius competat. Prælati verò inferiores possunt ordinariè ad eos mittere, qui intra limites suæ Diœcesis aut Iurisdictionis continentur: ad alios autem non nisi extraordinariè, si necessitas exigit, & Summus Pontifex consuli nequit. Ius verò tuendi fidei Prædicatores per coactionem, & bellum, si fuerit necessarium, pertinet ad solum Summum Pontificem, saltem quoad bellum: quia requirit specialem quandam supremam potestatem, quæ non conuenit Principibus temporalibus, quia manat ex potestate spirituali Ecclesiæ, illis non concessa: nimirum ex iure quod habet Ecclesia fidem vbique prædicandi, & propulsandi iniuriam factam illis, qui volunt doctrinam fidei audire, & conuerti. Porro ante coactionem, & bellum, tentanda sunt omnia pacis media; tum quia id fidei honori, & progressui magis expedit; tum etiam quia dura illa belli remedia non sunt adhibenda, nisi

quando clarè constat nihil posse aliter profici; vt bene ait Ægidius Coninck disp. 18. n. 228. Cauendæ sunt etiam deteriores perturbationes, & incommoda; maximè si cedant in infamiam, & iniuriam ipsius fidei: vt si inde magis sunt auertendi à fide infidelium animi, & existimaturi fidem nostram sibi vsurpare licentiam violandi iura gentium, & naturæ ipsius, inuadendo iniustè aliena. Ideóque olim, etiam tempore Christianorum Imperatorum, fides magis patientiâ, quàm armis apud Infideles propagata est. Quod etiam nunc imitandum videtur, nisi clarè constet expedire magis oppositum. Tunc autem non conuenit Summum Pontificem per se id exequi, sed per Principes sæculares, quibus Ecclesiæ ius tuendum vi, & armis committat; vt Alexander VI. commisit apud Indos, Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ.

63. Non baptizati, & non subiecti Ecclesiæ non possunt cogi ad fidem, directè.

Dico secundò, Infideles non baptizatos, & Principibus Christianis non temporaliter subiectos, non posse cogi, vt fidei prædicationem audiant, vel vt fidem ipsam suscipiant. Ratio est, quia omnis coactio, cùm fiat inferendo aliquid mali, requirit in cogente Iurisdictionem aliquam, & superiorem potestatem in eum, quem cogit. At neque Ecclesia, neque Principes Christiani habent vllam Iurisdictionem in huiusmodi Infideles. Non enim habent temporalem, vt supponimus: nec spiritalem, quia non sunt baptizati. Vnde collige quòd si verè omnes incolæ alicuius regni infidelis nollent audire Prædicatores fidei; non possent cogi licitè ad eos admittendos, aut tolerandos; nisi spes esset fore vt aliqui mutata voluntate audirent: alioqui frustra, & sine ratione cogerentur per alicuius mali illationem ad aliquid inutile.

64. Neque ad audiendam eius prædicationem.

Dico tertiò, Infideles non baptizatos, licet temporaliter subiectos Ecclesiæ, vel Principibus Christianis, non posse ab ipsis directè cogi vt audiant fidei prædicationem, vel baptismum suscipiant: sed indirectè solùm. Prima pars quoad fidei prædicationem audiendam, est contra Suarem Disp. 18. Sect. 2. n. 3. affirmantem posse huiusmodi Infideles directè cogi ad audiendam prædicationem: quod probat primò exemplo Summi Pontificis, qui cogit Iudæos sibi subditos audire semel in Hebdomada fidei prædicationem, & recusantibus pœnam imponit. Secundò, quia ille actus est honestus, & non est supernaturalis, potéstque referri ad vtilitatem Reipublicæ, quam Princeps temporalis procurare potest, & debet. Ergo potest ab illo præcipi. Sed contrà; quia factum Summi Pontificis referri potest ad coactionem indirectam, vt ostendemus paulò pòst. Iurisdictio verò temporalis non videtur posse illum actum præcipere, vel directè ad illum cogere. Quia est actus pertinens ad Fidem, & Religionem, secundùm quàm Infideles illi non subsunt Principibus temporalibus, vt patebit ex sequentibus. Item quia, qui non potest præcipere finem, vel ad illum cogere; non potest præcipere, vel cogere ad exercendum actum, qui est medium necessarium. Sed Iurisdictio temporalis non potest præcipere, vel cogere ad finem, nempe ad fidei susceptionem: Ergo neque ad actum audiendi prædicationem, qui est medium necessarium. Maior patet, quia tota vtilitas, & necessitas medij est propter finem: quare si finis non potest reddi necessarius; ergo nec actus, qui ad illum requiritur, & ad eum refertur vt ad finem. Minor autem admittitur à Suare Sect. 3. post D. Thomam q. 10. art. 8. & alios communiter: & probatur primò ex Can. *Sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis*, & ex Concilio Toletano IV. can. 55. vbi disertè prohibetur tales Infideles sic ad fidem compelli: & additur ratio, quâ significatur id non tantùm iure Ecclesiastico, sed & diuino vetitum esse, tanquam per se illicitum, & contrarium Christi institutioni, qui omnes quidem ad fidem suscipiendam allici, neminem verò cogi voluit. Secundò probatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ, quæ nunquam tali coactione vsa est, sed potiùs illam prohibuit. Quod signum est illicitam esse per se, & ex institutione Christi, non autem propter aliquod accidens extrinsecum: alioquin incredibile est nunquam à tam longo tempore contigisse casum, in quo expedire videri posset. Tertiò, huiusmodi Infideles non sunt Ecclesiæ subiecti spiritualiter, iuxta illud 1. Cor. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nam eos Deus iudicabit*: Ex Trid. Sess. 14. c. 2. *Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui priùs per Baptismum non fuerit ingressus*. Idémque docet Innocentius III. in cap. *Maiores, de Baptismo*, & cap. *Gaudemus, de diuortijs*. Ergo non possunt ad id compelli per potestatem, & Iurisdictionem spiritalem Ecclesiæ. Potestas verò temporalis ad id non habet vllam vim: quia ad eam non pertinet de rebus fidei, & Religionis iudicare, & præcipere; quæ sunt res supernaturales, & requirunt maiorem auctoritatem vt teneantur tanquam diuinitus reuelatæ, & veræ infallibiliter; atque omnino transcendunt temporalem potestatem, quippe quæ tota est naturalis, & politica, & ad finem naturalem instituta, illique accommodata. Neque dicas, id quidem verum esse spectando ius naturæ, quod exurgit ex ipsa institutione Reipublicæ: Principes verò Christianos plus posse ex auctoritate, & concessione diuina, in fauorem Religionis Christianæ. Nam hæc auctoritas, & concessio non constat: & sine fundamento sufficienti non debet vsurpari.

Atque ex his probata manet secunda pars assertionis propositæ, non posse scilicet huiusmodi Infideles directè cogi vt baptismum suscipiant. Tertia verò pars, quòd nimirum possint indirectè cogi, ad audiendam fidei prædicationem, & ad baptismum recipiendum, probatur, quia possunt v. g. Principes Christiani punire hos subditos Infideles ob alia delicta; vel tributa aliunde iustè imposita seueriùs exigere, ea intentione, vt tali modo agendi eos inducant ad audiendam prædicationem; vel amplectendam fidem. Possunt etiam ritus eorum publicos prohibere, si rempublicam turbent, aut rationi naturali aduersentur, vt dicemus Sect. 9. atque ita inducere indirectè, & consequenter, vt fidem suam deserant, cuius 65. Neque vt baptismum recipiant. Possunt tamen cogi indirectè.

exercitio priuantur. Possunt etiam iusta ex causâ non permittere Infidelibus, vt in suo regno habitent, nisi ea conditione, vt fidei prædicationem audiant, vel fidem amplectantur: quam habitationem non tenentur alioqui concedere. Atque ita Summi Pontifices non permittunt Iudæis habitare in sua ditione, nisi ea lege, vt fidei prædicationem semel singulis hebdomadis audiant: quam conditionem si non seruent, pecuniâ mulctantur. Sic etiam S. Gregorius lib. 3. Registri, Epist. 26. præcipit Episcopo Calaritano, vt sibi subditos Infideles tributis (iustis tamen aliunde) sic premat, vt cogat fidem amplecti. Possunt etiam negare illis officia, ad quæ non tenentur eos admittere, & priuilegia gratiæ alijs concessa; vt ad fidem inducant spe participandi officijs, & priuilegijs. Verùm hæc non est propriè coactio, sed suauis inductio, quæ etiam ergà non subditos licita est. Possunt denique inducere alijs modis non per se malis, seruatis tamen semper debitis circumstantijs: nimirum vt finis conuersionis prudenter intendatur, vtque coactio non excedat causam iustam, ob quam potest aliunde inferri: sique sit illatio mali, & pœna, non excedat causam aliam, vel culpam, pro qua imponitur. Dicitur autem coactio indirecta, quando ius, vel pœna illata vno titulo, secundariò ab operante ordinatur ad finem inducendi ad aliud. Qui finis si est bonus, & debitè intenditur, coactio non est mala: imò superior bene agit, si ius agendi, aut puniendi, quod aliunde habet, refert ad bonum illum finem.

66. Contra primam, & secundam partem huius conclusionis, objici potest primò illud Christi Luc. 14. v. 23. *Compelle eos intrare, vt impleatur domus mea.* Secundò, tales Infideles tenentur audire, & suscipere fidem; grauitérque peccant non suscipiendo post sufficientem propositionem: Ergo possunt ab Ecclesia ad id compelli. Item, possunt cogi ad non blasphemandum contra Deum, & Religionem Christianam. Atqui hoc ipso quòd contrariam profitentur, & falsam istam reputant, continuò blasphemant. Addi tertiò possunt exempla Principum Christianorum, qui laudabiliter sic fecerunt, approbante Ecclesia. Nam Sisebutus Rex Hispaniæ laudatur à Concilio Toletano IV. can. 55. quòd Iudæos sibi subditos ad fidem compulerit, & L. *Cælicolarum, Cod. de Iudæis, & Cælicolis*, iubentur Cælicolæ, qui Pagani fuisse videntur, ijsdem pœnis astringi, quibus Hæretici. Et L. *Qui post Sanctum, Cod. de Paganis.* §. *Si verò*, statuitur pœna confiscationis bonorum in Paganos, qui nolunt baptizari; & Manichæi, qui non erant baptizati, astringuntur ijsdem pœnis cum Hæreticis.

Quomodo compellendi intrare? Ad primum respondet D. Augustinus Epist. 50. intelligendum id esse, de compulsione Infidelium baptizatorum. Secundò, & meliùs dici potest sermonem ibi esse de compulsione, quæ fit vi, & vehementiâ doctrinæ, instando opportunè importunè, vt ait Paulus 1. Timot. 4. Ad secundum respondeo, Ecclesiasticam, & humanam potestatem non posse omnia præcipere, neque omnia delicta punire. Deus enim quædam sibi reseruauit, quia non poterat aliter genus humanum suauiter, & pacificè gubernari, neque omnia sunt humanæ potestati proportionata. De Blasphemijs autem dicemus paulò post. Ad tertium, nego factum illud Sisebuti laudari, sed tantùm propter bonam eius intentionem, & alia pia opera, vocatur à Concilio, Princeps Religiosissimus. Cælicolæ verò baptizati erant, vt constat ex D. Aug. Epist. 163. sub finem. Pagani autem & Manichæi non-baptizati afficiuntur pœnis illis, non directè propter Infidelitatem, sed propter alia scelera, quibus turbabant Rempublicam, propter quæ meritò poterant astringi, & affici pœnis. Poterat etiam pœna illis remitti, si vellent resipiscere, & ad fidem conuerti. Quod si leges illæ ciuiles plus intendunt; excedunt humanam potestatem, vt Sisebutus suprà commemoratus excessit ex zelo quidem pietatis, sed non secundùm scientiam. Et hactenus de Infidelibus non baptizatis.

Iam quod attinet ad baptizatos, Dico quartò, 67. *Infideles baptizati possunt cogi & puniri ab Ecclesia.*
omnes Infideles baptizatos posse puniri ab Ecclesia, & compelli tum pœnis spiritualibus, tum etiam corporalibus, vt relictis erroribus veram fidem profiteantur. Prima pars, quòd puniri possint ob Infidelitatem culpabilem, probatur primò, quia potestas puniendi Infideles, sibi subditos, erat in Ecclesia Iudaïca: ergo est etiam in Ecclesia Christiana. Consequentia patet, quia Ecclesia Christi non minùs bene, ac perfectè est instituta, quàm Ecclesia Iudaïca: & hæc potestas ad bonum eius regimen non est minùs necessaria. Antecedens verò probatur ex Deuteron. 13. v. 5. vbi iubentur falsi Prophetæ interfici; & versibus sequentibus iubentur lapidari, etiam fratres, alijque consanguinei, & amici, qui voluerint fideles ad Infidelitatem pertrahere. Et cap. 17. v. 12. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Probatur secundò ex Ioan. 21. v. 16. & 17. *Pasce oues meas, pasce agnos meos:* vbi iuxta sententiam omnium Patrum, & Catholicorum, Christus dedit Petro, & Successoribus potestatem regendi omnes fideles, tam Prælatos, quàm subditos: pascere enim sumitur pro regere, quando tribuitur Regibus, & Prælatis. Ad bonum autem regimen cuiuscumque Reipublicæ pertinet corrigere, & punire delinquentes, etiam pœnis corporalibus, si opus sit. Ergo Christus hanc ipsam potestatem dedit Petro, & Successoribus, adeòque Ecclesia illam habet iure diuino.

Probatur tertiò ex vsu perpetuo huius potestatis, quam Ecclesia tyrannicè vsurpare non potuit; maximè cùm & Apostoli ipsi sint illa vsi, & Concilia œcumenica, & nullus Sanctorum illi vnquam contradixerit. Nam Petrus Act. 5. Ananiam, & Sapphiram ob mendacium morte puniuit: & Paulus 1. Cor. 5. Satanæ tradidit Corinthium incestuosum, in interitum carnis. Poterant autem simili modo punire Infidelitatem, quæ non minùs graue peccatum est, multóque magis perniciosum. Et 2. Cor. 10. v. 6. Paulus de se, & alijs Apo- 68. *Probatur ex vsu Ecclesiæ.*

quando clarè constat nihil posse aliter profici; vt bene ait Ægidius Coninck disp. 18. n. 228. Cauendæ sunt etiam deteriores perturbationes, & incommoda; maximè si cedant in infamiam, & iniuriam ipsius fidei: vt si indè magis sunt auertendi à fide infidelium animi, & existimaturi fidem nostram sibi vsurpare licentiam violandi iura gentium, & naturæ ipsius, inuadendo iniustè aliena. Ideóque olim, etiam tempore Christianorum Imperatorum, fides magis patientiâ, quàm armis apud Infideles propagata est. Quod etiam nunc imitandum videtur, nisi clarè constet expedire magis oppositum. Tunc autem non conuenit Summum Pontificem per se id exequi, sed per Principes sæculares, quibus Ecclesiæ ius tuendum vi, & armis committat; vt Alexander VI. commisit apud Indos, Regibus Hispaniæ, & Lusitaniæ.

63. Non baptizati, & non subiecti Ecclesiæ non possunt cogi ad fidem, directè.

Dico secundò, Infideles non baptizatos, & Principibus Christianis non temporaliter subiectos, non posse cogi, vt fidei prædicationem audiant, vel vt fidem ipsam suscipiant. Ratio est, quia omnis coactio, cùm fiat inferendo aliquid mali, requirit in cogente Iurisdictionem aliquam, & superiorem potestatem in eum, quem cogit. At neque Ecclesia, neque Principes Christiani habent vllam Iurisdictionem in huiusmodi Infideles. Non enim habent temporalem, vt supponimus: nec spiritalem, quia non sunt baptizati. Vnde collige quòd si verè omnes incolæ alicuius regni infidelis nollent audire Prædicatores fidei; non possent cogi licitè ad eos admittendos, aut tolerandos; nisi spes esset fore vt aliqui mutata voluntate audirent: alioqui frustra, & sine ratione cogerentur per alicuius mali illationem ad aliquid inutile.

64. Neque ad audiendam eius prædicationem.

Dico tertiò, Infideles non baptizatos, licet temporaliter subiectos Ecclesiæ, vel Principibus Christianis, non posse ab ipsis directè cogi vt audiant fidei prædicationem, vel baptismum suscipiant: sed indirectè solùm. Prima pars quoad fidei prædicationem audiendam, est contra Suarem Disp. 18. Sect. 2. n. 3. affirmantem posse huiusmodi Infideles directè cogi ad audiendam prædicationem: quod probat primò exemplo Summi Pontificis, qui cogit Iudæos sibi subditos audire semel in Hebdomada fidei prædicationem, & recusantibus pœnam imponit. Secundò, quia ille actus est honestus, & non est supernaturalis, potéstque referri ad vtilitatem Reipublicæ, quam Princeps temporalis procurare potest, & debet. Ergo potest ab illo præcipi. Sed contrà; quia factum Summi Pontificis referri potest ad coactionem indirectam, vt ostendemus paulò pòst. Iurisdictio verò temporalis non videtur posse illum actum præcipere, vel directè ad illum cogere. Quia est actus pertinens ad Fidem, & Religionem, secundùm quàm Infideles illi non subsunt Principibus temporalibus, vt patebit ex sequentibus. Item quia, qui non potest præcipere finem, vel ad illum cogere; non potest præcipere, vel cogere ad exercendum actum, qui est medium necessarium. Sed Iurisdictio temporalis non potest præcipere, vel cogere ad finem, nempe ad fidei susceptionem: Ergo neque ad actum audiendi prædicationem, qui est medium necessarium. Maior patet, quia tota vtilitas, & necessitas medij est propter finem: quare si finis non potest reddi necessarius; ergo nec actus, qui ad illum requiritur, & ad eum refertur vt ad finem. Minor autem admittitur à Suare Sect. 3. post D. Thomam q. 10. art. 8. & alios communiter: & probatur primò ex Can. *Sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis*, & ex Concilio Toletano IV. can. 55. vbi disertè prohibetur tales Infideles sic ad fidem compelli: & additur ratio, quâ significatur id non tantùm iure Ecclesiastico, sed & diuino vetitum esse, tanquam per se illicitum, & contrarium Christi institutioni, qui omnes quidem ad fidem suscipiendam allici, neminem verò cogi voluit. Secundò probatur ex vsu perpetuo Ecclesiæ, quæ nunquam tali coactione vsa est, sed potiùs illam prohibuit. Quod signum est illicitam esse per se, & ex institutione Christi, non autem propter aliquod accidens extrinsecum: alioquin incredibile est nunquam à tam longo tempore contigisse casum, in quo expedire videri posset. Tertiò, huiusmodi Infideles non sunt Ecclesiæ subiecti spiritualiter, iuxta illud 1. Cor. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nam eos Deus iudicabit*: Ex Trid. Sess. 14. c. 2. *Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui priùs per Baptismum non fuerit ingressus*. Idémque docet Innocentius III. in cap. *Maiores, de Baptismo*, & cap. *Gaudemus, de diuortijs*. Ergo non possunt ad id compelli per potestatem, & Iurisdictionem spiritalem Ecclesiæ. Potestas verò temporalis ad id non habet vllam vim: quia ad eam non pertinet de rebus fidei, & Religionis iudicare, & præcipere; quæ sunt res supernaturales, & requirunt maiorem auctoritatem vt teneantur tanquam diuinitus reuelatæ, & veræ infallibiliter; atque omnino transcendunt temporalem potestatem, quippe quæ tota est naturalis, & politica, & ad finem naturalem instituta, illique accommodata. Neque dicas, id quidem verum esse spectando ius naturæ, quod exurgit ex ipsa institutione Reipublicæ: Principes verò Christianos plus posse ex auctoritate, & concessione diuina, in fauorem Religionis Christianæ. Nam hæc auctoritas, & concessio non constat: & sine fundamento sufficienti non debet vsurpari.

Atque ex his probata manet secunda pars assertionis propositæ, non posse scilicet huiusmodi Infideles directè cogi vt baptismum suscipiant. Tertia verò pars, quòd nimirum possint indirectè cogi, ad audiendam fidei prædicationem, & ad baptismum recipiendum, probatur, quia possunt v. g. Principes Christiani punire hos subditos Infideles ob alia delicta; vel tributa aliunde iustè imposita seueriùs exigere, ea intentione, vt tali modo agendi eos inducant ad audiendam prædicationem; vel amplectendam fidem. Possunt etiam ritus eorum publicos prohibere, si rempublicam turbent, aut rationi naturali aduersentur, vt dicemus Sect. 9. atque ita inducere indirectè, & consequenter, vt fidem suam deserant, cuius

65. Neque vt baptismum recipiant.

Possunt tamen cogi indirectè.

exercitio priuantur. Possunt etiam iusta ex causa non permittere Infidelibus, vt in suo regno habitent, nisi ea conditione, vt fidei prædicationem audiant, vel fidem amplectantur: quam habitationem non tenentur alioqui concedere. Atque ita Summi Pontifices non permittunt Iudæis habitare in sua ditione, nisi ea lege, vt fidei prædicationem semel singulis hebdomadis audiant: quam conditionem si non seruent, pecuniâ mulctantur. Sic etiam S. Gregorius lib. 3. Registri, Epist. 26. præcipit Episcopo Calaritano, vt sibi subditos Infideles tributis (iustis tamen aliunde) sic premat, vt cogat fidem amplecti. Possunt etiam negare illis officia, ad quæ non tenentur eos admittere, & priuilegia gratiæ alijs concessa; vt ad fidem inducant spe participandi officijs, & priuilegijs. Verùm hæc non est propriè coactio, sed suauis inductio, quæ etiam ergà non subditos licita est. Possunt denique inducere alijs modis non per se malis, seruatis tamen semper debitis circumstantijs: nimirum vt finis conuersionis prudenter intendatur, vtque coactio non excedat causam iustam, ob quam potest aliunde inferri: sique sit illatio mali, & pœna, non excedat causam aliam, vel culpam, pro qua imponitur. Dicitur autem coactio indirecta, quando ius, vel pœna illata vno titulo, secundariò ab operante ordinatur ad finem inducendi ad aliud. Qui finis si est bonus, & debitè intenditur, coactio non est mala: imò superior bene agit, si ius agendi, aut puniendi, quod aliunde habet, refert ad bonum illum finem.

66. Contra primam, & secundam partem huius conclusionis, objici potest primò illud Christi Luc. 14. v. 23. *Compelle eos intrare, vt impleatur domus mea.* Secundò, tales Infideles tenentur audire, & suscipere fidem; grauitérque peccant non suscipiendo post sufficientem propositionem: Ergo possunt ab Ecclesia ad id compelli. Item, possunt cogi ad non blasphemandum contra Deum, & Religionem Christianam. Atqui hoc ipso quòd contrariam profitentur, & falsam istam reputant, continuò blasphemant. Addi tertiò possunt exempla Principum Christianorum, qui laudabiliter sic fecerunt, approbante Ecclesia. Nam Sisebutus Rex Hispaniæ laudatur à Concilio Toletano IV. can. 55. quòd Iudæos sibi subditos ad fidem compulerit, & L. *Cælicolarum, Cod. de Iudæis, & Cælicolis,* iubentur Cælicolæ, qui Pagani fuisse videntur, ijsdem pœnis astringi, quibus Hæretici. Et L. *Qui post Sanctum, Cod. de Paganis.* §. *Si verò*, statuitur pœna confiscationis bonorum in Paganos, qui nolunt baptizari; & Manichæi, qui non erant baptizati, astringuntur ijsdem pœnis cum Hæreticis.

Quomodo compellendi intrare? Ad primum respondet D. Augustinus Epist. 50. intelligendum id esse, de compulsione Infidelium baptizatorum. Secundò, & meliùs dici potest sermonem ibi esse de compulsione, quæ fit vi, & vehementiâ doctrinæ, instando opportunè importunè, vt ait Paulus 1. Timot. 4. Ad secundum respondeo, Ecclesiasticam, & humanam potestatem non posse omnia præcipere, neque omnia delicta punire. Deus enim quædam sibi reseruauit, quia non poterat aliter genus humanum suauiter, & pacificè gubernari, neque omnia sunt humanæ potestati proportionata. De Blasphemijs autem dicemus paulò post. Ad tertium, nego factum illud Sisebuti laudari, sed tantùm propter bonam eius intentionem, & alia pia opera, vocatur à Concilio, Princeps Religiosissimus. Cælicolæ verò baptizati erant, vt constat ex D. Aug. Epist. 163. sub finem. Pagani autem & Manichæi non-baptizati afficiuntur pœnis illis, non directè propter Infidelitatem, sed propter alia scelera, quibus turbabant Rempublicam, propter quæ meritò poterant astringi, & affici pœnis. Poterat etiam pœna illis remitti, si vellent resipiscere, & ad fidem conuerti. Quod si leges illæ ciuiles plus intendunt; excedunt humanam potestatem, vt Sisebutus suprà commemoratus excessit ex zelo quidem pietatis, sed non secundùm scientiam. Et hactenus de Infidelibus non baptizatis.

Iam quod attinet ad baptizatos, Dico quartò, 67. Infideles baptizati possunt cogi & puniri ab Ecclesia.
omnes Infideles baptizatos posse puniri ab Ecclesia, & compelli tum pœnis spiritualibus, tum etiam corporalibus, vt relictis erroribus veram fidem profiteantur. Prima pars, quòd puniri possint ob Infidelitatem culpabilem, probatur primò, quia potestas puniendi Infideles, sibi subditos, erat in Ecclesia Iudaïca: ergo est etiam in Ecclesia Christiana. Consequentia patet, quia Ecclesia Christi non minùs bene, ac perfectè est instituta, quàm Ecclesia Iudaïca: & hæc potestas ad bonum eius regimen non est minùs necessaria. Antecedens verò probatur ex Deuteron. 13. v. 5. vbi iubentur falsi Prophetæ interfici; & versibus sequentibus iubentur lapidari, etiam fratres, alijque consanguinei, & amici, qui voluerint fideles ad Infidelitatem pertrahere. Et cap. 17. v. 12. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Probatur secundò ex Ioan. 21. v. 16. & 17. *Pasce oues meas, pasce agnos meos:* vbi iuxta sententiam omnium Patrum, & Catholicorum, Christus dedit Petro, & Successoribus potestatem regendi omnes fideles, tam Prælatos, quàm subditos: pascere enim sumitur pro regere, quando tribuitur Regibus, & Prælatis. Ad bonum autem regimen cuiuscumque Reipublicæ pertinet corrigere, & punire delinquentes, etiam pœnis corporalibus, si opus sit. Ergo Christus hanc ipsam potestatem dedit Petro, & Successoribus, adeóque Ecclesia illam habet iure diuino.

Probatur tertiò ex vsu perpetuo huius potestatis, quam Ecclesia tyrannicè vsurpare non potuit; maximè cùm & Apostoli ipsi sint illa vsi, & Concilia œcumenica, & nullus Sanctorum illi vnquam contradixerit. Nam Petrus Act. 5. Ananiam, & Sapphiram ob mendacium morte puniuit: & Paulus 1. Cor. 5. Satanæ tradidit Corinthium incestuosum, in interitum carnis. Poterant autem simili modo punire Infidelitatem, quæ non minùs graue peccatum est, multóque magis perniciosum. Et 2. Cor. 10. v. 6. Paulus de se, & alijs Apo- 68. Probatur ex vsu Ecclesiæ.

stolis generatim sic ait, *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*: ergo & inobedientiam infidelitatis, quæ maximè rebellis est Ecclesiæ. Extant quoque permulta huius potestatis exempla in decretis antiquorū Pontificum: præsertim in Epist. Lucij I. ad Episcopos Galliæ, in fine, vbi dicit hæreticos seuerè extirpandos esse: & Leonis I. Epist. 2. ad Episcopos Italiæ, vbi de Manichæis sic loquitur: *Quos vigilantia nostra reperit, vigilantia diuulgauit, auctoritas, & censura coercuit, &c.* Pertinaces autem vt addit paulò post, *per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati*. Et cap. *Ad Apostolicæ, de sententia, & re iudicata, in 6.* Innocentius IV. cum Concilio Generali Lugdunensi, declarat se habere potestatem puniendi, etiam temporaliter, seu corporaliter quoscumque hæreticos. Eandémque Concilium Constantiense contra Wicleffum, & Ioannem Hus, & Hieronymum de Praga exercuit.

69. Ex ratione naturali. Probatur quartò ratione manifesta, quia in omni Republica bene instituta, punitio malefactorum ad Reipublicæ conseruationem, & bonum regimen maximè necessaria est: tum ad vindictam, & ad satisfactionem Reipublicæ, cui malefactores magnam iniuriam irrogant: tum ad exemplum aliorum, vt timeant, & à similibus criminibus metu pœnæ arceantur: tum denique ad ipsorum malefactorum correctionem, & emendationem, vt pœnis compulsi resipiscant. Atqui infideles Apostatæ, vel hæretici, sunt graues malefactores, iniuriosi, & perniciosi Ecclesiæ, quam maximè perturbant. Ergo, Minor patet experientiâ, & confirmatur ex Scriptura, Matth. 7. v. 15. & Act. 20. v. 29. vbi vocantur lupi rapaces: & fures, & latrones, Ioan. 10. v. 1. quorum sermo vt cancer serpit, 2. Timot. 2. v. 17. ideóque sunt compescendi, ne alijs noceant: itemque Contemptores dominationis, & blasphemi maiestatis, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, & sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum, Iudæ 8. & 13. Maior autem lumine ipso naturali notissima est, & omnium gentium vsu recepta, quæ vi rationis ipsius intelligunt hanc potestatem esse connaturalem, & datam ab ipso naturæ Auctore, eo ipso quòd homines in vnum corpus mysticum, & morale conueniunt. Christus autem instituit Ecclesiam vt corpus vnum mysticum, perducendum per fidem, & alia media communia, ad vnum finem supernaturalem; cuius corporis membra sunt omnes baptizati. Ergo dedit illi potestatem coercendi, & puniendi malefactores, qui maximè illi nocere possunt, & à fine consequendo impedire; cuiusmodi maximè sunt hæretici. Atque hoc ipsi Nouatores sequuntur in praxi, suóque vsu confirmant: Licet enim contra Catholicos, qui hæreticos puniunt, vt contra Tyrannos declamitent: ipsi tamen dissentientes à sua secta grauiter puniunt: vt Caluinus Seruetum, quem comburi iussit: & nuper Synodus Dordracensis alios exulare coëgit, vt Danielem Tilenum, alios morte mulctauit, vt Barnauellum: & nemo nescit, quantùm sæuiant in Catholicos, vbi dominium penes se habent: vt in Anglia, vbi professio Christianæ religionis pro crimine læsæ maiestatis diu habita fuit, & tum alijs pœnis, tum extremo supplicio punita.

Secunda pars conclusionis, quòd infideles baptizati possint ab Ecclesia compelli vt resipiscant, pœnis tum spiritualibus, tum etiam corporalibus, sequitur ex præcedenti. Si enim possunt puniri ob infidelitatem; Ergo punitio potest eò referri, vt resipiscant: Nam hæc intentio bona est; & iuncta punitioni, non eam malam reddit, sed potiùs meliorem. Probatur secundò ex Christi verbis Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Nam ad officium Pastoris pertinet oues errantes reducere; & ad ouile, etiam virgâ, seu baculo, si opus sit, compellere, hoc est, vi, & pœna corporali, percutiendo, & affligendo, vt resipiscant. Probatur tertiò exemplo, & vsu Sanctorum Patrum, & antiquæ Ecclesiæ, quæ huiusmodi compulsione vsa est, non solùm pœnis spiritualibus, sed etiam corporalibus. Et quidem pœnæ spirituales per excommunicationem, & alias censuras, fundamentum speciale habent in Christi verbis Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Et Tit. 2. v. 10. *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita.* Súntque huiusmodi pœnæ valde accommodatæ malefactoribus huius generis, qui cùm peccent maximè contra bona spiritualia, & periculum sit ne fidelibus in illis noceant: conuenienter priuantur bonis Ecclesiæ spiritalibus, & à fidelium communione arcentur. Atque illæ quidem ab initio Ecclesiæ fuerunt communiter vsitatæ; secus ac corporales, ob defectum potestatis, quando Ecclesia suberat Principibus, & Magistratibus infidelibus. Deinceps verò etiam istæ in vsu communi fuerunt, vt necessarium fuit ad coercendos, & efficaciter mouendos hæreticos, carnales homines, qui parum mouentur bonis, aut malis spiritalibus, & Ecclesiasticas censuras contemnunt. Vnde S. Leo Papa Epist. 4. alias 93. paulo post initium. *Profuit*, inquit, *ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, dum ad spirituale remedium nonnunquam recurrunt, qui timent temporale supplicium.* Et D. August. lib. 2. Retract. c. 5. retractans id quod alibi scripserat, non sibi placere huiusmodi compulsionem schismaticorum, *Non placebat*, inquit, *quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantùm eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* Et Epist. 50. ad Bonifacium, loquens de legibus Imperatorum contra hæreticos, ait huiusmodi leges magis pro illis esse, licet eis videantur aduersæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur. Ibidémque, & pluribus alijs locis, vt Epist. 48. & 54. & in Psalmum 59. & Tract. 11. in Ioannem tuetur morem Ecclesiæ puniendi, & compellendi hæreticos, pœnis etiam corporalibus, Quamvis à pœna mortis temperet, vel quia tunc non erat in vsu, vel quia pro Ecclesiastica, & Episcopali pietate atque mansuetudine, noluit eam persuadere, licet illam non improbet.

70. Possunt compelli vt resipiscant.

Nec obest quod opponunt Sectarij, fidem liberam esse debere. Nam debet quidem esse li- 71. Fides quomo-

do debet esse libera? bera à necessitate Physica: Sed non à coactione, respectu eorum, qui per baptismum illi & Ecclesiæ astricti, & subiecti sunt, qui possunt iure compelli ad id, quod debent ratione talis subiectionis, & obligationis. Sicut etiam alia bona opera, quæ propter bonum Reipublicæ necessaria sunt, libera quidem sunt à necessitate Physica, quia liberè fieri debent sicut malefacta opposita liberè fiunt: & tamen potest Respublica ad illa cogere, tanquam moraliter necessaria, & delinquentes punire. Sic in bello milites, quamvis liberè militent Physica libertate: postquam tamen fidem imperatori dederunt, & militiæ ascripti sunt, possunt iure cogi ad militis officium: & si castra deserant, possunt per vim compelli vt redeant, & puniri tanquam fugitiui.

72. Etiam baptizati in infantia possunt compelli. Atque hæc non tantùm vera sunt de illis, qui liberè, & sponte baptizati sunt: verùmetiam de baptizatis in infantia, déque illis qui per iniuriam ad baptismum compulsi sunt, modo tamen consenserint, veréque fuerint baptizati: vt patet ex Concilio Toletano IV. can. 55. & Ecclesiæ praxi. Nam illi verè sunt Ecclesiæ subditi, quæ iniuriam illis non facit, cum eos sibi iam subiectos compellit ad id, ad quod iure naturæ, & diuino, etiam ante baptismum tenebantur, & ad quod etiam ante baptismum potuisset eos compellere si ei subditi fuissent spiritaliter. Sic Ægid. disp. 18. dub. 14. n. 224.

SECTIO VIII.

De potestate, & modo coërcendi, vel puniendi Hæreticos, & Apostatas.

73. Cuius sit illa potestas puniendi & cogendi? AD maiorem præcedentis conclusionis declarationem, quæritur primò, ad quem pertineat potestas puniendi, & compellendi pœnis corporalibus Infideles baptizatos? Respondeo illam primò, & per se pertinere ad Pastores Ecclesiæ, præcipuéque ad Summum Pontificem; quibus competit iure diuino: secundariò verò, & per commissionem, ac iuxta determinationem Ecclesiæ, pertinere ad Principes Catholicos, vt Ecclesiæ protectores. Ita Suares disp. 20. Sect. 3. n. 21. post Bellar. & alios Catholicos, contra Marsilium Patauinum, Barclaium, & Anglos aliquos Pseudo-catholicos. Probatur, quia potestas illa continetur in illis

Probatur pertinere ad Principes Ecclesiast. Christi verbis Ioan. 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*; tanquam planè necessaria ad regimen animarum, ad quod potestas coërcitiua per pœnas corporales, necessaria est respectu plurimorum, qui non satis mouentur pœnis spiritalibus, vt paulò antè diximus. Ergo est à Christo ipso data Petro, & Successoribus; non autem Principibus temporalibus, ad quos illa Christi verba non pertinent. Secundò, Patres, Pontifices, & Concilia, hanc potestatem tribuunt Ecclesiæ, illámque fundant in prædictis Christi verbis, aliísque similibus, Matth. 16. *Quodcumque ligaueris*, & Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis, &c.* dictis similiter ad Pastores Ecclesiæ: Nec vnquam significant datam fuisse à Christo immediatè Principibus temporalibus, & ab istis Ecclesiæ concessam, vel permissam. Quinimò in Principes ipsos hanc potestatem habere se affirmat Innocentius IV. in Concilio Generali Lugdun. vt habetur in cap. *Ad Apostolicæ, de sententia, & re iudicata, in 6.* Tantum ergo abest vt ab illis se accepisse agnoscat. Et in Extrauag. *Vnam sanctam*, Bonifacius VIII. post S. Bernardum lib. 4. de Considerat. c. 3. cuius verba vsurpat, declarat Ecclesiam, spiritalem, & corporalem gladium habere; neque obesse, imo apertè fauere illud Christi, *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Tuum enim ait (vt ponderat rectè Bernardus loquens Eugenio Papæ) *quia & ipse tuus, tuo nutu, etsi non tua manu euaginandus, quoties necesse fuerit.* Probatur tertiò ratione: quia potestas ista fundatur in fide. Fides autem non ad Principes temporales, sed ad Ecclesiam pertinet. Quia tamen non decet Ecclesiam, vt per seipsam pœnas corporales aliquas exequatur, vtitur auxilio Principum, & Magistratuum sæcularium: atque ita extenditur hæc potestas per commissionem ad Principes temporales.

Neque magni momenti sunt argumenta, quæ in contrarium proponunt Aduersarij. Aiunt primò, Scripturam Regibus quidem, & Principibus temporalibus tribuere gladium temporalem, Rom 13. v. 4. Ecclesiæ verò non nisi gladium Spiritus, quod est verbum Dei, Ephes. 6. Et Christum verbis illis, *Mitte gladium tuum in vaginam*, in sensu tropologico acceptis, interdixisse Petro, & Successoribus vsum gladij temporalis, Ioann. 18. Et 2. Cor. 10. Paulum sic dicere, *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, &c. in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*: quibus verbis significat Ecclesiam non posse armis carnalibus seu temporalibus, sed tantùm spiritalibus se vlcisci contra inobedientes Schismaticos, vel Hæreticos. Et Christum Matth. 18. significare Ecclesiam non posse aliud circa contumaces, quàm eos excommunicare, cùm dixit, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*: de cætero autem non magis posse illos punire temporaliter, quàm Ethnicos, & Publicanos, id est, ipsos Infideles non-baptizatos. Secundò, Augustinum Epist. 50. & Leonem Epist. 4. alias 93. aliósque Patres, quando loquuntur de pœnis temporalibus contra Hæreticos, significare, non per Ecclesiam, sed per Principes temporales debere inferri: illúmque fuisse vsum antiquæ Ecclesiæ. Ac denique Iurisdictionem in corpus, & in bona temporalia hominum, pertinere per se ad eosdem Principes: Ergo ad eosdem quoque pertinere per se, illa tueri sicut oportet; vel auferre quando necessarium est in pœnam alicuius criminis. 74. Non ad sæculares.

Sed ad primum respondeo Apostolos ipsos interdum pœnis temporalibus contra inobedientes vsos esse; vt Petrum Apostolum aduersus Ananiam, & Sapphiram; & Paulum aduersus Corinthium incestuosum, quem tradidit Sathanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret: quamvis non nisi extraordinariè, & miraculoso modo sint illis vsi, ob conditionem 75. Fueritne vsa pœnis tempor. antiqua Ecclesia?

illius temporis, in quo Ecclesia, Principibus Infidelibus temporaliter subiecta, non poterat vti tota sua potestate ordinaria, propter subiectionem Christianorum, & potentiam Infidelium; vel propter scandala, quæ tunc ex eius vsu potuissent facilè oriri. Neque postea sub Principibus Christianis statim tota sua potestate coërcitiua vsa est, sed, vt bene notauit S. Augustinus Epist. 50. ad Bonifacium, sensim, & lentè in illius vsu progressa est. Et priùs quidem vsa est monitionibus, & correptionibus, aut separatione quadam, iuxta illud Tit. 2. *Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuita:* Deinde pœnâ exilij: ac postea supplicijs grauioribus, quando maior necessitas ad illa coëgit, crescente rebellium contumacia, & contemptu. Quando autem Scriptura tribuit Principibus sæcularibus gladium temporalem, & Ecclesiæ gladium spiritus: considerat, & tribuit illis id, quod eis principaliter, & directè conuenit: sed non negat Ecclesiam habere ius, & potestatem vtendi gladio, id est, animaduertendi corporaliter in rebelles, & pacis Ecclesiasticæ perturbatores: quæ potestas est illi necessaria, vt se tueri, & conseruare possit, suúmque finem assequi. Christus quoque Ioan. 18. non negauit tropologicè gladium temporalem pertinere ad Petrum: sed potiùs id affirmauit his verbis, *Mitte gladium tuum in vaginam*, vt suprà cum Bernardo notauimus. Tantùm ergo noluit ipsius manu exeri, sed Principibus temporalibus Ecclesiæ filijs, & defensoribus, quando erit necessarium, ad eius defensionem, aut vltionem committi. Paulus verò 2. Cor. 10. tantùm significat se per eadem arma spiritalia, quibus Infidelitatem debellabat, & mundum ad Christi fidem conuertebat, hoc est, per verba efficaciæ diuinæ plena, & miraculis frequentibus munita, posse facilè destruere rationes humanas, & consilia Aduersariorum Infidelium, atque vlcisci inobedientiam fidelium, siue pœnis spiritalibus, siue etiam corporalibus, sicut incestuosi Corinthij peccatum, & contumaciam miraculosè vltus est: séque non vti armis carnalibus, id est, quæ seruiunt militiæ, aut vitæ carnali, & corporali, vt honoribus, voluptatibus, & potentiâ huius sæculi, vt mundum expugnet, Christóque subijciat. Vel potiùs, vt Cornel. exponit ibidem, per arma carnalia intelligit scientias, rationes, praxes, & artes humanas, quibus vtuntur homines, vt alijs persuadeant, vel apud illos auctoritatem, & reuerentiam sibi concilient: conformiter ad id, quod dixerat 1. Cor. 4. v. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis: vt fides vestra non sit in Sapientia, sed in virtute Dei.* Denique Matth. 18. sermo tantùm est de correptione fraterna, quæ in illa censura Ecclesiastica terminatur: non negatur autem posse aliter Ecclesiam in rebelles, & perniciosos bono publico fidelium animaduertere.

76. Soluuntur alia
Ad secundum respondeo, Patres citatos dicere tantùm Ecclesiam non debere manu propria vibrare gladium temporalem; sed vti operâ Magistratus sæcularis ad Infideles rebelles puniendos, quando id necesse fuerit: & aduocare Principes Christianos ad iustam sui defensionem, & ad frangendam audaciam contumacium: illúmque semper fuisse vsum Ecclesiæ, ex quo cœpit vti pœnis temporalibus. Ad tertium dico, iurisdictionem in corpus, & in bona temporalia directè quidem pertinere ad Principes sæculares, & ad regimen politicum: indirectè tamen, & eminenter pertinere quoque ad Principes Ecclesiasticos, quantùm necessarium est ad regimen spirituale, & pacem, atque conseruationem Ecclesiæ: cuius potestas debet esse perfecta, & sufficiens ad bonum regimen fidelium: non esset autem sufficiens, nisi pœnis etiam corporalibus posset subditos rebelles, & perniciosos coërcere. Hæretic. argumenta.

77. Obligatio denũtiandi Hæreticos.
Quæritur secundò, an quisque teneatur statim denuntiare Hæreticos Prælatis Ecclesiæ, vel Iudicibus fidei, vt corrigantur, aut puniantur? Respondeo talem obligationem non esse, vbi Hæresis toleratur, & respectu eorum, in quibus, & circa quæ toleratur: quia frustra denuntiatio fieret. Dixi autem respectu eorum, in quibus, & circa quæ toleratur: quia v.g. si Parochus aliquis, vel Prælatus esset occultus Hæreticus, debet denuntiari, vt malo, quod ab ipso imminet, occurratur. Item, vbi toleratur quidem aliqua hæresis, sed non omnes, neque Atheismus, aut Apostasia ad Iudaïsmum, vel Paganismum, hæc quæstio locum habet respectu eorum, quæ non tolerantur: de quibus, vt de Hæresi non tolerata, sentiendum est.

78. Vbi, & quomodo obligat?
In locis ergo, vbi non toleratur Hæresis, non est dubium quin possint, & debeant denuntiare qui sciunt, quando hæresis non est occulta, sed publica, id est, multis nota. Quando verò occulta est, & spes est emendationis, si moneatur, existimant aliqui correctionem fraternam posse, ac debere præcedere denuntiationem: propter illud Christi, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* & Clement. *Nolentes, de Hæreticis:* quæ id statuere videtur. Probabilius tamen est quod alij docent, Hæreticum posse, & debere statim denuntiari: tum ratione periculi, tum etiam quia Hæreticus hoc ipso quod est verè, & formaliter talis, id est, pertinax contra iudicium Ecclesiæ, transcendit ordinem correptionis: cùm iam Ecclesiam ipsam contemnat, adeóque monitio priuata foret illi inutilis. Non est tamen prior sententia improbabilis in eo casu, in quo spes foret emendationis, & abesset periculum subuersionis aliorum; licet plures oppositum sentiant, quos refert, & sequitur Suares Disp. 20. Sect. 4. n. 7. Nam quæ affert ex Scriptura, & Patribus de non occultandis Infidelibus, & Hæreticis, intelligi possunt, de illis qui non resipiscunt per correptionem fraternam. Ratio verò quam addit, talem denuntiationem, etiam de peccato occulto, necessariam esse ad bonum commune Reipublicæ Christianæ, & vtilem de se illi, qui denuntiatur: non conuincit. Quia si corrigitur, & per efficaciam argumentorum corripientis, ad frugem reducitur, nihil ampliùs necessarium est ad bonum Reipublicæ Christianæ, vel ad vti- Sintne prius fraternè monendi?

litatem errantis. Quod autem addit Suares, ita magis compesci Hæreticos ne venenum suum alijs communicent, si intelligant se posse, ac debere denuntiari, quamvis secretò vni tantùm communicent: æquè probaret alia crimina infectiua posse similiter, & debere denuntiari; quod tamen ipse non admittit, sed vult esse speciale peccato Hæresis. Quod tertiò ait, rarissimè posse remedium Hæresi adhiberi per correctionem fraternam; & magnâ prudentiâ opus esse ad cognoscendum an Hæreticus verè corrigatur, vel fingat: ideòque meritò potuisse Ecclesiam non relinquere illud priuatorum iudicio, sed sibi reseruare: maximè cùm ad publicam correctionem, & securitatem aliorum fidelium, non sit remedium sufficiens secreta monitio. Hoc, inquam, non probat Ecclesiam de facto id sibi reseruasse, nec aliunde reseruatio satis probatur. Qui autem de vera correctione dubitabit, vel satis prudentiæ ad discernendum non habebit; debebit potiùs saluti communi, & Ecclesiæ bono, quàm illius priuati consulere. Correctio verò publica non est necessaria, vbi priuata sufficit: & fidelium securitati satis consulitur, modò errans secretò verè corrigatur. Quod denique addit, Hæreticum occultum, quamvis emendatum, esse denuntiandum: Ergo multò magis ante emendationem sine monitione præuia; negatur etiam à nonnullis, qui de cætero cum Suare sentiunt, vt à Dominico Soto lib. 5. de Iustitia q. 5. art. 1. & à pluribus alijs relatis à Suare citata disp. 20. Sect. 4. num. 6.

79. Sed his nonobstantibus, non modò licitum est in praxi denuntiare occultum Hæreticum, siue emendatum, siue non, propter huius sententiæ probabilitatem: verùm etiam tutiùs, quia sic magis cauetur periculum, & occurritur malo communi. Porro obligatio denuntiandi extenditur ad omnes, præterquàm ad seipsum directè, vel consequenter: nemo enim tenetur seipsum denuntiare, vel complices, ex quo sequeretur suiipsius denuntiatio. Teneri verò denuntiare quoscumque alios docent communiter Theologi, rectéque probant ex Deuteron. 13. v. 6. *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, &c. non miserearis vt occultes eum.* Quod tamen intellige de denuntiatione facienda illis, quibus denuntiati subduntur. Quia non omnes subduntur omnibus, etiam in causa fidei. Nam Episcopi consecrati, & Prælati illis superiores, vt Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales, subjiciuntur soli Summo Pontifici, ob dignitatem illius status; & alij quidam eximuntur à Iudicibus ordinarijs, vt videre est apud Suarem Sect. cit. n. 25. & sequentibus. Si tamen immineret periculum inter moras denuntiandi ad Superiorem, cui subiacent, & alij possent impedire; monendi essent qui possunt, & debent.

Quinam denunciandi: & cui?

80. Quæritur tertiò, quæ pœnæ spirituales, vel corporales statutæ sint contra Hæreticos, & Apostatas baptizatos? Respondeo primò, incurrere pœnam Excommunicationis ipso facto: non quidem iure diuino, quod tantùm præcipit fidelibus vitare Hæreticos, & Apostatas: sed iure Ecclesiastico, cui subiacent, & per quod Excommunicantur, cap. *Achatius* 24. *q.* 1. & cap. *Ad abolendam*, cap. *Excommunicamus*, Extra, *de Hæreticis*, & cap. *Quicumque*, *de Hæreticis in* 6. & cap. *Nouerit*, *de sententia Excommunicationis*. Ad eam verò incurrendam requiritur peccatum mortale Infidelitatis, non purè mentale, & internum, sed in actum externum prodiens, quo sufficienter per modum signi completi ex natura sua, vel ex impositione, significetur; vt rectè docet Suares Disp. 21. Sect. 2. Ratio est, quia hæc Excommunicatio, cùm sit maior, non incurritur nisi per peccatum mortale. Et cùm Ecclesia non iudicet de occultis per se, non punit peccatum merè internum, & per se occultum. Secus autem si per accidens tantùm occultum est, quia nemo alius actum externum vidit. Nam talis actus, eò quòd externus, & per se sensibilis est, cadit sub iurisdictionem Ecclesiæ quoad pœnam ipso facto incurrendam; vt fusiùs ibidem n. 6. probat Auctor cit. contra nonnullos, qui generatim de censuris, & irregularitatibus oppositum sentiunt. Absolutio verò à tali Excommunicatione reseruatur Summo Pontifici per Bullam cœnæ. In iure autem communi, & antiquo, non inuenitur talis reseruatio. Et in Trid. Sess. 24. cap. 6. de Reformat. datur Episcopis potestas absoluendi in foro interno ab Hæresi: quam potestatem, iuxta multorum sententiam, possunt alijs delegare: licet contrarium videatur nonnullis, quia verba Concilij id negare videntur. Vtrum autem per Bullam cœnæ derogetur huic concessioni Tridentini, dicemus alibi, disputando de Excommunicatione, tom. 5. disp. 59. Sect. 18.

Excommunicatio lata contra Hæret.

Vide tom. 5. Disp. 59. Sect. 18. n. 107. & seq.

81. Respondeo secundò, incurrere etiam ipso iure, siue ipso facto irregularitatem; vt patet ex Concilio Eliber. can. 51. & infamiam, cap. *Infames* 6. q. 1. cap. *Alieni*, 2. q. 7. cap. *Excommunicamus* 1. *de Hæreticis* §. *Credentes*, vbi etiam fautores Hæreticorum, nisi intra annum resipiscant, declarantur infames: & cap. *Statutum*, 2. *de Hæreticis in* 6. vbi hæc infamia extenditur in filios vsque ad secundam generationem in linea paterna: in materna verò ad primam tantùm, si parentes in Hæresi moriantur. Consistit autem hæc infamia in eo quòd infamibus portæ clauduntur ad omnes dignitates; vt habetur in Regula, *Infamibus*, 87. *de Regulis iuris in* 6. Caput autem illud, *Statutum*, licet infamiæ nomine non vtatur, reddit inhabiles eorum filios ad omnia beneficia Ecclesiastica, & officia publica.

Sunt irregulares.

82. Tertiò, priuantur etiam vsu potestatis ordinis licito, & legitimo: quod ex ipsa Excommunicatione consequens est, quatenus virtute includit suspensionem ordinis, adeóque ipso facto priuantur illo vsu. Potestate autem ipsius ordinis priuari nequeunt per Ecclesiam; quia indelebilis est, & à solo Deo pendet. At verò potestate iurisdictionis priuantur omnino, præsertim Ecclesiasticæ, in vtroque foro, pœnitentiæ, & iudiciali: non quidem vi iuris diuini, vel solius Excommunicationis; sed accedente sententia declaratoria, quando Hæreticus nominatim Excommunicatur, & denuntiatur,

Priuātur vsu ordinis.

Vnde absolutio data ab Hæretico, & à quolibet alio Excommunicato non-denuntiato, valida est, quamvis illicita ex parte Hæretici, propter Excommunicationem priuantem vsu licito vtriusque potestatis, ordinis, & iurisdictionis: vt rectè docet Suares Disp. 21. Sect. 5. n. 15. sumitúrque ex Extrauag. *Ad euitanda*, editâ in Concilio Constantiensi, aut Basileensi.

83. Et beneficijs Ecclesiasticis. Quartò, priuantur etiam beneficijs Ecclesiasticis. Non tamen ipso iure, seu facto, donec per iudicem priuentur: quia nihil profertur ex iure Canonico, vnde constet hanc pœnam incurri ipso facto. Notandum tamen est primò, ex cap. *Cùm secundùm leges, de Hæreticis in 6.* constare fructus ab Hæretico perceptos ex beneficio, esse confiscatos à die ipso criminis commissi, & pœnam posse eò vsque retrotrahi. Secundò, beneficium ab eodem die impetrari posse, & resignationem ab illo tempore factam, inualidam esse; vt constat ex vsu, & stylo Curiæ Romanæ. Tertiò, collationem noui beneficij factam Hæretico, nullam esse ipso iure: ita vt etiam post conuersionem non possit illud retinere, sine noua concessione: vt constat ex cap. 2. §. *Hæretici, de Hæreticis in 6.*

84. Bona eorum fisco addicuntur. Quintò, puniuntur etiam per ius Ecclesiasticum, & ciuile confiscatione bonorum, cap. *Cùm secundùm leges, de Hæreticis in 6.* & L. vltima, *cod. de bonorum proscript.* & L. *Quisquis*, & L. vlt. *ff. ad legem Iuliam Maiestatis.* Quæ pœna ipso facto imponitur, & incurritur: ita vt bona Hæretici à die commissi criminis maneant obligata Fisco, quatenus sententia spoliationis, eò vsque retrotrahitur. Non tenetur tamen Hæreticus ea Fisco tradere, vel se illis priuare, & spoliare, donec accedat sententia, & condemnatio Iudicis, eiusque executio: sed potest illa licitè retinere, & insumere in proprios vsus: imò etiam probabiliter potest donare, & vendere; quanquam donatio, & venditio postea irritabitur per sententiam Iudicis. Porro hæc pœna ad omnia bona, quæ sint verè ipsius Hæretici, se extendit; qua de re videri potest Suares tota disp. 22.

85. Pœna mortis contra eos statuta. Sextò, in iure ciuili statuitur pœna mortis contra Hæreticos, L. *Ariani C. de Hæreticis*, L. *Quicumque, eodem titulo*, & L. *Inconsutilem*, & L. *Commissis*, quæ in fine Directorij Inquisitorum referuntur. Hæ verò leges confirmantur à iure Canonico cap. *Ad abolendam, de Hæreticis*, §. *Præsenti*, & alijs locis in Directorio citato relatis. Ab hac tamen pœna excipiuntur Hæretici non relapsi, qui ante sententiam sponte conuertuntur, & verè pœnitentes se ostendunt, citato cap. *Ad abolendam*, & cap. *Vt officium*, & sequentibus, *de Hæreticis in 6.* Aliquando etiam pœna mortis mutatur in aliam mitiorem, exilij, vel carceris, de quibus item mentio fit in legibus ciuilibus, & in Concilijs, alijsque Scriptoribus, vt videre est apud Farinacium de Hæresi, q. 193. n. 80. & sequentibus. Exemplum exilij olim magis vsitati suprà retulimus ex Leone Papa Epist. 2. ad Episcopos Italiæ. Possunt etiam aliæ pœnæ conuenientes arbitrariè imponi.

Septimò, aliquæ ex his pœnis extenduntur ad complices Hæreticorum. Nam fautores Hæreticorum vt talium, incurrunt Excommunicationem ipso facto, latam in cap. *Excommunicamus* 1. *de Hæreticis*, Et cap. *Nouerit, de sententia Excommunicationis*, & in Bullla Cœnæ, vbi etiam reseruatur Summo Pontifici. Item priuantur sepultura sacra, & oblationibus tam actiuè, quàm passiuè; ita vt neque ab illis offerri possint, neque recipi: c. *Sicut ait*, Et cap. *Excommunicamus*. 1. §. *Credentes, de Hæreticis*, & in Bulla Martini V. contra Wicleffum in fine Concilij Constantiensis. Priuantur etiam beneficijs priùs habitis, non ipso iure, sed per hominem, §. *Credentes*, suprà citato, Et cap. *Commissis* §. *Priuandi, de Hæreticis, in 6.* Beneficijs verò deinceps obtentis priuantur ipso iure: quia ipso iure fiunt inhabiles; vnde irrita fit receptio, c. 2. §. *Hæretici, de Hæreticis, in 6.* Denique fiunt infames ipso iure, si per annum obdurescant; & incapaces testandi, aliorúmque multorum; vt videre est in §. *Credentes*, suprà citato. 86. Aliquæ pœnæ extenduntur ad complices.

Dixi autem, Fautores Hæreticorum vt talium, ita vt fauor ad Hæresim pertineat: siue particula, *vt*, sumatur reduplicatiuè, & significet motiuum fauendi, ita vt fauor præstetur Hæretico ex affectu Hæresis, quia Hæreticus est: siue etiam specificatiuè, ita vt obiectum volitum significet, etsi non rationem volendi: vt quando aliquis fauet Hæretico, quâ Hæretico, id est, in causa Hæresis, ex affectu consanguinitatis: vt rectè contra Sanchem, & quosdam alios probat Suares Disp. 24. Sect. 1. n. 9. colligitúrque ex cap. *Accusatus*, §. *Sacerdotes; de Hæreticis*, & ex Bulla Martini V. suprà citata, vbi damnantur fautores, quamvis faueant ex affectu consanguinitatis. Item intelligendum est de fautoribus, siue per omissionem, omittendo aliquid necessarium; vt quando Iudices & Inquisitores fidei omittunt inquirere quando debent: siue per commissionem; vt qui Hæreticos sacro in loco sepeliunt, qui resistunt iustæ illorum punitioni, qui eorum conuersioni se opponunt, qui errores eorum defendunt, vel laudant. Denique pœnæ spirituales, quæ ad forum internum pertinent, non incurruntur, nisi illi, quibus fauetur, sint verè Hæretici: Quia in foro interno veritas tantùm locum habet, non præsumptio: & lex pœnalis iuxta verborum rigorem, & proprietatem interpretanda est quoad peccatum, propter quod pœna imponitur. Eadémque de causa suspecti tantùm de Hæresi, in eodem foro non incurrunt pœnas Hæreticorum, nisi peccauerint etiam peccato externo. 87. Et ad fautores, vt tales.

Octauò denique, aliquæ pœnæ extenduntur etiam ad filios Hæreticorum, & fautorum. Nam si moriantur contumaces, & impœnitentes, eorum filij vsque ad secundum gradum in serie masculina, fiunt irregulares ipso facto, & inhabiles ad Ecclesiastica beneficia recipienda; vt sumitur ex cap. 2. *de Hæreticis, in 6.* & cap. *Statutum* 2. eodem titulo, iuncta consuetudine, quæ sic ius interpretatur. Vnde collatio talibus facta, est irrita. Beneficia verò obtenta ante crimen parentum commissum, & publicatum 88. Et ad filios Hæretic. & fautorũ.

publicatum notorietate facti, vel iuris, non amittuntur ipso facto: imò neque debent auferri per hominem, quia ius non præcipit vt priuentur beneficijs iam habitis. Item redduntur inhabiles ad omnia officia publica, non modò Ecclesiastica, verùm etiam sæcularia, cap. 2. citato, §. *Hæretici*, & cap. *Statutum* 2. *de Hæreticis*, & in Bulla Clementis IV. Alexandri IV. & Innocentij IV. quæ incipit. *Ad extirpanda*, habetúrque in fine Directorij Inquisitorum. Denique pœna infamiæ ipso iure, redundat etiam in filios vsque ad secundam generationem in linea paterna, In materna verò vsque ad primam. Quod intellige si parentes in errore pertinaces moriantur, vt paulò antè probauimus ex cap. *Statutum* 2. *de Hæreticis, in 6.*

SECTIO IX.

Vtrum errores, & ritus Infidelium sint tolerandi?

89. Doctrina D. Thomæ. HAc de re S. Thomas q. 10. art. 11. vbi docet humanum regimen, quod diuinum imitatur, posse ac debere tolerare aliqua mala, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur. Atque ita, quia Iudæorum ritus præfigurabant olim veritatem, quam credimus, vnde fit, vt habeamus fidei nostræ testimonium ab eius hostibus; ideo rectè tolerantur. Aliorum verò Infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut vtilitatis afferunt, non sunt tolerandi, nisi fortè ad vitandum aliquod malum, putà scandalum, vel dissidium, quod inde proueniret, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati conuertuntur ad fidem. Propter hoc enim etiam Hæreticorum, & Paganorum ritus aliquando Ecclesia tolerauit, quando erat magna Infidelium multitudo. Hæc D. Thomas.

90. Quæ vt meliùs intelligantur, distinguendum est primò de Infidelibus baptizatis, adeóque spiritaliter Ecclesiæ subiectis, & de non baptizatis, nec spiritaliter subiectis. De prioribus patet ex dictis Sect. præcedenti, non esse per se loquendo tolerandos, sed corrigendos, vel puniendos pœnis in iure statutis, velut oues errantes, & desertores, rebelles, ac perniciosos Christianæ Reipublicæ: vt in iure Canonico, & ciuili præscribitur, locis ibi citatis, præcipuè verò in cap. *Ad abolendam, de Hæreticis*. Ratio est, quia cùm sint Ecclesiæ subiecti per baptismum, eiusque curæ commissi; debet ipsa eos errantes ad fidem reducere, & à peccando arcere, ipsorúmque salutem æternam procurare. Debet etiam consulere securitati, & concordiæ fidelium; quæque ipsi nocent, auertere quantum potest. Hæreses autem; & Schismata, illi præcipuè aduersantur. Dixi, *per se loquendo:* quia per accidens possunt licitè, ac debent interdum tolerari, ne impediantur maiora bona, vel eueniant maiora mala; vt ait S. Thomas, & confirmari potest ex Matth. 13. *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum, sinite vtraque crescere.*

Non sunt per se tolerandi in baptizatis.

Ratio est, quia ex duobus malis minus eligendum est, quando vtrumque vitari nequit.

De non baptizatis, distinguendum rursus est. Nam vel Ecclesiæ, aut eius membris, sunt temporaliter subiecti, vel non. Item, vel eorum errores, & ritus repugnant directè lumini, & rationi naturali, præcisis ijs, quæ ad fidem pertinent: Vel indirectè solùm, & consequenter, ratione fidei, cui contra euidentem rationem credibilitatis reluctari, à ratione alienum est.

His præmissis, Dico primò, Ecclesiam, & Principes Christianos posse, ac debere prohibere Infidelibus sibi subiectis errores, & ritus, qui repugnant directè lumini naturali, cuiusmodi est cultus Idolorum, & falsorum Deorum. Ita cum D. Thoma art. supra cit. sentiunt alij Doctores Theologi communiter. Probatur primò ex Deuteron. 13. v. 12. & sequentibus, vbi iubentur tales interfici. Probatur secundò ex vsu Principum Christianorum, à Sanctis Patribus, & à Concilijs laudato, & approbato. Nam Constantinus iussit claudi templa Idolorum, & idololatriæ cultum cessare, teste Eusebio lib. 2. de vita Constantini, & Theodosius omnia Templa idolorum destruxit, teste Ruffino lib. 2. Historiæ cap. 22. multásque leges tulit contra cultores idolorum, quæ habentur in codice Theodosiano, tit. de Paganis, & approbantur à D. Ambrosio Epist. 30. & à D. Aug. Epist. 48. & 50. post medium. Concilium quoque Eliberit. can. 41. iubet Dominis fidelibus, vt ne permittant famulis domi suæ idola habere. Et Carthaginense V. can. 15. & Africanum sub Bonifacio, cap. 25. decernit petendum esse ab Imperatore, vt idololatriæ reliquiæ deleantur. Probatur tertiò ratione. Nam Principes possunt, ac debent subditis suis præcipere; vt viuant secundum rectam rationem naturalem, & prohibere vitia opposita: id enim ad Rempublicam in pace, & iustitia continendam necessarium est, neque superat ciuilem, & humanam potestatem, quatenus sistitur intra limites rationis naturalis. Quare sicut prohibent laudabiliter, & puniunt alia peccata rationi naturali opposita: sic & huiusmodi errores, & ritus lumini naturali aduersos. Vnde collige non tantùm Principes Christianos id posse, ac debere: sed etiam Infideles, si habent notitiam veri Dei, posse ac debere cultum falsorum Deorum prohibere. Habent enim etiam illi totam potestatem, quæ secundùm rationem naturalem conuenit humanæ Reipublicæ, tenentúrque subditos bene regere in ordine ad finem suæ potestatis. Priuati tamen non possunt alios sibi non subditos cogere ad tollenda idola, propria auctoritate, vt innuitur in L. *Sicut*, & in L. *Christianis Cod. de Paganis*, lib. 1. tit. 11. & can. 60. Concilij Eliberit. Ratio conclusionis eadem est, quæ de Infidelibus non subditis, de quibus infrà.

91. Neque in non-baptizatis si repugnāt directè lumini natur. & si illi subsunt temporaliter Ecclesiæ.

Dico secundò, Principem non tantùm posse prohibere errores illos, & ritus Infidelium sibi subditorum; sed etiam punire: priùs tamen debere prohibere, quàm eos puniat. Ratio primæ partis est, quia potestas directiua esset inefficax, & insufficiens sine coërcitiua. Idémque

92. Possunt etiam puniri.

patet ex Scriptura Deuteron. 13. v. 12. & alijs auctoritatibus paulò antè relatis, ibi non solùm prohibitionis, sed etiam punitionis & coërcitionis fit mentio.

Secunda verò pars, quòd scilicet priùs debeat prohibere quàm punire, probatur quia communi hominum sensu Princeps aut Respublica censetur permittere ea peccata, quæ non prohibet, ideoque censetur non posse consequenter ea punire; sicut non punit re ipsa fornicationem v. g. & alia quædam vitia, quæ non prohibet. Confirmatur, quia modus ille prohibendi priùs, quàm puniendi, est magis accommodatus fini humani regiminis, qui est, vt homines meliùs, & commodiùs viuant humano more, mutuis auxilijs, & Superiorum directione, ac potestate adiuti: ita tamen vt id efficaci suauitate, & modo moribus humanis magis accommodato procuretur. Imò etiam debent priùs instrui Infideles de falsitate errorum, quàm cogi vt eos deserant. Hinc etiam fit, vt si Principes non possint huiusmodi errores, & ritus prohibere, vel punire, & impedire sine maioribus incommodis; possint eos licitè tolerare: vt patet ex dictis initio de Infidelibus baptizatis, & confirmatur vsu Principum laudatissimorum, qui ad vitandam rebellionem Infidelium nimis potentium, & ad alios bonos fines, tolerarunt Paganos sibi subditos. Idémque docet D. Thomas art. 11. q. 10.

93. Non subditi cogi nequeunt ritus suos deserere. Dico tertiò, Ecclesiam, & Principes Christianos non posse cogere Infideles temporaliter tantùm sibi subditos, ad deserendos errores, & ritus, qui fidei tantùm, & non rationi naturali directè repugnant, sed eos tolerare debere per se loquendo. Ita Suares Disp. 18. Sect. 4. n. 10. & Ægidius Coninck disp. 18. n. 194. Probatur primò ex D. Gregorio lib. 1. Epist. 34. & lib. 11. Epist. 15. vbi prohibet ne Iudæi priuentur suis Synagogis, vel ritus suos exercere impediantur. Secundò, quia cùm non repugnent rationi naturali, non possunt per se prohiberi, nisi ratione fidei. Atqui potestas temporalis non se extendit ad fidem, vt suprà ostendimus: Ergo, &c. Possunt tamen prohiberi, & impediri per accidens, si exerceantur cum iniuria fidei, vel scandalo Christianorum, vel quatenus cedere possunt in damnum Reipublicæ. Vnde Ecclesia ritus Iudæorum permittens, multa circa illos statuit: nimirum, vt ne fiant cum scandalo fidelium, ne nouas Synagogas ædificent, ne habeant vicinas Ecclesijs Christianorum, & alia, de quibus vide Suarem suprà, n. 11.

94. Dices ritus Iudæorum esse iniuriosos fidei, quia Iudæi in illis exercendis protestantur Christum non esse Messiam, & Christianam Religionem esse falsam. Ergo non debent tolerari. Respondeo, ritus illos id per se non significare, neque protestari falsam Religionem. Non enim significant Christum adhuc esse venturum, sed tantùm venturum pro tempore, quo verè fuit venturus. Habent enim per se eam significationem, quam Deus eorum institutor illis imposuit, & non aliam. Deus autem non imposuit ad significandum falsum: sicut neque aliud quidpiam rationi naturali repugnans instituit. Quare ritus illi non sunt mali, nec iniuriosi per se. Verum tamen est Iudæos, dum illos adhuc exercent, significare veterem legem adhuc vigere, & Christum non venisse. Quod est falsum, & contra fidem: sed non est contra rationem naturalem. Lex autem fidei non pertinet ad Iurisdictionem temporalem, cùm sit supernaturalis; sed ad spiritualem Ecclesiæ, cui non sunt subiecti: ideóque non possunt ab illa per se prohiberi, vel puniri. Nec sufficit quòd errando iudicent fidem nostram esse falsam, & eatenus sint illi, & Christo iniuriosi. Id enim omni Infidelitati commune, & intrinsecum est: Neque est iniuria sufficiens ad prohibitionem, & pœnam; sed aliqua magis specialis necessaria est.

95. Ac ne quidem subditi, per se loquendo. Dico quartò, Ecclesiam, & Principes Christianos non posse, per se loquendo, cogere Infideles, ne temporaliter quidem sibi subditos, ad suos errores, & ritus deserendos; licet repugnent directè lumini, & rationi naturali. Ita Valentia q. 10. punct. 7. §. *Nihilominus contraria sententia*, Suares Disp. 18. Sect. 4. n. 3. Ægidius Disp. 18. dub. 12. n. 196. Probatur, quia potestas coactiua, & punitiua, competunt tantùm superiori habenti Iurisdictionem, & potestatem iuris: neque possunt exerceri nisi circa subditos. At huiusmodi Infideles non sunt subditi Ecclesiæ, neque Principum Christianorum, vt supponimus: Ergo, &c. Quare sicut vnus priuatus non potest cogi, vel puniri ab alio priuato: neque Rex fidelis, ab alio fideli, cui non subest: aut Infidelis ab alio Infideli. Ita neque Respublica Infidelis in suo ordine suprema, vel independens ab Ecclesia, & à Principibus Christianis, potest ab illis cogi, vel puniri.

96. Possunt tamen per accidens. Dixi, per se loquendo: quia per accidens, si Christianis inferant iniuriam; vt si blasphement in contemptum Ecclesiæ, & iniuriam Religionis Christianæ, si Christianis sint infesti, si conentur eos in errorem inducere, vel fidem deserere cogant; possunt ab illis puniri. Licet enim vim vi repellere, & iniuriosos punire. Item, si infantes, vel alios innocentes, Dijs suis sacrificent; possunt, ac debent impediri, si commodè fieri possit. Quia quisque potest, ac debet pro facultate, innocenti succurrere. Innocentes, inquam: Secus enim est, si tantùm reos mortis, Dijs sacrificarent: tunc enim nihil mali agerent, nisi quatenus peccarent contra fidem. Neque est opus vt innocentes, se liberari postulent, vt malè putat Ægidius suprà, n. 197. Nam quamvis non postulent, imò etiamsi consentiant, possunt eripi morti: quia non sunt domini propriæ vitæ; propter quod etiam potest quilibet ab alio cogi, & impediri ne seipsum interficiat, vt meliùs docet Suares n. 4. Sect. citatæ. Inter hos duos modos cogendi, vel impediendi Infideles per accidens, id discriminis est, quòd primus fit per modum punitionis: Secundus verò tantùm per modum iustæ defensionis innocentium, aut per modum auxilij necessarij, ac proinde non potest exerceri circa peccata præterita, quibus iam non potest occurri. Potest autem propter vtrumque etiam bellum inferri Infidelibus, si opus sit. Si tamen iniuria illata id non mereatur, aut si desistant nocere innocentibus, non posset iustè

regnum illis auferri, & retineri.

97. Contraria sententia. Contra hanc conclusionem sentiunt Maior in 2. dist. 44. q. 3. S. Antonin. 3. parte, titulo 22. cap. 1. Syluester Verbo *Papa*, q. 7. & alij pauci, existimantes posse infideles non subditos, peccantes contra clarum lumen naturæ, per idololatriam, & alia quædam vitia, puniri per Ecclesiam, vel per Imperatorem: & si corrigi nolint, posse libertate, & regnis spoliari. Primò, quia Ecclesiast. 19. v. 8. sic dicitur, *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Secundò, Israëlitæ gentes multas ob idololatriam deleuerunt, & terras earum possederunt. Tertiò, Romani laudantur à D. Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 12. & 17. & à D. Thoma lib. 3. De regimine Princip. cap. 4. & sequentibus, quòd Gentes Barbaras debellarint, vt ad mores meliores reducerent: & Gennadius Exarchus Africæ laudatur à Gregorio magno, lib. 1. registri, Epist. 73. quòd contra infideles bellum gerens, fidem dilataret. Quartò, Respublica Christiana potest defendere diuinum honorem, & impedire, atque vlcisci blasphemias contra Deum. Ac si licitè potest alicui genti bellum inferri ad vlciscendas iniurias homini cuipiam illatas: multò magis ad vindicandas iniurias Deo factas. Idololatria verò est grauis Dei iniuria, & blasphemia: Ergo, &c. Confirmatur, quia alioqui nullus hominum punire posset grauissima scelera istorum infidelium, contra lumen naturale palam commissa: quod videtur absurdum.

98. Soluuntur eius argumenta. Ad primum respondeo, ibi tantùm affirmari, quòd propter iniustitias, & alia peccata, regnum de facto transferatur à gente in gentem, siue iustè, siue iniustè; permittente Deo in pœnam, siue ob iniurias humanas, siue ob diuinas, quod Scriptura non exprimit, ac proinde nihil ad rem potest ex ea concludi. Ad secundùm respondeo, colligi potiùs ex cap. 20. Numer. vt notauit S. Aug. q. 44. in Numeros, & q. 10. in Iosuë, Deum volentem dare terram promissionis Israëlitis, noluisse tamen incolas debellari propter solam idololatriam; sed propter injuriam negandi sibi transitum pacificum, & alias similes. Quòd si Deus pro suo supremo iure aliter illis aliquandò præcepit, aut concessit: non potest hinc concludi, quod idem possint homines propria auctoritate. Ad tertium: Non laudantur Romani, quasi absolutè bene fecerint; sed quia minùs malè, propter intentionem boni finis. Imò potiùs D. August. loco citato in obiectione affirmat tantùm, Romanos propter gloriæ cupiditatem gentes alias subiugasse. Gennadius verò pugnabat contra infideles, & præcipuè Wandolos Hæreticos, qui Romani Imperij terras iniustè inuaserant, vel ab ipso defecerant. Ad quartum: Deus non constituit homines vltores suarum iniuriarum in omnibus, respectu omnium hominum: sed voluit ordinem in eo seruari, vt inferiores puniantur à superioribus: Supremos verò, & independentes suo iudicio reseruauit: neque absurdum est illos non posse puniri ab alio: si tamen sunt ita supremi, vt nullum ius communitas sibi reseruarit ad eos in officio continendos. Falsum verò est quod assumitur, licere bellum inferre ad vlciscendum iniurias homini illatas. Hoc enim non licet erga non subditos, sed tantùm ad illas auertendas, & ad impediendum ne fiant, vt suprà diximus. Addo, Deum, qui potest, si velit, suas omnes iniurias facillimè impedire, non dedisse par ius hominibus ad illas auertendas, atque ad iniurias hominum, qui impotentes, & imprudentes sunt.

SECTIO X.

Vtrum Fides data Hæreticis seruanda sit, ita vt nequeat sine peccato violari?

Sensus quæstionis est, vtrùm inter pœnas Hæreticorum ista sit, quòd non teneantur Catholici fidem illis datam seruare in promissis, pactis, & conuentionibus, quæ licitè cum illis, & honestè fieri possunt. Calumniantur Hæretici huius temporis Doctores Catholicos id affirmare, ipsámque Romanam Ecclesiam sic statuisse in Concilio Constantiensi Sess. 19. indéque sumunt interdum occasionem non seruandi fidem à se datam Catholicis; quasi vicissim liceat ipsis pacta cum Catholicis inita violare; parique iure erga illos vti, iuxta vulgare prouerbium, *Frangenti fidem, &c.* Sed hanc esse meram calumniam patebit ex sequentibus. 99. Status quæstionis.

Vt autem clariùs procedamus, obseruandum est primò, pacta cum hæreticis inita esse posse duplicia. Quædam priuatâ; alia publicâ auctoritate facta. Primi generis sunt emptiones, donationes, locationes, contractus mutui, commodati, pignoris, Matrimonij, & similes, qui à priuatis inter se iniri solent. Posterioris generis sunt pacta à Principibus, vel à communitatibus inita cum hæreticis, & publicâ authoritate firmata: siue circa Religionem, siue circa bellum, vel alia negotia ciuilia. Pacta duplicia cū Hæreticis.

Obseruandum secundò, statum quæstionis non esse, possit-ne licitè non seruari fides data hæreticis in ijs casibus, in quibus potest licitè non seruari Catholicis: putà, si res promissa sit impossibilis physicè, vel moraliter; id est, vel omnino, vel sine peccato fieri nequeat: si status rerum ita mutetur, vt secundùm prudens iudicium contrahens noluerit, neque debuerit talem euentum promissione sua comprehendere: si alter contrahentium non seruet fidem, &c. Sed quæstio est, vtrum fides data hæreticis non habeat vim obligandi in conscientia, ex eo præcisè quòd hæreticis data est; ita vt non obliget, stantibus licet omnibus alijs conditionibus, in quibus deberet seruari Catholicis. Hoc supposito, communis doctrina Catholicorum his duabus propositionibus continetur. 100.

Prima propositio: Tametsi pacta, & contractus priuati non debent facilè iniri cum hæreticis: posito tamen quòd ineantur, fides illis seruanda est ijsdem in casibus, in quibus debet seruari Catholicis: ita vt hæresis sola non sit iusta & sufficiens causa violandi. Idémque sentiendum est de pactis publicis, circa bella, & alia negotia ciuilia. Prima pars liquet ex Scriptura, affirmante hæreticos potiùs esse vitandos 101. Non debent facilè iniri cum illis.

quoad fieri potest, 2. Ioan. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Et Titi 3. v. 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Et 2. Timoth. 2. v. 16. *Prophana, & vaniloquia* (hæreticorum) *deuita: multùm enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit.* Et Rom. 16. v. 17. *Rogo vos, fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri; & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.*

102. Probatur secundò exemplo, & doctrina Sanctorum, qui hæreticorum commercium vitandum esse verbo & exemplo docuerunt: vt de Ioanne Apostolo, & de Polycarpo testatur Irenæus lib. 3. cap. 3. de Antonio Athanasius in eius vita, de alijs alij. Fuitque semper vsus Ecclesiæ, & Conciliorum anathematizandi & excommunicandi hæreticos, id est, communi fidelium consortio eos priuandi. Cuius rei ratio duplex est. Prima, vt confundantur hæretici cùm vident se vitari à Catholicis, & hac pœna moueantur ad resipiscendum: iuxta illud 2. Thessalonic. 3. v. 14. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Secunda, vt Catholici ex eorum commercio & consuetudine non capiant detrimentum in fide, & bonis moribus: sermo enim eorum serpit vt cancer: & qui dicunt illis Aue, communicant operibus eorum malignis, etiam per imitationem, vt aiunt Paulus, & Ioan. locis suprà citatis. Qua etiam de causa Deus olim seuerè interdixerat Iudæis commercium cum infidelibus, Exod. 34. v. 12. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius* (populi infidelis) *iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucósque succide, &c. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum Dijs suis, & adorauerint simulacra eorum, vocet te quispiam vt comedas de immolatis. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos.* Similis prohibitio habetur Deuteron. 7. v. 2. & sequentibus. Quantum verò scandalum & detrimentum in fide & moribus afferre soleat conuersatio cum hæreticis, notum est experientiâ.

103. *Si ineantur, sunt seruanda, vt Catholicis.* Secunda pars eiusdem propositionis traditur à Doctoribus Catholicis infra citandis, & speciatim à Becano in tractatu de fide seruanda Hæreticis, & 2. 2. in tract. de fide, cap. 16. Ratio eius est, quia omnes eædem causæ quæ nos obligant ad seruandam fidem Catholicis in eiusmodi conuentionibus, obligant pariter ad seruandam Hæreticis, stantibus ijsdem conditionibus. Tria enim sunt quæ ad fidem seruandam obligant in pactis, & contractibus legitimis: veritas, fidelitas, & iustitia. Obligat veritas vt sincerè loquamur paciscendo, ne alioqui mendaces simus, si aliud in ore, quàm in mente habeamus. Fidelitas obligat vt faciamus quod promisimus, ne perfidiæ crimen incurramus. Iustitia obligat vt ius suum cuique tribuamus; ac proinde seruemus ius, quod alter vi pacti & contractus legitimi acquisiuit, ne alioqui simus illi iniuriosi. At hæc obligant respectu cuiuscumque. Neque enim licet erga quemquam esse mendacem aut perfidum, aut iniuriosum: Ergo, si contractus aliquis fuit legitimè initus cum hæreticis, debet illis seruari fides, non minùs quàm Catholicis.

Tertia pars assertionis, de pactis publicis circa negotia ciuilia, sequitur ex duabus præcedentibus. Ampliùs verò confirmari potest ex Scriptura, quæ grauiter reprehendit violationem huiusmodi pactorum. Nam Gen. 34. Iacob Patriarcha seuerè increpat Simeonem, & Leui, propter violationem fidei datæ Sichimitis, prætextu iniuriæ sibi factæ ob raptum Dinæ sororis suæ: *Simeon, & Leui, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non sit gloria mea. Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, &c.* Et 2. Reg. 21. immisit Deus famem tribus annis in terram Israël, propterea quòd Saül occiderat Gabaonitas, contra fidem à Iosue illis datam, & pactum cum eis initum, Iosue 9. & lib. 2. Paralip cap. 36. punitur à Deo Sedecias regni amissione, & extremis calamitatibus, eò quòd fidem datam Nabuchodonozori, quamvis infideli, & hosti, quodammodo violasset. 104.

Secunda propositio: Non licet Principibus, aut Rebuspublicis, inire cum Hæreticis pactum circa Religionem de Hæresi toleranda, & de libertate conscientiæ illis permittenda, nisi quando ad vitandum maius malum id omnino necessarium est. Si tamen necessitas cogat inire, seruari debet. Prima pars probatur primò ex Scriptura, quæ iubet potiùs hæresim exscindi quoad fieri potest; & reprehendit eos, à quibus toleratur sine necessitate. Galat. 5. *Vtinam abscindantur qui vos conturbant, &c.* Vbi de Hæreticis Sermonem esse patet ex præcedentibus. Et Apoc. 2. v. 14. *Habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram Filijs Israël, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age.* Et inferius: *Habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten, docere & seducere seruos meos, &c.* 105. *Licétne pacisci de Hæresi toleranda?*

Probatur secundò ratione, quia non potest Magistratus Ecclesiasticus, aut ciuilis, per se loquendo, & sine cogente necessitate, permittere malum, quo pax Reipublicæ valde perturbatur, & Deus grauiter offenditur, & multorum ruina spiritalis causatur. Huiusmodi verò esse Hæresim in Christiana Republicæ, per se notum est & euidens experientiâ. Item, cùm Deus tantopere velit vnam fidem esse, & vitari dissensiones, & Schismata, & caueri falsos Prophetas, doctrinásque, varias & peregrinas, Matth. 7. Hebr. 13. Ephes. 4. & 1. Cor. 1. & 14. alijsque locis: non potest licitè permitti, sine 106. *Non licet absque necessitate.*

cogente necessitate, diuersitas Religionum, quæ non est sine diuersitate in fide, sine dissensionibus, & Schismatibus, nec sine varijs & peregrinis doctrinis quarum authores falsos esse Prophetas necessarium est, id est, Doctores mendacij, falsò asserentes se à Deo missos, ipsúmque suis erroribus attestari.

107. Tunc autem seruandum est pactū. Secunda pars, quòd tamen si cogente necessitate huiusmodi pactum ineatur, debeat seruari, probatur: quia potest & debet Princeps, aut Respublica seruare fidem datam in quouis pacto honesto, & licito. Huiusmodi autem est pactum de quo loquimur: nam licitum & honestum est permittere, seu tolerare minus malum, ad maius impediendum. Et verò, si in pactis & contractibus priuatis, veritas, fidelitas, & iustitia, obligant ad fidem seruandam erga quoslibet, vt patet ex dictis in prima propositione: multò magis in illis quæ publica authoritate firmantur, cuius fides magis tuta, & sacra, & inuiolabilis esse debet.

Occurritur obiectioni. Nec obest quòd huiusmodi pactum fuit à Principe, necessitate cogente, initum cum subditis rebellibus, ad hanc necessitatem iniustè adigentibus. Nam, vt rectè ait Tannerus tom. 3. Disp. 1. quæst. 9. Dub. 4. Num. 118. Licet rebelles subditi nullâ huiusmodi fœderis, aut pacti societate digni sint, possintque citra pactum quibusuis modis conuenientibus compelli ad iustam Principis voluntatem, debitúmque obsequium: Princeps tamen hoc ipso quòd, re ita postulante, cum illis pacisci in animum inducit; cedit quoad hoc, iure suo, ipsósque subditos in ea conditione constituit, & habet, quâ cum illis, velut hac in re sui iuris, pacisci possit.

108. Altera obiectio diluitur. Non obest etiam quòd Princeps, aut Respublica patiatur deinde incommodum ex hac conuentione, mutatis rerum circumstantijs. Nam paciscentes mutuò se exponunt tali periculo: & alioqui aperietur via frangendi fidem quorumcumque pactorum: nulla enim fiunt, quæ non pateant aliquibus incommodis. Atque ita nulla esset in pactis securitas, neque per illa possent lites terminari: quod valde pugnat contra bonum pacis, & societatis humanæ: adeóque grauissimum malum est. Confirmatur exemplo emptionum, & aliorum contractuum priuatorum, qui non possunt infringi voluntate vnius contrahentis, licet inde patiatur incommodum; modò aliunde contractus fuerint legitimi. Imò quamvis in tali pacto ineundo Princeps minùs prudenter & inconsideratè processerit: id non sufficit ad fidem violandam, modò fraus & dolus circa substantiam contractus ex parte Hæreticorum abfuerit: vt ex communi sententia Catholicorum docet author citatus loco supra citato, quia, inquit, num. 112. commune illud est omnibus pactis, vt sola inconsideratio, per se, vel imprudentiâ alterius contrahentis, ea non reddat irrita: licet ob illam inconsiderationem peccauerit promittens & contrahens: dummodo res ipsa, quæ promittitur, non sit per se mala. Non est autem per se malum promittere tolerantiam falsæ Religionis, in eo casu, quo necessaria est ad euitandum maius malum. Notandum verò est interdum hanc necessitatem contingere culpâ ministrorum Principis, qui Hæreticis fauent, aut negligentes sunt, neque vtuntur authoritate & potestate sibi concessa, ad compescendam & extinguendam Hæresim. Et tunc Princeps excusatur quidem à peccato, vndecumque inducatur illi necessitas, cui aliter mederi nequit. Sed grauiter peccant ministri, & Prouinciarum Præfecti, vel iudices, qui desunt suo officio. Notandum etiam, non posse tale pactum iniri, nisi quantum postulat necessitas maioris mali vitandi: alioqui enim non obligat, quia est de re mala & illicita: vt si ineatur de toleranda in perpetuum falsa Religione, quidquid contingat. Ideóque Principes Christiani ad certum tempus limitant eiusmodi pacta.

Porro, doctrinam his duabus propositionibus explicatam communem esse Catholicorum patet ex Molano in libris quos accuratè scripsit de fide seruanda Hæreticis, Becano in Opusculo de eadem re, & 2. 2. in Tract. de Fide, cap. 16. Tannero quæst. 9. de Fide dub. 3. & 4. & alijs quos iste citat. Superest vt respondeamus argumentis præcipuis quibus sectarij demonstrare contendunt aliam esse Catholicorum sententiam. 109.

110. Obiectio de Concilio Cōstantiensi. Objiciunt primò, Concilium Constantiense violasse fidem publicè datam, Ioanni Hus, & Hieronymo Pragensi, quos contra saluum conductum comburi iussit: posséque licitè non seruari fidem datam Hæreticis declarauit Sessione 19. His Verbis: *Præsens Sancta Synodus ex quouis saluoconductu per Imperatores, Reges, & alios sæculi Principes, Hæreticis, vel de Hæresi diffamatis concesso, nullum fidei Catholicæ, vel Iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu debere declarat, quò minùs dicto saluo conductu nonobstante, liceat iudici competenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere & aliàs contra eos procedere, eosdémque punire, quantùm iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint: etiamsi de saluo conductu confisi ad locum iudicij venerint, aliàs non venturi: nec sic promittentem, cùm fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.*

111. Ostenditur non violasse fidem datam Hæreticis. Respondeo primò, quod attinet ad Ioannem Hus, fidem non fuisse illi datam à Concilio Constantiensi, sed à Sigismundo Imperatore, per saluum conductum, datum in forma communi dumtaxat, id est, iustitiâ semper saluâ, & prohibentem illi fugam sub pœna capitis. Ille autem contra huiusmodi prohibitionem fugâ se proripuit: & à fuga retractus, nolénsque hæresim abjurare, combustus est, sine violatione fidei datæ à Sigismundo, cuius saluum conductum eneruauerat, violata per fugam apposita conditione: vt testantur Nauclerus, & alij Historici: multóque magis sine violatione fidei datæ à Concilio, quippe quod nullam illi dederat. Neque eum excusat, quod respondent Hæretici, meritò eum fugisse, quia tres Pontifices fugerunt eodem tempore; & ipse videbat se à Concilij Patribus obseruari. Nam culpa trium Pontificum fugitiuorum, quorum

causa erat planè diuersa, non excusat Hussium: & iure prudentérque obseruabatur à Patribus, Hæresiarcha qui cœperat in Bohemia suos errores disseminare, ne illos quoque apud Constantienses spargeret.

112. Secundò, quod attinet ad Hieronymum Pragensem, ille quidem fidem & saluum conductum ab ipso Concilio acceperat in forma communi tantùm, & additâ expresè hac clausulâ, *Saluâ semper iustitiâ*, vt videre est Sessione 6. eiusdem Concilij: sed ille pariter aufugit postquam publicè conuictus Hæresim abjurasset; vt habetur Sessione 19. & per fugam quidem eneruauit saluum conductum: per relapsum verò in hæresim, & pertinaciam in ea defendenda, dignus fuit supplicio, quo affectus est. Itaque fides salui conductus non fuit illi violata magis, quàm Hussio: sed vterque potiùs fidem publicam violauit per fugam.

113. Neque statuisse eam posse licitè violari. Tertiò, quoad definitionem aut declarationem Concilij, relatam in obiectione, Respondeo non ibi asseri, vel declarari, posse fidem Hæreticis datam violari, vt falsò objiciunt aduersarij: sed tantùm, Imperatores, Reges, & Principes sæculares, non posse per saluum conductum à se datum, impedire quò minùs Ecclesia, quæ in causis Religionis ius & tribunal superius habet, possit agere suo iure. Sicut in omnibus alijs causis tribunal inferius non derogat iuri superioris, neque impedit quò minùs Iudex, aut Princeps superior, possit officio suo fungi. Ideóque securitas, quam inferior promittit alicui, non ligat authoritatem & Iurisdictionem superioris. Plura de hac obiectione videri possunt apud Becanum, cap. suprà citato.

114. Neque sacri Canones id statuunt. Objiciunt secundò decreta quædam Concilij Romani IV. sub Gregorio VII. Lateranensis sub Innocentio III. & Gregorij IX. Cap. *Absolutos, de Hæreticis*; quibus subditi absoluuntur à Sacramento fidelitatis erga Dominum excommunicatum, aut lapsum manifestè in Hæresim. Respondeo, abstrahendo à Disputatione de valore & effectu huiusmodi constitutionum; Non inde sequi fidem datam hæreticis non esse seruandam in ijsdem conditionibus, in quibus esset seruanda Catholicis, de quo solo est præsens Disputatio: quamvis verum sit quòd postquam per superiorem & legitimam potestatem aliquis fuit priuatus Iurisdictione, in pœnam criminis; subditi manent liberi à iuramento fidelitatis, quo illi erant obstricti. Quæ pœna locum habere potest respectu Catholicorum, æquè ac Hæreticorum: imò iura citata loquuntur de Catholicis, & pactis initis cum illis: neque magis subditi tenentur illis obedire, in casu, quo verè & efficaciter priuati fuerint iurisdictione, & desierint esse superiores legitimi. Ac si hæretici priuantur illo iure interdum, non priuantur vi solius Hæresis: sed propter adiunctam excommunicationem: imò neque vi solius excommunicationis, nisi accedat sententia, quâ talis pœna imponitur.

Objiciunt tertiò, Hæreticos priuari omni iure & dominio bonorum temporalium, cap. 115. *Cum secundùm leges, de Hæreticis, in 6.* vbi dicitur bona Hæreticorum esse ipso iure confiscata. Ergo conuentiones quæ cum illis fiunt circa bona temporalia, non obligant secundùm nos. Non priuantur iure per pacta acquisito. Respondeo, Hæreticos non priuari bonis suis temporalibus præcisè vi hæresis: sed in pœnam criminis puniri per leges Ecclesiasticas pœnâ confiscationis; sicut per ciuiles puniuntur pœnâ mortis: quæ pœna confiscationis non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis, & executoriam: ante quam possunt licitè bona sua retinere: quique cum illis circa ea contraxerunt, debent fidem seruare: Post sententiam verò, tenentur tradere fisco id quod debebant Hæreticis, quia ad illum bona Hæreticorum iam deuoluta sunt. Nec obest particula, *ipso facto*, apposita Canoni citato. Neque enim facit vt pœna illa incurratur absque vlla sententia; sed solùm vt pœna retrotrahi possit vsque ad diem criminis commissi, vt diximus in tractatu de legibus.

Objiciunt quartò, Hæreticos quoscumque excommunicari ipso facto, Cap. *Ad Abolendam*, Cap. *Excommunicamus*, Extra, de Hæreticis, Cap. *Nouerit*, de sententia excommunicationis, Cap. *Achatius*, 24. q. 1. & Cap. *Quicumque*, de Hæreticis in 6. Et iuxta doctrinam Romanæ Ecclesiæ, omne commercium cum excommunicatis interdictum esse. Ergo non tenentur Catholici, neque licitè possunt fidem illis seruare: quippe quæ sine aliquo commercio cum illis seruari nequit. 116. Nec obest quod sint Excommunicati. Respondeo primò, non interdici Catholicis commercium cum excommunicatis nisi sint nominatim excommunicati, aut notorij percussores Clericorum, vt habetur in Extrauag. *Ad vitanda scandala*. Hæretici autem non sunt nominatim excommunicati; & vix, aut rarò eorum aliqui nominatim excommunicantur. Respondeo secundò, ne quidem erga nominatim excommunicatos, aut notorios Clericorum percussores, prohiberi commercium necessarium ad reddenda officia illis debita, & necessaria ex charitate, vel ex iustitia: cuiusmodi est, fidem illis seruare in pactis, & contractibus licitis ac legitimis. Et quamvis aliqui existiment posse differri restitutionem eorum quæ illis debentur, donec è cæno excommunicationis emerserint: probabilius tamen nobis videtur oppositum, cum multis alijs: vt dicemus inferiùs Disp. 28. Sect. 12. Nec vllus est Doctorum Catholicorum, qui existimet excommunicationem esse causam sufficientem ad liberandum per se à tali debito, quamvis aliqui putent illam sufficere ad differendam solutionem. Et hactenus de hæresi.






TRACTATVS SECVNDVS.

DE SPE, ET CHARITATE.

EXPLICATIS ijs, quæ ad Fidem Theologicam pertinent, dicendum sequitur de Spe, cuius hypostasis, siue basis & fundamentum est Fides, vt ait Apostolus Hebr. 11. v. 1. quæque ab eodem inter virtutes Theologicas secunda numeratur 1. Corinth. 13. v. vlt. *Nimirum quia, vt verè dixit Origenes in cap. 4. Epist. ad Rom.* Prima salutis initia, & ipsa fundamenta Fides est: profectus verò, & augmenta ædificij Spes est: perfectio autem, & culmen totius operis, Charitas. *Et D. Augustinus eâdem vtens similitudine, Serm. 20. de verbis Apost.* A Fide, *inquit*, domus Dei credendo fundatur; sperando erigitur; Diligendo perficitur. *Quibus conformiter Trident. Sess. 6. cap. 7. pronuntiat nostram cum Christo vnionem Fide inchoari, Spe augeri, Charitate perfici, per eamque nos viua eius membra constitui.* Nam Fides, *inquit*, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque vnit perfecte cum Christo, neque viuum eius membrum efficit. *Et denique, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 7. & 8. Fides præcedit Spem, quia per illam cognoscimus posse nos vitam æternam adipisci, & ad hoc paratum nobis esse Dei auxilium. Spes autem introducit ad Charitatem, quatenus sperantes tantum à Deo bonum, accendimur ad ipsius amorem.*

Quæcunque autem de Spe dicuntur à Theologis cum D. Thoma quæst. citatâ, & pluribus sequentibus, vel cum Magistro in 3. dist. 26. his septem capitibus continentur. 1. Sit-ne propriè virtus, & virtus Theologica? 2. Quodnam sit eius obiectum? 3. Qui, quot-ve sint illius actus? 4. Quis habitus? 5. Quod subiectum? 6. Quæ præcepta? 7. Quæ vitia sint illi opposita? Eadémque omnia de Charitate, sed non eodem ordine, inquiruntur à D. Thoma, & à nobis in præsenti Tractatu, Deo fauente, explicanda sunt.



DISPVTATIO QVINTA-DECIMA.

De obiecto Spei.

DE argumento proposito disputat S. Thomas quæst. 17. Et art. 1. docet Spem esse virtutem: quia facit actum hominis bonum, & debitam Regulam attingentem; Deum scilicet ipsum, quatenus facit vt speremus aliquid tanquam possibile nobis per diuinum auxilium. 2. Proprium & principale obiectum Spei esse beatitudinem æternam: quia cùm Spes, de qua loquimur, attingat Deum, innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum: oportet bonum illud esse causæ proportionatum. Et ideo bonum, quod propriè & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuuantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quàm sit ipse: cùm non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quàm eius essentia. 3. Tametsi Spes directè respicit proprium bonum, non autem, quod ad alium pertinet: ideóque non posset vnus sperare absolutè alteri vitam æternam, sed tantùm sibimetipsi: Secus tamen præsuppositâ vnione per amorem, & charitatem. Tunc enim potest vnus alteri sperare, & desiderare vitam æternam, velut sibi coniuncto per affectum. Et sicut eadem est virtus charitatis, quâ quis diligit Deum, & seipsum, & proximum: ita est eadem virtus Spei, quâ quis sperat sibi-ipsi & alijs. 4. In solo Deo, velut in causa principali beatitudinis sperandum est: licere tamen sperare de aliquo homine, vel de alia aliquâ creatura, sicut de agente secundariò,

& instrumentali, per quod iuuari possumus ad consequenda bona in æternam beatitudinem ordinata. 5. Spem esse virtutem Theologicam; quia eius obiectum principale est Deus. Attingit enim Deum, & sicut causam primam efficientem, in quantum eius auxilio innititur: Et sicut vltimam causam finalem, in quantum in eius fruitione beatitudinem exoptat. 6. Spem esse virtutem distinctam ab alijs Theologicis: quia facit Deo inhærere aliter, quàm fides, & charitas. Nam charitas, facit hominem Deo adhærere propter seipsum, mentem vniens Deo vt summè dilecto propter se: fides hominem Deo adhærere facit in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem: Spes autem facit Deo adhærere prout est in nobis principium perfectæ bonitatis: In quantum scilicet per Spem diuino auxilio nitimur ad beatitudinem obtinendam. 7. Fidem præire Spei, quia per illam cognoscimus posse nos vitam æternam adipisci, & ad hoc paratum nobis esse diuinum auxilium. 8. Spem naturæ ordine, siue generationis esse priorem charitate: posteriorem vero, ordine perfectionis, & quia Spes ducit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum, & ad seruanda eius præcepta. Charitas autem perfectior est, & Spem ipsam perfectiorem reddit, quia de amicis maximè speramus. Hucusque D. Thomas.

SECTIO I.

Præmittuntur nonnulla de voluntate, & appetitu, eiusque varijs affectibus, & tendendi modis.

1\. PRIUSQUAM de Spe, & alijs virtutibus voluntatis, disputemus, operæ pretium fuerit nonnulla præmittere de natura voluntatis, & appetitus, eiusque varijs affectibus & tendendi modis: ex quorum ignorantia, vel inaduertentia magnæ & frequentes oriuntur in disputatione de virtutibus hallucinationes, aut æquiuocationes, vt in progressu patebit.

Appetitus duplex est: sẽsitiuus, & rationalis. Nota igitur primò, appetitum distingui in sensitiuum, & in rationalem, qui dicitur voluntas. Inter quos quadruplex discrimen est. Primum, quòd sensitiuus sequitur cognitionem sensus, illique subordinatur: vt scilicet prosequatur bona, vel fugiat mala; quæ per sensum percipiuntur, ipsique proponuntur vt appetenda, vel fugienda. Frustra enim cognoscerent animalia, quæ sibi sunt bona, vel mala; conuenientia, vel disconuenientia; vtilia, aut necessaria; vel noxia, & perniciosa; nisi possent illa prosequi, & ista fugere per appetitum applicantem seipsum, & alias potentias ad obtinendum, aut retinendum bonum; fugiendúmque, aut expellendum malum. Appetitus verò rationalis sequitur lumen rationis, & cognitionis intellectualis circa bona, vel mala, per ipsam proposita. *Discrimẽ multiplex inter vtrũque.* Secundum discrimen est, quòd appetitus sensitiuus versatur tantùm circa bona sensibilia, & mala illis contraria: Rationalis autem versatur etiam circa bona insensibilia, & purè spiritualia; maláque illis contrariè, aut priuatiuè opposita. Tertium est, quòd sensitiuus versatur tantùm circa bona delectabilia, vel commoda sensui, & naturæ animali; vel circa mala illis opposita. Rationalis verò altiùs assurgit, & versatur etiam circa bona honesta, id est, quæ decent naturam rationalem, vt talem; & circa turpia, seu dedecentia talem naturam: quam conuenientiam, & disconuenientiam solus intellectus & cognitio rationalis attingit. Sensus enim non assurgit supra sensibilia, & naturam animalem, vt talem. Quartum est, quòd appetitus rationalis est liber, & habet dominium suorum actuum circa bonum, & malum, debito modo propositum ab intellectu: vnde etiam capax est virtutis, & vitij; actionúmque imputabilium ad laudem, vel ad vituperium; & ad præmium, vel ad pœnam. At verò sensitiuus naturaliter sequitur cognitionem sensus, nisi à voluntate cohibeatur: nihilque habet per se libertatis, & dominij in suos actus: sed solùm quandam subiectionem politicam ad regimen voluntatis, à quâ potest applicari, vel cohiberi: ab illoque regimine actus illius denominantur extrinsecè liberi, quando fiunt voluntate liberè applicante, aut permittente, vel consentiente.

2\. Nota secundò, appetitum distingui communiter à Philosophis in concupiscibilem, & irascibilem. *Diuiditu in cõcupiscibilem, & irascibilem.* Quorum ille versari dicitur circa bonum, & malum carens arduitate, seu difficultate: iste verò circa bonum & malum arduum & difficile. Vterque habet varios affectus. Nam in appetitu concupiscibili ponuntur tres actus circa bonum carens arduitate: &

Actus concupiscibilis. totidem circa malum illi oppositum. Nimirum amor, seu complacentia circa bonum illud simpliciter spectatum: desiderium circa idem, si est absens: & gaudium, si est præsens. Odium verò versatur circa malum oppositum, simpliciter spectatum: & timor circa illud idem, si est futurum: & tristitia, si est præsens. Qui omnes affectus sunt inter se connexi, & vnus ex alio sequitur. Nam ex amore, & complacentia boni, oritur illius desiderium, si est absens: & gaudium de eodem, quando est præsens. Est enim gaudium suauis quies voluntatis in bono amato & desiderato, iam obtento. Item, ex amore & complacentia boni, sequitur odium & displicentia circa malum oppositum. Et ex odio timor, si malum apprehenditur vt futurum & imminens: & dolor si est præsens. In appetitu autem irascibili ponuntur quinque motus circa bonum, & malum arduum, id est, quod non nisi difficulter obtineri; aut vitari, vel expelli potest. Nimirum Spes, id est erectio animi, & confidentia voluntatis circa bonum arduum, tanquam possibile obtineri viribus proprijs, aut ope alterius, cuius auxilio innitimur. Desperatio, id est, abiectio animi, & diffidentia circa idem bonum tanquam impossibile obtineri, vel nimis difficile; abjiciendo animum & desiderium prosequendi, propter difficultatem, aut impossibilitatem, veram, aut præsumptam. Audacia, id est, affectus generosus, & vehemens ad vincendas causas mali, vel impedimenta boni. Metus, id est, timor vehemens, & succumbens causis mali, vel impedimentis boni, velut insuperabilibus, & ineuitabilibus: qui duo motus sunt inter se contrarij, æquè ac duo priores. Et Ira denique, id est, cupiditas vlciscendi, aut leniendi suum dolorem, destruendo causas mali, vel impedimenta boni.

Affectus irascibilis.

3. Omnes isti motus sunt indifferentes de se. Nota tertiò, hos omnes motus appetitus esse de se indifferentes ad bonum, vel ad malum vsum. Possumus enim bene & conuenienter rectæ rationi amare, & odisse; desiderare, & timere; gaudere, & dolere; sperare, vel desperare, id est, abjicere animum circa aliquid vt impossibile, aut nimis difficile, & viribus nostris improportionatum: audere, & metuere; ac denique irasci. Possumus etiam vitiosè & inordinatè, contráque rectam rationem hæc omnia præstare. Nullus enim est illorum motuum, qui ex naturâ suâ, vel ex modo tendendi in obiectum, sit determinatus ad vsum honestum. Imò natura corrupta plerumque nos inclinat, & impellit ad malum vsum. Propter quam inclinationem corrigendam, & ad appetitum in officio, rectóque motuum suorum exercitio continendum, est opus virtutibus, & auxilijs gratiæ.

4. Obiectum eorum, & modus tendendi differunt. Nota quartò, in omnibus eiusmodi motibus distinguendum esse id, in quod tendunt, velut in obiectum materiale, aut formale: & modum quo specialiter tendunt, causámque cur sic tendant. Exempli gratiâ: id quod desideramus, est aliquod bonum, sub tali ratione formali amandi: puta quia est bonum Dei, vel bonum proximi, aut bonum nostrum, vel quia iustum, temperatum, &c. Causa verò cur desideremus potiùs, quàm gaudeamus, est quia tale bonum est absens. Similiter, id quod speramus, id est, circa quod erigimur animo, & confidimus, est aliquod bonum: causa verò cur confidamus, est quia habemus vires idoneas, vel auxilium sufficiens ad illud, quamvis arduum, assequendum. Contrà verò; causa, cur desperemus, id est, cadamus animo circa idem bonum, est quia caremus viribus, vel auxilio sufficienti, quantum nobis esset opus ad superandam aut leniendam difficultatem assequendi. Sicut autem affectus illi sunt indifferentes de se, vt bene, vel malè exerceantur; & vel in hac materia & specie virtutis, vel in illa: quippe qui omnibus communes sunt: Ita & illi modi tendendi sunt pariter ad bonum & malum vsum indifferentes, & ad hanc vel illam materiam speciemque virtutis. Quælibet enim virtus desiderat bonum suum obiectiuum, si est absens; ideo quia est absens; & gaudet, si est præsens; idcirco quia præsens est: & sic de alijs. Et qui desiderant voluptatem illicitam, aut de illa gaudent; desiderant similiter, quia est absens, & gaudent quia est præsens; sperant, si habent vires sufficientes ad obtinendum: si contrà, desperant.

5. Appetitus conc. & irasc. non differunt realiter. Nota quintò; non esse necessarium propter hanc multitudinem, & diuersitatem affectuum distinguere realiter hos appetitus: præsertim in voluntate. Non esse, inquam, distinguendum realiter appetitum concupiscibilem ab irascibili, propter arduitatem; vt plerique opinantur. Idem enim appetitus, qui fertur in bonum; valet contra arduitatem, modò se contra illam erigat, & generosè, intensè, vehementérque feratur in bonum. Potest autem vnus idemque appetitus ferri intensiùs, & remissiùs; præsertim si liber est: neque intensio & remissio variant speciem actus. Estque multò probabiliùs, & conuenientius, vt idem appetitus, qui fertur desiderio circa bonum; erigat se, atque corroboret contra arduitatem illius assequendi, generoséque contra illam luctetur. Quæ erectio animi circa bonum arduum, dicitur Spes; & contra malum, Audacia. Desiderium quoque boni, quod tribuitur appetitui concupiscibili, dummodo sit vehemens, & generosum, valere potest ad eluctandam difficultatem illius assequendi, si superabilis videatur proprijs viribus, vel alieno auxilio, cui mens confisa, contra illam assurgat: quo modo dicitur sperare. Et timor vehemens valet ad superandam difficultatem, si contra illam sese attollit & corroborat, fretus proprijs viribus, vel alieno auxilio; per quod credit euadi posse: qui motus animi contra malum, vocatur audacia. Sicut enim amor vehemens est audax ad bonum arduum prosequendum: ita vehemens odium est audax ad vincendam difficultatem, quæ est in fuga alicuius mali. Circa malum verò præsens non est, nisi dolor maior, vel minor. Sed circa mali durationem potest esse timor audax: & contra mali causas, est ira, quæ est cupiditas vlciscendi, & destruendi causas mali, aut obices boni; oritúrque ex vehementi amore boni, aut ingenti odio mali; vel ex speciali inclinatione leniendi suum

dolorem, & molestiam circa causas mali, vel impedimenta boni, per eorum destructionem. Sed non debet idcirco pertinere ad potentiam realiter distinctam. Satius enim est, vt eadem potentia appetitiua, quæ amat bonum, & odit malum; velit destruere causas mali, & impedimenta boni. Desperatio verò prouenit ex eo, quòd difficultas assequendi bonum, videatur insuperabilis, defectu virium sufficientium, vel alieni auxilij necessarij. Nam, vt ait D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 4. ad 3. Desperatio importat quendam recessum à re desiderata, propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi. Idémque de metu circa malum arduum dicendum est. Prouenit enim ex eo, quòd difficultas illud euadendi videtur insuperabilis, atque ita metu concidit animus propter arduitatem, & impossibilitatem. Quare nullus affectus tribuitur appetitui irascibili circa bonum, vel malum arduum, qui non iure conueniat appetitui concupiscibili. Ita vt solùm opus sit maiori vehementiâ, & conatu voluntatis circa bonum, vel malum arduum; aut diuerso tendendi modo. Idem autem appetitus, eademque virtus potest diuersis modis tendere in obiectum suum, & maiore, aut minore conatu, & vehementiâ. Neque propter conatum, & intensionem mutatur species virtutis, vel species actus circa idem obiectum; si nihil aliud sit, propter quod specie distinguantur.

6. Eadem virtus versatur circa bonum, & malum ipsi oppositum. Nota sextò, virtutem quamlibet voluntatis, siue supernaturalem, siue etiam naturalem adæquatè sumptam versari circa bonum aliquod ex speciali quodam motiuo; & circa malum illi oppositum: perficeréque integrè voluntatem circa tale obiectum, non solùm quoad vnum aut alterum affectum; sed quoad omnes actus, siue appetitus concupiscibilis, siue etiam irascibilis, qui conuenienter circa tale obiectum & motiuum exerceri possunt. Ex. gr. ad eandem virtutem Charitatis supernaturalis pertinet amare Deum propter se, & quidquid illi placet; detestarique oppositum, & de illo dolere in quantum Deo displicet: vt rectè docet S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. Vbi ait eiusdem esse Charitatis velle bonum Dei, & auersari malum illi contrarium. Et iustitia, tam generaliter sumpta pro quacunque virtute, aut pro omnium virtutum complexione; quàm particulariter pro illa, quæ peculiariter iustitia vocatur, vna de quatuor Cardinalibus, & præcipua inter morales: omnis inquam iustitia duabus constat partibus, quarum vna est, declinare à malo: & altera, facere bonum: vt docet idem S. Doctor 2. 2. q. 79. art. 1. c. Nimirum quia sicut eiusdem est potentiæ motiuæ recedere à termino à quo, & accedere ad terminum ad quem: prosequi vtilia, & fugere noxia; & vna eademque potentia appetitiua fertur in bonum prosecutiuè, detestatúrque, & odit malum oppositum: Sic quælibet virtus quæ potentiam appetitiuam perficit, tendit primò in aliquod bonum honestum, eiusque amore odit & detestatur oppositum. Ex amore

Et exercet omnes affectus supradictos autem illius boni sequitur naturaliter eiusdem desiderium, si est absens: & gaudium, si est præsens. Itémque ex odio mali oppositi, sequitur naturaliter timor, si est futurum: & tristitia, si præsens est. Qui omnes actus sunt conuenientes tali obiecto, & motiuo formali, sub quo virtus in illud tendit. Quare illi omnes affectus appetitus concupiscibilis ad eandem virtutem pertinent, instruentem perfectè voluntatem circa suum obiectum. Ad alios verò actus, qui tribuuntur appetitui irascibili, exercendos circa idem bonum, & malum, si est arduum, est tantum opus intensione, & maiori conatu, vt suprà diximus. Potest autem eadem virtus valere ad actus intensos. Nam intensio graduum qualitatis non variat speciem, sicut nec extensio partium quantitatis. Hinc collige actum amoris non conuenire soli Charitati, quæ ab illo nomen accepit: Neque actum sperandi, soli virtuti Spei: neque actum audendi generosè, soli virtuti Fortitudinis: sed vnamquamque virtutem valere ad hos actus, & ad quoscunque alios, qui conuenienter circa suum obiectum exerceri possunt ex motiuo formali, sub quo in illud tendit.

Nota septimò, differentiam esse inter virtutes voluntatis naturales, & supernaturales: quòd habitus virtutis naturalis, siue acquisitæ, non est vna simplex qualitas valens ad omnes actus conuenientes suo obiecto: sed collectio multorum habituum partialium, & constituentium vnum totalem per quandam coordinationem, & ordinem ad vnum obiectum adæquatum virtutis. Cùm enim illi habitus pariantur per actus, sintque illis commensi & proportionati: neque excedant vim suæ causæ: & multi actus realiter, ac specificè diuersi, exerceantur circa obiectum eiusdem virtutis: hinc est quòd etiam multi, & diuersi specie gignuntur habitus inclinantes, & facilitantes ad exercendos similes actus. At verò habitus cuiuslibet virtutis supernaturalis integrè sumptæ, & adæquatè, est vnicus realiter, valens ad omnes illius actus. 7. Virtus naturalis non est vnus simplex habitus. Secus autem supernaturalis. Quippe qui non generatur Physice per actus: sed à Deo infunditur: neque dat solùm facilè posse; sed posse simpliciter operari actus supernaturales: Estque similis potentiæ naturali, tum in eo quòd dat posse simpliciter: tum etiam in eo, quòd idem realiter, & indiuisibiliter valet ad plurimos actus specie diuersos: tot scilicet, quot honestè exerceri possunt circa obiectum adæquatum talis virtutis: sicut idem intellectus v. g. valet ad omnes actus intelligendi: & eadem voluntas ad omnes actus volendi, aut nolendi: & eadem potentia visiua, vel auditiua, ad omnes actus videndi, vel audiendi. Similique modo vnus & idem realiter habitus fidei supernaturalis valet ad omnes actus fidei, & ad omnia obiecta sufficienter à Deo reuelata: habitus verò fidei acquisitæ, & scientiæ naturales adæquatè sumptæ, non sunt vnus simplex habitus, sed multorum collectio: vt docent qui meliùs philosophantur.

Nota vltimò, quando de obiecto formali alicuius virtutis disputatur, loquendo de virtutibus voluntatis, sensum quæstionis esse; Quænam sit ratio boni, quam virtus illa ratione suiipsius vult, & propter quam vult quidquid illi subjicitur, detestatúrque oppositum? id est, quænam sit ratio boni, quam virtus illa 8. Obiectū formale virtutis quoduā sit?

propter seipsam amat; & desiderat obtinere, si abest; & sperat, erigitúrque animo circa illam, si potest obtinere; & audet contra difficultates, vel pericula; & irascitur contra impedimenta; & gaudet, si obtineat. Non est autem sensus quæstionis, quâ de causa hunc potiùs affectum voluntatis, quàm illum exerceat circa obiectum: id est, cur potiùs desideret, quàm gaudeat; speret potiùs, quàm desperet illud assequi; & audeat potiùs, quàm metuat circa illius prosequendi difficultates, labores, & pericula. Quæ causa, cùm sit communis omnibus illis affectibus, in quacunque specie virtutis, aut vitij exerceantur; non potest esse obiectum formale, & specificatiuum alicuius virtutis, sub eadem ratione quâ communis est omnibus: id est, nisi sub speciali quadam consideratione attingatur, & ad talem virtutem, tanquam proprium illius motiuum, restringatur.

SECTIO II.

Quid sit Spes Theologica?

9. Variæ acceptiones Spei. SPei nomen variè sumitur. Primò pro actu intellectus, quo existimamus aliquid euenturum esse. Quo sensu Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. initio, dicit Spem esse expectationem boni acquirendi. Expectationem verò ait esse firmam apprehensionem, quòd nimirum aliquid euenturum sit. Secundò, pro affectu appetitus circa id quod expectatur, siue bonum, siue malum: quo sensu Poëta 4. Æneidos,

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem;
Et perferre, soror, potero.

Tertiò frequentiùs, & magis propriè, sumitur pro erectione animi, & affectu generoso circa bonum arduum, & difficile obtentu: quo sensu Spes dicitur esse affectus appetitus irascibilis: iuxta diuisionem supra traditam num. 2. Quartò denique vsurpatur pro secunda virtute Theologica, de qua in præsenti tractatu Sermo est, & de qua loquitur Apostolus 1. Cor. 13. ver. vlt. cùm sic ait: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Et Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Sicut autem fidei nomen, quamvis propriè virtutem ipsam significet, extenditur tamen metaphoricè ad ipsius obiectum, vt suo loco notauimus: Ita nomen Spei aliquando tribuitur eius obiecto: vt Rom. 8. *Spes quæ videtur, non est Spes.* Et Tit. 3. *Expectantes beatam Spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Dicitur etiam interdum de illo, in quem speramus, id est, cuius auxilio confidimus nos assecuturos esse id, quod desideramus: vt Psal. 60. *Factus est Spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Et Ieremiæ 17. ver. 17. *Spes mea tu in die afflictionis:* qui loquendi modus in familiari sermone vsitatissimus est.

10. His præmissis de nomine, vt ad rem veniamus: Dico primò Spem Christianam & diuinam, de qua nunc disputamus, esse veram & propriè dictam virtutem: vnámque ex illis, quæ Theologicæ appellantur, eò quod circa Deum vt obiectum suum immediatè versentur. Spes est vera virtus. Ratio primæ partis est, quia Spes versatur conuenienter circa obiectum suum, & conformiter ad Regulam rectæ rationis. Siue enim illius obiectum sit diuina omnipotentia, & misericordia, cuius ope, & promissione freti speramus bona supernaturalia; id est, erigimur animo, & fiduciam concipimus illa assequendi, contempta nostra infirmitate præ Dei omnipotentia opem suam misericorditer promittentis; atque ad illa prosequenda excitamur, fugiendáque mala illis opposita: siue sint ipsa bona supernaturalia, quæ speramus, id est, desideramus assequi; præcipuéque Deus ipse, vt nostrum summum bonum, & beatitudo obiectiua: rectæ rationi conueniens est inniti Dei ope misericorditer oblata ad tantum bonum assequendum: proptérque illam animo erigi, & audere, nostramque infirmitatem præ Dei ope despicere sicut rectæ rationi conueniens est, pertinétque ad honestatem fidei Theologicæ, inniri Dei reuelantis veracitati, & præ illius reuerentia, & authoritate, contemnere difficultates quæ in credendo possunt occurrere, captiuando generosè intellectum in obsequium fidei. Sicut etiam rectæ rationi conuenit, pertinétque ad honestatem fortitudinis, erigi animo contra pericula, & audere moderatè: neque nimiùm cedendo timori periculorum, per pusillanimitatem; neque etiam nimis de suis viribus præsumendo, per audaciam vitiosam, seu temeritatem. Conuenit etiam rectæ rationi desiderare assequi bona supernaturalia nobis à Deo proposita, & conari efficaciter ad illa obtinenda cum Dei ope: præcipuéque Deum ipsum, summum nostrum bonum, & summo amore dignissimum. Quod adeò per se notum est, vt superuacaneum foret in eo probando diutius immorari.

Neque video quo iure Durandus in 3. dist. 26. quæst. 1. num. 7. dicere potuerit Spem non esse virtutem, nisi largo modo sumptam. Cùm ad virtutem propriè, & strictè acceptam nihil aliud requiratur ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. nisi vt sit habitus cum recta ratione electiuus: quod Spei diuinæ & Christianæ conuenire manifestum est. Neque ipse quicquam in contrarium affert magni momenti. Nam quod alibi ait, virtutem, ex eodem Philosopho, esse dispositionem perfecti ad optimum: Spes autem, cùm versetur circa bonum arduum, absens, & nondum possessum, non est dispositio perfecti ad optimum: vt neque fides, quæ versatur circa Deum obscuro tantùm modo cognitum: Hoc, inquam, nullius est momenti. Sensus enim Aristotelis est, quòd virtus sit dispositio perfecti, id est, partis animæ rationalis, ad optimum, id est, ad honestum, quod est optimum è tribus bonorum generibus, quia est melius vtili, & iucundo. Sic autem Spes, & Fides disponunt ad optimum, id est, ad actum honestum & conuenientem rectæ rationi; quamvis non disponant ad actum perfectissimum, qui circa obiectum illarum dari potest. Præterquàm

11. Refellitur sententia cōtraria.

terquam quòd Spes valet etiam ad actus perfectos, & beatificos circa Deum clarè visum & possessum, vt proprium bonum sperantis; sicut dicemus alibi.

12. Est virtus Theologica. Secunda pars conclusionis, quòd nimirum Spes sit virtus Theologica, probatur, quia habet ipsum Deum pro obiecto formali, & immediato, saltem principali: vel tanquam id, quod præcipuè speramus, & desideramus assequi: vel tanquam id, à quo speramus, & cuius ope innixi confidimus. Nam illud quod speramus, sed desideramus assequi, est præcipuè Deus ipse, qui seipsum clarè videndum, & fruendum proposuit, estque futurus obiectum formalis nostræ beatitudinis: iuxta illud Genes. 15. *Noli timere Abram, ego protector tuus sum*, in quem speras: *& merces tua magna nimis*, quam speras. Illud etiam, cuius ope innixi speramus, id est, erigimur animo, & fiduciam habemus adipiscendi bona supernaturalia, licet viribus nostris naturalibus improportionata, est præcipuè Deus: cuius benignitas, & misericordia, tanta nobis bona proponit: omnipotentia verò iuuat, & suppeditat media, quibus omnino futurum est vt illa consequamur, si velimus cooperari. Quare iuxta quamcunque sententiam Theologorum de obiecto formali Spei (quorum aliqui primum, alij secundum, alij vtrumque coniunctim illi assignant) negari non potest illam esse virtutem Theologicam. Vtra verò sententia probabilior sit, dicemus infrà Sect. 6.

13. Quo respectu id ei conueniat? Notandum autem est discrimen inter has tres sententias. Quia iuxta primam, dicendum est Spem esse virtutem Theologicam, non ex eo præcisè, quòd Dei ope nitatur (quod commune esse potest fortitudini, & alijs virtutibus non Theologicis; quodque in obiecto Spei materialiter se habet, iuxta illam sententiam). sed ex eo quòd tendit in Deum formaliter, vt nostrum summum bonum, illudque amat, & desiderat, prout est tale; atque alijs modis conuenienter circa illud bene afficitur. Quemadmodum Charitas est virtus Theologica, ex eo quòd formaliter & immediatè attingit Deum, vt motiuum amandi, ratione suæ summæ bonitatis propter se amabilis.. Iuxta secundam verò sententiam, Spes non ideo est virtus Theologica, quia versatur circa Deum, vt circa obiectum, & bonum quod speramus (hoc enim vult esse purè materiale in obiecto Spei: virtutes autem non dicuntur Theologicæ, ex obiecto materiali, sed ex formali, seu motiuo, si pro illo Deum ipsum habent) sed quia versatur circa Deum, vt illum à quo speramus, & cuius potentiæ, & bonitati innixi confidimus. Quemadmodum fides, quæ pro obiecto formali habet Deum reuelantem, non dicitur diuina, & Theologica ex eo dumtaxat quòd credimus Deum: sed ex eo quòd credimus Deo dicenti hoc aut illud. Quare si speraremus consequi Dei visionem, & beatitudinem ab aliquo homine, qui eam posset nobis dare: non diceretur Spes Theologica & diuina, sed humana: quia non Deo, sed homini inniteretur ad obtinendum ipsum Deum. Veluti si quis credat Deum, & diuina mysteria, quia homo aliquis dicit; non est diuina fides, sed humana. Iuxta tertiam denique sententiam, quam probabiliorem esse affirmant aliqui recentiores, & ego alijs præferendam existimo, dicendum est Spem esse virtutem Theologicam ex vtroque respectu, & ea omni consideratione, quâ Deum attingit immediatè vt motiuum, & obiectum formale. Quemadmodum enim, vt Charitas dicatur diuina & Theologica, sufficit quòd attingat Deum immediatè vt motiuum amandi ratione suæ summæ bonitatis propter se amabilis: sic vt Spes dicatur Theologica, sufficit quòd feratur immediatè in Deum, vt bonum nostrum, amando illum & desiderando, vt talem. Quare non est solùm Theologica per respectum ad Deum, velut ad id, à quo speramus: vt vult secunda sententia: sed etiam per respectum ad eundem, veluti obiectum quod speramus, amabile tanquam bonum nostrum.

Ad argumentum verò allatum in contrarium, respondeo disparem esse rationem de Fide, & Spe. Nam totum obiectum formale & motiuum fidei est testimonium & veracitas dicentis. Quare in eo casu, quo crederem Deum & mysteria fidei, eo quòd homo aliquis dicit; motiuum esset purè humanum. At Spes habet pro motiuo & obiecto formali, non solum id à quo quispiam aliquid sperat, & cuius ope fretus erigitur animo, & audet, atque confidit: verùm etiam bonum ipsum quod sperat, & cuius bonitate, ac suauitate ad illud desiderandum, & prosequendum allicitur, vt ostendemus Sectione sequenti. 14. Soluuntur arg. contraria.

Dico secundò, Spem non esse virtutem intellectus, sed voluntatis, distinctam realiter à Fide, & à Charitate. Hæc conclusio est contra nonnullos huius temporis Hæreticos, qui Spem cum fide confundunt, & in intellectu constituunt: nihilque aliud illam esse volunt, quàm certam & firmam persuasionem futuræ salutis iuxta illud Apostoli Rom. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, &c.* Græcè πέπεισμαι, id est, *persuasus sum*, vel *confido*, vt vertunt Ambrosius ibid. & Hieron. Epist. 151. ad Algasiam, quæst. 9. Et Rom. 4. postquam dixit Apostolus v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam:* subiungit paulò post, v. 18. *Qui contra Spem, in Spem credidit:* id est, credidit contrà quàm naturaliter credere debebat, fore vt filius sibi iam seni, de Sara sterili vetulaque nasceretur, sicut Deus promiserat: nam attentis viribus naturalibus id expectandum, & credendum non erat. Confirmatur, quia desperatio non est affectus voluntatis contra beatitudinem, quo habeatur odio, aut respuatur: potest enim intensè amari ab eo, qui desperat se posse illam assequi: sed est iudicium de impossibilitate illam consequendi, ob nimiam difficultatem: aut firma persuasio, quòd propter arduitatem non simus eam consecuturi: quod iudicium potest stare cum amore, & desiderio intenso beatitudinis, vehementique dolore de illius carentiâ. Ergo ex opposito Spes non est amor, aut desiderium beatitudinis: sed iudicium firmum de futura illius adeptione. 15. Spes est virtus voluntatis.

Sed hic error manifestè repugnat Apostolo 16.

Contrarius error repugnat Script. & Patrib. 1. Cor. 13. ver. vlt. vbi Spem à fide distinguit, cùm sic ait: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; maior autem horum est Charitas.* Neque enim tria essent, si non distinguerentur. Et Hebr. 11. ver. 1. affirmat fidem esse *substantiam rerum sperandarum*, Græcè ὑπόστασις, id est, basim, & fundamentum Spei: ideo enim speramus bona supernaturalia consequi, licet viribus nostris naturalibus improportionata, quia fides nobis illa proponit tanquam per Dei gratiam possibilia, certóque ab illo promissa. Est autem manifestum basim & fundamentum distingui ab eo, cuius basis & fundamentum est. Similique modo Sancti Patres illas virtutes distinguunt: vt Origen. in cap. 4. Epist. ad Roman. vbi salutis nostræ initium & fundamentum dicit esse fidem, profectum verò Spem, culmen denique & perfectionem esse Charitatem. Et August. in Enchirid. cap. 8. vbi affirmat Fidem, & Spem non tantùm vocabulo, sed & rationali differentia, id est, reipsa per voces significatâ distingui. Quod probat ibidem ex multiplici discrimine inter obiecta vtriusque virtutis. Tridentinum quoque Sess. 6. cap. 6. eandem distinctionem supponit, quando enumerans actus quibus disponimur ad iustificationem, affirmat nos à fide incipere, credendo vera esse quæ diuinitùs reuelata, & promissa sunt; speciatimque Deum nobis per Christum propitium fore, & locum esse reconciliationi. Tum ex illa consideratione diuinæ misericordiæ, erigi in Spem & fiduciam obtinendi reconciliationem. Quæ fiducia, & animi erectio, est robur quoddam vitale voluntatis circa rem desideratam, vt sibi possibilem; & affectus generosus, non cedens rei difficultati, neque nimiùm timens de imbecillitate virium naturalium; sed contra illam sese erigens, innitendo fidelitati, & omnipotentiæ Dei suum auxilium pollicentis.

17. Probatur ratione. Confirmatur primò, quia Spes, secundùm omnes Philosophos morales, si propriè & strictè sumatur, non est actus intellectus (vt fides) sed appetitus irascibilis generosè assurgentis contra arduitatem boni; contrariéque opponitur desperationi, & nimio timori difficultatis, velut insuperabilis. Scriptura verò, quando loquitur de Spe, loquitur sine dubio accommodatè ad sensum inter homines vsitatum. Ergo loquitur de aliquo affectu supernaturali voluntatis, simili illi affectui naturali, qui à Sapientibus vocatur Spes. Cúmque contraria pertineant ad idem subiectum, vt ait Philosophus in Categor. cap. de oppositis: sicut nimius timor pertinet ad voluntatem; ita & Spes. Confirmatur secundò, quia vltra certam persuasionem intellectus (quæ ad fidem pertinet) circa beatitudinem, & alia bona supernaturalia, nobis à Deo reuelata, & proposita, vt illa prosequamur; debet esse conueniens affectus voluntatis innitentis Dei omnipotentiæ, & promissioni; aspirantisque generosè ad eadem bona, vt sibi possibilia per auxilium diuinum; qui affectus pertinet ad Spem, estque necessarius ad efficacem eorumdem bonorum prosecutionem. Debet etiam voluntas concipere amorem, & desiderium efficax eorumdem bonorum: quod desiderium ad eandem virtutem pertinet, vt patet ex dictis Sect. præcedenti. Ergo vt affectu conuenienti, & proportionato fidei, & tali obiecto id faciamus, necessarium est vltra virtutem fidei infundi nobis virtutem supernaturalem Spei.

Ad primum fundamentum erroris contrarij respondeo, firmam illam, & certam persuasionem futuræ salutis, vel esse conditionatam, si nimirum ex parte nostra ea præstemus, quæ Deus requirit vt saluemur: vel esse absolutam, id est, quòd re ipsa saluabimur. Si primum: illa persuasio pertinet ad fidem Theologicam, quâ firmiter credimus Deum esse veracem, & fidelem ad præstandum quidquid promisit: sed vltra illam requiritur conueniens affectus voluntatis circa salutem nobis propositam; & animi fiducia circa Dei potentiam, & misericordiam tantum bonum promittentis, & auxilium necessarium ad illud consequendum. Si verò secundum dicatur, quòd nimirum illa persuasio sit absoluta: non est fides diuina (si desit reuelatio specialis huius rei) neque alia virtus Theologica; sed humana persuasio, falsitati exposita, & ad summum moraliter tantùm in aliquibus certa; vt alibi ostendimus, tom. 2. Disput. 43. Sect. 1. & 2. 18. Spes non est persuasio.

19. Exponitur illud Apost. *Certus sum quia neque mors, &c.* Paulus autem Roman. 8. cùm ait, *Certus sum, &c.* potest intelligi vel de certa persuasione conditionata solùm, & fundata in promissione & reuelatione Dei generali, quòd non esset per vllam creatam potentiam separandus à Deo, nisi ipse vellet liberè separari: aut etiam de persuasione absoluta, fundata in speciali reuelatione sibi facta, quòd nunquam esset re ipsa separandus à Charitate Dei: quæ vtraque persuasio ad fidem Theologicam pertinet. Vel etiam potest intelligi de generoso affectu voluntatis ad adhærendum Deo, non obstantibus quibuscunque difficultatibus; simili modo, quo miles generosus, vrbem aliquam inuasurus, Imperatori suo diceret: Certus sum quòd hodie me aut victorem, aut mortuum videbis: nihil enim me viuum remorabitur ab vrbis ingressu: id est, paratus sum secundùm præsentem affectum mori potiùs, quàm cedere difficultati. Vel denique potest intelligi de morali certitudine, & persuasione, fundatâ partim in affectu præsenti generoso, partim in experientia vitæ anteactæ, & abundantia auxiliorum diuinorum, quorum ope confisus dicebat alibi: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Quocunque autem ex his modis intelligatur Apostolus, nullus eorum probat fidem non distingui à Spe, aut Spem non esse affectum voluntatis.

20. Et illud, *Qui contra Spem, in Spem credidit.* Ad secundum respondeo, illud eiusdem Apostoli Rom. 4. *Qui contra Spem, in Spem credidit*, nihil aliud sibi velle, quàm Abrahamum innixum diuinæ veracitati, & fidelitati, credidisse futurum, & sperasse id, quod secundùm humanam apparentiam, & vires naturales credere, & sperare non poterat. Credidisse, inquam, diuinæ promissioni, & in certa illius persuasione fundasse Spem suam: non obstante difficultate sperandi fore rem adeo difficilem, & contra Spem quæ in solis viribus naturalibus,

& naturali cognitione fundari poterat. Sed non significat Abrahamum eodem actu credidisse, & sperasse: aut idem in illo fuisse sperare, & credere, vt volunt aduersarij.

21. Desperatio quid sit? Ad tertium dico, desperationem propriè dictam esse animi deiectionem circa bonum arduum, propter difficultatem illius assequendi, diffidendo suis viribus, vel auxilijs ad assequendum necessarijs: quæ animi deiectio est actus voluntatis; æquè ac metus, id est, timor mali ardui tanquam ineuitabilis. Et quidem nullus est moralium Philosophorum, qui non dicat desperationem, & metum esse affectum appetitus irascibilis; æquè ac iram, & audaciam circa impedimenta boni, vel causas mali. Nec obest quòd, vt aliquem abducamus à desperatione, solemus illi possibilitatem boni proponere. Hoc enim fit, non ideo quia Spes consistit in illa persuasione: sed ideo quia huiusmodi persuasio iuuat voluntatem vt erigat sese, & audeat, neque patiatur se vinci difficultate, aut cadere animo propter malè præsumptam impossibilitatem, aut nimiam difficultatem.

22. Definitio Spei Theologicæ. Dico tertiò, Spem Theologicam esse virtutem, quâ voluntas, innixa Dei potentiæ, & misericordiæ, sese erigit circa bonum arduum, tanquam sibi possibile per auxilium Dei: illudque generosè desiderat tanquam proprium sperantis bonum, vel ad ipsum aliquo modo pertinens, atque alijs modis conuenienter circa illud quà tale afficitur, & circa malum oppositum; præcipuéque circa Deum ipsum, vt summum bonum sperantis; & circa totam beatitudinem supernaturalem, eiúsque causas, & media; nec non circa illorum opposita. Hæc assertio, quæ assignat propriam rationem Spei Theologicæ; & differentiam ab alijs virtutibus, per obiectum ipsius proprium, modúmque ad illud tendendi, maiori eget explicatione, quàm duæ præcedentes; quæ sequentibus Sectionibus exhibebitur.

SECTIO III.

Quodnam sit obiectum formale virtutis Spei?

23. Variæ sententiæ. HAc de re quatuor sunt Theologorum sententiæ. Prima est eorum, qui volunt

Proponitur prima. Deum vt summum bonum nostrum, & alia bona supernaturalia sperantis, considerata prout sunt ipsius bona, vel ad ipsum aliquo modo pertinentia, eorumque opposita, esse obiectum adæquatum Spei Theologicæ. In quo obiecto materiale est Deus, & alia bona supernaturalia, circa quæ Spes versatur prosecutiuè; & mala ipsis opposita, contra quæ tendit auersatiuè: formale verò, seu motiuum, sub quo tendit, est quòd hæc bona, vel mala spectentur vt propria ipsius sperantis, in ordine ad affectum qui dicitur concupiscentiæ. Prima pars

Deus est obiectum Spei, vt amabilis amore cõcupisc. huius sententiæ, quòd Deus sit obiectum Spei, est communis omnium Theolog. & speciatim D. Thomæ quæst. 17. art. 2. & 5. vbi affirmat Deum esse principale obiectum Spei. Ratio est primò, quia Spes est virtus Theologica. Ergo debet habere Deum pro obiecto, & quidem primario & principali; atque etiam formali & motiuo. Secundò, Deus per fidem nobis proponitur amandus non solùm propter se, vt summè bonus in seipso, & ratione sui; sed etiam vt summum bonum nostrum, fruendum per beatitudinem, & consequendum per media ab ipso constituta. Ergo præter Charitatem, quæ Deum amat propter se, debet dari alia virtus, quæ illum amet vt bonum nostrum, ad illúmque tendat vt finem nostrum vltimum, & secundùm alias rationes, secundùm quas ad nos quodammodo pertinet, & bonum nostrum supernaturale est. Est autem huiusmodi non tantùm quatenus est principium nostrum, & causa efficiens nostræ formalis beatitudinis; & adiutor, cuius ope per media ab ipso constituta ad illam tendimus, & auctor gratiæ, aliorumque mediorum salutis: verùm etiam prout est finis noster vltimus, & obiectum nostræ formalis beatitudinis, per seipsum nos beans, & appetitum nostrum seipso implens & satians.

Secunda pars, de alijs bonis supernaturalibus, & eorum oppositis, probatur quia eiusdem est virtutis tendere in finem, & in media necessaria. Deinde, alia quoque bona supernaturalia sunt digna amore conuenienti, & proportionato. Inter illa verò bona quædam sunt nobis intrinseca, vt gratia, & gloria; quædam extrinseca; vt merita Christi, Sacramenta, & alia media externa. Item, quædam sunt in seipsis supernaturalia: quædam respectiuè tantùm, & per ordinem ad aliud: vt sunt ea omnia, quæ ad finem supernaturalem conducunt, secundùm illum respectum considerata, licet in seipsis naturalia sint. Et quia eiusdem est virtutis prosequi bonum, & auersari malum oppositum, iuxta ea quæ diximus num. 6. idcircò Spes quæ versatur prosecutiuè circa bonum supernaturale sperantis, tendit etiam auersatiuè contra ipsius oppositum. Duplex autem est generatim illud malum. Vnum est extremum: nempe æterna damnatio, beatitudini opposita. Aliud, medium, aut non extremum: cuiusmodi sunt peccata, & peccandi occasiones, priuatio gratiæ, & similia, quæ ad æternam damnationem disponunt. Deo quidem summo bono nihil respondet veluti summum malum obiectiuum, ipsi directè & perfectè contrarium: sed formali beatitudini opponitur extrema miseria: & alijs bonis supernaturalibus opponuntur alia mala, priuatiuè, aut contrariè repugnantia. 24. Et alia bona ipsius sperantis supernat.

Tertia pars eiusdem sententiæ, quòd scilicet hæc omnia cadant sub spem prout sunt bona vel mala sperantis, ipsi commoda, vel incommoda, in ordine ad affectum, qui dicitur concupiscentiæ, est D. Thomæ quæst. 17. art. 3. Vbi affirmat Spem directè respicere proprium bonum, non autem quod ad alium pertinet. Eadémque de causa negat ibidem, posse aliquem sperare alteri beatitudinem æternam, nisi tanquam sibi coniuncto. Et art. 8. eiusdem quæst. dicit Spem esse amorem imperfectum (id est, imperfectiorem amore Charitatis) quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Indéque infert Spem esse priorem Cha- 25. Spes est affectus amoris cõcupisc.

ritate, secundùm ordinem generationis: quia natura, seu generationis ordo est, ab imperfectis progredi ad perfectiora. Verba D. Thomæ art. cit. in corp. hæc sunt: *Duplex est ordo: Vnus quidem secundùm viam generationis & naturæ: secundùm quem imperfectum est prius perfecto. Alius autem ordo est perfectionis & formæ, secundùm quem perfectum naturaliter prius est imperfecto. Secundùm ergo primum ordinem Spes est prior Charitate: quia Spes, & omnis motus appetitus ex amore deriuatur. Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor est, quo aliquid secundùm se amatur: vt puta, cùm aliquis secundùm se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo amat aliquid non secundùm ipsum, sed vt illud bonum sibiipsi proueniat: sicut homo amat rem quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhæret Deo secundùm seipsum. Sed spes pertinet ad secundum amorem: quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis Spes est prior Charitate.* Hucvsque D. Thomas.

Eadem est sententia Caietani ad art. 5. eiusdem quæstionis 17. Scoti in 3. dist. 26. §. *Hæc est igitur prima conclusio*, Gabr. dist. 26. quæst. vnica, lit. M. Almaini in Moral. tract. 2. cap. 7. Suaris Disp. 1. de Spe, Sect. 3. num. 4. Ægidij Coninck disp. 19. dub. 2. num. 26. & dub. 4. num. 52. aliorúmque recentiorum. Ratio illius est, quia duæ sunt in nobis naturaliter inclinationes; nempe ad bonum proprium, & ad bonum aliorum. Hic amor dicitur amicitiæ; Ille concupiscentiæ. Sicut autem Deus intellectum perficit per fidem in ordine ad obiectum vtroque modo amabile: ita & voluntatem in ordine ad vtrumque amorem. Posteriorem quidem, per Charitatem, quâ Deum, & proximum diligimus propter se: & quæ sunt bona ipsorum, vt talia: priorem autem, per Spem, quâ nobis ipsis bene volumus, & bona nostra supernaturalia diligimus, vt nostra sunt; detestamúrque opposita, vt talia.

26. Nô amicitiæ, vt Charitas. Confirmatur: quia Spes non versatur circa Deum, vt generosè amandum ratione sui: nam hoc est proprium Charitatis. Quocirca superest vt Spes tendat in Deum, tanquam in bonum supernaturale ipsius sperantis. Deus enim in Scripturis, & in diuina reuelatione proponitur vt merces, & vt nostra beatitudo: quo modo dicitur bonum acquirentis. Sed in Deum iuxta illam considerationem non tendit Charitas, quæ non est mercenaria, nec quærit quæ sua sunt: vt dicitur 1. Corint. 13. Superest ergo vt alia sit virtus, quæ in Deum vt mercedem, & vt bonum nostrum tendat: quæ virtus appellatur Spes. Ac sicut in Deum tendit formaliter vt bonum nostrum est: sic & in alia bona supernaturalia, eorúmque opposita, tendit vt nostra sunt, & prout sunt termini affectus concupiscentiæ.

27. Amor cô-cupiscentiæ tripliciter sumitur. Pro quo nota affectum concupiscentiæ sumi tripliciter. Primò, pro vitioso affectu circa propria delectabilia, vel vtilia: vt circa sensibiles voluptates, diuitias, honores, &c. Secundò, pro amore eius, quod alicui volumus. Idem enim amor, quo bonum alicui expetitur, vocatur amor concupiscentiæ respectu eius quod expetitur: & amor amicitiæ respectu eius, cui expetitur, vt docent S. Thom. 1. 2. quæst. 26. art. 4. & alij communiter. Tertiò, specialiter amor concupiscentiæ dicitur, quo aliquis sibi vult bonum. Alius enim est amor, quo aliquis sibi amat: & alius, quo amat alteri. Quorum prior adhuc specialiùs vocatur amor concupiscentiæ: & posterior vocatur amor amicitiæ. Quam distinctionem insinuat D. Thomas 1. 2. quæst. 26. art. 4. ad 1. his verbis: *Ille propriè dicitur amicus, cui aliquod bonum volumus. Illud autem dicimur concupiscere, quod volumus nobis.* Iuxta hanc tertiam acceptionem sumitur in præsenti affectus concupiscentiæ, quando dicitur esse proprius Spei; quia versatur circa proprium bonum sperantis, vt tale; vel circa malum, prout ipsius malum est.

Aliter de illa distinctione Philosophatur Ægid. Coninck disp. 19. dub. 1. num. 13. affirmans amorem amicitiæ per hoc propriè & generatim differre ab amore concupiscentiæ: quod hic pro vltimo suo obiecto formali habeat bonitatem rei concupitæ; ille verò, bonitatem, seu dignitatem personæ amatæ, siue, cui bonum volumus. Et superiùs num. 6. ait nos longè alia ratione amare alios, quàm nos ipsos. Nunquam enim alios verè amamus, nisi priùs in eis apprehendamus bonum aliquod amabile. Vt autem nos ipsos amemus, naturaliter omnino inclinamur: ita vt non sit opus vt in nobis apprehendamus aliquod eiusmodi bonum, vt reddamur nobis amabiles; sed sine eiusmodi consideratione, naturali impetu ferimur in amorem nostri, omne bonum nobis optando, præcisè quia nobis bonum est. Hæc ille. 28. Quomodo differt ab amore amicitiæ?

Contra quæ oppono primò, non posse voluntatem amare aliquid, nisi sub aliqua ratione boni: quia bonum est obiectum adæquatum amoris: sicut & malum odij. Ergo non possumus amare nos ipsos, nisi sub aliqua ratione boni. Cúmque amor elicitus supponat cognitionem obiecti; debet necessariò talem amorem præcedere apprehensio aliqua boni, propter quam simus nobis ipsis amabiles. Secundò, hinc sequitur in amore concupiscentiæ, quo bonum nobis volumus, non tantùm amari bonum ipsum, quod volumus: sed & nos ipsos, quibus volumus. Tertiò, sequitur vltimum obiectum formale huius amoris non esse bonitatem rei concupitæ, secundùm se, quæ vt sic est indifferens vt diuersimodè ametur, per Spem, aut per Charitatem, aliásque virtutes: sed bonitatem rei vt nobis commodam, siue vt nos bene afficientem; quæ est vltima ratio, propter quam nobis eam volumus, & sine qua non volumus; ideo enim multa sunt in se bona & excellentia, quæ nobis non appetimus, quia non apprehendimus illa esse nobis commoda, & proportionata; vt Regiam dignitatem, vel Pontificiam. 29. Refellitur prædicta differentia.



SECTIO IV.

Refertur secunda sententia de obiecto formali Spei Theologicæ.

30. Altera sententia, omnipotentiam esse obiectum formale Spei.

SEcunda sententia est eorum, qui volunt obiectum materiale adæquatum Spei Theologicæ esse quidquid à Deo speramus: formale verò esse omnipotentiam, & fidelitatem, seu misericordiam Dei, cuius ope innixi speramus. Sicut obiectum adæquatum materiale fidei est quidquid à Deo reuelatum est: formale verò est veracitas & testimonium Dei. Ita docent è recentioribus Vasq. 1. p. disp. 84. cap. 1. Malder. 2. 2. quæst. 17. art. 1. Turrian. ibid. disp. 60. dub. 2. & Mærat. disp. 30. Iuxta quam sententiam tres virtutes Theologicæ ita differunt, vt fides formaliter tendat in diuinam veritatem; Spes in omnipotentiam; Charitas in bonitatem. Probatur autem primò ex D. Thoma 2. 2. quæst. 17. art. 6. in corp. Vbi loquens de differentia inter Spem, & alias virtutes Theologicas, sic ait: *Virtus aliqua dicitur esse Theologica ex hoc, quòd habet Deum pro obiecto, cui inhæret. Potest autem aliquis alicui rei inhærere dupliciter. Vno modo, propter seipsam. Alio modo, in quantum ex ea in aliud deuenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem vniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & Fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt. De Deo autem prouenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo adhærere in quantum nobis est principium cognoscendi veritatem. Credimus enim vera esse, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere prout est in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per Spem diuino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Hæc D. Thom. Quibus verbis significat auxilium diuinum, id est, Dei omnipotentiam nobis paratam auxiliari ad assequendam beatitudinem, se habere ad Spem; sicut testimonium diuinum, id est, veritas prima testificans, se habet ad fidem: ac proinde esse formale illius obiectum, & motiuum sperandi; sicut Dei testimonium est motiuum credendi.

Probatur ex D. Thoma.

31. Confirmatur amplius.

Quod adhuc clarius idem S. Doctor expressit quæst. 7. de spiritualibus creaturis quæ est vnica de Spe art. 1. c. Vbi postquam dixit Spem versari circa bonum possibile: dupliciter autem aliquid esse possibile: nimirum vel per vires proprias, vel per alienum auxilium: subiungit: *Sic ergo quandoque sperat homo aliquid adipisci per propriam potestatem: quandoque verò per auxilium alienum: Et tunc necesse est quòd spes feratur in duo obiecta: videlicet in bonum adipiscendum, & in eum cuius auxilio innititur; Summum autem bonum, quod est beatitudo æterna, homo adipisci non potest, nisi per auxilium diuinum. Et ideo Spes adipiscendi vitam æternam habet duo obiecta: Videlicet ipsam vitam æternam, quam quis sperat; & auxilium diuinum à quo sperat. Sicut etiam fides habet duo obiecta: videlicet rem quam credit; & veritatem primam cui correspondet. Fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhæret testimonio primæ veritatis, vt credat quod ab ea manifestatur. Vnde & Spes habet rationem virtutis ex hoc ipso, quòd homo inhæret auxilio diuinæ potestatis ad consequendam vitam æternam, &c. Sic igitur, sicut obiectum formale fidei est veritas prima, per quam, sicut per quoddam medium, assentit ijs quæ creduntur, quæ sunt obiectum materiale fidei: ita etiam obiectum formale Spei est auxilium diuinæ potestatis, & pietatis, propter quod motus Spei tendit in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum Spei.* Et paulò pòst, in solutione quarti argumenti, hæc addit: *Spes secundùm quod refertur ad materiale obiectum, imperfecta est: quia quod speratur, nondum habetur: sed secundùm quod respicit obiectum formale, videlicet auxilium diuinum, sic est dispositio perfecti. In hoc enim consistit perfectio hominis, vt Deo inhæreat. Et simile est etiam de fide, quæ habet imperfectionem eò quòd nondum videt ea, quæ credit: habet autem perfectionem ex eo quòd inhæret testimonio primæ veritatis: & ex hoc est virtus.* Hæc D. Thomas: quibus nihil clarius dici potest ad affirmandum formale obiectum Spei Theologicæ esse Dei potentiam nobis auxiliantem.

32. Probatur ex Trident.

Probatur secundò ex Trident. Sess. 6. cap. 6. Vbi loquens de dispositionibus, & modo præparationis ad iustificationem, affirmat peccatores, excitatos, & adiutos diuinâ gratiâ, primùm quidem fidem ex auditu concipere, & liberè moueri in Deum, *credendo vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, pèr redemptionem, quæ est in Christo Iesu: tum deinde vtiliter concussos à diuinæ iustitiæ timore, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in Spem erigi, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Ex quibus verbis Concilij sic argumentor: Illud, ex cuius obiectiua consideratione mouetur & excitatur Spes, est obiectum formale, & motiuum actus sperandi. Sed misericordia Dei, potentis & volentis iustificare impium, est id, ex cuius consideratione obiectiuâ Spes illius excitatur, vt docet Trident. verbis relatis: ergo, &c. Et quidem negari non potest quin sicut veracitas Dei testificantis mouet & excitat laudabiliter ad credendum & assentiendum rebus ab ipso reuelatis: Ita potentia, & fidelitas Dei promittentis aliquod bonum, & vires ad illud assequendum præbere parati, mouere possit laudabiliter ad erigendum animum in Spem, & fiduciam voluntatis de illo assequendo. Vtque diuina veracitas, ita mouens, est obiectum formale vnius virtutis Theologicæ, nempe fidei: sic diuina potentia, & benignitas, potest esse motiuum, & obiectum formale alterius virtutis Theologicæ. Non potest autem dici cuiusnam alterius, nisi Spei.

33. Confirmatur ratione. Probatur tertiò his duabus rationibus, quas fusiùs prosequitur Mærat. Sect. 2. disp. cit. quia scilicet illud est motiuum & obiectum formale Spei, in quod resoluitur actus sperandi, & quod aptè respondetur interroganti cur speremus. Atqui tale motiuum non est bonitas rei speratæ, sed illud vi cuius speramus eam consequi. Si enim interrogeris, cur amas & desideras æternam beatitudinem? Aptè quidem respondebis, quia bona est, & summè delectabilis. At si rogeris, cur speres, id est, confidas te illam assecuturum, & erigaris animo in Spem & fiduciam assequendi? Congruè respondebis, Quia Deus opem suam necessariam mihi pollicetur ad illam assequendam. Simili modo ægrotus, qui sperat sanitatem, non illam sperat quia bona est; sed quia Medici peritiæ confidit. Et qui nauigationis bonum exitum sperat; non id facit, quia potius suauis est; sed quia confidit peritiæ naucleri, vel syderum & ventorum fauori. Neque verò cùm dicimus nos sperare sanitatem, fretos peritiâ Medici; aut prosperum nauigationis exitum, fretos peritiâ naucleri: significamus tantùm certam persuasionem intellectus de tali euentu futuro: sed fiduciam voluntatis, & erectionem animi. Sicut peccator, quando ex misericordiæ diuinæ consideratione erigit se in Spem & fiduciam reconciliationis; exercet actum voluntatis, distinctum ab actu fidei, quo firmiter & certò credit Deum velle reconciliari, propter Christum, verè pœnitentibus: qui actus prior est, & causa cur peccator erigatur in Spem, vt ait Trident. verbis suprà relatis ex cap. 6. Sess. 6.

34. Altera ratio. Præterea vt idem auctor ait, De motiuo actus sperandi philosophandum est proportionatè vt de motiuo desperationis, quæ directè illi opponitur. Motiuum autem desperationis non est bonitas rei, vel aliqua malitia obiecti de quo desperatur; sed infirmitas virium, vel defectus auxilij alieni ad bonum illud assequendum necessarij. Vt enim rectè affirmat D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 4. ad 3. desperatio est recessus à bono desiderato, propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi. Vnde si quis alia de causa abjicit desiderium alicuius boni, putà, quia illud parui æstimat, vel quia ad melius aspirat: non dicitur desperare illud assequi: sed tantùm, si diffisus suis viribus, & industriæ, vel opi alienæ, despondet animo propter arduitatem, & impossibilitatem assequendi. Ergo è contrario, motiuum actus sperandi non est bonitas rei speratæ; sed id, cuius ope speramus illam assequi; quod respectu beatitudinis, & aliorum bonorum supernaturalium, est præcipuè omnipotentia, & misericordia Dei. Præcipuè, inquam: nam præter Deum quædam alia sunt auxilia, vel principia creata, quibus ad nostram beatitudinem assequendam iuuamur, velut principijs effectiuis, & quorum consideratione, licet minùs principaliter, possumus in Spem erigi. Huiusmodi sunt merita Christi, & auxilia gratiæ propter illum nobis collata, Sacramenta, bona opera, Sanctorum preces, & similia.



SECTIO V.

Tertia sententia refertur, & refellitur.

Tertiò, sunt qui existiment Spem tendere in Deum, vel in beatitudinem, vt bonum arduum est: ita vt ratio formalis obiecti Spei sit arduitas boni: neque alius sit actus virtutis Spei, quàm desiderium vehemens, & generosum illius boni ardui, vel erectio animi circa illud, quæ specialiter Spes appellari solet, pertinétque ad partem irascibilem. Ita videntur sentire Durandus in 3. dist. 26. quæst. 3. Paludan. quæst. 2. Ricard. art. 3. quæst. 1. Henric. quodlib. 18. quæst. 15. ad 2. qui dicunt Deum sub absoluta consideratione boni increati, & supernaturalis, esse obiectum Charitatis: sub ratione verò ardui esse obiectum Spei. Ideóque pertinere ad Charitatem amare, & desiderare illud bonum, & quæ ad illud conferunt: ad Spem verò, tantùm sperare. Fundamentum eorum præcipuum est acceptio vocis *Spes*, pro desiderio boni ardui; & illud Apostoli Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Et 1. Corinth. 13. ver. vltimo, significat idem Apost. proprium esse Charitatis quòd nunquam excidat, id est, maneat etiam in patria; cum aliæ duæ virtutes Theologicæ maneant tantùm hac in vita. Non est autem ratio cur Spes non maneat, nisi quia cessat arduitas, quando Deus & beatitudo nostra supernaturalis iam possidetur; & Spes non habet locum vbi non est bonum arduum, quod est proprium illius obiectum. 35. Tertia opinio, obiectum formale Spei esse arduitatem.

Hæc opinio si tantùm vellet arduitatem esse conditionem obiecti, propter quam opus est illâ erectione animi, quæ specialiter Spes appellatur, & generositate ad victoriam obtinendam contra difficultatem, innitendo Dei auxilio; vera esset, vt patebit ex dicendis inferiùs. Sed si vult ipsam arduitatem boni esse rationem formalem obiecti Spei, & per illam distingui Spem à Charitate, nullúmque alium actum tribuit illi virtuti, nisi Spem strictè sumptam: impugnatur primò, quia Charitas etiam, quæ generosa est, tendit contra arduitatem boni Deo placentis, vt talis: *Fortis enim est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio,* Græcè *Zelus:* Can. 8. v. 6. Estque parata mortem ipsam pro Deo perferre, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Charitas, inquam, tendit in bonum supernaturale, etiam absens, & non minùs de se excedens vires naturales, difficiléque ad consequendum, prout illud bonum ad Deum pertinet, vel ad proximum; prosequitúrque illud per desiderium efficax, & perrumpens difficultates. Quare ex hac parte non potest distingui Spes à Charitate. 36. Refutatur. Arduitas non distinguit Spem à Charitate.

Adde secundò, quòd arduitas non potest esse ratio formalis obiecti actus sperandi: cùm nullo modo sit ratio amandi, & appetendi; sed potiùs fugiendi, vel negligendi; quia dura, & molesta est. Nam sicut inter rationes, propter 37. Neque est ratio amandi.

quas aliquid prosequimur, est facilitas: sic inter rationes ob quas vel fugimus, vel negligimus, est difficultas, & arduitas. Quare arduitas non terminat obiectiuè actum sperandi, sed est conditio obiecti, propter quam opus est ad illud absolutè & efficaciter prosequendum, vt sublimiter & ardenter concupiscatur, ne prosecutionem retardet vel impediat horror difficultatis, & arduitatis. Tertiò, quamvis assecutio summi boni supernaturalis soleat esse ardua ex parte mediorum, quæ sunt admodum difficilia; si tamen Deus alicui reuelaret, se ei complanaturum viam beatitudinis; posset ille nihilominus eam desiderare actu vehementi, & generoso, qui per se valeret ad superandam grauem difficultatem, si occurreret.

38. Bonum supernat. est amabile præcisa arduitate. Quartò, non modò bonum supernaturale, quatenus futurum, & arduum, est dignum amore proportionato: sed etiam quà præsens, & quatenus bonum nostrum simpliciter, præcisâ arduitate, quæ non est illi ratio amandi, sed odiendi potiùs, vt paulò ante diximus. Quare licet Spei nomen sumptum sit ab actu eius præcipuo in statu huius vitæ, qui est erectio animi, & affectus generosus circa beatitudinem, vt proprium bonum absens & arduum, de quo etiam loquitur Apostolus specialiter loco suprà citato: latiùs tamen extenditur virtus Spei adæquatè sumpta, ad amandum simpliciter bonum nostrum supernaturale, & desiderandum, si est absens, & gaudendum de illo vt præsente, & ad auersandum conuenienter quicquid est illi oppositum. Quemadmodum Charitas, licet ita nominetur à præcipuo eius actu, qui est amare, & charum habere: valet tamen non solum ad amandum; sed etiam ad gaudendum, & ad desiderandum bonum, in quod tendit: atque ad detestandum, fugiendum, & dolendum de opposito: vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. & 2. 2. quæst. 51. art. 2. c. & 3. p. q. 85. art. 2. ad 1.

39. Spes amat suum obiectum etiam præsens & possessum. Confirmatur, quia bonum obtentum, quamvis amiserit arduitatem, non amisit amabilitatem; quæ non existit ex arduitate, cùm illa potiùs deterreat per se; sed ex magna boni æstimatione, quæ adhuc manet. Item, Beati gaudent de suo bono supernaturali præsente, vt tali. Non per Charitatem, quæ non versatur circa proprium bonum diligentis, vt tale: Ergo per Spem. Denique, connaturale est, vt idem principium in eo præsente quiescat, ad quod absens tendebat. Item, connaturale est vt idem principium, quod fertur in aliquod bonum prosecutiuè; auersetur malum ipsi oppositum, quà tale. Vnum enim ex alio sequitur, & vnum in alio includitur virtualiter. Connaturale etiam est vt eadem virtus, quæ amat aliquod bonum; desideret illud, si est absens; & gaudeat de illo, si est præsens: & quæ odit aliquod malum; doleat de illo, si est præsens; & timeat, si est imminens. Illi enim omnes affectus sunt affines, & vnus ex alio sequitur. Ergo debent ijdem conuenire Spei circa proprium eius obiectum; ac proinde non solùm illud amat & desiderat generosè, si est absens, & arduum; sed etiam gaudet, & in eo suauiter quiescit, si est præsens, & possessum.

Neque verò Paulus 1. Corinth. 13. affirmat habitum Spei desiturum esse post hanc vitam: neque Charitatem illi præfert in eo, quòd nunquam excidat. Nam eo loco non comparat, quoad hoc, Charitatem cum Spe; sed cum fide, & alijs quæ recenset, cùm ait, *Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte Prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est:* id est, cùm venerit visio, fides euacuabitur. Et quamvis Spes non possit post hanc vitam exercere actum sperandi strictè sumptum pro affectu desiderij circa bonum arduum: quia tamen valet ad alios actus nobilissimos, quos in patria exercere potest circa Deum vt summum bonum nostrum, præsuppositâ visione beatificâ; non debet cessare, vt fides, quæ nullos actus, nisi obscuros, & imperfectos exercere potest. 40. Manebit in patria.

SECTIO VI.

Vera sententia, & solutio argumentorum.

SVperest quarta & postrema sententia, quæ probabilior esse mihi videtur, affirmans obiectum formale Spei Theologicæ adæquatè sumptæ duo complecti partialia, quæ vnum integrum & totale constituunt. Vnum, in quo speramus; videlicet Deum quatenus omnipotentem, & fidelem in promissis: & aliud, quod speramus, & amamus; nempe eundem Deum vt summum bonum nostrum, & alia bona nostra supernaturalia, vt nostra sunt: circa quæ versatur Spes prosecutiuè; & auersariuè circa mala opposita. Ita sentire inter alios Petrum de Lorca 2. 2. Sect. 2. Disp. 3. memb. 1. affirmant, & approbant aliqui Theologiæ professores eruditissimi. Ratio præcipua illorum est, quia duæ primæ sententiæ, quæ solæ habent aliquid probabilitatis: Nam tertia satis euidenter falsitatis conuicta fuit Sect. præcedenti: Duæ, inquam, illæ sententiæ, nimis restrictè sentiunt de obiecto formali Spei Theologicæ. Si enim solum bonum supernaturale proprium sperantis, vt tale, est obiectum eius formale adæquatum; admittenda erit quarta virtus Theologica, quæ versetur circa omnipotentiam Dei, vt dignam cui confidamus, & cuius ope confisi erigamur animo, generoséque nitamur ad assequenda bona supernaturalia: sicut fides versatur circa veracitatem Dei, vt motiuum credendi, eiusque reuerentiâ assentitur rebus à Deo reuelatis. Et similiter, si sola Dei omnipotentia est obiectum formale, & motiuum Spei Theologicæ, admittenda erit quarta virtus Theologica, quæ versetur circa Deum vt summum bonum nostrum. Nam Deus, vt sic, est conueniens obiectum alicuius virtutis supernaturalis, & Theologicæ, quippe habentis Deum pro obiecto formali. Quare vtraque sententia nimis strictè & diminutè loquitur de obiecto virtutis Spei. Ista verò, quia conue- 41. Obiectũ Spei formale quodnam sit?

33. Confirmatur ratione. Probatur tertiò his duabus rationibus, quas fusiùs prosequitur Merat. Sect. 2. disp. cit. quia scilicet illud est motiuum & obiectum formale Spei, in quod resoluitur actus sperandi, & quod aptè respondetur interroganti cur speremus. Atqui tale motiuum non est bonitas rei speratæ, sed illud vi cuius speramus eam consequi. Si enim interrogeris, cur amas & desideras æternam beatitudinem? Aptè quidem respondebis, quia bona est, & summè delectabilis. At si rogeris, cur speres, id est, confidas te illam assecuturum, & erigaris animo in Spem & fiduciam assequendi? Congruè respondebis, Quia Deus opem suam necessariam mihi pollicetur ad illam assequendam. Simili modo ægrotus, qui sperat sanitatem, non illam sperat quia bona est; sed quia Medici peritiæ confidit. Et qui nauigationis bonum exitum sperat; non id facit, quia portus suauis est; sed quia confidit peritiæ naucleri, vel syderum & ventorum fauori. Neque verò cùm dicimus nos sperare sanitatem, fretos peritiâ Medici; aut prosperum nauigationis exitum, fretos peritiâ naucleri: significamus tantùm certam persuasionem intellectus de tali euentu futuro: sed fiduciam voluntatis, & erectionem animi. Sicut peccator, quando ex misericordiæ diuinæ consideratione erigit se in Spem & fiduciam reconciliationis; exercet actum voluntatis, distinctum ab actu fidei, quo firmiter & certò credit Deum velle reconciliari, propter Christum, verè pœnitentibus: qui actus prior est, & causa cur peccator erigatur in Spem, vt ait Trident. verbis suprà relatis ex cap. 6. Sess. 6.

34. Altera ratio. Præterea vt idem auctor ait, De motiuo actus sperandi philosophandum est proportionatè vt de motiuo desperationis, quæ directè illi opponitur. Motiuum autem desperationis non est bonitas rei, vel aliqua malitia obiecti de quo desperatur; sed infirmitas virium, vel defectus auxilij alieni ad bonum illud assequendum necessarij. Vt enim rectè affirmat D. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 4. ad 3. desperatio est recessus à bono desiderato, propter æstimatam impossibilitatem adipiscendi. Vnde si quis alia de causa abjicit desiderium alicuius boni, putà, quia illud parui æstimat, vel quia ad melius aspirat: non dicitur desperare illud assequi: sed tantùm, si diffisus suis viribus, & industriæ, vel opi alienæ, despondet animo propter arduitatem, & impossibilitatem assequendi. Ergo è contrario, motiuum actus sperandi non est bonitas rei speratæ; sed id, cuius ope speramus illam assequi; quod respectu beatitudinis, & aliorum bonorum supernaturalium, est præcipuè omnipotentia, & misericordia Dei. Præcipuè, inquam: nam præter Deum quædam alia sunt auxilia, vel principia creata, quibus ad nostram beatitudinem assequendam iuuamur, velut principijs effectiuis, & quorum consideratione, licet minùs principaliter, possumus in Spem erigi. Huiusmodi sunt merita Christi, & auxilia gratiæ propter illum nobis collata, Sacramenta, bona opera, Sanctorum preces, & similia.



SECTIO V.

Tertia sententia refertur, & refellitur.

TErtiò, sunt qui existiment Spem tendere in Deum, vel in beatitudinem, vt bonum arduum est: ita vt ratio formalis obiecti Spei sit arduitas boni: neque alius sit actus virtutis Spei, quàm desiderium vehemens, & generosum illius boni ardui, vel erectio animi circa illud, quæ specialiter Spes appellari solet, pertinétque ad partem irascibilem. Ita videntur sentire Durandus in 3. dist. 26. quæst. 3. Paludan. quæst. 2. Ricard. art. 3. quæst. 1. Henric. quodlib. 18. quæst. 15. ad 2. qui dicunt Deum sub absoluta consideratione boni increati, & supernaturalis, esse obiectum Charitatis: sub ratione verò ardui esse obiectum Spei. Ideóque pertinere ad Charitatem amare, & desiderare illud bonum, & quæ ad illud conferunt: ad Spem verò, tantùm sperare. Fundamentum eorum præcipuum est acceptio vocis *Spes*, pro desiderio boni ardui; & illud Apostoli Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat?* Et 1. Corinth. 13. ver. vltimo, significat idem Apost. proprium esse Charitatis quòd nunquam excidat, id est, maneat etiam in patria; cum aliæ duæ virtutes Theologicæ maneant tantùm hac in vita. Non est autem ratio cur Spes non maneat, nisi quia cessat arduitas, quando Deus & beatitudo nostra supernaturalis iam possidetur; & Spes non habet locum vbi non est bonum arduum, quod est proprium illius obiectum. 35. Tertia opinio, obiectum formale Spei esse arduitatem.

Hæc opinio si tantùm vellet arduitatem esse conditionem obiecti, propter quam opus est illâ erectione animi, quæ specialiter Spes appellatur, & generositate ad victoriam obtinendam contra difficultatem, innitendo Dei auxilio; vera esset, vt patebit ex dicendis inferiùs. Sed si vult ipsam arduitatem boni esse rationem formalem obiecti Spei, & per illam distingui Spem à Charitate, nullúmque alium actum tribuit illi virtuti, nisi Spem strictè sumptam: impugnatur primò, quia Charitas etiam, quæ generosa est, tendit contra arduitatem boni Deo placentis, vt talis: *Fortis enim est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, Græcè *Zelus*: Can. 8. v. 6. Estque parata mortem ipsam pro Deo perferre, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Charitas, inquam, tendit in bonum supernaturale, etiam absens, & non minùs de se excedens vires naturales, difficiléque ad consequendum, prout illud bonum ad Deum pertinet, vel ad proximum; prosequitúrque illud per desiderium efficax, & perrumpens difficultates. Quare ex hac parte non potest distingui Spes à Charitate. 36. Refutatur. Arduitas non distinguit Spem à Charitate.

Adde secundò, quòd arduitas non potest esse ratio formalis obiecti actus sperandi: cùm nullo modo sit ratio amandi, & appetendi; sed potiùs fugiendi, vel negligendi; quia dura, & molesta est. Nam sicut inter rationes, propter 37. Neque est ratio amandi.

quas aliquid prosequimur, est facilitas: sic inter rationes ob quas vel fugimus, vel negligimus, est difficultas, & arduitas. Quare arduitas non terminat obiectiuè actum sperandi, sed est conditio obiecti, propter quam opus est ad illud absolutè & efficaciter prosequendum, vt sublimiter & ardenter concupiscatur, ne prosecutionem retardet vel impediat horror difficultatis, & arduitatis. Tertiò, quamvis assecutio summi boni supernaturalis soleat esse ardua ex parte mediorum, quæ sunt admodum difficilia: si tamen Deus alicui reuelaret, se ei complanaturum viam beatitudinis; posset ille nihilominus eam desiderare actu vehementi, & generoso, qui per se valeret ad superandam grauem difficultatem, si occurreret.

38. Bonum supernat. est amabile præcisa arduitate. Quartò, non modò bonum supernaturale, quatenus futurum, & arduum, est dignum amore proportionato: sed etiam quà præsens, & quatenus bonum nostrum simpliciter, præcisâ arduitate, quæ non est illi ratio amandi, sed odiendi potiùs, vt paulò ante diximus. Quare licet Spei nomen sumptum sit ab actu eius præcipuo in statu huius vitæ, qui est erectio animi, & affectus generosus circa beatitudinem, vt proprium bonum absens & arduum, de quo etiam loquitur Apostolus specialiter loco suprà citato: latiùs tamen extenditur virtus Spei adæquatè sumpta, ad amandum simpliciter bonum nostrum supernaturale, & desiderandum, si est absens, & gaudendum de illo vt præsente, & ad auersandum conuenienter quicquid est illi oppositum. Quemadmodum Charitas, licet ita nominetur à præcipuo eius actu, qui est amare, & charum habere: valet tamen non solum ad amandum; sed etiam ad gaudendum, & ad desiderandum bonum, in quod tendit: atque ad detestandum, fugiendum, & dolendum de opposito: vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. & 2. 2. quæst. 51. art. 2. c. & 3. p. q. 85. art. 2. ad 1.

39. Spes amat suum obiectum etiam præsens & possessum. Confirmatur, quia bonum obtentum, quamvis amiserit arduitatem, non amisit amabilitatem; quæ non existit ex arduitate, cùm illa potiùs deterreat per se; sed ex magna boni æstimatione, quæ adhuc manet. Item, Beati gaudent de suo bono supernaturali præsente, vt tali. Non per Charitatem, quæ non versatur circa proprium bonum diligentis, vt tale: Ergo per Spem. Denique, connaturale est, vt idem principium in eo præsente quiescat, ad quod absens tendebat. Item, connaturale est vt idem principium, quod fertur in aliquod bonum prosecutiuè; auersetur malum ipsi oppositum, quà tale. Vnum enim ex alio sequitur, & vnum in alio includitur virtualiter. Connaturale etiam est vt eadem virtus, quæ amat aliquod bonum; desideret illud, si est absens; & gaudeat de illo, si est præsens: & quæ odit aliquod malum; doleat de illo, si est præsens; & timeat, si est imminens. Illi enim omnes affectus sunt affines, & vnus ex alio sequitur. Ergo debent ijdem conuenire Spei circa proprium eius obiectum; ac proinde non solùm illud amat & desiderat generosè, si est absens, & arduum; sed etiam gaudet, & in eo suauiter quiescit, si est præsens, & possessum.

Neque verò Paulus 1. Corinth. 13. affirmat habitum Spei desiturum esse post hanc vitam: neque Charitatem illi præfert in eo, quòd nunquam excidat. Nam eo loco non comparat, quoad hoc, Charitatem cum Spe; sed cum fide, & alijs quæ recenset, cùm ait, *Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte Prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est:* id est, cùm venerit visio, fides euacuabitur. Et quamvis Spes non possit post hanc vitam exercere actum sperandi strictè sumptum pro affectu desiderij circa bonum arduum: quia tamen valet ad alios actus nobilissimos, quos in patria exercere potest circa Deum vt summum bonum nostrum, præsuppositâ visione beatificâ; non debet cessare, vt fides, quæ nullos actus, nisi obscuros, & imperfectos exercere potest. 40. Manebit in patria.

SECTIO VI.

Vera sententia, & solutio argumentorum.

SVperest quarta & postrema sententia, quæ probabilior esse mihi videtur, affirmans obiectum formale Spei Theologicæ adæquatè sumptæ duo complecti partialia, quæ vnum integrum & totale constituunt. Vnum, in quo speramus; videlicet Deum quatenus omnipotentem, & fidelem in promissis: & aliud, quod speramus, & amamus; nempe eundem Deum vt summum bonum nostrum, & alia bona nostra supernaturalia, vt nostra sunt: circa quæ versatur Spes prosecutiuè; & auersatiuè circa mala opposita. Ita sentire inter alios Petrum de Lorca 2. 2. Sect. 2. Disp. 3. memb. 1. affirmant, & approbant aliqui Theologiæ professores eruditissimi. Ratio præcipua illorum est, quia duæ primæ sententiæ, quæ solæ habent aliquid probabilitatis: Nam tertia satis euidenter falsitatis conuicta fuit Sect. præcedenti: Duæ, inquam, illæ sententiæ, nimis restrictè sentiunt de obiecto formali Spei Theologicæ. Si enim solum bonum supernaturale proprium sperantis, vt tale, est obiectum eius formale adæquatum; admittenda erit quarta virtus Theologica, quæ versetur circa omnipotentiam Dei, vt dignam cui confidamus, & cuius ope confisi erigamur animo, generoséque nitamur ad assequenda bona supernaturalia: sicut fides versatur circa veracitatem Dei, vt motiuum credendi, eiusque reuerentiâ assentitur rebus à Deo reuelatis. Et similiter, si sola Dei omnipotentia est obiectum formale, & motiuum Spei Theologicæ, admittenda erit quarta virtus Theologica, quæ versetur circa Deum vt summum bonum nostrum. Nam Deus, vt sic, est conueniens obiectum alicuius virtutis supernaturalis, & Theologicæ, quippe habentis Deum pro obiecto formali. Quare vtraque sententia nimis strictè & diminutè loquitur de obiecto virtutis Spei. Ista verò, quia conue- 41. Obiectū spei formale quodnam sit?

nienter obiectum illius adæquatum assignat, cæteris præferenda est.

42. Ad eandem confirmandam valent argumenta, quibus duæ primæ sententiæ probant efficaciter obiectum formale Spei esse tum omnipotentiam, & fidelitatem, seu misericordiam Dei, cui Spes innititur: tum bona sperantis supernaturalia, vt sunt ipsius propria: exceptis illis, quibus vtraque contendit alterum ex his duobus motiuis excludere: quibus impræsens satisfaciendum est, & alijs quæ præcipuè nobis objici possunt. Ex eorúmque solutione veritas huius sententiæ magis elucescet.

Virtus supernat. valere potest ad plura obiecta formalia partialia. Primùm ergo objicitur, vnius virtutis vnicum debere esse obiectum formale, à quo specificetur. Spes autem Theologica, vnica virtus est. Ergo non duplex, sed vnicum obiectum formale illi assignandum est. Respondent aliqui antecedens verum esse de virtutibus naturalibus, quæ per actus acquiruntur, & illis commensurantur. At supernaturales latiùs patent, & similiores sunt potentijs, quàm habitibus naturalibus. Vnde valere possunt ad plura obiecta formalia, sicut voluntas v. g. valet ad obiecta formalia quarumcunque virtutum. Atque ita (inquiunt) Charitas supernaturalis duplex habet obiectum formale: nimirum Deum, vt propter se amandum, eiusque bonum, quà tale: & proximum, vt amandum propter se vero amore amicitiæ, quæque sunt illi bona, vt talia, saltem in ordine supernaturali. Et eadem virtus supernaturalis Religionis honorat Deum propter supremam ipsius excellentiam increatam, & Sanctos propter creatam, qua ratione vocatur Dulia.

Secundò & meliùs respondetur, vnius virtutis vnicum debere esse obiectum formale, vel simplex, vel totale, & ex multis partialibus compositum; cuiusmodi est obiectum formale Spei, tendentis in bona supernaturalia sperantis, vt sunt ipsius bona, & per Dei omnipotentiam, cui innititur, possibilia obtineri. Sicut vnicum est totale obiectum formale Charitatis; bonum scilicet Dei, & cuiusvis alterius personæ, vt amandum amore amicitiæ supernaturalis, illique amori proportionatum: & vnicum est obiectum formale Religionis: nempe cultus sacer, exhibendus personis, aut rebus, quas ita conuenit honorari: siue propter se, vt Deus: siue propter aliud, vt personæ creatæ. Vt enim ait S.Thom. q. 17. a. 5. c. *Spes attingit Deum, & sicut primam causam efficientem, inquantum eius auxilio innitimur: & sicut vltimam causam finalem, inquantum in eius fruitione beatitudinem expectat. Et sic patet quòd Spei, inquantum est virtus, principale eius obiectum est Deus:* adeóque est virtus Theologica.

43. Objicitur secundò; Cùm Charitas & aliæ virtutes supernaturales possint à Dei omnipotentia sperare auxilium sibi conueniens in ordine ad obiectum proprium: non est ratio cur potiùs Spes dicatur habere duplex obiectum partiale, nempe bonum proprium supernaturale, & omnipotentiam Dei à quo sperat tale bonum: Non est, inquam, ratio cur omnipotentia Dei, vt digna cui confidamus, vel cuius ope freti erigamur ad audendum circa bonum proprium supernaturale, pertineat ad Spem Theologicam, tanquam pars eius obiecti formalis, potiùs quàm ad Charitatem, quatenus eadem omnipotentia digna est vt erigamus animum ad audendum circa obiectum ipsius Charitatis.

Respondeo, rationem cur id potiùs Spei tribuatur, quàm Charitati, hanc esse, sumptàm ex D. Thoma, quæst. 17. a. 6. c. quia cùm sint tria præcipuè Dei attributa; veritas, siue intelligentia rerum perfectissima, bonitas, & omnipotentia, quæ per tres virtutes Theologicas attinguntur: & prima ad fidem pertineat, secunda ad Charitatem: superest vt tertia pertineat ad Spem. Et vt rectè ait idem S. Doctor art. citato, cùm dupliciter Deo adhærere possimus per virtutes Theologicas: vno modo propter seipsum: altero in quantum ex eo in aliud deuenitur. Charitas facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis vniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem illi inhærere, tanquàm cuidam principio, ex quo aliqua nobis prouenium: nempe cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis: quatenus innitimur eius reuelationi, ad cognitionem veri; & omnipotentiæ, ad adeptionem boni: vt dicere pergit ibidem D. Thomas. 44. Quare omnipotentia tribuitur Spei vt formale?

45. Objicitur tertiò, prò prima opinione relata, & explicata tota Sect. 3. quæ vult obiectum formale adæquatum Spei non esse aliud, quàm bonum supernaturale sperantis, prout est ipsius bonum; non autem in illud ingredi omnipotentiam Dei, cui Spes innititur: objicitur, inquam, authoritas D. Thomæ 2. 2. q. 17. a. 4. & 5. Vbi videtur excludere auxilium Dei à ratione formali obiecti Spei, cùm sic ait: *Bonum, quod quis sperat, habet rationem causæ finalis: auxilium autem, per quod aliquis sperat bonum illud obtinere, habet rationem causæ efficientis.* Atqui causa finalis intrinseca sub ratione formali, coincidit cum obiecto sub ratione etiam formali, iuxta doctrinam eiusdem D.Thomæ 1. 2. q. 8. a. 2. quia nimirum est id, quod mouet obiectiuè voluntatem. Ergo obiectum formale Spei non est auxilium Dei, per quod speramus; sed bonum ipsum quod speramus obtinere: Deus scilicet, & alia bona supernaturalia, vt bona nostra sunt. Quare quod ait S. Thomas alijs locis pro contraria sententia relatis, debet intelligi in hunc sensum, quòd Spes, vt conuenienter tendat in Deum veluti nostram beatitudinem supernaturalem, præsupponit auxilium Dei, sine quo illa nequit obtineri; neque conuenienter sperari. Quemadmodum fides supponit reuelationem, sine qua non potest credi. Et ita auxilium diuinum pertinet aliquo modo ad obiectum Spei, quasi illud constituens in ratione possibilis, & sperabilis: sed nihilominus non est propriè ratio formalis obiecti.

Respondeo sensum D.Thomæ esse, quòd bonum speratum habeat rationem causæ finalis, respectu virtutis Spei, vt prosequentis, & enitentis illud assequi: auxilium verò diuinum habeat rationem causæ efficientis, respectu as- 46. Explicatur D. Thomas.

secutionis eiusdem boni. Sed non negat Diu. Thomas id, quod alijs locis perspicuè docet, auxilium illud esse id, ex cuius consideratione mouetur voluntas, vt sese erigat in spem, & fiduciam assequendi boni ardui, & non animo concidat victa difficultate: sicut testimonium Dei, seu reuelatio diuina est motiuum, & causa cur credamus, spretis naturalibus credendi difficultatibus, estque obiectum formale fidei.

47. Opponit quartò Ægidius Conink Disp. 19. Dub. 4. Num. 52. Rationem formalem obiectiuam voluntatis illam esse, quæ eam mouet ad aliquid appetendum, aut fugiendum. Ratio autem quæ nos mouet vt Deum tanquam bonum nostrum, vel beatitudinem appetamus, non est omnipotentia, vel auxilium Dei: sed bonitas ipsa obiecti, quæ nos allicit. Nam (inquit n. 53.) Licet Dei auxilium, siue omnipotentia Dei parata mihi dare auxilium sufficiens, sit ratio necessaria vt beatitudo sit mihi possibilis, & vt eam possim prudenter sperare: hæc tamen non se habent per modum finis, & obiecti motiui, sed instar mediorum. Sunt enim hæc media necessaria, vt possimus beatitudinem, sicut oportet sperare, & consequi. Atqui media non sunt ratio appetendi finem: neque enim appetimus finem propter media, sed contrà. Illud autem est ratio, siue obiectum formale aliud appetendi, propter quod hoc appetimus. Ergo Dei omnipotentia, vt parata nobis conferre auxilium, nequit esse formalis ratio mouens voluntatem ad appetendam beatitudinem: sed solùm quædam conditio requisita vt possimus illam, provt oportet, sperare: sicut etiam cognitio beatitudinis est talis conditio.

48. Spes vnde excitatur? Respondeo aliud esse desiderium boni supernaturalis; & aliud, affectum illum voluntatis, qui specialiter, & propriè dicitur, Spes, id est, erectio animi, & fiducia voluntatis innixæ Dei omnipotentiæ circa bonum arduum, & sibi naturaliter impossibile: illique innitentis, quia digna est vt ei confidatur. Et desiderium quidem excitatur ab ipsa bonitate obiecti. At verò illa erectio animi, & fiducia voluntatis circa bonum arduum, vt possibile obtineri, excitatur à consideratione omnipotentiæ & misericordiæ Dei. Sicut ex opposito, desperatio, quæ est dejectio animi cedentis difficultati, non excitatur ex aliqua ratione mali, quæ sit in obiecto: sed ex consideratione impossibilitatis, aut nimiæ difficultatis: quæ nihil aliud est, nisi quòd sibi desint vires propriæ sufficientes, vel externum auxilium, quantum esset opus ad obtinendum bonum. Nec obest quòd auxilium diuinum se habet per modum medij respectu beatitudinis supernaturalis, & desiderij illam assequendi. Nam quod est medium respectu vnius, potest esse motiuum, & obiectum formale respectu alterius. Sicut honestas, quæ est in resistendo difficultatibus boni, aut periculis mali, & in moderando passiones, vt medium teneant inter temeritatem, & pusillanimitatem, est motiuum fortitudinis: tametsi eadem honestas & resistentia est medium respectu alterius virtutis, bonum illud difficile prosequentis: putà fidei, vel charitatis, si tormenta subeantur ad tuendam fidem, vel ad seruandam charitatem erga Deum, aut proximum.

Objicitur quintò: sperare in aliquem duo importat, aut includit. Vnum est, existimare & credere illum futurum mihi auxiliatorem; & sine illo me non posse consequi, vel habere id, quod spero. Alterum est, affectu voluntatis tendere in illud bonum, & in authorem eius. Et vtrumque eorum concurrit in Spe Christiana. Sed primum illorum pertinet ad fidem. Secundum verò est quidem proprium ipsius Spei: tamen respectu illius Deus se habet solùm vel vt vnum ex bonis speratis, quia videlicet spero auxilium eius, & gratiam mihi affuturam: vel vt causa extrinseca horum bonorum. Primâ autem ratione est potiùs materiale, quàm formale obiectum. Secundâ verò consideratione est etiam causa extrinseca tantùm, non ratiò formalis. Ergo, &c. 49.

Respondeo affectum virtutis Spei, adæquatè sumptæ, non esse solùm tendere prosecutiuè in bonum, veluti finem consequendum; & in auctorem eius, veluti medium necessarium: sed habere alium actum, qui magis propriè dicitur Spes, consistentem formaliter in erectione animi, & vitali quodam robore, quo voluntas sese erigit contra boni arduitatem, freta eius auxilio, cuius ope confidit bonum illud, quantumvis de se arduum & difficile, esse sibi possibile. Qui affectus non est amor, & desiderium eiusdem boni. Nam qui desperat, id est, animo concidit propter boni arduitatem, potest nihilominus habere magnum & vehemens illius desiderium, ægerriméque ferre quòd nequeat illud obtinere, defectu virium, vel auxilij necessarij: sed est erectio animi contra boni arduitatem, opposita dejectioni animi propter eandem; quos affectus simul esse in eodem subiecto impossibile est. Et quamvis auxilium sit causa extrinseca, & efficiens respectu boni sperati: est tamen motiuum, & obiectum formale respectu erectionis animi, & actus Spei strictè sumpti. Sicut testimonium, & veracitas Dei, est motiuum, & obiectum formale cur credamus res à Deo reuelatas: quamvis sit illis extrinseca. 50. Actus Spei propriè quid sit?

Opponitur sextò: Vel intendit contraria sententia virtutem Spei Theologicæ habere pro motiuo & obiecto formali omnipotentiam Dei, cuius ope confidit, quomodocunque potest, & quacumque de causa, rationabiliter in ea confidit: vel specialiter vult Spem in ea confidere propter honestatem quæ est in tali modo confidendi, & moderandi affectum nostrum inter præsumptionem, & vitiosam dejectionem animi propter difficultatem: ita vt honestas huius moderationis sit propria & specialis ratio virtutis Spei: sicut fortitudo moderatur passiones, seruando mediocritatem rationis inter temeritatem, & pusillanimitatem: & hæc moderatio est propria ratio & specialis, per quam virtus fortitudinis distinguitur ab alijs. Si primum: non assignatur obiectum formale, seu motiuum speciale virtutis Spei, quo distinguatur ab alijs virtutibus. Nam etiam charitas v. g. innititur Dei potentia, & illi confisa, erigit animum circa ea, quæ Deo placent; ipsiusque amore aggreditur ardua, & difficilia. Fortitudo 51.

quoque innititur Dei potentiæ, cuius auxilio confisa, aggreditur pericula, forti animo superanda, prout rectæ rationi consentaneum est. Si autem secundum dicatur: Spes non est virtus Theologica: quia pro formali obiecto habet aliquid creatum: nempe illam honestatem, seu mediocritatem rationis inter præsumptionem, & vitiosam dejectionem animi: quæ non minùs est aliquid creatum, quàm mediocritas rationis inter temeritatem, & ignauiam, seu pusillanimitatem, pertinens ad virtutem fortitudinis. Est enim conformitas talis modi tendendi voluntatis cum præscripto rectæ rationis. Potéstque meritò tribui virtuti fortitudinis supernaturalis, quæ valet ad moderandam voluntatem circa quæcunque ardua, & difficilia.

52. Quomodo omnipotentia est obiectum formale Spei?

Respondeo, neutrum ex illis duobus verum esse: sed Spem versari circa omnipotentiam Dei, vt dignam cui confidatur: Sicut fides versatur circa veracitatem Dei, vt dignam cui credatur: & charitas circa bonitatem Dei, vt dignam quæ ametur propter se. Illúdque obiectum formale æquè diuinum est, & æquè speciale: neque vlli alteri virtuti Theologicæ, prætorquam Spei, tribui debet: vt superiùs ostensum fuit.

53. Opponitur septimò, virtutem Spei specialiter dictam, & distinctam ab alijs pertinere ad affectum concupiscentiæ, qui est circa proprium cuiusque bonum: & circa illud solùm versari prosecutiuè: vt docent communiter Theologi cum D. Thoma quæst. 17. art. 6. vbi idcirco affirmat non posse aliquem sperare alteri, nisi tanquam vnito ipsi speranti: & D. August. cap. 8. Enchirid. vbi sic ait: *Spes autem non nisi bonarum rerum est, & ad eum pertinentium, qui earum curam gerere perhibetur.* Nimirum quia actus Spei est actus amoris concupiscentiæ: ideóque respicit bonum, vt proprium ipsius sperantis, vel vt ad ipsum aliquo modo pertinens. Quod clariùs affirmat S. Thomas eâdem quæst. 17. art. 8. vbi dicit duplicem esse amorem: vnum perfectum, quo aliquis secundùm se amatur: vtpote cui aliquis vult bonum: sicut homo amat amicum. Alterum verò imperfectum, quo quis amat aliquid, non secundùm ipsum, sed vt bonum illud sibi ipsi proueniat: sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundùm seipsum. Sed Spes pertinet ad secundum amorem: quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Huc vsque D. Thomas. Atqui iuxta sententiam contrariam, virtus Spei esset indifferens ad bonum proprium, vel ad alienum. Possumus enim confidere Dei omnipotentiæ, & auxilio eius inniti tam circa bonum Deo placens, & vt tale prosequendum; vel vt proximo commodum, aut Reipublicæ: quàm circa bonum proprium, vt tale. Et mediocritas rationis inter præsumptionem, & vitiosam dejectionem animi, vel inter temeritatem, & pusillanimitatem, æquè seruanda est in affectibus charitatis, aut fortitudinis, quibus aggredimur ardua propter Deum, aut bonum Reipublicæ; vel quia rectam rationem id decet.

54. Respondeo doctrinam illam D. Thomæ, & D. August. intelligendam esse de Spe sumptà strictè & inadæquatè pro desiderio boni ardui, & absentis: quod desiderium, quando virtutis Spei proprium est, non versatur circa bonum alterius, vt sic, siue Dei, siue proximi: id enim pertinet ad charitatem: sed circa bonum proprium sperantis, vel ad ipsum aliquo modo pertinens propter aliquam coniunctionem cum eo cui desideratur, ratione cuius coniunctionis tale bonum consideratur aliquo modo vt nostrum; adeóque vt pertinens ad desiderium affectus concupiscentiæ. Sed non est sensus quòd Spes secundùm alios actus, & præcipuè quoad actum confidendi Dei omnipotentiæ circa bona ardua, non possit versari, nisi circa propria sperantis bona, vt talia. Quemadmodum etiam non est sensus, quòd Spes secundùm aliquos alios actus non possit esse nisi circa bonum absens, & arduum: quod falsum esse ostendimus Sect. 5. Num. 38. Et hactenus de argumentis in fauorem primæ sententiæ obiectis.

Quo sensu Spes circa proprium bonum sperantis versatur?

SECTIO VII.

Respondetur alijs argumentis.

55. Soluuntur argumenta petita ex D. Thoma, & Trident.

AD argumenta verò in confirmationem secundæ sententiæ allata, Sect. 4. Num. 30. & sequentibus; ita respondendum est. Prius testimonium D. Thomæ, sumptum ex 2. 2. quæst. 17. art. 6. affirmat quidem omnipotentiam Dei, cui Spes adhæret, & innititur, esse obiectum illius formale: sed non negat Deum quoque vt bonum sperantis, ad illud pertinere: imò potius nobis fauet art. 5. eiusdem quæstionis, vt ostendimus num. 42. in fine. Ad posterius eiusdem S. Doctoris testimonium respondeo, ita quidem illum sensisse in quæstione illa de spiritualibus creaturis; sed in Summa hanc sententiam, sicut & quasdam alias, correxisse: vt patet ex alijs eius locis suprà relatis in fauorem primæ sententiæ, num. 25. Quod autem opponitur ex Trident. sess. 6. cap. 7. nobis non obest. Neque enim obiectum formale Spei est solùm illud, cui innititur, vt bonum assequatur: sed & bonum sperantis, quod assequi desiderat, quodque est pars motiui, quò excitatur & mouetur ad illius prosecutionem. Alia duo argumenta sumpta ex ratione, diluentur inferius, num. 56.

Vlteriùs verò pro eadem secunda sententia, opponunt eius assertores addendam esse quartam virtutem Theologicam tribus communiter receptis, nisi velimus omnipotentiam, & fidelitatem, seu misericordiam Dei, cui sperans confidit & innititur, esse vnicam rationem formalem obiecti Spei. Quia sicut prima veritas est ratio sufficiens specificatiua fidei: ita Dei omnipotentia modo prædicto poterit specificare aliquem affectum voluntatis. Si ergo præter hanc rationem formalem, assignetur aliud obiectum formale Spei, nempe Deus vt bonum nostrum, necesse erit admitti quartam virtutem Theologicam. 56.

Respondeo hoc argumentum retorqueri posse in aduersarios, & ex illo maximè confirmari Non est propterea

quarta virtus Theologica. nostram sententiam, quâ volumus vtrumque obiectum formale pertinere ad virtutem Spei Theologicæ adæquatè sumptam: Et ex vtróque partialiter constitui obiectum illius totale. Nam similiter, si Dei omnipotentia modo prædicto sit motiuum formale adæquatum, admittenda erit quarta virtus Theologica, quæ versetur circa Deum vt nostrum summum bonum: quod obiectum est supernaturale, saltem, si Deus consideretur vt possidendus per visionem, & fruitionem beatificam, & vt alijs modis nos bene afficiens in ordine gratiæ, & gloriæ; adeóque tale obiectum est conuenienter amabile amore proportionato, & supernaturali, proptióque virtutis Theologicæ: quia immediatè versatur circa Deum vt obiectum formale.

Spes respiciens Deum vt bonum nostrum, est virtus Theologica. Neque enim verum est, quod addunt aduersarij, Spem non fore virtutem Theologicam si haberet tale motiuum & obiectum formale: quippe quod est aliquid creatum, nimirum, esse mihi bonum: Et sicut actus, quo desidero proximo beatitudinem, præcisè quia illi bona est, non est virtus Theologica: ita neque actus quo eam mihi spero, præcisè quia mihi bona est. Hoc (inquam) non est verum: quia Deus vt summum bonum nostrum, & vt summè nobis bonus, non est aliquid creatum: neque solùm nos bene afficit & beat efficienter, aut quasi formaliter per bona creata: sed etiam multò magis per seipsum, vt causam efficientem, & obiectum nostræ formalis beatitudinis, à nobis clarè visum & possessum. Nego etiam, actum quo proximo vt mihi coniuncto desidero beatitudinem, non esse actum virtutis, Spei Theologicæ: quippe qui vltimò, & præcipuè Deum attingit vt finem vltimum, ad quem proximum ipsum referimus, & cuius coniunctionem cum Deo ipsi optamus, velut cum fine vltimo: quemadmodum dicemus num. 78. de actu quo Deum nobis ipsis speramus. Dixi, *proximo vt mihi coniuncto:* Nam alioqui desiderium illud pertinet ad charitatem, vel erga Deum, si propter Deum expetitur illi beatitudo; vel erga ipsum proximum, si expetitur illi, quia bonum ipsius est, ex amore amicitiæ erga illum.

57. *In quid resoluitur actus Spei?* Opponit etiam pro eadem sententia Maratius Disp. 30. Sect. 2. Illud non esse obiectum formale actus sperandi, in quod hic actus resolui non potest, tanquam motiuum, cui innitatur. Atqui nullus actus sperandi, siue sit actus Spei virtutis Theologicæ, siue cuiusuis alterius Spei, resolui potest in bonitatem rei speratæ, tanquam motiuum cui innitatur. Ergo, &c. Maior est certa. Minorem probat primò, quia interroganti cur rem aliquem amemus, aut desideremus, aut de ea obtenta lætemur? Rectè quidem respondemus, quia bona est. At non si rogemur cur eandem speremus? Qui enim quærit cur rem aliquam speremus? quærit quâ re moti, seu freti, in illius assequendæ Spem veniamus? Sicut qui quærit, cur rem aliquam credamus? quærit quâ re moti, seu freti, præbeamus illi assensum? Probat secundò, quia bonitas rei speratæ, secundùm se, est indifferens, siue vt eam speremus, siue vt de ea obtinenda desperemus: cùm vnam eandémque rem duobus ad assequendum propositam, & vtrique bonam & conuenientem, atque etiam reipsa possibilem, vnus aliquando speret: alter de ea desperet, victus difficultate. Quo modo non se habet eadem bonitas respectu amoris, desiderij, vel gaudij: cùm indifferens non sit vt quis eam amet, aut oderit; desideret, aut fugiat; de illa gaudeat, aut tristetur. Quare bonitas obiecti potest quidem esse obiectum formale actuum amoris, desiderij, & gaudij, ad quos determinat: At nón actus Spei. Probat tertiò ex motiuo formali actus desperationis: quod non est bonitas, vel malitia rei, de quâ desperatur: sed vel infirmitas virium, vel defectus alieni auxilij: quando nimirum aliquis, diffisus proprijs viribus, vel alieno auxilio, cadit animo circa bonum arduum. Ergo à contrario bonitas rei speratæ, non est motiuum formale Spei; sed vel propria sperantis industria, vel alienæ potestatis auxilium, quo freta voluntas non despondet animum, sed erigit se in Spem illius assequendæ.

Respondeo primò, actus amoris, desiderij, & gaudij circa proprium bonum, quà tale, pertinere ad virtutem Spei adæquatè sumptam, contra quos actus aduersarij nihil probant, imò fatentur posse habere obiectum formale, quale nos assignamus. Secundò, si sermo sit de actu Spei strictè sumpto, de quo solo procedit argumentum, id est, pro erectione animi circa bonum arduum: dico actum illum considerari posse, vel prout tendit in obiectum; vel prout tali modo tendit. Priori modo tendit in bonum arduum, sub aliqua speciali ratione motiua, sub qua illud vult. Et hæc ratio potest aptè responderi quærenti cur speret? id est, cur velit assequi tale bonum? Posteriori verò, si quæratur ratio cur tali modo tendat, id est, cur erigatur animo, concipiátque fiduciam bonum illud assequendi, quamvis arduum & difficile? respondendum est, quia vires habet sufficientes, vel auxilium necessarium ad assequendum. Atque ita speciatim loquendo de actu illo Spei Theologicæ, si quæratur cur tendamus ad Dei visionem illam appetendo? aptè respondebitur, quia est summum bonum nostrum. Si autem quæratur cur tali modo tendamus, per erectionem animi, & fiduciam illius assequendæ? Respondebitur, quia Deus paratus est nobis auxilium dare quantum sufficit vt eam assequamur. Nec obest quòd bonitas rei speratæ est de se indifferens ad Spem, aut desperationem. Nam ex eo tantùm sequitur posse voluntatem diuersimodè se habere circa idem obiectum formale, diuersimodè apprehensum, vt possibile, vel vt impossibile, aut nimis difficile: nempe circa illud audendo, & erigendo animum, atque tendendo prosecutiuè; si apprehenditur vt possibile, aut non nimis difficile: vel contrà, abjiciendo animum, & diffidendo, & tendendo auersatiuè; si apprehenditur vt impossibile, aut nimis difficile. Itaque obiectum formale, circa quod desperamus per actum oppositum Spei Theologicæ, est bonum proprium supernaturale, apprehensum vt impossibile, aut nimis difficile. Causa verò cur tali modo tendamus in illud obiectum, potiùs quàm modo

58. Spes diuersimodè resoluitur in omnipotentiam Dei, & in bonum propriũ.

contrario, est infirmitas virium, vel defectus alieni auxilij.

59. Obijcitur vltimò, ex nostra sententia sequi Spem non amitti solo peccato desperationis, sicut fides amittitur solo peccato infidelitatis, ex Trident. Sess. 6. cap. 15. Verùm etiam quocunque alio peccato mortali, commisso cum aduertentia quòd aduersetur bono nostro supernaturali; cuiusmodi sunt omnia fere peccata mortalia commissa à Christianis, quibus id notissimum est, & ferè semper occurrit memoriæ quando grauiter peccant. Probatur sequela: quia tale peccatum opponitur directè amori & desiderio boni supernaturalis, non minùs quàm quodvis peccatum mortale opponitur directè charitati, & amicitiæ erga Deum.

60. Quibusnam peccatis amittatur Spes? Respondeo, de modo quo amittitur habitus Spei supernaturalis, alibi disputandum esse. Nunc breuiter dico probabilius mihi videri Spem amitti, non modò per peccatum desperationis, oppositum directè, & specialiter illi actui, qui est præcipuus eius actus hac in vita, & propter quem præcipuè infunditur, quique specialiter Spes appellatur, vnde tota virtus nomen accepit: id est, per dejectionem animi, & desistentiam à desiderio efficaci, & prosecutione æternæ beatitudinis, propter arduitatem, aut impossibilitatem malè præsumptam: verùm etiam per quodcunque aliud peccatum mortale repugnans incompatibiliter affectibus virtutis Spei, illósque prorsus excludens à subiecto. Cuiusmodi est, præter desperationem, voluntas deliberata nunquam sperandi, contemptus, aut neglectus absolutus proprij boni supernaturalis, & peccatum mortale admissum cum aduertentia, quòd tali bono grauiter aduersetur, aut quòd nos illo priuet, præsertim irreuocabiliter. At huiusmodi non est quodcunque peccatum mortale. Neque enim omnia mortalia admittuntur cum tali aduertentia, ne quidem à Christianis: sed inter illos etiam non pauci, præsertim, de fidei rebus mali instructi, dùm grauiter peccant, de bono supernaturali non cogitant: Ideóque Spes non amittitur per quodcunque peccatum mortale: secus atque Charitas, quæ ideo quouis peccato mortali destruitur, quia omne peccatum mortale includit Dei contemptum, & grauis offensa illius est: vt alibi probauimus: cum graui autem offensa, & contemptu, stare nequit amicitia. Et hactenus de obiecto formali Spei. Nunc de materiali addendum aliquid superest.

SECTIO VIII.

Quodnam sit obiectum materiale Spei?

61. Prima opinio de obiecto materiali Spei. HAc de re, tres sunt Theologorum sententiæ. Prima est eorum, qui volunt obiectum formale virtutis Spei Theologicæ non esse aliud, quàm omnipotentiam, & bonitatem Dei, vt dignam cui confidatur, & propter quam erigamus animum circa res arduas & difficiles, nobis cum eius auxilio possibiles: qui cohærenter Philosophando dicunt obiectum illius materiale esse, non solùm Deum, & beatitudinem supernaturalem, mediáque ad illam consequendam necessaria, vel vtilia, aut alia quævis bona supernaturalia: verùm etiam quæcunque bona ardua purè naturalia, quæ à Dei omnipotentiâ, & benignitate, secundùm fidei dictamen sperari possunt; idque etiam sine vllo respectu ad beatitudinem supernaturalem, sufficeréque vt per fidem proponantur, velut ab omnipotentia & bonitate Dei speranda.

62. Probatur extendi ad bona naturalia. Probatur primò ex Scriptura, quæ aliquos laudat specialiter, eò quòd sperauerint bona quædam naturalia: neque vllo modo significat eos sperasse huiusmodi bona in ordine ad finem supernaturalem. Nam Rom. 4. ver. 18. & Genes. 15. ver. 5. laudatur Abraham quòd sperauerit filium sibi nasciturum de Sara, *non considerans corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum; nec emortuam vuluam Saræ*. Et Danielis 13. laudatur Susanna, quòd *haberet cor eius fiduciam in Domino*: id est, quòd eius ope speraret euadere mortem iniustam, & infamem, sibi imminentem. Et Iudith cap. 15. suæ Historiæ, commendatur eò quòd cor suum confortauerit, speraueritque fore vt morte Holophernis populum suum ab obsidione, & captiuitate liberaret. Scriptura verò non commendat actus purè naturales, & ad salutem inutiles. Et sine dubio loquitur Apostolus de Spe supernaturali Abrahæ, æquè ac de fide, de qua pauló ante dixerat, reputatam illi fuisse ad iustitiam, alludens ad caput 15. Genes. ver. 6. vbi tantùm de filio, & posteris Abrahæ dandis sermo est: neque aliud ipse à Deo postulauerat, quàm habere liberos, & non habere Vernaculum suum pro hærede, defectu liberorum.

63. Comparatur cū obiecto materiali fidei. Secundò, sicut quidquid est à Deo reuelatum, cadit sub fidem Theologicam, credique potest virtute illa supernaturali, eò quòd à Deo reuelatum est: siue alioqui naturale sit, siue supernaturale; & siue credatur per respectum ad finem supernaturalem, siue sine illo; Ita quodcunque bonum arduum fuit à Deo propositum, vt possibile obtineri per eius auxilium & misericordiam, potest sperari innitendo eius potentiæ & benignitati. Possumus enim ab illa sperare laudabiliter, non tantùm bona ardua supernaturalia, sed etiam naturalia: ex. gr. liberationem à morbo graui & incurabili, à præsenti naufragio, & similibus. Sicut propter Dei veracitatem, & testimonium sufficienter propositum, credere possumus veritates purè naturales. Debétque ille actus sperandi pertinere ad Spem Theologicam, & supernaturalem: sicut iste actus credendi est actus fidei Theologicæ. Nam ille non minùs innititur Dei omnipotentiæ & bonitati; quàm iste veritati: neque minùs debet esse supernaturalis, vt sit proportionatus suo obiecto formali, quod est æquè supernaturale, & dignum affectu supernaturali. Est etiam ille actus æquè Theologicus, cùm habeat aliquam perfectionem diuinam pro obiecto immediato, & formali, æquè ac fides. Denique, sicut per virtutem Religionis possumus à Deo petere bona; non modò supernaturalia, vt beatitudinem, iustificationem, eiusque augmentum, & similia; verùm etiam naturalia,

turalia, sine vllo respectu actuali & formali ad supernaturalia: sic per Spem inniti possumus Dei potentiæ, & bonitati, ad illa assequenda. Ratio à priori est, quia illud omne est obiectum materiale Spei, cui potest applicari obiectum illius formale. Ergo sicut illud omne est obiectum materiale fidei Theologicæ, quòd à Deo reuelarum est, & credi potest propter diuinam reuelationem: sic illud omne bonum arduum, est obiectum Spei, quòd à Deo nobis propositum, aut promissum fuit, ita vt eius auxilium habeamus paratum, illiúsque intuitu possimus confidere, & animum erigere contra arduitatem.

64. Spes sequitur cognitionem fidei. Notanter autem dicit hæc sententia, *bona quæ à Dei omnipotentia, & benignitate secundùm fidei dictamen sperari possunt:* quia cùm Spes Theologica sequatur lumen supernaturale fidei Theologicæ, illique subordinetur; sicut voluntas in actibus naturalibus sequitur lumen naturale intellectus, non cognitionem sensus; ita vt quilibet actus Spei necessariò præsupponat in viâ aliquem actum fidei: inde fit vt non possimus sperare virtute illa supernaturali, nisi ea obiecta, quæ secundùm dictamen fidei Theologicæ proponuntur speranda. Qua de causa dixit Apostolus Hebr. 11. fidem esse substantiam rerum sperandarum, id est, basim, & fundamentum sperandi.

65. Conditiones obiecti materialis Spei, ex D. Thoma. Notanter etiam dicit, *bonum arduum, &c.* quia, vt ait probatque ex D. Thoma 1. 2. quæst. 40. art. 1. c. Circa obiectum materiale Spei quatuor conditiones attenduntur. Primò quidem, quòd sit bonum: non enim, propriè loquendo, Spes est nisi de bono, & per hoc differt Spes à timore, qui est de malo. Secundò, vt bonum illud sit futurum: non enim Spes est de præsenti iam habito: & per hoc differt Spes à gaudio, quod est de bono præsenti. Tertiò, quòd sit aliquid arduum, cum difficultate adipiscibile. Non enim aliquis dicitur aliquid sperare minimum, quod statim est in sua potestate vt habeat. Et per hoc differt Spes à desiderio vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolutè; vnde pertinet ad appetitum concupiscibilem; Spes autem ad irascibilem. Quartò, quòd illud arduum sit possibile adipisci: non enim aliquis sperat id, quod omnino adipisci non potest: & secundùm hoc differt Spes à desperatione. Hucvsque D. Thomas.

66. Altera opinio de obiecto mater. Spei. Secunda sententia est eorum, qui censent obiectum formale Spei Theologicæ non esse aliud, quàm bonum supernaturale proprium sperantis, vt tale. Qui consequenter dicunt obiectum illius materiale non esse nisi Deum, & alia bona supernaturalia, saltem respectiuè; quæ prosequitur Spes in quantum sunt bona ipsius sperantis, auersatúrque eorum opposita, vt talia. Ratio est, quia nullum bonum est obiectum alicuius virtutis, nisi prout subest obiecto illius formali. Obiectum autem formale Spei Theologicæ non est aliud, quàm bonum proprium, ad nos pertinens vt spectatos in ordine supernaturali. Virtutum enim Theologicarum motiuum, & obiectum formale, debet esse diuinum & supernaturale; vt propter illud fuerit infundenda virtus supernaturalis, illi proportionata. Quare bona purè naturalia, vt talia, non sunt obiectum Spei, sine vllo respectu ad ordinem supernaturalem, ad quem aliquo modo pertineant. Quemadmodum bona proximi purè naturalia non sunt obiectum materiale Charitatis Theologicæ & supernaturalis, nisi spectentur vel prout pertinent ad Deum, tanquam illi grata; vel ad proximum spectatum in ordine supernaturali; vt dicemus Disp. 18. Sect. 1. num. 4. Et veritates purè naturales non pertinent ad fidem Theologicam, nisi prout subsunt diuinæ reuelationi, & veracitati testificanti: quod motiuum est diuinum & supernaturale, estque formale obiectum fidei Theologicæ.

Similiterque, vt mala sint obiectum materiale Spei, debent considerari quatenus nocent aliquo modo, bono nostro supernaturali, nosque ab illo retardant, vel impediunt: quo pacto solent viri pij & sancti mala naturalia considerare, & hanc præcipuè ob causam illa fugere. Circa bona verò, & mala purè naturaliter spectata sufficit affectus naturalis illis conueniens, & satis proportionatus, propter quem non fuit opus habitum supernaturalem Spei, vel alterius virtutis infundi. 67.

Atque ita (inquiunt) viri illi sancti in Scripturâ laudati eò quòd sperauerint Dei ope bona quædam naturalia consequi, aut vitare mala: spectarunt illa in ordine ad aliquid supernaturale; putà ad seipsos vt constitutos in statu supernaturali, vel ad illum ordinatos; vel prout ad finem illum conducere possunt; qua ratione solent viri Sancti naturalia bona considerare. Nam ex sacro Textu facilè colligitur Abrahamum seipsum in ordine illo considerasse: quippe quem Deus sic alloquitur, Genes. 15. ver. 1. *Noli timere Abram: Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis:* quæ verba de æterna & supernaturali mercede visionis diuinæ intelligenda esse nemo dubitat. Tum consequenter petit Abram filium à Deo, & obtinet illius promissionem. Facilè quoque ex Danielis 13. colligitur Susannam seipsam considerasse vt filiam Israel, hoc est, vt Dei filiam, & partem populi illius Sancti, & à Deo electi. Iudith quoque manifestè dicitur cap. 8. considerasse populum, quem suo periculo liberauit, vt populum Dei, verâ Religione sibi coniunctum. Et de alijs similiter in Scriptura laudatis, idem censendum est, potéstque ex ipsâ id facilè colligi. 68. Quomodo Sancti spectant bona, vel mala naturalia?

Tertia & vera sententia, quæ affirmat Spem Theologicam habere in suo obiecto formali adæquato duo illa, quæ diuisim assignant duæ præcedentes sententiæ; consequenter asserit eam versari non solùm circa Deum ipsum, & beatitudinem supernaturalem, eiusque media, & alia bona supernaturalia sperantis propria: verùm etiam circa bona ardua purè naturalia, quæ à Dei omnipotentiâ, & benignitate, secundùm fidei dictamen sperari possunt; idque etiam sine respectu ad beatitudinem supernaturalem: sufficeréque vt per fidem proponantur, velut ab omnipotentia & bonitate Dei speranda. Quæ sententia satis probata manet ijs argumentis, quæ pro duabus præcedentibus 69. Vera sententia.

adducta fuerunt: & ex dictis Sect. 6. de obiecto formali Spei, vbi ostendimus illud ad duplicem illam considerationem extendi: ex quo sequitur, quicquid subest huic aut illi considerationi, esse obiectum materiale Spei: ac proinde tum bona nostra supernaturalia, vt talia; tum etiam quæcunque alia bona ardua possunt secundùm fidem à Deo sperari; comprehendi intra ambitum obiecti materialis huius virtutis.

70. Quomodo bona natura pertineant ad Spem? Sequitur præterea, nullum bonum naturale esse obiectum materiale Spei Theologicæ, nisi vel per respectum ad omnipotentiam & misericordiam Dei, à quo illud speramus, & cuius fiduciâ erigimur contra arduitatem, secundùm fidei Regulam: vel ad bonum nostrum supernaturale, quà tale, quod per amorem, desiderium, & alios affectus voluntatis prosequimur. Ratio est, quia nullum bonum est obiectum materiale alicuius virtutis, nisi prout subest obiecto illius formali. Obiectum autem formale Spei Theologicæ non est aliud, nisi vel omnipotentia & bonitas diuina, à qua speratur bonum, quamvis arduum, secundùm fidei Regulam: vel bonum supernaturale quatenus proprium sperantis; id est, bonum ad nos aliquo modo pertinens, vt spectatos in ordine supernaturali. Nam, vt suprà diximus, motiuum & obiectum formale virtutum Theologicarum debet esse supernaturale & diuinum, propter quod opus fuerit infundi virtutem supernaturalem illi proportionatam. Ideóque bona naturalia non sunt obiectum Spei sine vllo respectu vel ad omnipotentiam, & bonitatem Dei, à quo sperantur; vel ad ordinem supernaturalem, ad quem aliquo modo pertineant. Sicut bona proximi purè naturalia, non sunt obiectum materiale Charitatis Theologicæ, nisi considerentur vel vt Deo grata, & ad ipsum aliquo modo pertinentia; vel ad proximum spectatum in ordine supernaturali: quæ vtraque consideratio est obiectum formale adæquatum Charitatis infusæ. Et veritates purè naturales non sunt obiectum materiale fidei diuinæ, nisi quatenus attinguntur propter reuelationem Dei, quæ est motiuum, & obiectum formale, ac supernaturale, fidei Theologicæ.

71. Spes non tantùm desiderat, & audet; sed amat, gaudet, &c. Aduersus hanc sententiam, nihil objici video, quod ex dictis facilè solui nequeat. Notandum tamen est quòd sicut possumus sperare bona naturalia in ordine ad omnipotentiam Dei iuuantem contra arduitatem: ita possumus eadem amare, & desiderare sub eodem respectu, & gaudere de illis adeptis per Dei auxilium. Nam illi actus sunt affines, & vnus ex alio sequitur, rectéque vni eidémque virtuti supernaturali conueniunt perficienti subiectum suum in ordine ad omnem actum suo obiecto formali consentaneum. Idémque dico cum proportione de malis naturalibus arduis, in ordine ad Dei omnipotentiam spectaris, eiusque ope vitandis, aut iam vitatis: déque affectibus voluntatis, qui conuenienter exerceri possunt circa eiusmodi mala, tali modo spectata.



SECTIO IX.

Vtrum Spes versetur immediatè circa Deum?

Vera & communis sententia Theologorum affirmat cum D. Thoma quæst. 17. art. 2. c. 72. Conclusio affirmans.
Vbi asserit bonum quod propriè à Deo speramus, esse infinitum. *Non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse.* Nimirum quia est ipsemet Deus, qui seipsum nobis proposuit videndum, & fruendum, perpetuóque possidendum in mercedem bonorum operum, aut veluti fructum iustitiæ supernaturalis hac in vita acquisitæ: iuxta illud Genes. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis:* Et D. August. 22. de Ciuit. cap. 30. *Præmium virtutis erit, qui virtutem dedit; eique seipsum, quo nihil maius esse potest, promisit.* Ratio præcipua huius assertionis est, Probatur efficaciter. quia Spes Theologica versatur immediatè tùm circa id, à quo sperat, & cuius ope innititur erigendo se circa bonum: tùm etiam circa bonum ipsum, quod sperat, ratione sui, & non solùm mediante aliquo alio materiali, aut formali, ratione cuius solùm amet & desideret illud bonum. Sed illud à quo præcipuè speramus, & cuius ope freti præcipuè confidimus nos posse assequi propria bona supernaturalia, est Dei bonitas, & omnipotentia. Illud etiam quod speramus ratione sui, est præcipuè Deus, qui est bonum nostrum, non tantùm ratione formalis beatitudinis; sed etiam per se immediatè, quatenus est obiectum beatitudinis nostræ formalis, & eius causa; & quatenus alijs modis prodest nobis, vel ad nos aliquo modo pertinet. Et secundùm easdem considerationes est obiectum amoris, desiderij, gaudij, aliorúmque affectuum Spei supernaturalis.

Neque enim solùm amamus formalem nostram beatitudinem, aut de illa gaudemus: sed 73. Confirmatur.
etiam de Deo ipso. Sicut non tantùm placet tactus rei suauis, aut aspectus rei delectabilis: sed & res ipsa suauis, aut delectabilis, & pulchra. Et cùm desideramus pecunias v. g. non desideramus solùm possessionem pecuniarum immediatè, quasi præcisam à pecunijs; sed & pecunias ipsas. Imò est prorsus impossibile possessionem præscindi à pecunijs in tali affectu. Quando enim aliquid supposito distinctum, est bonum nostrum; non est tale formaliter, id est, per modum causæ formalis nos bene afficientis, nisi vt nobis vnitum, aut possessum; vel vniendum, aut possidendum. Vnde fit vt finis *qui*, & finis *quo*, vt vocant, id est, res quæ amatur, & ipsius possessio, non sint propriè duo fines. Quia neque possessio amatur sine re, neque res sine possessione aut vnione, sine qua non habet rationem boni nostri.

Hinc etiam fit vt Deus, quatenus bonum 74. Deus est obiectũ immediatum Spei.
nostrum, non sit propriè obiectum mediatum materiale, aut formale respectu talis amoris. Quia non amatur mediante alio materiali, aut alio formali. Siquidem possessio, id est, Deus vt possidendus, aut possessus, non est realiter, aut formaliter aliud, quàm Deus ipse vt bonum nostrum est formaliter quodammodo.

Quod addo, quia non loquor iam de Deo considerato vt bono nostro effectiuè, id est, vt principio efficiente multorum bonorum, quæ nos bene afficiunt formaliter: iuxta quam considerationem distinguitur à bonis creatis, quorum causa est. Et tamen Deus etiam secundùm illam considerationem attingitur immediatè per Spem: quatenus ipse secundùm se est bonum nostrum, vt auctor eiusmodi bonorum creatorum, quibus formaliter bene afficimur.

75. Contraria sententia. Contrarium sentit Durand. in 3. dist. 26. quæst. 2. Vbi docet Spem non attingere Deum ipsum immediatè secundùm se, sed secundùm actus nostros, id est, secundùm formalem nostram beatitudinem: Atque ita obiectum immediatum Spei non esse ipsum Deum; sed beatitudinem formalem, quæ est aliquid creatum. Est tamen Deus, inquit, obiectum principale Spei, quamvis mediante beatitudine: quia totam bonitatem, & arduitatem, quam Spes attendit in obiecto suo, habet beatitudo ex hoc quòd est circa Deum, sicut circa proximum obiectum. Monet autem idem auctor hoc esse intelligendum de obiecto, quod est res sperata: quia si obiectum Spei dicatur id, à quo speramus beatitudinem; tunc ipse Deus est immediatum obiectum Spei. Hinc verò sequitur, iuxta sententiam Durandi, Spem non esse virtutem Theologicam respectu rei speratæ, sed tantùm respectu eius à quo speratur: quia secundùm priorem respectum non fertur immediatè in Deum.


76. Præcipua eius argumenta. Argumenta huius Doctoris hæc sunt: Primò, quia Spes, inquit, pertinet ad amorem concupiscentiæ, quo volumus nobis aliquod bonum. Sed proximum & immediatum obiectum amoris concupiscentiæ non est Deus secundùm se: Deus enim amandus est propter se, & amore amicitiæ. Ergo est aliquid aliud. Sed non est aliud nisi beatitudo creata, vt patet ex ipsa descriptione Spei, scilicet, quòd est expectatio futuræ beatitudinis. Secundò, Idem est obiectum Spei, & gaudij seu delectationis; nec differunt, nisi secundùm præsens, & futurum. At obiectum proximum gaudij seu delectationis in patria, non est Deus secundùm se, sed beatitudo creata. Maior est clara. Minorem verò ait sufficienter à se probatam fuisse in 1. dist. 1. quæst. 2. eandémque rursus probare conatur in 4. dist. 49. quæst. 5. Sed quæ vtroque loco affert, nos iam alibi refutauimus, loco mox citando. His duobus argumentis Durandi tertium addi potest, quia si Deus per Spem expetitur speranti, tanquam illius bonum: ergo sperans est finis, & magis amatur per Spem, quàm Deus ipse. Nam is cui aliquid expetitur, est finis eius, quod ipsi expetitur; & magis amatur, quàm illud. Consequens autem est absurdum, & contra rectum ordinem quem virtus Spei, vt & quælibet alia, seruare debet circa suum obiectum. Ergo, &c.

77. Deus est amabilis vt bonus nobis. Ad primum respondeo, concessa maiore, nego minorem. Deus enim potest amari conuenienter à creatura, non tantùm prout absolutè in se bonus est: sed etiam prout respectiuè est bonus ipsi creaturæ. Est enim conuenienter amabilis secundùm omnem considerationem, quâ bonus est. Ergo quatenus est summum bonum nostrum supernaturale, est amabilis amore proportionato & supernaturali, qui est amor concupiscentiæ circa Deum, vt bonum proprium amantis.

78. Beati gaudent immediatè de illo. Ad secundum respondeo similiter, negando minorem. Nam etiam Deus ipse secundùm se immediatè, vt summum bonum nostrum, est proximum & immediatum obiectum gaudij beatifici, vt ostendimus tom. 1. disp. 5. Sect. 2. Vbi omnibus Durandi argumentis in contrarium, abundè, vt puto, satisfecimus. Enimvero Beati non gaudent tantùm immediatè de sua visione; sed etiam de Deo ipso clarè viso. Sicut qui solem intuetur, aut picturam; delectatur immediatè sole ipso, vel pictura, vt obiecto delectabili. Neque enim delectat immediatè sola visio, vt præcisa ab obiecto; sed & ipsum obiectum secundùm se, mediante visione, non vt obiecto, sed vt causa delectationis moraliter efficiente, vel vt conditione sine qua non. Similitérque gustus, aut tactus rei suauis, non delectat immediatè solus, & præcisè ab ipso obiecto: sed res ipsa suauis per seipsam delectat vt grata gustui, vel tactui, benéque sensui proportionata, & conueniens. Quamvis non delectet nisi mediante sensatione, vt causa proxima efficiente delectationis, vel vt conditione sine qua non. Quemadmodum bonum cognitum non amatur nisi mediante cognitione, quamvis ipsummet secundùm se sit obiectum immediatum amoris.

79. Spes non refert Deum ad nos, vt ad finem. Ad tertium respondeo, non quidquid expetitur alteri, expeti illi vt fini qui magis ametur. Potest enim expeti illi, vt subiecto, quod potiùs ad ipsum velut ad finem ordinetur, quodque in intentione minùs præcipuum sit. Et ita Deus, quando nobis expetitur, amatur quidem secundùm illam modificationem, quatenus bonus nobis est, & nostrum summum bonum: sed non propterea illum ad nos referimus, velut ad finem magis intentum, & præcipuum. Nam potiùs ipsum nobis amamus, vt nostrum finem vltimum, & summum bonum, præcipuè ac summè expetendum.

80. Vrgebis, quia ille, cui bonum aliquod volumus, est finis *cui* eius boni: iuxta communem distinctionem Philosophorum in finem *cui*, & finem *qui*, seu *cuius gratiâ*. Ergo ille cui Deum amamus, est finis *qui* ipsius Dei. Respondent aliqui id posse sine incommodo admitti, & admittitur à Mæratio disput. 33. Sect. 2. num. 7. modò maneat, in tali affectu Deum esse finem *qui*, seu *cuius gratiâ*, præcipuè expetitum, & ad quem nos ipsos, & nostra omnia referimus, velut ad finem vltimum. Secundò & meliùs dicendum est, doctrinam illam Philosophorum non esse accipiendam vniuersalissimè, sed cum restrictione proximè tradita: excepto scilicet casu, in quo ille cui bonum expetimus, non potest conuenienter habere rationem finis, sed tantùm subiecti, respectu tanti boni, quod ipsi expetimus, & ad quod ipse potius velut ad finem suum vltimum referri debet. Tunc enim virtus, cuius omnes affectus debent esse bene ordinati (neque enim aliter essent actus virtutis) non expetit illi tale bonum, tanquam fini eiusdem boni; sed solummodo tanquam illius subiecto.



DISPVTATIO SEXTA-DECIMA.

De Actibus virtutis Spei, & alijs ad eam pertinentibus.

DE materiâ huius disputationis agit S. Thom. q. 18. & quatuor sequentibus. In quarum prima docet Spem esse in voluntate, tanquam in subiecto proprio: non autem in appetitu inferiori: quia eius obiectum non est aliquod bonum sensibile, sed bonum diuinum. Et non esse in beatis, sicut neque fidem: quia bonum arduum possibile non cadit sub rationem Spei, nisi quatenus est futurum. Beatitudo autem non est illis ampliùs futura, sed præsens. Neque etiam esse in damnatis: cùm non possint apprehendere beatitudinem vt bonum possibile: certique sint se nunquam ex æterna damnatione euasuros. Denique Spem habere certitudinem participatam à fide, certò illi proponente obiectum, in quod tendit, & media, modúmque tendendi.

In secundâ affirmat Deum timeri posse, ac debere, in quantum potest aliquod malum, pœnæ scilicet, nobis ab ipso imminere. Timorémque diuidi in seruilem, filialem, & initialem. Quorum primo conuertimur ad Deum, ob timorem pœnæ. Secundo, propter timorem offensæ: nam filiorum est timere offensam patris. Tertius est medius inter vtrumque timorem, per vtriusque participationem: quando sci-

licet timetur partim ob pœnam, partim ob offensam. Vltra hos verò timores, qui boni sunt, alium esse malum, qui dicitur mundanus, & nascitur ex amore, quo quis mundo innititur tanquam fini, ideoque timet illum amittere. Differunt autem specie timor seruilis, & filialis, propter diuersa obiecta, in quæ tendunt. Et vterque est initium Sapientiæ: quia cùm ad Sapientiam pertineat quòd humana vita reguletur secundùm rationes diuinas: hinc oportet sumere principium, vt homo Deum reuereatur, & se illi subjiciat.

In tertia asserit desperationem esse peccatum: quia nascitur ex falsa opinione quòd Deus deneget gratiam pœnitenti, vel quòd peccatores ad se non conuertat per gratiam iustificantem. Posse tamen esse sine Infidelitate, sicut & alia peccata mortalia. Quia potest aliquis retinendo in vniuersali veram æstimationem fidei, quòd scilicet est remissio peccatorum in Ecclesia: pati tamen motum desperationis, quòd nimirum sibi in tali statu existenti non sit speranda venia, corruptâ eius æstimatione circa particulare. Tametsi autem non est maximum peccatorum, quia Infidelitas, & odium Dei, magis ab eo auertunt, quàm desperatio: periculosior nobis tamen est, quia magis à bonis operibus retrahit, & ad mala inducit. Eius denique originem; seu causam interdum esse luxuriam, quæ facit vt homo fastidiat bona spiritualia, carnalibus irretitus; & interdum acediam, quæ animum dejicit, impeditque ne ad bonum arduum prosequendum generosè feratur.

In quarta dicit præsumptionem esse quandam immoderantiam Spei: quâ quis tendit in aliquod bonum vt sibi possibile, quod tamen eius virtutem excedit: vel tendit in aliquod bonum vt possibile per virtutem, & misericordiam diuinam, quod tamen non est tale: sicut cùm aliquis sperat veniam obtinere sine pœnitentia, vel gloriam sine meritis. Et hæc est quæ opponitur virtuti Spei Theologicæ. Estque peccatum: quia conformatur intellectui falso, quòd Deus in peccato perseuerantibus veniam concedat, vel bona opera negligentibus gloriam largiatur. Minus tamen peccatum est, quàm desperatio: quia Dei magis proprium est misereri & parcere, quàm punire, ob infinitam eius bonitatem. Directiúsque opponitur Spei, quàm timori: quia importat quandam Spem inordinatam de Deo, respicitque idem obiectum, cui innititur: sed Spes ordinatè; præsumptio inordinatè. Oritur autem à superbia, quâ homo se tanti æstimat, vt eum Deus etiam peccantem non puniat, vel à gloria non excludat.

In quinta docet oportuisse dari præceptum Spei, vt homines inducerentur ad obseruantiam præceptorum: atque etiam præceptum timoris seruilis: quia timor quoque pœnarum inducit ad legis obseruantiam. Timor autem filialis, qui reuerentiam exhibet Deo, est quasi quoddam genus ad dilectionem Dei, vt principium quoddam omnium eorum, quæ in Dei reuerentiam obseruantur. Ideóque de timore filiali dantur præcepta in lege, sicut & de dilectione: quia vtrumque est præambulum ad exteriores actus qui præcipiuntur, in lege, ad quos pertinent præcepta Decalogi: Timor enim requiritur ab homine, & vt ambulet in via Dei colendo ipsum, & vt eundem diligat.

SECTIO I.

Quinam sint actus Spei Theologicæ?

1. Qui affectus conueniant Spei? Constat ex dictis præcedenti disputatione virtutem Spei Theologicæ adæquatè sumptam, non valere solùm ad mentis erectionem, & fiduciam de omnipotentia & bonitate Dei, eiusque auxilio nobis parato conceptam circa bonum arduum; qui actus specialiter vocatur Spes, & à quo virtus tota nomen accepit: sed etiam ad audaciam contra malum arduum, conceptam ex eodem motiuo, & ad omnem affectum conuenientem circa bonum nostrum supernaturale, quà tale; & circa malum ipsi oppositum. Ita vt valeat ad amorem, desiderium, & gaudium eiusdem boni: & ad odium, timorem, & tristitiam de malo opposito: atque etiam ad iram contra causas eiusdem mali, vel impedimenta boni. Alij verò duo affectus, qui vltra Spem, audaciam, & iram, tribuuntur parti irascibili, nempe metus, & desperatio, non conueniunt virtuti Spei, saltem circa beatitudinem: quia decentes & honesti non sunt. Procedunt enim ex iudicio erroneo, quòd difficultas assequendi bonum conuenienter desiderandum secundùm fidei dictamen, aut vitandi malum conuenienter fugiendum, sit insuperabilis. Vel consistunt in prauo affectu voluntatis abjicientis desiderium boni propter arduitatem, aut succumbentis malo, nec conantis effugere, propter illius vitandi difficultatem.

2. Valet igitur Spes ad volendum, & amandum bonum nostrum Supernaturale, quà tale: ex quo amore sequitur naturaliter desiderium eiusdem boni, quando absens est, & quidem etiam generosum & vehemens, valénsque ad vincendam difficultatem, contra quam mens se erigit innixa Dei auxilio. Ex eodémque amore sequitur connaturaliter gaudium de bono eodem obtento & possesso. Item, ex amore boni sequitur naturaliter auersio & odium mali oppositi; & ex odio timor eiusdem mali imminentis: qui timor fit audacia, si sit generosus contra arduitatem & difficultatem mali vitandi, cum fiducia concepta ex auxilio Dei parato. Sin contra, turpiter animo cadimus, vel desiderium boni abjicimus, propter arduitatem assequendi bonum, aut vitandi malum; & desperatio, vel metus: qui affectus non conueniunt virtuti Spei, vt paulò ante diximus. Ad eandem tamen pertinet ira contra causas mali, vel impedimenta boni nostri. Itémque dolor de amissione gratiæ, & de alijs malis bono nostro supernatutali oppositis.

3. Quod si objicias, Charitati quoque, & alijs virtutibus conuenire omnes actus, quibus voluntas potest decenter tendere in cuiuslibet obiectum, amando, desiderando, gaudendo, tendendo etiam generosè contra arduitatem cum erectione mentis, & desiderio generoso circa bonum, vel audaciâ circa malum, & irâ contra causas mali, vel obices boni. Quænam ergo est ratio cur secunda virtus Theologica vocetur Spes, potiùs quàm tertia, vel aliæ virtutes voluntatis: quandoquidem illæ quoque se generosè erigunt circa bonum sibi propositum absens, & arduum, illudque generosè desiderant, & prosequuntur efficaciter contra difficultatem?

Respondeo, rationem specialem cur secunda virtus Theologica vocetur Spes, esse quia Spes propriè, secundum Philosophos morales, est affectus voluntatis circa proprium bonum sperantis, absens, & arduum, erigentis se contra arduitatem, & innitentis proprijs viribus & industriæ, vel alieno auxilio sibi parato. Qui affectus soli secundæ virtuti Theologicæ conuenit inter supernaturales, estque præcipuus illius actus, & propter quem maximè infunditur, pro statu huius vitæ: ideóque ab illo tota virtus denominatur. Confirmatur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 25. art. 1. in c. Vbi de passione Spei loquens, ait passionem Spei supra desiderium addere quendam conatum & eleuationem ad consequendum bonum arduum: proprium scilicet, vt addit loco mox citando ex 2. 2. q. 17. a. 3. Actus autem supernaturalis Spei, tametsi non est passio, idcirco tamen sortitur idem nomen, quia est actus appetitus circa proprium bonum arduum, habens talem quandam eleuationem. Itaque actus Spei propriè dictus, & strictè sumptus, est eleuatio voluntatis circa proprium bonum arduum, præcipuéque circa Deum ipsum vt obiectum nostræ beatitudinis supernaturalis. 4. Spes cur ita vocetur?

Constat etiam ex dictis de fide, actum Spei Theologicæ esse supernaturalem, & entitatis longè excellentioris, maiorisque perfectionis moralis, quàm sint actus naturales, qui circa bonum nostrum supernaturale sufficienter cognitum, aut circa Dei omnipotentiam, & misericordiam iuuantem nos ad consequendum bonum arduum, exerceri possunt solis viribus naturalibus. Vt nimirum sit proportionatus obiecto supernaturali, in quod tendit, eiusque merito & dignitati respondeat, & cognitioni fidei supernaturalis, per quam dirigitur, & fini supernaturali iustificationis, & glorificationis, ad quem refertur: iuxta illud Trident. Sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* 5. Actus Spei est supernaturalis.

Superest quærere 1. Possit ne vnus sperare alteri beatitudinem, aliáve bona supernaturalia: vel tantùm sibimetipsi? Respondeo non posse illa sperare, seu desiderare alteri, vt alteri: sed tantùm vt sibi coniuncto, & ad se pertinenti. Ita D. Thomas quæst. 17. art. 3. Vbi affirmat non posse quenquam sperare alteri beatitudinem, nisi tanquam vnito ipsi speranti. Idque probat ibid. §. *Sed contra*, ex D. August. in Enchiridio cap. 8. vbi sic ait: *Spes autem non est nisi rerum ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur.* Ratio est, quia bonum supernaturale potest alteri amari, & procurari per Charitatem: adeo vt non sit opus alia virtute. Spes autem 6. Spes est circa bonum proprium sperantis.

est virtus distincta à Charitate : iuxta illud 1. Cor. 13. *Manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Quare vt prædictum bonum procurare, & prosequi, sit actus Spei, debet addi aliqua differentia; nimirum consideratio illius boni, vt aliquatenus pertinentis ad ipsum sperantem. Quocirca Spes non desiderat bonum alterius, vt alterius, sed vt coniuncti sibi aliquatenus : quo modo qui bonum aliquod alteri desiderat, illud ipsum quodammodo sibimetipsi desiderat in alio sibi coniuncto; quia vnio, & coniunctio facit vt bonum coniuncti sit quodammodo bonum eius, cui ille coniunctus est.

7. Bonum nostrum, & alienum valde differunt moraliter.

Objicies : Deus vt bonum nostrum, non est diuersæ rationis, quàm consideratus prout est bonum cuiusque aliorum : neque etiam quilibet nostrum est diuersæ rationis à quolibet aliorum. Ergo Spes, quæ tendit in Deum vt bonum nostrum, potest & debet tendere in Deum vt est bonum cuiusque aliorum. Idémque dico de alijs bonis supernaturalibus, quæ non differunt specie, vt nostra sunt, vel vt sunt aliorum. Quare per hoc Spes non potest distingui à Charitate. Respondeo, antecedens quoad vtramque partem esse falsum. Quia quilibet nostrum, vt idem sibiipsi, in ordine ad amorem, est diuersæ rationis moraliter, ab alio, vt alio : & bonum proprium, & alienum, vt sic, tam differunt inter se, quàm idem, & diuersum, vt sic. Quare licet quilibet nostrum Physicè sit eiusdem speciei cum alio quolibet homine : moraliter tamen secundùm relationem ad amorem, vnusquisque vt idem sibiipsi, est diuersæ rationis ab alio, vt distincto & diuerso. Similitérque Deus non habet eandem rationem, secundùm relationem ad amorem, prout est cuique proprium bonum; & prout est bonum alterius. Identitas enim, & proprietas ipsa, est ratio diuersa sufficiens ad distinguendum amorem, quo quis amat suum vt tale, ab amore quo quis amat alterius bonum, prout alterius est.

8. Differentia moralis specifica quid sit?

Pro quo nota, id quod rectè aduertit Delugo disp. 3. de Pœnit. Sect. 2. nu. 30. differentiam moralem specificam inter aliqua duo, nihil aliud esse, quàm differentiam notabilem, quam prudens existimatio inuenit inter illa. Posseque contingere, vt aliqua prudenter existimentur differre notabiliter in ordine ad aliquem finem, aut vsum humanum : quæ tamen Physicè non differunt notabiliter, eiusdémque sunt speciei : & è contrariò, aliqua existimentur non differre notabiliter in ordine ad aliquem finem, aut considerationem moralem : quæ tamen Physicè spectata differunt specie. Sic voluntas furandi aurum propter specialem ipsius bonitatem, differt specie Physicè à voluntate furandi argentum : & tamen secundùm moralem æstimationem non differunt specie, neque debet hæc differentia explicari in confessione. Contrà verò, consanguineus non differt specie Physicè à non consanguineo : vel affinis à non affine. Et tamen copula carnalis cum consanguineo, vel affine, differt specie secundùm moralem considerationem, constituitque peccatum in alia specie necessariò exprimenda in confessione.

9. Similiter ergo, licet amor, quo aliquis amat seipsum, & Deum sibi ipsi non differat specie Physicè ex parte obiecti, ab amore, quo amat alium hominem, & Deum ipsi experit : quia vnus homo non differt specie ab altero : Tamen secundùm moralem æstimationem magna & notabilis est differentia inter amorem quo diligit seipsum, suáque bona, vt talia : & inter amorem quo diligit alium, & quæ sunt ipsi bona. Quia motiuum amandi seipsum, procurandique sibi bonum, longè aliter mouet : & obligatio illa, siue potius necessitas moralis, quam quisque habet erga seipsum, est secundùm prudentem æstimationem valde diuersa ab obligatione amandi alium. Ideóque in ordine ad moralem considerationem illi duo actus differunt specie, sicut & illorum motiua. Quamvis Physicè loquendo non differant specie obiecta, neque moralis honestas obiectiua Physicè spectata; ac proinde actus non accipiant ab illis Physicè & præcisè sumptis differentiam specificam.

SECTIO II.

Liceatne sperare æternam, aut temporalem retributionem : & sperare de homine?

Quæritur secundo, vtrum operari intuitu æternæ retributionis sit actus bonus & honestus, qualis debet esse actus virtutis Spei? & vtrum Spes ad eam tendat per sola Christi merita; an verò etiam per merita ipsius sperantis, & per intercessionem Sanctorum? Respondeo, & dico primò, non esse malum, sed honestum operari intuitu æternæ retributionis. Probatur primò ex Trident. Sess. 6. cap. 11. in fine, & can. 31. Vbi contra Hæreticos huius temporis sic pronuntiat : *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Secundò, Scriptura passim hortatur nos ad bene operandum intuitu retributionis, Deuteron. 12. ver. 28. *Obserua, & audi omnia, quæ ego præcipio tibi : vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempiternum.* Et ad Galat. 6. ver. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes.* Et Coloss. 3. ver. 23. & 24. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, &c. Scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et Apoc. 2. ver. 10. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sancti quoque in Scriptura proponuntur passim operantes ex eodem motiuo. Vt Dauid Psal. 118. ver. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et Hebræor. 11. ver. 24. & 25. dicitur Moïses elegisse affligi cum populo Dei, quia aspiciebat in remunerationem. Et ver. 9. & 10. dicitur Abraham, patriâ suâ desertâ, habitasse in terra aliena, quia *Expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Ex his & similibus conficitur hæc ratio : Honestum est operari ex motiuo, quod Deus ipse

10. Licet sperare retributionē æternam.

Illam spectauit Sancti bene operando.

nobis proponit, & cuius intuitu Sancti, in Scriptura laudati, operati sunt. Atqui Deus Ipse proponit nobis motiuum retributionis, & Sancti eius intuitu operati sunt: Ergo, &c. Quod si Scriptura Ioan. 10. & alibi reprehendit mercenarios: intelligit eos, qui vitiosè excludunt alia motiua, & sine mercede nollent operari quod debent: vel etiam mercedem magis diligunt, quàm Deum ipsum: vel commoda sua præferunt Dei obsequio, & saluti proximorum: quales illi Pastores, de quibus Ioan. 10. sermo est.

11. Licet sperare etiã temporalem. Addo, ne quidem malum esse operari intuitu mercedis temporalis, & humanæ: siue illud bonum temporale aliò referatur, siue non. Quia licitum est sperare à Deo per bona opera, eam mercedem, quam ipse promisit bene operantibus. At Deus illis non modò promisit bona æterna, & spiritalia: sed etiam temporalia, & humana, Deuteron. 12. 28. 30. & alibi. Neque objicias esse contra rectam rationem ordinare orationem v. g. aut alium actum virtutis, tanquam medium ad obtinendam rem viliorem. Id enim verum tantùm est, quando maius ordinatur solùm ad lucrandum minus cum interitu maioris: vt si vitam quis exponat & perdat ad obtinendam solùm aciculam. Secus autem, quando maius ordinatur ad lucrandum minus absque iactura ipsius maioris: sicut in exemplo proposito, bonum orationis non amittitur ex eo quòd per illam temporale aliquid prosequamur. Licet autem melius, & nobilius sit referre orationem, aliáque bona opera, ad finem supernaturalem, & non sistere in bono temporali: non tamen propterea hoc illicitum est. Tum quia non tenemur quolibet actu perfectissimè operari. Tum etiam, quia non est necessarium, vt quidquid expetitur tanquam bonum ipsius expetentis, sit vel finis supernaturalis, vel ad illum ordinetur. Nullum enim tale præceptum ostenditur, quo homo, etiam Christianus, teneatur semper omnia referre ad finem supernaturalem, & nihil aliud velle, nisi propter illum, sine quo multa alia sunt per se, expetibilia, licitéque expeterentur, quamvis Deus nullum ordinem supernaturalem instituisset: vt vita, sanitas, commoda necessaria, virtutes naturales intellectus & voluntatis, aliaque id genus.

12. Error cõtrarius refellitur. Ex his collige quàm falsò scripserit Iansen. lib. 5. de Gratia Christi Saluat. cap. 9. amorem concupiscentiæ respectu Dei esse vitiosum; eò quod semper quicquid amor ille concupiscit, hoc vltimò ad ipsum amantem refert: & Spem Christianam deprimi ab illis, qui eam subtrahunt Charitati, & in concupiscentiæ amorem, aut in mercenariæ cupiditatis fœditatem vertunt. Et sequenti cap. 10. *Absit*, inquit, *vt ita Christianus propter retributionem operetur*: ipsum scilicet Deum mercedem tanquam sibi vtilem expectando, & expetendo, vt paulo ante dixerat. Quæ doctrina prius tradita à Luthero in assertione articuli 6. ex damnatis à Leone X. & à Caluino in Antidoto Trident. ad Session. 6. can. 31. manifestè repugnat testimonijs Scripturæ relatis num. 8. Quibus adde, Deum ipsum se in mercedem Abrahamo proponere, Genes. 15. ver. 1. *Noli timere Abram; ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. De eadémque mercede loquebatur Apost. 1. Cor. 9. ver. 25. sic dicens: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*. Et Coloss. 3. ver. 24. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Et Petrus Epist. 1. cap. 5. ver. 4. Pastores animarum sic exhortans ad suum munus ritè obeundum: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, &c. Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam*. Repugnat etiam communissimæ doctrinæ SS. Patrum, quorum plurima testimonia collecta, vide apud Andream de Vega lib. 11. in Trident. cap. 40. Et denique damnatur expresè ab eodem Concilio Sess. 6. can. 31. verbis, suprà relatis num. 10. Quomodo autem Deus per amorem concupiscentiæ referatur ad ipsum amantem, non velut ad finem vltimum, sed velut ad subiectum, cui amatur, tanquam finis eius vltimus (quod non satis intellexit Iansenius) exposuimus superiori disput. Sect. 9. num. 78. & 79. Cúmque Spes Christiana sit distincta virtus à Charitate, illâque inferior, vt docet Apost. 1. Cor. 13. ver. vlt. non eam deprimunt, sed intra sui obiecti limites definiunt, qui dicunt illam habere obiectum diuersum à Charitate, & modum tendendi inferiorem: neque vlla eam fœditate inficiunt, sed genuinam eius naturam & perfectionem exprimunt, qui affirmant versari conuenienti modo circa Deum, tanquam summum bonum, & finem vltimum ipsius sperantis. Plura hac de re videri possunt in Selectis contra Iansenium, disp. 19.

Dico secundò, actum, quo operamur intuitu æternæ retributionis, vt boni nostri supernaturalis, esse actum Spei Theologicæ: quæ licet tendat ad beatitudinem per Dei gratiam, & per Christi merita, vt per causam præcipuam consequendi: licitè tamen ad eam tendit etiam per propria ipsius sperantis opera, & merita, cum gratia Dei facta, & propter Christum ad vitam æternam acceptata. Prima pars liquet ex dictis Disp. 15. Sect. 6. de obiecto Spei. Secunda probatur ex Trident. Sess. 6. can. 26. *Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare, & sperare æternam retributionem, &c. anathema sit*. Et cap. 16. initio sic ait; *Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Idem satis expresè docent multa Scripturæ loca à Trident. ibidem allegata. Quibus adde illud Rom. 5. ver. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò Spem*. Et cap. 8. ver. 17. *Si filij, & hæredes, &c. si tamen compatimur, vt, & conglorifi-* 13. Spes nititur etiã meritis sperantis.

temur. Et 2. Cor. 4. ver. 17. *Momentaneum hoc, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Et Matth. 19. ver. 17. *Si vis ad vitam ingredi; serua mandata*. Et cap. 25. ver. 35. *Venite benedicti, percipite regnum, &c. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* Vbi Christus clarè significat opera bona non minùs esse causam æternæ retributionis, quàm mala opera sint causa æternæ damnationis. Et 2. Petri 1. ver. 10. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Et Iacobi 2. ver. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?* Ex quibus omnibus sic argumentor: Licitum, & honestum est sperare vitam æternam per ea media, per quæ Deus illam consequendam proposuit, & sine quibus obtineri nequit. Atqui eiusmodi sunt opera bona, & merita propria respectu adultorum, qui bene operandi, & merendi tempus, & obligationem habent: ergo, &c. Maior est euidens: Minor patet ex locis Scripturæ citatis.

14. Non sunt illa separanda à meritis Christi. Notandum tamen est primò, merita nostra non esse separanda à Christi meritis, sine quibus nulla sunt, vt docet Trident. Sess. 6. cap. 16. Secundò, non esse fidendum, nostris meritis, quasi ex nobis sine Dei gratia sint; aut vim habeant obligandi Deum sine ipsius promissione libera, & gratuita. Primum enim Pelagianum est. Secundum repugnat his Christi verbis, Luc. 17. ver. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus*. Et Rom. 11. ver. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Tertiò, vitandam item esse confidentiam & superbiam Pharisaicam, quæ reprehenditur Luc. 18. *Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c.* Quartò denique, non esse præsumendum vt certum, & indubitatum, nos esse iustos, & habere opera meritoria: cùm sine speciali reuelatione, id nemo teneat fide indubitata, & cui non potest subesse falsum; vt ait Tridenti. Sess. 6. cap. 9. in fine. Neque actus Spei supernaturalis sequitur talem præsumptionem; sed actum fidei, quo credimus retribuendam esse vitam æternam pro bonis operibus, si ea exerceamus cum conditionibus à Deo requisitis; & hæc aut illa opera, si talia sint, promeritura esse vitam æternam, iuxta Dei ordinationem, & promissionem. Per hæc Hæreticorum obiectionibus respondere facile est, quas breuitatis causa prætereo, contentus illis sufficienter occurrisse.

15. Liceatne sperare de homine? Addo, quia non tantùm proprijs operibus, sed etiam alienis iuuari possumus ad consequendam beatitudinem; non licere quidem sperare de homine, neque de creatura vlla, tanquam de prima & principali causa beatitudinis: quia præter Deum non est alia causa prima, & principalis beatitudinis; licere tamen sperare de creatura, tanquam de causa secundaria, & instrumentali, vel minùs principali, & subordinata: quatenus possumus Sanctorum precibus, & aliorum ope iuuari ad illam, & ad alia bona spiritalia obtinenda. Vt patet primò ex Scriptura, quæ sæpius hortatur nos vt alij alios ad salutem iuuemus, & aliorum opem in hunc finem imploremus: Iacobi 5. ver. 16. *Orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua apud Deum*. Iob. 42. ver. 8. *Ite ad seruum meum Iob, &c. orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, &c.* Si autem possumus iuuari precibus viuorum: multò magis Sanctorum cum Christo regnantium. Et aliundè manifestum est licitum esse sperare beatitudinem per omnia media, quæ possunt ad illam valere, iuxta cuiusque medij gradum & modum.

Patet secundò ex perpetuo sensu, & vsu Ecclesiæ Catholicæ: cuius testes sunt Sancti Patres, & Scriptores antiqui, qui primis eius sæculis floruerunt: vt August. Serm. 18. de Sanctis, vbi B. Virginem suo, & aliorum nomine, sic alloquitur: *Per te speramus delictorum veniam, & in te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum*. Et lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Populus autem Christianus memorias martyrum Religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiunetur*. Et Ambrosius lib. de Viduis, post medium, *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris; qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata lauerunt*. Et Eusebius lib. 13. Præparat. Euangel. cap. 7. initio, *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votáque illis facimus, tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur*. Et quidem illam Sanctorum inuocationem fuisse efficacem, & fiduciam de illorum ope conceptam non fuisse vanam, testantur Gregor. Nazianzenus orat. 3. circa medium, vbi Iuliano Imperatori exprobrat, quòd non reueritus sit victimas pro Christo immolatas, & strenuos milites Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Andream, Theclam, &c. quibus dies festi, & magni honores fuerunt decreti, *per quos Dæmones è corporibus pelluntur, sanantur morbi incurabiles, &c.* Et Theodoret. libro, siue Serm. 8. de Græcanic. affect. prope finem, vbi testatur circa memorias Martyrum solere appendi à fidelibus varia dona, acceptæ per eorum intercessionem sanitatis, vel alterius beneficij monumenta.

16. Inuocatio Sanctorum probatur.

Ac denique non in priuatis solùm precibus; sed in ipso etiam publico, & præcipuo Religionis cultu, id est, in Augustissimo Eucharistiæ sacrificio, solitam fuisse Ecclesiam Sanctorum opem implorare, patet ex antiquis liturgijs, & ex Cyrillo Hierosolimitano Catech. 5. Mystagog. vbi sic habet: *Rogamus te nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus, suf-* 17. Eius vsus etiam in liturgia.

cipiat preces nostras, &c. Et ex August. tract. 84. in Ioan. Vbi sic loquitur: *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus: sed magis vt ipsi pro nobis orent.* Et Serm. 71. de Verbis Apost. initio, *Habet*, inquit, *Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitant ad altare Dei, vt non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur. Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.* Concludo itaque verbis Innocentij III. lib. 3. de mysterijs Missæ, cap. 9. *Communicamus igitur, & memoriam veneramur Apostolorum, & Martyrum, & præcipuè gloriosæ Dei genitricis Virginis Mariæ, vt eorum suffragio de fide perducamur ad speciem, de stadio veniamus ad brauium, de via transeamus ad patriam. In hac quidem commemoratione Sanctorum illud obseruat Ecclesia, quod antiquitas consueuit agere, vt in orationibus recolat patrum memoriam, quatenus eorum meritis suffragantibus, faciliùs obtineat, quod implorat.* Plura in hanc sententiam Sanctorum Patrum testimonia, videri possunt apud Gauter. in tab. Chronogr. veritate 2. Bellarm. lib. 1. de Sanctis cap. 18. 19. & 20. Iaubert. de Barrault tom. 2. Clypei cap. 1. & tribus sequentibus: qui etiam præcipuis Hæreticorum argumentis in contrarium tam copiosè & eruditè satisfaciunt, vt non sit opus in illis refutandis diutius immorari.

SECTIO III.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones de actu Spei, & de timore ad ipsam pertinente.

18. Actus Spei est certus extrinsecè. Quæritur tertiò, an Spes nostra sit certa? id est, an actus, quo speramus beatitudinem æternam, certus sit? Respondeo cum D. Thoma quæst. 18. art. 4. non esse quidem certam formaliter & intrinsecè: quia formalis certitudo conuenit tantùm intrinsecè actui intellectus, estque firma adhæsio iudicij cum obiecto, vel auersio ab illo; siue firmus & indubitatus assensus, vel dissensus: sed tamen certam esse participatiuè, & denominatiuè ab actu intellectus, in quo fundatur: quatenus sequitur certum & infallibile iudicium fidei supernaturalis, quo beatitudo proponitur nobis vt possibilis, & vt consequenda per hæc & illa media à Deo instituta, si ritè adhibeantur. Quemadmodum enim Spes dicitur vana, incerta, & fallax, quando nititur iudicio, & existimationi vanæ, incertæ, aut fallaci, de veritate aut possibilitate finis, vel de efficacia mediorum: Sic è contrariò, &c.

19. Non excludit omnem timorem oppositi. Notandum tamen Spem eiusmodi non esse certam absolutè fide diuina, citra specialem reuelationem, sed tantùm hypotheticè, quantùm ad actualem consequutionem beatitudinis. Nemo enim citra specialem reuelationem est certus infallibiliter se absolutè consequuturum esse vitam æternam, & media omnia necessaria vel adhibuisse, vel adhibiturum esse: vt contra stultam Hæreticorum præsumptionem definit Trident. Sess. 6. cap. 9. & can. 12. 13. 14. 15. & 16. Ideòque monet Scriptura, vt cum metu & tremore operemur salutem nostram, Philip. 2. vers. 12. &, *Seruite Domino cum timore, & exultate ei cum tremore*, Psal. 2. ver. 11. quia *Nemo scit, an odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*, Ecclesiast. 9. ver. 1. & 2. &, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar*, 1. Cor. 9. ver. 27. Hinc licitum est suspicari, & timere ne excidamus ab æterna beatitudine: eòque magis quò propter frequentiam, & magnitudinem peccatorum, vel propter maiora damnationis pericula, maior est timendi occasio. Nunquam tamen Spes omnis abjicienda est, quandiu vita suppetit, ne quidem in casu reuelationis propriæ damnationis, de quo dicam inferiùs Sect. 8. Contrà verò, quò aliquis puriùs viuit, magisque abest à peccandi periculis, diuque abstinuit à peccato mortali, à quo etiam abhorret quantùm potest; maiorem habet certitudinem moralem, de sua perseuerantia, & bono statu finali, atque ipsius beatitudinis assecutione. Quo sensu potest intelligi illud 1. Ioan. 4. ver. 18. *Perfecta Charitas foras mittit timorem:* quia quò magis crescit, & operatur in nobis amor diuinus, eò magis timor iste minuitur.

Potest etiam aliquo modo Spes dici intrinsecè & formaliter certa, id est, firma: quatenus voluntas firmiter innititur, & adhæret omnipotentiæ & bonitati diuinæ, à qua sperat bonum arduum: iuxta illud Psal. 124. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternum, &c.* Et Rom 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita, &c.* Aliam certitudinem tribuit Spei Ægid. Coninck disp. 19. dub. 7. num. 87. & 94. quatenus voluntas omnino firmiter atque constanter statuit finem prosequi: ita vt parata sit quidvis potiùs agere, aut pati, quàm ab ea intentione dimoueri. Sed hoc potiùs ad animositatem & constantiam desiderij pertinet: conuenit tamen cum certitudine, quatenus est firma adhæsio voluntatis, sicut illa est firma adhæsio iudicij. 20. Est etiam aliquatenus certus intrinsecè.

Dices, omnem actum voluntatis esse intrinsecè & formaliter actum cognitionis. Ergo nulla est ratio, quâ initio probauimus actum Spei non esse certum formaliter, & intrinsecè. Probatur antecedens, primò quia alioqui nulla esset contradictio quòd volitio possit esse sine cognitione. Nam non-existentia, & negatio vnius, non erit negatio, & non-existentia alterius. Item, quæ distinguuntur realiter, possunt separatim conseruari & esse diuinitus. Secundò, omnis actus impossibilis elici à potentia alia, quàm cognoscitiua, est actus cognitionis. Sed omnis volitio libera est huiusmodi. Nam volitio libera debet esse actus potentiæ electiuæ. Sed omnis potentia electiua, quà talis, est formaliter cognoscitiua. Eius enim est eligere, quod cognoscit opposita, circa quæ electio versatur: non autem eius quod formaliter cæcum est. Nam ineptum est fingere non idem for- 21. Sitne idē actus quo cognoscimus, & amamus?

maliter eligere, quod eligenda cognoscit, sed aliquid quomodocunque ab eo diuersum. Quasi verò id quod est formaliter ignarum obiectorum, quà tale, sit principium magis aptum per se ad eligendum, quàm illud, quod obiecta cognoscit.

22. *Probatur non esse.* Respondeo hanc opinionem improbabilem esse: primò, quia repugnat communissimæ Philosophorum & Theologorum doctrinæ: &, quod grauius est, vnanimi Sanctorum Patrum consensui, explicanti mysterium Trinitatis per analogiam ad nostrum verbum mentis, & amorem: ita scilicet vt Filius, & Spiritus sanctus distinguantur mutuò à se inuicem, & neuter alterum includat, aut sit alter formaliter: sicut nostrum verbum mentis, & noster amor ita distinguuntur, vt vnum non sit aliud intrinsecè & formaliter: ac productio vnius sit prior productione alterius. Sicut in diuinis productio Verbi est prior productione amoris personalis. Vt videre est apud Basilium homil. 16. in illa Verba, *In principio erat Verbum*, Gregor. Nyssen. Epist. contra Apollinarem post med. Cyrillum Alex. lib. 2. Dialogi de Trinit. longè post medium, Anselmum in Monolog. cap. 31. Secundò etiam repugnat apertæ experientiæ. Multa enim amamus intensè, quæ remissè tantùm cognoscimus: sicut vice versa multa intensè cognoscimus quæ remissè tantùm amamus. Atqui iuxta sententiam aduersariorum, quisquis magis & intensiùs vellet & amaret, deberet magis & intensiùs cognoscere. Quia quò plures essent gradus formales, aut virtuales volitionis: essent & plures cognitionis: cùm quilibet gradus volitionis, sit etiam gradus cognitionis, & volitio illa sit se totâ cognitio.

23. *Soluuntur arg. cõtraria.* Ad primum autem illorum argumentum respondeo, non posse vnum esse sine alio, quando est dependentia essentialis vnius ab alio. Sicut enim dantur dependentiæ naturales vnius ab alio, sine quo non potest naturaliter esse: vt accidentis à subiecto, & formæ materialis à materia: ita dantur dependentiæ essentiales vnius ab alio sine quo absolutè esse nequit: vt creaturæ à Deo: modi vnionis ab altero extremo: volitionis à cognitione, &c. Sanè non esse creaturæ, non est formaliter non-esse Dei. Et tamen implicat creaturam esse sine Deo, propter dependentiam essentialem ab illo.

24. Ad secundum respondeo, probare tantùm idem esse formaliter realiter principium cognoscens, & eligens: quod fatemur. In forma verò distinguo maiorem: Omnis actus impossibilis elici ab alia potentia, quàm cognoscitiuâ tantùm, est actus cognitionis: concedo. Cognoscitiua non tantùm, sed etiam volitiuâ, & electiuâ, nego. Potest enim esse vel cognitio, vel volitio. Et omnis quidem potentia electiua, est realiter & formaliter à parte rei, id est, per seipsam, cognoscitiua. Quamvis possit ratio præscindere, cogitando de illa expressè, vt cognoscitiuâ: non cogitando de eadem expressè, vt electiuâ, & volitiuâ. Videantur quæ diximus 1. p. disp. 37. de Angelis Sect. 1. vbi probauimus intellectum & voluntatem esse eandem realiter potentiam indistinctam ab animæ substantia.

Quæritur quarto, an & quis timor sit actus Spei Theologicæ? Respondeo primò, timorem esse multiplicem, vt videre est apud S. Thomam quæst. 19. art. 2. vbi eum diuidit in filialem, initialem, seruilem, & mundanum. Quam diuisionem totâ illâ quæstione exponit. De eadémque fusiùs disputant Valent. tom. 3. disp. 2. quæst. 2. Suares disp. 1. de Spe, Sect. 4. & Ægid. Coninck disp. 20. dub. 2. & sequentibus. Mundanus, qui & humanus, & timor huius sæculi dicitur, ille est, quo quis homines timet, vel mala quæ ab hominibus inferri possunt. Et quia plerumque ad peccandum impellit, incitando ad malum, vel retrahendo à bono; ideo solet in malam partem accipi, & generatim definitur à D. Thoma, timor, quo aliquis, propter mala quæ timet, à Deo recedit. Filialis est, quo peccatum, & alia timemus in quantum Deo displicent. Seruilis, quo peccatum propter pœnam timemus, vel peccata, & pœnas, & alia metuimus in quantum sunt nobis mala, vel bono nostro aduersa. Initialis non differt specie à prioribus: sed est timor inchoatus, & imperfectus, quatenus est initium maioris perfectionis; vel intrinsecè, nempe eiusdem timoris, vt intensi & perfecti; vel extrinsecè, quatenus ad alias virtutes acquirendas viam facit: iuxta illud Ecclesiastici 1. ver. 16. *Initium sapientiæ timor Domini:* ex quo loco Magister & alij occasionem sumpserunt assignandi hoc membrum diuisionis. Licet alius esse videatur sensus Ecclesiastici, quòd nimirum timor Domini sit initium, id est, summitas, & apex, & caput Sapientiæ: iuxta vim vocis Hebraïcæ ראש *rosç*, & ראשית *resçit:* & conformiter ad id quod additur ibidem paulò post, ver. 20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum:* & versu 22. *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum.* 25. *Multiplex timor.* *Mundanus.* *Filialis.* *Seruilis.* *Initialis.*

Vltra hos timores, est alius qui dicitur reuerentialis: quo aliquem non propter malum ab ipso inferendum, sed propter ipsius excellentiam & maiestatem, nostrámque vilitatem timemus, & reueremur cum formidine. Quo pacto Angeli beati Deum timent, iuxta illud Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Et simili timore erga Christum, ob eius potentiam, & maiestatem, sæpè afficiebantur, qui videbant eius miracula: iuxta illud Luc. 5. *Repleti sunt timore dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.* Et cap. 7. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Sed iste timor differt à priori, qui est circa malum. Generatim autem loquendo de timore mali: cùm nulla sit virtus quæ non exerceat actum odij, & fugæ circa malum proprio ipsius bono oppositum: nulla etiam est cui non conueniat aliquis actus timoris. Quare tot sunt timores honesti & boni, quot sunt virtutes. 26. *Reuerentialis.*

Notandum etiam ad timorem propriè dictum requiri apprehensionem mali, vt imminentis, vel saltem vt possibilis. Additque D. Thomas 1. 2. quæst. 42. art. 3. debere malum apprehendi vt arduum, & quod difficulter po- *Quid requiratur ad timorem?*

test vitari. Sed hoc de timore vel metu strictè sumpto, prout est passio appetitus irascibilis, aut illi respondens, intelligendum est. Nam iuxta visitatum loquendi modum, dicimur aliqua mala timere, possibilia quidem, sed tamen sine difficultate vitabilia, & de quibus nullum est periculum. Sic enim qui ex loco edito horrendum quoddam præcipitium despiciunt, dicuntur timere casum, quem cum horrore refugiunt; quamvis casus non immineat, neque sit illius periculum, aut vitandi difficultas. Non est etiam de ratione timoris generatim loquendo anxietas, & angor. Vnde licet in Beatis hæc esse non possint, quippe quæ repugnant statui beatitudinis: est tamen timor honestus, & sine vlla imperfectione: nimirum fuga peccati cum horrore, & damnationis, naturæ suæ possibilis; similis illi timori, & horrori circa ingens præcipitium, quem dixi paulò antè. In Christo autem, pro statu huius vitæ passibilis, fuit multiplex timor, etiam cum angore, & difficultate circa malum vt imminens. Vt quando instante morte *cœpit pauere, & tædere, & mæstus esse.* Matc. 14. ver. 34. Timor verò reuerentialis erga Deum, siue qui ad virtutem Religionis pertinet, siue qui ad humilitatem, sine dubio Christo & Angelis tribuendus est. Porro timor generaliter & quomodocunque sumptus importat quandam imperfectionem, aut imbecillitatem, saltem naturalem, timentis: propter quod Deo non conuenit: multóque minùs metus, qui est timor mali ardui, & ineuitabilis.

27. Quibus conueniat, aut repugnet?

28. Timor pœnarũ, & detestatio peccati propter illas, est actus bonus.

Dico secundò, timorem quo peccatum detestamur, quatenus per se, aut propter pœnas quarum est causa, opponitur bono nostro supernaturali, vel alia mala nostra metuimus similiter cum aliquo respectu ad bonum nostrum supernaturale, cui repugnant, esse actum honestum, si conuenienter exerceatur, & actum Spei Theologicæ. Prima pars, quòd sit honestus, liquet ex Tridentino Sess. 6. cap. 6. & Sess. 14. cap. 4. vbi contra Lutheranos affirmat attritionem conceptam ex metu pœnarum, & gehennæ, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum. Ratio verò est, quia talis timor tendit in obiectum quod conuenienter secundùm rectam rationem timendum est. Nam pœnæ, & alia mala bonis supernaturalibus opposita, sunt odio & timore digna: & peccatum est detestabile inquantum est causa huiusmodi malorum, vel per seipsum aduersatur bono nostro supernaturali. Confirmatur: quia sicut honestum est amare, & desiderare beatitudinem, & alia bona supernaturalia: Sic & odisse, & metuere mala quæ ipsis opponuntur. Confirmatur secundò ex Scriptura, quæ ad huiusmodi timorem hortatur, eúmque commendat, Luc. 12. ver. 5. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam:* Iob. 9. ver. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Psal. 118. ver. 120. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.*

29. Quomodo conueniente exerceatur?

Dixi autem, *si conuenienter exerceatur:* nimirum sine vitiosa exclusione alterius motiui: vt si quis diceret, Nisi peccato adiuncta esset pœna, non vitarem illud: & sine vitiosa comparatione, & prælatione illius motiui alijs maioribus; vt si quis pœnas detestaretur tanquam maximum malum; præferendo illas peccato; & malum suum, offensæ Dei. Quo sensu intelligendus est D. August. cuius authoritate Lutherani abvtuntur, quando aliquoties negare videtur eiusmodi timorem esse bonum, quia non abstrahit perfectè mentem à peccato, aut à vitioso amore sui.

30. Soluuntur arg. contraria.

Hinc facilè est respondere Lutheri argumentis, de quibus fusiùs Bellarmin. lib. 2. de Pœnit. cap. 18. Falsum enim est quod ille ait, talem retinere voluntatem peccandi conditionatam, si posset id impunè facere. Falsum item, plus eum detestari pœnam, quàm culpam appretiatiuè; licet ratione pœnæ moueatur ad culpam detestandam. Potest enim quis moueri ab eo, quod minùs æstimat: & quod nobilius est, potest referri ad id quod est ignobilius, dummodo id fiat sine illius iactura. Ad hunc autem errorem Lutheri mirum est accedere aliquos, qui Catholici & Theologi audire volunt, post tam expressam definitionem Concilij Trident. Sess. 14. cap. 4. contra quos plura dicemus Sect. sequenti.

Secunda pars responsi, quòd ille timor sit actus Spei Theologicæ, patet ex dictis de eius obiecto adæquato, quod comprehendit bonum nostrum supernaturale, vt tale; & malum illi oppositum. Dicitur autem hic timor seruilis, quia est timor peccati propter pœnam; vel timor peccati, & pœnarum, aliorúmque malorum, prout sunt mala nostra. Alij verò timores honesti pertinent ad eas virtutes, quarum est prosequi bonum oppositum malo sub ea ratione quâ timetur. Vt v. g. timor filialis, id est, timor displicendi Deo, pertinet ad Charitatem; timor reuerentialis, ad Religionem; vel ad humilitatem: & sic de cæteris. Plura de timore videri possunt apud authores suprà citatos.

SECTIO IV.

Diluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentem, de timore Spei proprio.

Contra id quod diximus de timore pœnarum, déque attritione concepta ex metu illo, multa opponunt noui Dogmatistæ cum errorum suorum Architecto Iansenio lib. 5. de gratia Christi Saluat. cap. 13. seu per errorem Typographi, 21. & sequentibus vsque ad finem libri: quorum præcipuis argumentis satisfaciendum est. Opponunt igitur primò, timorem pœnæ non abstrahere animum ab affectu peccati, sed compati secum voluntatem peccandi, quæ traderetur executioni, nisi pœnæ metus obstaret. Nam, vt rectè docent Philosophi, ea quæ purè aguntur ex metu, sunt inuoluntaria secundùm quid, seu mixta ex voluntario, & inuoluntario; ita vt operans sentiat animi repugnantiam ad id, quod metu facit: habeátque hunc actum voluntatis coniun- 31.

ctum,

ctum, Nollem hoc facere, vel nollem abstinere, nisi mali impendentis metu cogerer.

31. Respondeo primò, erroneum esse dicere nullum timorem pœnæ abstrahere animum ab affectu peccati. Nam Concilium Tridentinum satis manifestè supponit, timorem aliquem peccati, & dolorem de illo propter metum pœnarum, talem esse, vt planè abstrahat animum ab affectu peccandi: cùm de attritione ex tali metu conceptâ pronuntiat contra Lutherum, Sess. 14. cap. 4. *Si voluntatem peccandi excludat, cum Spe veniæ, donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.* Quibus verbis, vt perspicuum est, Concilium loquitur de attritione quæ reipsa detur, & ad quam Spiritus sanctus reipsa peccatorem moueat, quæque talem effectum habeat in Sacramento Pœnitentiæ: non autem de figmento impossibili, qualis esset attritio ex timore pœnæ concepta, si (vt dicunt aduersarij) esset impossibile timorem pœnæ abstrahere voluntatem ab affectu peccandi.

Aliquis timor pœnæ abstrahit animum ab affectu peccati.

33. Secundò, ad confirmationem respondeo, dupliciter nos velle, aut nolle aliquid ex metu, vt iam alibi diximus. Primò, simpliciter & absolutè: ita vt toto affectu in illud feramur, non autem diuiso partim ad hoc, & partim ad eius oppositum. Quo pacto dicimus veram attritionem ex timore gehennæ, detestari peccatum absolutè, & efficaciter. Secundò, diminutè solùm, & secundùm quid: volendo scilicet, aut nolendo ex parte tantùm, & cum affectu diuiso ad oppositum: Vt quando aliquis metu naufragij merces in mare projicit, quas amat etiam tunc, & ægrè ac cum iacturæ dolore, mauult projicere, quàm naufragium pati: velletque retinere, nisi metus abjicere cogeret. Et de illo volendi, aut nolendi modo, verum est quod objicitur, mixtum esse inuoluntario, id est, inuoluere quandam affectuum repugnantiam; neque negamus talem peccatum detestandi modum, vitiosum esse, ob adiunctum illius affectum præsentem, & vigentem: sed negamus talem esse detestationem de qua loquimur cum Tridentino, & communi Catholicorum doctrina. Iuxta hanc verò distinctionem facilè possunt conciliari varia D. Augustini testimonia, apparenter contraria: quorum aliquibus affirmat timorem peccati propter pœnas, bonum & salutarem esse; conceptum scilicet priori modo ex duobus suprà dictis; vt videre est Serm. 18. de verbis Apostoli, cap. 7. & libro de catechizandis rudibus cap. 5. & concione in Psalmum 127. In alijs affirmat timorem pœnarum, & fugam peccati propter illum, vitiosa esse: quando scilicet timor posteriori modo, diminutè solùm & secundùm quid, à peccando auertit: vt lib. de Spiritu & lit. cap. 32. & vlt. & lib. de natura & gratia cap. 37. & Serm. 19. de verbis Apostoli, cap. 9. alijsque locis, quibus abvtuntur aduersarij.

Non omnia quæ fiunt ex metu sũt inuoluntaria secundum quid.

Opponunt secundò, affectum qui planè abstrahit voluntatem à peccato, debere talem esse, vt vi illius detestemur peccatum supra omne aliud, paratique simus subire potiùs quodcunque aliud malum, atque ipsam etiam gehennam ignis æterni, quàm peccare, si alterutrius eligendi necessitas incumberet. Talis autem affectus detestans peccatum supra omne aliud, non potest esse nisi affectus Charitatis, cuius est amare Deum super omnia, & detestari super omnia quidquid illi displicet. Estque manifestum talem actum non posse esse timorem pœnarum, etiam æternarum: cùm sit impossibile vt vi eiusmodi timoris parati simus gehennam potiùs subire, quàm peccare. Confirmatur, quia affectus planè abstrahens voluntatem à peccato, est affectus formalis, aut virtualis, de se absolutus & efficax, implendi omnia Dei mandata: inter quæ primum & præcipuum est, diligere Deum super omnia propter se. Ergo talis actus est saltem virtualis affectus amandi Deum super omnia propter se: adeoque est actus Charitatis, æquè ac contritio includens virtualiter amorem Dei super omnia, detestánsque peccatum propter illum. 34.

Respondeo primò, si timor aliquis pœnarum non esset affectus planè abstrahens voluntatem à peccato, non diceret Scriptura, Exodi 20. ver. 20. *Vt probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Et Prouerb. 14. ver. 27. *Timor Domini fons vitæ, vt declinent à ruina mortis.* Neque Tridentinum verbis supra relatis ex cap. 4. Sess. 14. supponeret attritionem ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, prout communiter concipitur, excludere voluntatem peccandi. Nec denique S. Augustinus (cuius præcipuè auctoritate abvtuntur aduersarij) de eodem timore pronuntiaret, Serm. 214. de tempore, *Cùm timetur pœna, quam Deus minatur, discitur amari premium, quod pollicetur: ac sic per timorem pœnæ, bona vita retinetur: per vitam bonam bona conscientia comparatur: & per bonam conscientiam nulla pœna timetur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus.* Quæ manifestum est non posse per timorem præstari, nisi planè voluntatem à peccato abstraheret. Et in Psal. 127. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impijs, timent, & continent se à peccato.* Non se autem continerent à peccato, quia timent, nisi timor ille voluntatem peccandi excluderet. 35.

Aliquis timor pœnarum planè abstrahit voluntatem à peccato.

Respondeo secundò, vt affectus timoris planè abstrahat voluntatem à peccato, debere talem esse, vt vi illius detestemur peccatum, quatenus est causa pœnæ à Deo infligendæ, supra omne aliud malum, quod reipsa necessarium esset incurrere nisi peccaretur, cuiusmodi non est gehenna ignis æterni, quæ in nullo casu necessariò incurrenda est, nisi peccetur: non autem necessarium esse vt vi illius parati simus ad quemcunque casum imaginarium, & 36.

Qualis sit ille timor?

impossibilem: cuiusmodi ille est, quo supponitur necessarium esse incurrere gehennam ignis æterni, nisi peccetur. Ad affectum autem Charitatis non sufficit detestari peccatum supra omne aliud detestabile, nisi motiuum detestandi sit quia displicet Deo summè dilecto propter se; cuiusmodi non est motiuum timoris gehennæ, quo illam auersamur, & peccatum propter ipsam, quatenus malum nostrum est, bonóque nostro naturali & supernaturali aduersatur.

37. Tertiò, ad confirmationem Dico similiter, non omnem actum, quo volumus efficaciter & absolutè seruare Dei mandata, adeóque præceptum diligendi Deum super omnia propter se, esse actum Charitatis: sed eum solùm, quo id volumus ex motiuo Charitatis, quia sic placet Deo summè amabili propter se. Et licet vi illius actus, parati simus amare Deum super omnia, sitque virtuale aut formale propositum implendi præceptum Charitatis erga Deum, sicut & cætera virtutum aliarum præcepta; non tamen propterea est formalis, aut virtualis actus Charitatis; sicut neque Fortitudinis, aut Temperantiæ, vel Iustitiæ, vel Religionis, &c. Sed illius solius, ex cuius motiuo peccatum detestamur efficaciter & absolutè, proponimúsque non peccare in posterum. Atque ita specialiter affectus ille timoris gehennæ, de quo loquimur in præsenti, est tantùm actus virtutis Spei, cuius proprium motiuum est auersari peccatum vt causam gehennæ, tanquam nobis malæ, nostróque bono supernaturali oppositæ. Neque verò contritio est actus Charitatis ex eo solo, quod est propositum absolutum & efficax seruandi omnia Dei præcepta; sed ex eo quòd ita proponit ex motiuo proprio Charitatis erga Deum; quia scilicet hoc illi propter seipsum dilecto gratum est.

38. Opponunt tertiò, timorem pœnæ ab amore Dei seu iustitiæ distinctum, nasci ex amore vitioso suiipsius: & ita timentem non de Deo, sed de se tantummodo sollicitum esse, atque in creatura vltimò quiescere, non in Deo; cuius malum ita timere, & contrarium bonum sic appetere quisque debet, vt in vtroque tam amoris, quàm timoris affectu seipsum referat in Deum, & peccet nisi referat.

39. Non nascitur ex vitiosa amore suiipsius. Respondeo primò, si timor ille non ex motiuo Charitatis erga Deum conceptus, ex vitioso suiipsius amore nasceretur, malúsque & vitiosus illius fœtus esset; non illum Scriptura commendaret, & suaderet, vt facit Lucæ 12. ver. 5. Ecclesiastici 25. ver. 25. Psal. 118. ver. 120. Exod. 20. ver. 20. alijsque locis. Neque Trident. Sess. 14. cap. 4. diceret timorem illum, & attritionem ex illo conceptam, distinctámque à contritione quæ concipitur ex motiuo Charitatis, esse actum bonum, & Spiritus sancti impulsu elicitum; ab eodémque timore, præuiâ fide, & præueniente atque excitante Dei gratiâ, incipere dispositionem peccatoris ad iustificationem, post illúmque sequi actum Spei & fiduciæ de Dei misericordia, & actum amoris Dei tanquam fontis omnis iustitiæ; vt affirmat Sess. 6. cap. 6. Augustinus quoque de eodem timore non diceret concione in Psal. 127. *Ille timor, nondum castus, præsentiam Domini, & pœnas timet: timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, vtilis est.* Et Serm. 18. de verbis Apostoli, cap. 8. *Modò cùm dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus sum? Malè times, vanè times? Non audeo: quandoquidem ipse Dominus, ablato timore, subiecit timorem, & ait, vbi dixit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant; sed eum timete qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis. Ita dico vobis hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum, comminationem geminauerit; dicturus ego sum, Malè times? Ista non dicam. Planè time, nihil meliùs times, nihil est quod magis timere debeas.* Et lib. 1. contra aduers. Legis & Prophet. cap. 16. *Salubriter non solùm bonitatem, verùm etiam seueritatem Dei sacra Scriptura commendat: quoniam & amatur Deus vtiliter, & timetur.* Quodque loquatur de timore distincto à Charitate erga Deum, clariùs liquet ex Serm. 13. de verbis Apostoli, vbi sic ait: *Timor seruus est: Charitas libera est. Et, vt sic dicamus, timor seruus est Charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ.*

Respondeo secundò, falsum esse quod opponitur, ita timentem scilicet in suiipsius amore requiescere, nihilque de Deo satagere. 40. Neque qui sic timet, in suiipsius amore requiescit. Nam qui Deum vindicem, & pœnas æternas minantem timet absolutè & efficaciter; atque ne Dei vltionem experiatur, gehennámque incurrat, detestatur eum offendere, & cupit ei reconciliari: ille sine dubio de Deo cogitat, atque ad illum se conuertit, cuius cùm vindictam refugit, misericordiam exoptat: & detestando gehennam æternam, in pœna sensus, id est, ignis æterni combustione consistentem, & in pœna damni, id est, in carentia fruitionis Dei: ad eundem etiam per talem actum, velut ad finem suum vltimnm, & suum summum bonum, se tacitè conuertit: non quidem affectu Charitatis, quæ fertur in Deum vt propter se diligendum absolutè ratione sui ipsius: sed affectu proprio Spei, quæ in Deum tendit vt summum bonum ipsius sperantis. Dicere autem omnes affectus bonos debere in Deum referri vt propter se dilectum, & alioquin esse vitiosos; est omnes virtutes confundere cum Charitate; aut negare vllam aliam esse virtutem præter Charitatem: contra doctrinam Scripturæ, & Sanctorum Patrum, omniumque Theologorum consensum: & apertè repugnat Tridentino Sess. 14. cap. 4. docenti attritionem non ex motiuo Charitatis, sed ex timore gehennæ conceptam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, esse motum siue affectum bonum; vt paulò ante diximus. Cætera quæ

opponunt, præcipuè ad eludendam auctoritatem Concilij Tridentini suprà relatam, sunt minoris momenti, soluique facile possunt ex dictis Disp. 48. de Pœnitentia Sect. 7. Hæc igitur sufficiant de actibus virtutis Spei.

SECTIO V.

De habitu Spei Theologicæ.

41. OMissis ijs, quæ ex dictis de habitu fidei nota sunt, & cum proportione habitui Spei applicari debent: vt quòd Spes sit virtus Theologica, supernaturalis in substantia, & simplex, atque vnica numero in quolibet subiecto, de cuius potentia obedientiali educitur: superest quærere vtrum habitus Spei præcedat fidem, aut Charitatem, ordine temporis, naturæ, vel dignitatis.

42. Ordo inter habitus Fidei, & Spei quinam sit? Respondeo & dico primò, non esse necessariò ordinem temporis, siue generationis, inter habitus fidei, Spei, & Charitatis: naturæ tamen ordine habitum fidei præire habitui Spei: & habitum Spei, habitui Charitatis. Ratio primæ partis est, quia possunt illi tres habitus simul eodem instanti temporis infundi: sicut reipsa fit in paruulis per bâptismum iustificatis.

Secunda verò pars, quòd scilicet habitus fidei præcedat ordine naturæ habitum Spei, probatur, quia actus Spei præsupponit, naturæ saltem ordine, actum fidei. Nihil enim speramus, nisi quod fide cognoscimus. Vnde Apostolus Hebræorum 11. vers. 1. ait Fidem esse *substantiam*, id est, basim & fundamentum *rerum sperandarum*. Et Romanorum 10. *Quomodo inuocabunt* per Spem, *in quem non crediderunt?* Et Tridentinum Sess. 6. cap. 6. 7. & 8. enumerans actus, & habitus, qui concurrunt ad iustificationem, semper à fide incipit, quam dicit esse salutis initium, & fundamentum atque radicem iustificationis. Sicut ergo est naturalis subordinatio actus Spei ad actum fidei: ita est quædam subordinatio habitus ad habitum. Habitus enim est propter operationem, & conuenienter præsupponit alium habitum, à cuius actu pendet in operari.

43. Actus Spei præsupponit actum Fidei. Dices actum cognitionis naturalis de bono nostro supernaturali sufficere posse ad affectum voluntatis circa idem bonum: ideóque fidem non esse necessariam. Respondeo, non repugnare quidem vt Deus eleuet voluntatem ad actum supernaturalem, præuiâ solùm cognitione naturali de bono supernaturali: verumtamen id non fieri, neque esse conueniens, tum propter disproportionem inter cognitionem naturalem, & affectum supernaturalem; tum etiam quia cognitio naturalis non satis perfectè, atque vt par est, attingit obiectum supernaturale. Ideóque Spes non sequitur talem cognitionem, neque ab illa pendet, sed à fide infusa, & supernaturali. Non quia non possit simpliciter illam sequi: bonum enim proponitur voluntati per vtrumque actum: sed quia Deus statuit debitum ordinem & proportionem seruare.

44. Qualis sit ille actus Fidei? Instabis, quia actus Spei supponit hoc iudicium in intellectu, Ego saluabor: sicut desperatio supponit istud, Ego non saluabor. At illud iudicium non est fidei, cùm id non sit reuelatum. Ergo Spes non sequitur semper iudicium fidei. Respondeo Spem, etiam strictè sumptam pro erectione animi, vel pro actu desiderij vitæ æternæ, de se efficacis, & absoluti, non præsupponere illud iudicium absolutum, sed conditionatum: Ego saluabor, si in gratia decessero: iuxta id quod ait Trident. Sess. 6. cap. 16. & Can. 32. Iustis deberi vitam æternam, si perseuerauerint, aut in gratia decesserint. Et Math. 8. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & cap. 24. ver. 13. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Cui iudicio fidei addendum est aliud, de fide pariter, vt actus ille Spei exerceatur: nempe istud, Gratia Dei mihi non deerit, vt ego saluer, si velim cooperari: &, Gratia Dei potens est me saluare, nihilque potest impedire salutem meam, si ego velim: velle autem possum cum Dei gratia, quæ mihi præsto est: iuxta illud Trident. Sess. 6. cap. 13. *Nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam Spem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.*

45. Habitus Spei præit naturæ ordine habitum Charitatis. Tertia pars responsi, quòd habitus Spei præeat naturæ ordine habitû Charitatis, est D. Thomæ quæst. 17. art. 8. & communis Theologorum. Ratio sumenda est, non ex naturali subordinatione inter actus, vel habitus vtriusque virtutis. Potest enim homo per fidem, primò cognoscere Deum vt summè amabilem propter se, & vt talem amare primò & immediatè amore charitatis, non interjecto amore Spei, vel consideratione Dei vt boni nostri, sine qua Deus per se amabilis & cognoscibilis est. Habitus quoque charitatis potest de se infundi, & vniri voluntati, non interjecta Spe: quia ex natura rei non magis pendet habitus ab habitu, quàm actus ab actu; & voluntas est vtriusque capax immediatè. Ratio, inquam, sumenda est ex morali subordinatione, quam habent Spes, & Charitas in ordine ad componendam iustificationem perfectam, secundùm Dei decretum, & institutionem, in natura rei fundatam. Quia enim voluntas imperfectiùs vnitur Deo per Spem, quàm per Charitatem, quæ est coniunctio perfectissima cum Deo: idcirco Deus vnionem illam habitualem inchoat priùs per Spem, quàm perficiat per Charitatem: & in ædificio iustificationis fides fundamentum est, Spes erectio parietum, Charitas tectum, & consummatio ædificij: vt aiunt Origenes in cap. 4. Epist. ad Rom. Et D. Augustinus serm. 20. de Verbis Apost. quorum Verba retulimus initio huius tractatus, in ipsa præfatione. Priùs ergo naturâ Deus instruit intellectum Fide habituali, & voluntatem Spe, tum Charitate, & alijs virtutibus infusis moralibus, quæ infunduntur vt Charitatis asseclæ, & ab illa pendent in fieri, & conseruari, iuxta probabilem multorum sententiam, de qua plura diximus in tractatu de gratia, Disp. 40. Sect. 2. & Disp. 43. Sect. 6.

46. Actus Spei sæpe præcedit infusionem habitus. Quare etiam in eo casu, quo aliquis eleuatur ad actum Charitatis, non præmisso actu Spei, eóque actu iustificationem consequitur: Deus nihilominus Spem infundit cum Charitate, sicut & virtutes morales, licet earum actus tunc non exerceantur. Ordinariè verò, cùm disponuntur homines ad iustificationem, exercent priùs actum Spei, quàm Charitatis: & à timore pœnarum, ac consideratione misericordiæ Dei, eriguntur in Spem veniæ, & reconciliationis; tumque Deum, tanquam fontem omnis iustitiæ, diligere incipiunt: vt docet Tridentinum sess. 6. cap. 6. Vnde sicut ordinariè actus Spei præcedit, etiam tempore, actum Charitatis: ita & habitus Spei, habitum Charitatis: quippe qui statim infunditur posito actu proportionato, vt sufficiente dispositione: non expectato habitu Charitatis, à quo non pendet necessariò in fieri, & conseruari: vt patet ex eo quod sine illo manet in peccatore non-infideli, neque peccante directè, & specialiter contra Spem peccato desperationis, vel alio cum ipsa incompatibili; vt dicemus in fine sequentis sectionis: eodem modo quo fides manet in eo qui non committit peccatum infidelitatis. Simúlne semper infunduntur habitus Spei, & Charitatis? Aliquando tamen simul tempore infunduntur; vt fit in iustificatione paruulorum, & eorum, qui non priùs exercent actum proprium Spei, quàm actum contritionis: vel qui iustificantur per vsum Sacramenti, in quo licet Spes veniæ, & desiderium reconciliationis & amicitiæ diuinæ in adultis necessaria sint: non tamen ex motiuo proprio Spei: nam potest aliud motiuum honestum sufficere. Quare in eo non assentior Ægidio Coninck Disp. 19. dub. 8. num. 104. affirmanti adultos, qui iustificantur susceptione Sacramenti, necessariò priùs quam Sacramentum suscipiant, elicere actum Spei, quo sperant reconciliationem cum Deo, & ferè communiter liberationem à pœnis æternis. Nam vt omittam fictè suscipientes, id est, cum obice; qui possunt tali intentione omnino carere: alij qui rectè & cum fructu recipiunt, possunt expetere Dei reconciliationem, non vt suum bonum, sed vt Deo gratam: & velle similiter liberari à pœnis æternis, quia id Deo gratum est: quâ ratione non exercent actum Spei, sed Charitatis.

47. Cur habitus Spei semper naturâ præit habitui Charitatis? Dices: cur peccator, sicut interdum exercet priùs actus Charitatis, quàm Spei; non etiam priùs interdum recipit habitum Charitatis, quàm Spei? Respondeo Deum in exercitio actuum habere rationem nostræ libertatis, quæ ex varijs motiuis se determinat liberè ad id quod vult. In infusione verò habituum, quæ ab ipso solo fit, habere rationem perfectionis ipsius operis, & subordinationis moralis, quæ est inter Spem, & Charitatem, in ordine ad perfectam iustificationem, & vnionem habitualem cum Deo. Quare non infundit Charitatem sine præuia Spe, cuius actus licet tunc non exerceatur, continetur tamen eminenter in actu Charitatis, quo posito, velut dispositione sufficienti ad formam nobilissimam iustificationis, debet ipsa statim infundi, & cum illa cæteræ omnes virtutes, quæ vel moraliter illi præsupponuntur, vt Spes: vel sunt illius asseclæ, vt virtutes morales infusæ. Porro moralis subordinationis inter Fidem & Spem respectu Charitatis, iuxta Dei ordinationem, signum est quòd Fides & Spes possunt quidem esse, & sæpè sunt reipsa sine Charitate: at verò Charitas non est, neque potest esse sine Fide & Spe in puris viatoribus. Vnde colligitur moralis quædam dependentia Charitatis à Fide, & Spe, sine quibus esse nequit: secus ac Fides, & Spes, sine Charitate, quæ idcirco ab illa non pendent.

Dico secundò, habitum Spei tenere similiter medium locum perfectionis inter Fidem, & Charitatem: ita vt Charitate sit inferior, & Fide nobilior. 48. Spes est perfectior Fide, & imperfectior Charitate. Prima pars, quòd sit inferior Charitate, patet ex 1. Corinth. 13. ver. vlt. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Secunda, quòd sit Fide nobilior, probabilis tantùm est, tum authoritate D. Thomæ quæst. 5. de Verit. art. 3. & aliorum plurimorum, quos sequuntur Suares Disp. 1. de Spe, Sect. 6. num. 4. & Ægid. Coninck Disp. 19. dub. 8. num. 110. Tum etiam ratione: quia Spes vnit perfectiùs cum Deo; & fini nostro supernaturali propinquior est: valetque ad actus, qui nullam includunt imperfectionem, nempe ad gaudium & fruitionem beatificam: secus ac Fides, quæ in omnibus suis actibus includit essentialiter imperfectionem obscuritatis: ideóque cessat eius exercitium in patria.

Objicies, intellectum esse potentiam nobiliorem voluntate; ergo illius actus & habitus sunt nobiliores actibus, & habitibus voluntatis. 49. Soluitur obiectio. Ergo Fides, quæ est in intellectu, est nobilior Spe, quæ est in voluntate. Respondeo primò indirectè, hinc sequi Fidem esse quoque nobiliorem Charitate: quod est contra Apostolum suprà citatum. Secundò directè respondeo, dato quòd intellectus sit potentia nobilior, non inde sequi quòd quilibet eius actus, vel habitus sit nobilior quovis actu, vel habitu voluntatis: sed tantùm quod nobilissimus actus, vel habitus intellectus, debet esse nobilior actu, vel habitu nobilissimo voluntatis. Quo pacto admitti potest lumen gloriæ, & visionem beatificam esse nobiliora habitu, & actu Charitatis, etiam qualis est in patria.

SECTIO VI.

De subiecto Spei.

Qvæstio est tam de actu, quàm de habitu. 50. Spes est in voluntate. Ac primò, constat habitum, & actum Spei esse in voluntate: illius enim est amare, & desiderare bonum supernaturale affectu spirituali, & supernaturali in substantia. An verò sit in parte irascibili, vel in concupiscibili, non est hîc disputandum: cùm hæc diuisio suprà rejecta fuerit, ostensúmque hos appetitus non distingui realiter, præsertim in voluntate, sed eandem voluntatem realiter indiuisibilem, atque eundem habitum valere ad vtriusque actus, *Vide suprà, Disp. 15. sect. 1. num. 5.* intensione solùm, aut vehementiâ differentes propter obiecti arduitatem. Hoc ergo supposito, quæritur primò, vtrum habitus, vel

actus Spei sit non tantùm in viatoribus, sed etiam in Beatis? Secundò, an fuerit in Christo? Tertiò, an sit in animabus existentibus in Purgatorio? Quartò, an maneat habitus Spei in peccatoribus, vel in Hæreticis, vel in damnatis: & quomodo in illis corrumpatur?

51. Aliqui actus Spei manent in Beatis.

Dico primò, non esse quidem in Beatis actum Spei strictè sumptum pro erectione animi innitentis Dei potentiæ & fidelitati circa bonum supernaturale, ac difficile sibi ad consequendum: neque in illis manere habitum Spei ad exercitium talis actus, vel ad desiderium eiusdem boni absentis, & ardui: manere tamen simpliciter, & valere ad alios actus, quos Beati reipsa exercent. Prima pars est communis Theologorum. Ratio eius est, quia Beati nullâ laborant difficultate circa proprium bonum supernaturale, quod maxima ex parte iam obtinent, quod superest verò assequentur sine molestia & difficultate propria, quippe quæ repugnat statui perfectæ beatitudinis. In quem sensum intelligo quod ait D. Thomas quæst. 18. art. 2. Spem non manere in Beatis: & illud Apostoli Rom. 8. *Nam quod videt quis, quid sperat?* Ob eandem causam, quia Deo nihil est arduum & difficile, non conuenit illi actus Spei strictè sumptus: licet ei conueniant multiplex desiderium & multiplex alius affectus circa proprium ipsius bonum, vt tale: vt quòd ab omnibus illi fideliter seruiatur, ab omnibus ametur, & glorificetur, &c.

52. Manet etiam habitus.

Secunda pars conclusionis, quòd habitus Spei maneat in Beatis, est Suaris Disp. 1. de Spe, Sect. 8. num. 5. & sequent. Ægidij Coninck Disp. 19. dub. 10. num. 131. & aliorum. Ratio est, quia habitus Spei non tantùm valet ad actum Spei prædictum, sed etiam ad amorem simplicem boni supernaturalis, & desiderium illius absentis, etiam citra arduitatem, & gaudium de illo vt præsenti: vt ostendimus Disp. 15. Sect. 3. & 6. Atqui Beati amant bonum supernaturale, vt tale, & gaudent de Deo clarè viso & possesso, vt de proprio bono, & de fœlicitate iam adepta, cuius etiam durationem æternam expetunt. Desiderant etiam gloriam sui corporis, ac possunt alia bona supernaturalia desiderare, tum propria (vt reuelationes aliquas, vel gloriam accidentalem) tum aliena, tanquam aliquo modo pertinentia ad se, vt suorum conuersionem, & salutem: possunt denique auersari & abhorrere quæ sunt his omnibus opposita. Ergo Beati exercent multos actus virtutis Spei. Cúmque eos exerceant perfectissimo modo, maximéque connaturali; sequitur vt exerceant ex principio permanente intrinseco, id est, habitu Spei: quia hic modus operandi connaturalior & perfectior est, eo sensu, quo diximus in tractatu de Gratia.

Respondent aliqui, Beatos quidem summè gaudere de Deo clarè viso, & possesso, vt de proprio bono, quia hic actus nullam includit imperfectionem, & maximè connaturale est gaudere de possessione boni antea summopere expetiti; gratia verò, & gloria non destruit naturam, sed perficit. Sed aiunt voluntatem ad illum amorem eleuari sufficienter per alia dona supernaturalia, speciatim verò per habitum Charitatis: quia Beati amant suam fœlicitatem, & de illa gaudent, propter Deum, ad quem omnia alia, & omnes suos actus referunt. Vnde illi actus non sunt actus Spei, sed Charitatis. Voluntas enim ibi absorpta in Deum, nihil amat nisi propter Deum. Ita Petrus Lorca 2. 2. Sect. 2. Disp. 6. & 7.

53. Illi actus non pertinent ad Charitatem.

Sed contrà: quia *Charitas non quærit quæ sua sunt:* 1. Corinth. 13. Ergo non eleuat voluntatem ad amandum suum bonum supernaturale, vt tale: neque valet ad amorem concupiscentiæ circa seipsum, aut circa bonum proprium, vt sic: sed tantùm ad amorem amicitiæ circa alterum, vel circa illius bonum, vt tale. Quamvis autem Beati per actus supremos Charitatis se & sua omnia, adeóque, suos omnes alios actus ad Deum referant: non tamen quolibet actu amant Deum propter seipsum, aut de illo gaudent vt summè bono in seipso, deque alijs ipsius bonis: sed illum quoque amant, atque de illo gaudent, vt de suo summo bono, suáque suprema & perfectissima beatitudine obiectiua. Qui actus, cùm sit supernaturalis, circa obiectum valde supernaturale; & honestissimus, quippe circa obiectum tali amore gaudioque dignissimum; & nihil habeat imperfectionis, aut indecentiæ, quia conuenienti modo circa tale obiectum versatur; & sit maximè connaturalis, quia valde connaturale est naturam intellectualem conquiescere in fine vltimo iam obtento, & gaudere de bono quod summopere expetiuit: nulla potest reddi ratio cur Beati talem actum non exerceant. Imò non possunt cessare à tali amore, & gaudio, non magis quàm ab amore, & gaudio Charitatis, ob rationem paulò antè allatam. Adde quòd, si non gauderent Beati de proprio bono, non satiaretur tam perfectè appetitus, per quem, dum essent in via, tendebant ad finem. Etenim tendebant non solùm ad finem Charitatis, qui est Deus vt in se bonus: sed etiam ad finem Spei, qui est Deus vt bonum sperantis.

Neque dicas voluntatem non posse simul exercere duos actus non subordinatos. Nam quemadmodum sensus ipsi multa simul, diuersis actibus, miniméque subordinatis, percipere possunt: vt quando videnti iam colores aliquot, objiciuntur alij, & alij successiuè, qui videntur simul cum prioribus, quos videre non destitit, ac proinde præcedentem actum non mutauit, sed alium, & alium addidit circa nouum obiectum, ad quod prior actus extendi non potest, saltem si obiecta sint specie diuersa. Sicut etiam sensus internus multa simul percipit, diuersis sensibus externis simul percepta, sine vlla subordinatione; vt colores, & sonos, & odores, vel sapores: sic multò magis intellectus, & voluntas, quæ sunt potentiæ vniuersaliores & nobiliores, possunt simul habere actus non subordinatos. Et quidem Beati multa cognoscunt intuitiuè præter Deum, sine vlla subordinatione ad visionem beatificam; vt cùm seipsos, vel alios Beatos, vel nos etiam vident. 54. Voluntas potest habere simul plures actus non subordinatos.

55. Actus Spei fuit in Christo.

Dico secundò, in Christo Domino fuisse actum Spei etiam strictè sumptæ, pro erectione animi contra arduitatem circa proprium bonum absens, innitendo Dei potentiæ: & desi-

derium eiusdem boni: non quidem circa gloriam animæ, quam ab instanti conceptionis sine vlla difficultate adeptus est: sed circa gloriam corporis, & alia bona, quæ non sine labore atque difficultate erat assecuturus. Nunc verò licet talem actum non habeat, quia perfectè Beatus est, & nihil ampliùs est illi difficile: Alium tamen actum virtutis Spei multiplicem habet, atque eiusdem virtutis habitum. Prima pars est D. Thomæ 3. p. quæst. 7. art. 4. c. & ad 2. Suar. in Comment. eiusdem artic. Vasq. tom. 1. in 3. p. Disp. 43. cap. 2. Ægid. Coninck Disput. 19. dub. 11. Ratio eiusdem, & totius conclusionis satis liquet ex dictis de Beatis num. 51. & sequentib. fusiusque à nobis probata fuit Disp. 9. de Incarnat. Sect. 4. num. 29. quò malumus Lectorem remittere, quàm eadem hoc loco repetere.

56. Est in animabus quæ Purgantur. De animabus verò existentibus in Purgatorio dico tertiò, eas non tantùm retinere habitum Spei, & eius exercitium circa alios actus; sed etiam circa actum Spei, strictè sumptæ, etiam quoad gloriam animæ, & essentialem suam beatitudinem. Ratio est, quia cùm hæc sit adhuc absens, & assequenda per graues cruciatus & pœnas Purgatorij, habet rationem boni absentis, & ardui: adeòque est materia Spei: vt docent meritò S. Thom. 2. 2. quæst. 18. art. 3. in fine c. & alij communiter. Nec obest quòd certissimæ sunt de illius assecutione. Nam certitudo non obest actui Spei.

57. Habitus Spei non manet in damnatis. Dico quartò, habitum Spei supernaturalis, non manere in damnatis, qui etiam nullum eius actum exercere possunt: In viatoribus verò manere, donec meritoriè per peccatum infidelitatis, aut desperationis expellatur, aut per alia peccata mortalia Spei directè & incompatibiliter opposita. Prima pars de damnatis, patet ex dictis de habitu fidei, Disp. 12. Sect. 5. Par enim est vtriusque ratio: Cùm damnati sint penitus extra viam salutis, & priuentur beneficijs supernaturalibus, per subtractionem conseruationis diuinæ, neque in æternum sint vnquam eleuandi ad vllum actum supernaturalem: quare si quem actum exercent circa proprium bonum, vel malum, ille tantùm naturalis est.

58. Neque in infidelibus & hæreticis. Secunda pars, quòd non maneat in infidelibus & hæreticis, est certa, & communis, teste Ægidio Coninck Disp. 19. dub. 12. conclus. 2. Ratio eius est, quia Fides est fundamentum iustificationis nostræ, & statûs supernaturalis huius viæ, vt significat Tridentr. Sess. 6. cap. 7. & 8. Vnde quemadmodum sublato fundamento, ruit totum ædificium superextructum: ita sublata fide, tollitur Spes, & Charitas, totáque iustificatio. Atqui fides tollitur per peccatum infidelitatis, ex eodem Tridentino, Sess. cit. cap. 13. Ergo, &c. Causa itaque cur pereat Spes, sublatâ fide, est moralis eius dependentia & subordinatio, de qua diximus præcedenti sect. cuius Deus rationem habet in iustificatione siue inchoanda, siue conseruanda; & propter quam desinit conseruare Spem, amissa fide. Neque Objicias, Spem manere in patria, vbi non manet fides: ergo non pendet necessariò à fide, etiam secundùm Dei ordinationem. Respondeo enim, fidei succedere lumen gloriæ, quod est fundamentum iustitiæ & status supernaturalis illius vitæ, sicut fides est fundamentum status viæ: atque ita Spes, nunquam manet sine fundamento proportionato.

Tertia pars, quòd destruatur etiam meritoriè per peccatum desperationis, & per aliâ peccata mortalia Spei directè & incompatibiliter opposita, sequitur ex dictis alibi de fide, Disp. 14. Sect. 1. concl. 2. Nam de vtraque simili modo Philosophandum est. Ita vt, sicut fides non pellitur nisi per peccatum infidelitatis simpliciter dictum, quod non est quodcunque peccatum contra fidem commissum, sed illud tantùm, quod ex natura sua repugnat specialiter, directè & immediatè, actui interno fidei, ita vt illum omnino excludat ab eodem subiecto, & cum illo nequeat omnino consistere, ac vi sua neque tunc, neque vnquam aliàs esse patiatur; cuiusmodi est voluntas deliberata nunquam credendi; & error, aut dubitatio contraria fidei: Ita Spes non excludatur nisi per actus directè & incompatibiliter ipsi oppositos, quique vi suâ omnino excludunt illius actus. Cuiusmodi sunt desperatio propriè & specialiter dicta, id est, dejectio animi, & diffidentia propter arduitatem; voluntas deliberata nunquam sperandi; & totalis ac perpetua desertio boni supernaturalis, vel illius odium, aut contemptus, vel quodvis aliud peccatum mortale admissum cum aduertentia quòd grauiter noceat bono nostro supernaturali, præcipuè verò si priuet illo irreuocabiliter, vt peccatum impœnitentiæ finalis. Quisquis enim vult efficaciter aliquid grauiter repugnans bono supernaturali, habet affectum directè oppositum amori & desiderio boni supernaturalis, & repugnantem illi incompatibiliter. Sed non omnia peccata mortalia admittuntur cum tali aduertentia, quòd aduersentur grauiter bono nostro supernaturali. Ideóque non tollitur Spes meritoriè per quodvis peccatum mortale. 59. Quibus peccatis amittatur Spes?

Quin etiam plerique existimant non tolli meritoriè Spem, nisi per peccatum desperationis strictè sumptæ circa beatitudinem supernaturalem: quippe quæ sola directè opponitur præcipuo actui Spei in via, propter quem Spei habitus supernaturalis infunditur, & à quo tota virtus denominatur, quique maximè inter actus Spei est supernaturalis. Vel, vt aliqui addunt, per omnimodam defectionem à Spe, & desertionem seu neglectum boni supernaturalis, siue finis, siue mediorum necessariorum, siue vtrorumque: neglectum, inquam, non qualemcunque, sed absolutum, id est, cum proposito absolutè & vniuersaliter, non sperandi: ita vt sit totalis & perpetua abiectio boni proprij supernaturalis, aut adhæsio ad malum oppositum; vel actus voluntatis quo expressè statuimus nunquam ampliùs prosequi bonum supernaturale, siue beatitudinem, siue rem aliam necessariò sperandam; aut non vitare oppositum. Pro quo notant tripliciter posse deficere quempiam ab amore vel prosecutione boni. Primò, quiescendo tantùm: vt quando viator in itinere interdum quiescit. Secundò, deflectendo, vel retrocedendo, sed tamen cum vo- 60. Alia sententia.

luntate postea prosequendi: vt cùm viator aliquò diuertit. Tertiò, prosecutionem penitùs deserendo. Primus modus sine peccato esse potest; quia non semper tenemur amare actu, & sperare bonum supernaturale. Secundus reperitur in quovis peccato mortali, quo tamen Spes non expellitur. Tertius verò, vel est desperatio, vel ad illam accedit, quatenus est totalis desertio, & abiectio boni supernaturalis, aut prosecutionis huius boni: & quia locum non relinquit actui Spei; ideo eius habitum meritoriè pellit. Nec obest, inquiunt, quòd alia peccata aduersantur grauiter Spei. Quia non quodlibet peccatum illi grauiter repugnans, eam meritoriè destruit: sicut neque quodlibet peccatum repugnans grauiter Fidei, destruit fidem, sed solum peccatum Infidelitatis, ex Trident. Sess. 6. cap. 15. Neque par est ratio Spei, & Charitatis. Quia cùm omne peccatum mortale sit Dei contemptus formalis, aut virtualis, & grauis eius offensa; ideo destruit Charitatem, & amicitiam cum Deo, quæ cum graui eius offensa & contemptu stare nequit: sicut inter homines dissoluitur amicitia per quamlibet offensam grauem. Sed si per impossibile peccatum mortale esset tantùm grauis offensa contra Charitatem proximi, non autem contra Deum: non esset dignum priuatione gratiæ, & æternæ beatitudinis, quæ pœna damni infinita est, excedens meritum & proportionem offensæ finitæ, cuiusmodi esset in eo casu offensa grauis contra solam Charitatem proximi.

61. **Confirmatur vera sententia.** His tamen non obstantibus probabilius mihi videtur quod dixi: quia de Spe, vt de Fide philosophandum est, quoad peccata, quibus moraliter destruitur. Ita vt, sicut fides perditur per quodvis peccatum directè illi repugnans, & excludens vi sua omnem illius actum à subiecto: ita & Spes. Hæc autem repugnantia reperitur in alijs peccatis, quàm desperationis propriè & strictè sumptæ, aut in totali defectione à Spe, seu neglectu absoluto boni supernaturalis. Sicut enim repugnat incompatibiliter Charitati erga proximum, offendere illum grauiter, & notabiliter nocere illius bono, licet non statuas nunquam cum illo reconciliari, vel in perpetuum eius amorem abjicere: similitérque repugnat incompatibiliter misericordiæ, deserere proximum in graui necessitate, quamvis non statuas abstinere in perpetuum ab operibus misericordiæ, neque pauperum curam absolutè & vniuersaliter negligas: Sic affectui boni proprij repugnat incompatibiliter nocere sibi grauiter, scienter & liberè, in bonis supernaturalibus; licet habeas animum resipiscendi, & reparandi per pœnitentiam eorum iacturam.

62. **Spei habitus dupliciter definit: per se, & per aliud.** Ex dictis collige primò, Spem manere aliquando sine Charitate, quia non omni & quolibet peccato mortali destruitur, vt Charitas: quamvis non solâ desperatione; sed multis alijs amittatur. Secundò, habitum Spei supernaturalis duobus modis amitti posse. Nimirum vel per se, id est, non per aliud, siue propter amissionem alterius: quo modo amittitur per peccatum desperationis, & alia sibi specialiter & directè opposita. Vel secundò, per aliud, & propter illius amissionem: quo pacto amittitur per peccatum Infidelitatis: quia sublato habitu fidei desinit Spes, cuius basis & fundamentum est Fides.

SECTIO VII.

De Præceptis Spei.

Quæritur primò, vtrum Spes sit in præcepto? Respondeo affirmatiuè. Probatur ex 1. Timoth. 6. ver. 17. & alijs pluribus Scripturæ locis, quibus iubemur sperare in Deo viuo & vero, & satagere vt apprehendamus vitam æternam. Et 1. Cor. 13. ver. vlt. tria proponit Apostolus vt necessaria in præsenti; Fidem, Spem, & Charitatem. Fides autem ita necessaria est, vt non sit liberum credere aut non credere, sed *qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. vlt. Ergo Spes similiter. Ideoque Tit. 2. expectationem beatitudinis coniungit alijs quæ iubentur sub pœna æternæ damnationis, cùm sic ait. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam Spem.* Nam pro secularibus desiderijs substituit inter alia expectationem beatæ Spei, & eam coniungit cum alijs necessarijs, quæ sunt sobriè, iustè, & piè viuere: hæc enim sunt penitùs necessaria, & iubentur sub pœna æterni supplicij. Item 1. Paralip. 10. in fine, inter alia peccata, & causas reprobationis Regis Saül, numeratur illud, quòd non sperauerit in Domino. Et Sapient. 2. ver. 22. exprobratur impijs quòd non sperauerint mercedem iustitiæ. Quapropter meritò D. August. Tract. 83. in Ioan. affirmat multa nobis mandata esse de Fide, & multa etiam de Spe. Accedit præterea ratio manifesta, quia contra decentiam, & rectam rationem est non confidere de Dei potentia, & misericordia; & negligere, aut non efficaciter prosequi tantum bonum, quantum est vita æterna, cum certa promissione oblatum: aut non velle subire laborem, illius assequendi gratiâ necessarium. Atqui præceptum naturale est, & diuinum, vt nihil fiat contra decentiam, & rectam rationem: ergo, &c. Confirmatur, quia quisque obligatur ad gerendam sui curam in minoribus, & ad conseruandum se. Ergo multò magis in maioribus. Obligatur etiam vnusquisque ad diligendum proximum sicut seipsum. Quæ Regula non esset conueniens, si non teneremur optare nobis & procurare beatitudinem: tenemur enim illam optare & procurare proximo. 63. **Spes est in præcepto.**

Porro non modò præceptum datum est sperandi & prosequendi bona supernaturalia; sed etiam timendi & vitandi mala opposita, eorumque causas: vt docet S. Thomas quæst. 22. art. 2. Deque illo timore intelligendum est illud Christi Luc. 12. *Ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Timete eum, qui post-* 64.

quam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Et Ierem. 5. v. 26. *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum maris, præceptum sempiternum, quod non præteribit.* Quæ verba, cum tali assertione, & indignatione, vel comminatione asserta, præceptum satis significant, & obligationem. Ratio eadem est, quæ supra. Tenentur enim homines, ex amore sui bene ordinato, minora mala vitare. Ergo multò magis mortem æternam. Item, tenentur, quando possunt, ad procurandum ne alij pereant. Ergo tenentur ad proprium malum & periculum propriæ damnationis vitandum. Alioquin præceptum diligendi proximum non haberet conuenientem Regulam eum diligendi sicut nos ipsos. Denique ex obligatione prosequendi proprium bonum supernaturale, sequitur obligatio fugiendi malum oppositum.

65. Locus D. Thomæ difficilis. Diuus Thomas quæst. 22. art. 1. & 2. ait præcepta Fidei, Spei, & timoris, esse præambula ad legem, non autem de ipsa substantia legis. Præcepta enim de substantia legis vocat illa, quæ homini iam subiecto, & ad obediendum parato, imponuntur, pertinentia ad rectitudinem vitæ. Præambula verò ad legem vocat ea, quibus non existentibus lex non potest habere locum: cuiusmodi, inquit, sunt præcepta de actu Fidei, & de actu Spei: Quia nisi homo iam crederet, & speraret, frustra ei lex proponeretur. Et idem est de timore pœnarum. Sicut enim inducuntur homines ad obseruantiam legis per Spem præmiorum: ita & per timorem pœnarum. Ideóque initio legislationis huiusmodi præcepta non fuerunt statim proponenda per modum præceptorum: sed Fides quidem, per modum denuntiationis: Spes, per modum promissionis; & timor, per modum comminationis. Lege verò iam impositâ, pertinuit ad Sapientes viros, scriptores librorum Canonicorum, inducere homines ad obseruandum legis fundamentum, id est, ad prædictos actus, etiam per modum præcepti: vt Psal. 61. *Sperate in eo omnis congregatio populi*, & in alijs multis Scripturæ locis. Hæc D. Thom.

66. Circa quæ aduertendum est, quòd licet aliqua Dei cognitio, & iuris diuini, ac subiectionis nostræ, necessariò præsupponatur actuali obligationi parendi Deo præcipienti aliquid: non tamen actus Fidei, qui potest totus & vniuersaliter præcipi, suppositâ naturali cognitione Dei, & iuris diuini, atque sufficientis propositionis obiecti Fidei, & voluntatis diuinæ obligantis ad credendum: quemadmodum ostendimus Disp. 10. Sect. 13. paulò post initium. Ideóque ipso initio legislationis potuit Deus actum Fidei præcipere: similitérque actum Spei, & timoris, qui vt præcipi possit, non aliud requiritur, ex parte nostri, quàm notitia iuris Dei supremi, & obligationis nostræ ad exequendum quidquid præceperit. Verum tamen est in ipsa prima legislatione solemni, cuius Scriptura meminit Exod. 20. non fuisse datum expressum præceptum Fidei, Spei, & timoris. At neque etiam Charitatis, neque multorum aliorum quæ de substantia legis sine dubio sunt: sed quorundam dumtaxat, ad quæ alia possunt facilè reuocari, & sub illis comprehendi. Neque est dubitandum quin ante legislationem illam intelligerent homines, in lege ipsa naturali, ante & post diluuium, se teneri ad credendum, sperandum, timendum, & amandum, supposita reuelatione diuina de Deo, eiusque bonitate singulari, tum in seipso, tum erga nos: deque mercede æterna credentibus & bonis, vel pœna incredulis & impijs proposita: quæ ab ipso initio hominibus innotuerunt, vt colligi potest ex Apostolo Hebr. 11. ver. 4. & sequentibus, alijsque Scripturæ locis.

Quæritur secundò, quo tempore obliget præceptum sperandi, & circa quid? Respondeo præceptum Spei duplex esse generatim. Vnum est positiuum, de eliciendo actu Spei: alterum negatiuum, de non exercendo actu contrario. Istud pro semper obligat: quia nunquam licet exercere actum contrarium virtuti Spei. Illud autem obligat solùm eo tempore, quo actus Spei propter ipsius honestatem necessarius est. Quod tempus non potest ab hominibus exactè definiri: sed generatim dicendum est, postquam sufficiens propositio præcepti facta est, teneri hominem exercere subinde actus Spei sine mora vituperabili: vt dicitur de alijs præceptis positiuis amandi Deum, honorandi parentes, & similibus: quæ mora prudenti iudicio discerni debet. Præcipuè verò in extremis debet quisque seriò cogitare de propria salute, & conari æternam damnationem euadere. 67. Quandonā obliget præceptum Spei?

Vltra hæc tempora quibus præceptum Spei obligat per se, & ratione propriæ honestatis; occurrere potest alia multiplex obligatio per accidens, & propter aliud, quæ videlicet non est ex ipso præcepto Spei, sed ex præceptis aliarum virtutum, propter quas actus Spei necessarius est: putà ad vincendam aliquam tentationem contra castitatem, vel contra iustitiam, & alias virtutes à Spe distinctas. Si enim tentatio sit contra Spem ipsam: tunc eius actus necessarius est ratione propriæ honestatis virtutis Spei: ideóque tunc per se obligat: licet præceptum positiuum non obliget pro tunc, nisi propter negatiuum. Vt si actus sperandi necessarius sit ad vitandum periculum desperationis, non autem quia ipse per se alioquin exigeretur. Satis autem est ad seruandum præceptum sperandi, si quis propter suam salutem, sibi in omnibus attendens, declinet à malo; & quando instat necessitas, faciat bonum. Quemadmodum sufficit ad seruandum præceptum dilectionis, si quis seruet reliqua præcepta suis temporibus propter Deum. Satis enim frequenter occurret illi occasio amandi Deum, si propter illum faciat quidquid aliunde necessarium est; aut vitet eius amore, quidquid vitandum est ex præceptis aliarum virtutum. Vlteriùs, potest sperandi præceptum impleri per actus eminentiores, si quis propter Deum salutem propriam desideret, & satagat; atque à contrarijs abhorreat: Quemadmodum præcepta aliarum virtutum possunt impleri operando ex motiuo Charitatis diuinæ, quod no- Obligat interdum per accidens.

bilissimum est. Verùm si omittantur, non propterea peccatur specialiter contra Charitatem, sed contra eas virtutes, quarum præcepta tunc obligant, & quarum actus debent tunc exerceri ex proprio motiuo, si non exerceantur ex alio sufficienti. An autem, & quomodo actus Spei sit necessarius ad iustificationem, diximus tomo præcedenti, Disput. 41. Sect. 2.

68. Augetur peccatum ex aduertetia mali quod in curritur. Quæritur tertiò, vtrum ille qui aliunde peccat, peccet etiam eo nomine, quòd scienter & liberè bono supernaturali se priuet, aut malum oppositum non vitet: quando scilicet peccando id futurum animaduertit? Respondeo non propterea esse plura peccata, sed plures considerationes eiusdem peccati, & idem peccatum illo etiam nomine, seu consideratione esse peccatum, quòd fiat cum negligentia libera proprij mali. Probatur, quia sicut vnusquisque tenetur procurare proprium bonum supernaturale: ita & vitare malum illi oppositum, siue priuatiuè, siue contrariè. Quare peccatum cum illa aduertentia commissum, quòd priuet tali bono, & subijciat malo contrario, hoc etiam nomine peccatum est: licet non fiat ex contemptu formali boni supernaturalis, aut contemptu pœnarum. Item, non minùs tenetur vnusquisque ex recto sui ipsius amore vitare malum proprium, quam teneatur ex Charitate, quando commodè potest, vitare alienum, cæteris paribus: siue illud malum consistat in amissione boni, siue in perpessione alicuius incommodi positiui. Ergo peccatum commissum cum aduertentia quòd per illud amittatur vita æterna, & incurratur pœna ignis perpetua, est eo titulo grauius. Confirmatur, quia est manifestè contra rationem, & studium proprij boni, priuare se vita supernaturali & æterna beatitudine, mortémque & miseriam sempiternam sibi consciscere. Ergo peccat hoc etiam nomine, qui scienter & liberè id facit. Item, in eo est aliqua ratio peccati, quod iustè & rationabiliter exprobratur. Atqui iustè & rationabiliter exprobratur, quòd aliquis Deum offendens, tot tantisque malis se sponte subjiciat, quibus Deus peccata vlciscitur; vel prævidens aliud graue damnum inde sibi euenturum, illi sese exponat. Neque negari potest iure exprobrari latroni v. g. quòd prævidens se deprehensum iri, ac suspendio moriturum, furatus tamen sit: Vel ebrioso, quòd se vino ingurgitet, prævidens fore vt in grauem morbum incurrat: Vel duellum ineunti, quòd se exponat euidenti periculo moriendi in flagranti delicto, sine spatio & loco Pœnitentiæ.

Quamvis autem omne peccatum sit per se dignum pœnâ, possunt tamen hæc separari consideratione. Potest enim aliquis, dum peccat, cogitare de peccato solùm vt dedecet rationem, vel prout Deo displicet; non cogitando de pœnâ, quòd scilicet eâ se dignum præbeat, vel illam subiturus sit. Et quamvis non sit malum moraliter, & culpabile, subire pœnam, quam meruit peccatum; malum tamen est, & culpabile, eâ se dignum reddere, eique scienter & liberè se exponere sine causa, & ratione sufficienti, imò contra omnem rationem. Quemadmodum non est quidem malum velle pati abscissionem brachij, positâ iustâ causâ, putà quia ad mortem vitandam id necessarium est: sed est malum committere peccatum, ex quo sequatur illa necessitas.

Dices: Non est contra rationem velle malum ex iustâ causâ. Ergo non est contra rationem velle & acceptare pœnam debitam peccato, supposito peccato. Ergo malum tantummodò est in eo, quòd peccatur: at non in eo, quòd acceptatur pœna conueniens peccato. Respondeo antecedens esse verum de malo quod volumus iam suppositâ iusta causâ: sed tamen esse contra rationem velle scienter & liberè causam mali, notam vt talem: quemadmodum fit, quando aliquis admittit peccatum cum aduertentia pœnæ subeundæ. Quod euidens est si pœna imposita est extraordinaria, vt excommunicatio, interdictum, irregularitas: neque dubitandum est peccata fidelium, aduertentium quanto bono priuet peccatum mortale, & quantis malis addicat, vt docet fides Catholica; grauiora esse, quàm peccata Infidelium, qui hæc ignorant, ac fortè nesciunt peccata puniri à Deo post hanc vitam: possunt enim eorum aliqui, saltem aliquandiu id ignorare. 69. Soluitur obiectio.

Objicies secundò, hinc sequi vnumquemque peccantem cum tali aduertentia peccare infinitis rationibus: & vltra quamlibet pœnam fieri reum vlterioris pœnæ. Probatur, quia si malum, cuius causa meritoria est peccatum, debet imputari ad peccatum. Ergo pœna æterna cuius causa meritoria est peccatum, imputaretur ad nouam culpæ rationem. Et rursus, quia grauiori culpæ debetur pœna grauior; imputaretur hæc grauior pœna ad culpam maiorem: & sic deinceps in infinitum: quod est absurdum.

70. Altera obiectio diluitur. Respondeo, peccantem cum tali aduertentia mereri quidem paulò grauiorem pœnam, quatenus turpiter negligit vitare pœnam æternam, & scienter ac liberè se reum constituit vtriusque pœnæ: sed vltra illud augmentum non exurgere aliud: sicut nec vltra illam peccati rationem est alia; sed peccatum in eo sistit quod scienter & liberè incurrat peccator malum proprium; & pœnam eo ipso maiorem, quòd scienter & liberè illam non vitat. Et non vitare istud augmentum non est alia ratio peccati, sed illa ipsa quæ primò iuncta est cum peccato, quo se scienter & liberè priuat bono supernaturali, exponitque malo opposito. In forma igitur respondeo negando sequelam primi argumenti. Ad cuius probationem, siue ad secundum argumentum, dico, malum, quod per peccatum meremur, imputari ad peccatum, non in se, sed in admissione libera. Atque ita pœna æterna imputatur ad nouam culpæ rationem ei qui aduertit se illam incurrere. Augmentum verò pœnæ respondens illi rationi nouæ, imputatur eidem; si aduertitur: & præcisè respondet actui, quo aliquis se liberè reum facit pœnæ æternæ, paulò grauioris ratione suæ plenæ aduertentiæ. Si verò non aduertitur, vt si quis ignoret se eo nomine grauiùs peccare quòd malum proprium non vitet; non imputatur, neque inde crescit pœna, vel ratio peccati.

71. Pœna peccati venialis est leuis. Instabis quia, si ita est, nullum peccatum erit veniale, si fiat cum aduertentia mali quod incurritur. Nam pœna debita venialibus in alia vita, est grauior pœnâ mortis, & omnibus pœnis huius vitæ. At si quis præuideret se tali peccato fore causam suæ mortis, peccaret grauiter sine dubio: v.g. si quis furans vnum assem, præuideret ex illo furto suspendium secuturum. Respondeo, cùm peccatum veniale, etiam apud Deum, leue sit, pœnam illi iustè debitam apud Deum non posse esse grauem, sed leuem & proportionatam. Nego itaque esse grauiorem pœnâ mortis. Præterquam quòd veniale, nisi committatur in extremo vitæ articulo, potest facilè expiari per pœnas leues huius vitæ.

72. Non omnis pœna Purgatorij est grauis. Vrgebis, quia pœna Purgatorij grauis est. Respondeo esse grauem eam quæ residua est ex peccatis mortalibus hac in vita remissis: at non eam quæ præcisè respondet venialibus. Nec obest, quòd sit pœna ignis. Nam ignis ille non vrit Physicè animas, sed aliter torquet pro mensura delicti. Quanquam neque certum est omnia peccata puniri pœna ignis in Purgatorio. Qua de re videri potest Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 14. vbi refert & approbat sententiam D. Bonauent. in 4. distinct. 20. parte 1. art. 1. quæst. 2. asserentis Purgatorij pœnas esse grauiores pœnis huius vitæ, solùm hoc sensu, quia maxima pœna Purgatorij est maior maximâ pœnâ huius vitæ. Additque Bellarminus, constare certis reuelationibus, aliquorum pœnam esse tam exiguam, vt nihil pati videantur: & esse incredibile aliquem propter vnum verbum otiosum pati debere supplicia grauiora omnibus pœnis huius vitæ. Notandum etiam, postquam peccatum commissum fuit, non esse grauem obligationem sponte effugiendi pœnas temporales post illius abolitionem restantes, siue illud veniale fuerit siue mortale. Imò ex amore iustitiæ diuinæ, & generoso sui ipsius odio propter offensam Dei, posse vnumquemque velle rationabiliter eas Deo persoluere in Purgatorio.

SECTIO VIII.

Vtrum, si Deus alicui reuelaret ipsum esse reprobatum, teneretur ille nihilominus ad sperandum?

73. Respondetur affirmatiuè. Respondeo, admisso casu illo non impossibili, quippe qui neque Omnipotentiæ Dei repugnat, neque eius Sapientiæ, vel Bonitati, vt perperam nonnulli existimant; admisso, inquam, quòd Deus alicui, siue iusto, siue iniusto, reuelet non comminatoriè tantùm, sed etiam absolutè, & assertiuè, fore vt damnetur suâ culpâ, illique reuelatio clarè perspecta sit: non ideo illum liberari ab obligatione amandi, & prosequendi bonum proprium & supernaturale, fugiendique oppositum, atque etiam specialiter sperandi, id est, erigendi animum innitendo omnipotentiæ & misericordiæ Dei: vehementerque & efficaciter desiderandi vitam æternam, iuxta diuinam promissionem generaliter factam sub conditione, si nimirum non desit nostra cooperatio eius auxilijs sufficienter suppeditandis. Ita Victoria, & alij quidam, teste Turriano disp. 65. dub. 2. & Lorca 2. 2. Sect. 2. Disp. 18. Ratio est, quia illa reuelatio non facit vt is, cui fit, non possit sperare, & consequi finem, quem sua tantùm culpâ amissurus est. Neque enim tollit obiectum Spei: quod non est res absolutè futura, vel credita vt talis: sed credita futura sub conditione, si fecerit homo quod potest cum auxilio gratiæ, quæ certissimè non deerit. Hoc enim solùm de Fide est. Fides autem præit necessariò Spei, & illam regit. Atqui positâ tali reuelatione, potest adhuc homo credere se posse consequi vitam æternam, quia auxilia sufficientia non deerunt: & consecuturum re ipsa, si voluerit auxilijs cooperari. Ergo talis reuelatio non facit vt ille, cui fit, non possit sperare, id est, erigere animum circa tale bonum arduum, tanquam sibi possibile per Dei potentiam, & misericordiam, si velit ipse cooperari, & conari ad consequendum finem, quem non nisi suâ culpâ amissurus est. Vlteriùs, illa reuelatio non est remissio obligationis communis ad sperandum, sed tantùm indicatio euentus futuri, non necessarij, sed pendentis à libertate eius, cui fuerit facta reuelatio. Quemadmodum ergo Christus, quando prædixit Petro, *Ter me negabis*, non remisit illi obligationem non negandi, & faciendi, quidquid erat necessarium ad non negandum: quod fieri non poterat nisi sub aliqua Spe non negandi: ita quamvis reuelaret alicui fore vt damnetur, nullam ei propterea obligationem remitteret, neque aliquid ageret, ex quo obligatio deberet intelligi cessare. Maneret enim adhuc liber ille qui reuelationem acciperet, & ob suam tantùm culpam periturus esset. Nam Deus re ipsa neminem reprobauit, nisi secundùm præuisionem peccati, & mali status finalis, vt suppono ex tractatu de prædestinatione. Probatur ratione.

74. Occurritur obiectioni. Falsum verò est quod aliqui objiciunt, neminem intendere aut conari posse ad bonum, quod certò scit non obtinendum. Nam Deus intendit & conatur ad salutem reproborum, quos tamen certò scit nunquam salutem consecuturos. Et hoc scit etiam dum conatur. Quare actualis consideratio euentus non futuri, non omnino impedit conatum in contrarium. Christus quoque multis modis conatus est Iudam auertere à proditione: & ter enixissimè Patrem rogauit vt transiret Calix passionis: quæ tamen certissimè sciebat non euentura. Neque dubium est quin orauerit, prædicauerit, laborauerit, & tandem sanguinem fuderit pro ijs, quos damnatum iri præuidebat, etiam tunc cùm hæc pro ipsis subibat, & Patri offerebat. Denique satis est quòd bonum possit obtineri si velimus; aut malum vitari; vt possimus, ac velimus conari vehementer & efficaciter ad illud obtinendum, vel ad istud vitandum. Quòd enim re ipsa defecturi simus, non impedit omnino quò minùs possimus velle non deficere, & velle conari ad non deficiendum Omnino, inquam: quia non nego considerationem actualem euentus certissimè fu-

turi contra nostrum desiderium, solere minuere vigorem voluntatis nostræ.

75. Contraria sententia. Contrarium sentiunt Suares disp. 2. de Spe, Sect. 2. num. 7. & 8. Ægid. Coninck disp. 20. dub. 13. Turrian. disp. 65. dub. 2. Valent. quæst. 4. de Spe, p. 1. in Fine, & alij plurimi: qui inde inferunt licitum fore tali homini desperare de propria salute, neque fieri posse vt quis damnetur ob peccatum desperationis, positâ tali reuelatione: quia eâ positâ, desperatio non esset illi peccatum. Fundamentum eorum est, primò quia voluntas sequitur iudicium rationis. Ergo non potest absoluto & efficaci actu tendere in id, quod simpliciter iudicat non esse futurum. Secundò, Spes fertur in bonum desideratum, non solùm tanquam possibile, sed tanquam saltem probabiliter acquirendum: neque enim tantùm boni possibilitatem, sed realem ipsius assecutionem & possessionem nobis desideramus. At is qui habet huiusmodi reuelationem, nequit in illud ita ferri. Ergo talis nullo modo potest huiusmodi bonum sperare. Confirmatur, quia Spes non est tantùm velleitas aliqua, vel qualecunque desiderium alicuius boni; sed verè efficax, & seria eiusdem prosecutio, & consequenter inclinans efficaciter voluntatem vt eligat media ad illius actualem consecutionem vtilia, quatenus talia sunt. Atqui ille, qui nullo modo credit esse probabile se bonum desideratum esse consecuturum, nequit seriò intendere ipsius consecutionem, aut iudicare vlla media ad illud re ipsa obtinendum esse verè vtilia (quia nullum medium apprehendi potest vtile ad finis consecutionem, per quod certò scimus nos illum non consecuturos: & per hoc præcisè aliquod medium est vtile hîc & nunc ad finem consequendum, quia finis per ipsum de facto consequendus est.) Ergo ad Spem requiritur vt iudicemus bonum desideratum nobis probabiliter euenturum, & ipsa in hoc tanquam tale fertur. Ita Ægid. suprà num. 106. Addit Suares auctoritatem D. Augustini, & D. Anselmi, & alia quædam minùs efficacia.

76. Quem actum Fidei sequitur Spes? Ad primum respondeo, voluntatem in sperando supernaturaliter, sequi iudicium Fidei, quo credimus auxilia ad consequendam beatitudinem nobis non defutura, & nos re ipsa eam esse consecuturos si velimus auxilijs cooperari, vt possumus. Spes verò est desiderium absolutum, & vehemens beatitudinis, vt nobis possibilis, & re ipsa futuræ, si strenuè cooperemur. Cui actui non repugnat simpliciter iudicium quòd bonum illud non sit re ipsa futurum nostrâ culpâ. Sufficit enim ad desiderandum absolutè & efficaciter, quòd sit possibile, atque futurum re ipsa, si velimus, & nisi per nos stet.

77. Quomodo fertur in bonũ desideratum? Ad secundum respondeo, Spem ferri in bonum non tantùm vt possibile, sed etiam vt acquirendum, non modò probabiliter, sed certissimè, & secundùm certum Fidei diuinæ iudicium, cui Spes subjicitur, non autem soli probabilitati: acquirendum, inquam, certissimè, non absolutè, sed conditionatè, per auxilia quæ non deerunt, si velimus strenuè cooperari. Quod iudicium non tollitur per reuelationem euentus oppositi, culpâ nostrâ futuri.

Ad confirmationem dico, Spem esse desiderium efficax, id est, vehemens: non autem efficax omni modo, id est, tale vt re ipsa effectum consequatur. Alioquin reprobi nunquam sperarent. Esse item vehementem, & seriam prosecutionem boni; vehementerque inclinare voluntatem ad eligenda media vtilia ad eius consecutionem. Sed falsum est non posse seriò intendi boni consecutionem ab eo, qui scit se suâ culpâ non consecuturum, tametsi certò credat se posse consequi, & consecuturum si velit. Falsum pariter est nullum medium apprehendi posse vtile, per quod scimus nos finem non assecuturos culpâ nostrâ. Vt enim vtile iudicetur, sufficit quòd sciamus posse per illud obtineri finem, si velimus: & per hoc præcisè vtile est, quòd valet de se ad finem obtinendum, atque re ipsa obtinebit si adhibeatur: licet de facto non obtineat, quia non adhibetur. Aliud enim est, vtilitas medij in actu primo: & aliud, effectus & actus secundus. Quod autem aiunt SS. Augustinus & Anselmus, non posse nos orare pro salute reproborum, si sciremus quinam illi sint: & primum Angelum non potuisse sperare perseuerantiam, si præsciuisset casum suum: intelligendum est, vt verum sit, de oratione vel Spe rei tanquam absolutè futuræ: quæ persuasio manifestè repugnat reuelationi, & cognitioni certæ oppositi euentus absolutè futuri. Vel de absoluta confidentia bonum illud consequendi: quæ confidentia non est necessaria ad sperandum: sufficit enim erectio animi circa bonum illud arduum, tanquam possibile per Dei potentiam & misericordiam, & futurum re ipsa si velimus vti auxilijs oblatis. 78. Quomodo est desiderium efficax?

Ex his collige contra Ægid. & alios, desperationem fore peccatum, non obstante tali reuelatione: fierique posse vt quis damnetur propter solum peccatum desperationis, quod peccatum & damnationem Deus ipsi reuelauerit. Quia reuelatio non tollit obligationem sperandi, neque libertatem vitandi peccatum illud, sicut & alia, quæ Deus potest reuelare antequam fiant. Quod argumentum valde torquet Ægidium toto dub. 14. disp. cit. illúdque tandem insolutum relinquit, cùm nihil audeat statuere, sed rem alijs definiendam relinquat, vt ait num. 139. 79. Peccaret, qui sic desperaret.

Suares verò, loco suprà citato, non loquitur satis cohærenter cum ijs quæ tradit disp. 37. de Incarnat. Sect. 5. in fine, præscientiam Christi de suis actibus non magis obstitisse libero eorum exercitio, quàm præscientiam Dei: quia vtraque merè speculatiuè se habebat, & voluntatem non prædeterminabat, sed liberam eius determinationem sequebatur & præsupponebat. Etenim similiter præscientia reprobi de sua damnatione non magis obest ipsius libertati, neque magis eum prædeterminat, quàm præscientia Dei: quia præsupponit & sequitur futuritionem peccati liberi. Ergo relinquit integram peccandi post libertatem. Ergo potest reprobus antecedenter abstinere à peccato. Ergo tenetur abstinere, & velle atque conari efficaciter vt abstineat. Ergo & tollere illud 80.

impedimentum beatitudinis consequendæ: atque ita prosequi efficaciter eius assecutionem, non permittendo impedimentum illius assequendæ, quod est peccatum.

81. Instabis, quia ille, qui certus est de sua salute, non potest timere oppositum. Ergo is qui certus est de sua damnatione, non potest sperare oppositum. Probatur antecedens: quia ille qui est securus, non timet. Quisquis autem est certus, est securus. Ergo non timet. Item, certitudo excludit formidinem oppositi: & Concilia, Patres, & Theologi, probant nos non esse certos de propria salute, ex illo loco Scripturæ, *Cum timore, & tremore operamini salutem vestram.* Quæ probatio nulla esset, si certus timere posset. Christus etiam ex timore Petri, arguit ipsum dubitasse: *Modicæ Fidei, quare dubitasti?* Denique nemo potest timere, quod scit non esse futurum: sicut nemo potest amare, quod scit non esse bonum.

Matth.14. v.31.

82. Respondeo consequentiam non valere. Quamvis enim ille, qui certus est per diuinam reuelationem de sua salute, non possit timere rationabiliter oppositum esse futurum, id est, fore vt damnetur: quia timor non versatur nisi circa malum apprehensum vt imminens, & vt possibile euenire: est autem impossibile damnationem euenire, posita reuelatione diuina de opposito: Nihilominus ille qui similiter certus est de sua damnatione, potest sperare, id est, desiderare, seu velle vt non ita eueniat sua culpâ; conarique ad illam vitandam per media de se efficacia ad illum finem, à Deo suppeditanda, quorum ope saluaretur reipsa, si vellet strenuè illis cooperari. Quemadmodum Petrus, supposita reuelatione trinæ negationis, poterat nihilominus desiderare oppositum, debébatque vitare occasiones, & conari ad non negandum. Spes enim, vt in salutem velut obiectum tendat, non supponit illam esse absolutè futuram: sed esse possibilem, & reipsa obtinendam per media à Deo exhibita, si non desit libera nostra cooperatio. Neque cognitio prædictæ reuelationis omnino impedit quin ille possit velle saluari, seu desiderare beatitudinem, & conari vt illam assequatur per media de se efficacia, sibi à Deo suppeditata, & habitura effectum si ipse velit cooperari: sicut Dei præscientia de damnatione reproborum, non impedit quin Deus seriò velit eos saluare, iuuétque medijs sufficientibus, per quæ conatur eos saluare, & reipsa saluaret, nisi obstaret eorum malitia vel negligentia.

SECTIO IX.

De vitijs Spei oppositis, desperatione præsertim, & præsumptione.

83. Multa vitia opponuntur Spei. Vitia, seu peccata Spei opposita multa sunt. Quædam consistunt in libera omissione actus Spei necessarij: Quædam in actu positiuo contrario. Quæ omissio, vel commissio actus contrarij tam multiplex est, quàm multi sunt actus Spei necessarij, amorisque desiderij, & gaudij, circa proprium bonum supernaturale: & odij, metus, ac tristitiæ, circa malum oppositum: per quorum omissionem peccatur: & quàm multi sunt actus positiui, quibus voluntas malè affici potest modo Spei contrario, circa proprium bonum, & circa malum oppositum. Aliter verò diuidi possunt peccata Spei opposita in ea quæ opponuntur per defectum, cuiusmodi est desperatio: & in ea quæ per excessum, vt præsumptio: de quibus solis disputat S. Thom. q. 20. & 21.

Est autem desperatio propriè sumpta, deiectio animi circa bonum arduum, nobis propositum ad sperandum secundùm Regulam Fidei. Deiectio, inquam, animi circa tale bonum velut impossibile, aut nimis arduum, diffidendo de Dei potentia & misericordia, vel de proprijs viribus ad cooperandum diuino auxilio. Hunc esse verum conceptum desperationis, probatur primò ex Scriptura, quæ talem affectum exprimit in illis, quos commemorat peccasse per desperationem. Vt Caïn Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*: Et Iudas proditor ideo desperauit, quia pœnitentiam tam grauis sceleris impossibilem, aut inutilem sibi fore existimans, laqueo se suspendit, Matth. 27. Probatur secundò, quia desperatio propriè dicta est affectus contrarius actui Spei propriè & strictè sumpto. Atqui actus Spei propriè & strictè sumptus, est erectio animi circa bonum arduum tanquam sibi possibile, innitentis Dei omnipotentiæ, & misericordiæ paratæ ad auxiliandum. Ergo desperatio est animi deiectio opposita. 84. Desperatio quid sit?

Hinc collige non esse propriè peccatum desperationis, quando aliquis abjicit studium salutis, etiam totaliter & in perpetuum, alia de causa, quàm propter arduitatem modo supradicto. Atque ita ille v.g. qui salutem æternam negligit, quia illam minùs æstimat, vel quia totus est in voluptatibus huius vitæ, & affectu rerum terrenarum, non propriè desperat. Neque Scriptura, vel Sancti Patres significant diuitem epulonem v. g. perijsse per peccatum desperationis, quamvis in tali affectu fuerit, & propter illum perierit. Et inter homines non dicitur desperare circa honores, aut diuitias, qui illas negligit, aut earum affectum & desiderium prorsus abjicit, quia contemnit, vel vt meliora assequatur: sed ille solùm qui diffidit se suâ industriâ vel auxilio alieno posse assequi honores mundanos, & magistratus, aut diuitias; eâque de causa desinit efficaciter desiderare, & prosequi huiuscemodi bona temporalia. 85.

Porro actus desperationis, Spei Theologicæ oppositus, prouenit interdum ex iudicio erroneo: vt si quis credat viam salutis sibi esse impossibilem: vnde animum dejiciat, illiusque studium abjiciat: aut Deum noluisse sibi dare vitam æternam quidquid agat: aut se penitùs esse derelictum à Deo: vel peccata sua maiora esse, quàm vt veniam consequi possit: quod iudicium vocatur interdum desperatio. Sicut enim Spes sumitur aliquando pro iudicio intellectus, seu expectatione & persuasione boni futuri, vt alibi notauimus: ita desperatio sumitur 86. Vnde oriatur?

mitur interdum pro iudicio opposito. Propriè tamen Spes, & desperatio sunt actus voluntatis. Interdum etiam iudicium illud est peccatum contra Fidem: interdum non. Nam v. g. iudicium, quo aliquis existimaret se penitùs esse derelictum à Deo, non est contra Fidem: cùm sit in opinione an Deus aliquos penitùs deserat post grauissima & frequentissima peccata: & contrarium satis expressè definitum non sit, vel traditum vt dogma Fidei. Potest etiam desperatio concipi sine iudicio erroneo, ex alio multiplici motiuo. Vt si quis credat quidem beatitudinem sibi esse possibilem per Dei auxilium: sed tamen eius studium planè abjiciat propter difficultatem, & quia mauult rebus sensibilibus inhærere, & voluptatibus, quibus nimis addictus est; quàm tantopere conari, & cum tanta difficultate illis renuntiare, salutisque æternæ studium illis anteponere.

87. Semperne sequitur falsum iudicium? Quod autem ait D. Thomas quæst. 20. art. 1. desperationem esse secundùm falsam æstimationem de Deo, ideóque vitiosam esse, quia est secundùm falsum iudicium, & sequitur Regulam tortuosam: non est intelligendum de iudicio ipsius desperantis, quasi semper falsum iudicium habere debeat: sed absolutè: quia est conformis alicui falso iudicio, siue existenti in desperante, quando iudicat prosecutionem boni supernaturalis sibi abjiciendam esse propter arduitatem: siue non; vt quando iudicat oppositum, & contra rectum iudicium agit. Et verò idem S. Doctor art. 2. quæst. cit. affirmat peccatum desperationis posse committi sine Infidelitate. Et art. 4. dicit oriri posse ex Luxuria, & acedia; id est, ex amore carnalium voluptatum, & tristitiâ quadam deiectiuâ spiritus, animique socordiâ contra laborem, & difficultatem, vel ex tædio laboris, & luctæ. Vtrumque autem cum recta peccantis æstimatione stare potest quòd bona spiritalia sunt carnalibus præferenda, quódque propter difficultatem non esset desistendum à prosecutione tanti boni. Quare falsa æstimatio non est simpliciter necessaria ad desperandum, in eo qui desperat: licet plerumque sit coniuncta cum desperatione.

88. De comparatione verò huius peccati cum alijs, D. Thomas quæst. 20. art. 3. docet desperationem esse quidem maius peccatum ijs quæ fiunt contra virtutes morales: minus autem peccato Infidelitatis, & odij Dei, Charitati oppositi. Est peccatum grauius Infidelitate. Existimo tamen cum Suare disp. 2. de Spe, Sect. 2. num. 5. odium Dei, quod opponitur amori concupiscentiæ eiusdem, esse ex suo genere grauius peccatum Infidelitate, vel Hæresi. Ratio est, quia sicut Spes est virtus nobilior Fide; ita maximum peccatum ei oppositum debet esse maius maximo peccato contra Fidem: Tale autem est odium prædictum, simile odio Charitati opposito. Quare desperatio cum tali odio concepta, est peccatum grauius Infidelitate. Dico autem, *cum tali odio*: quia desperatio non ex odio Dei, sed solùm propter difficultatem, aut impossibilitatem præsumptam, dejicientem animum diffidentis se posse assequi bonum tam arduum (quod esse diximus motiuum proprium desperationis prout est talis modus tendendi circa bonum proprium) non est peccatum grauius, sed minus Atheismo, vel Hæresi; vt rectè docet Suares loco citato. Quin etiam talis abiectio animi, & desperatio, quamvis non possit licitè concipi in statu legis à Deo positæ, vt præcedenti Sect. ostendimus, num. 74. & seqq. posito tamen alio decreto non impossibili, quo Deus aliquem non ordinasset ad statum & beatitudinem supernaturalem, idque illi reuelaret: ille facta reuelatione sufficienti, licitè desperaret, seu diffideret se posse illam assequi, & efficax illius desiderium abjiceret, quippe sibi impossibilis, & non pendentis à sua libertate. Hucusque de desperatione.

Præsumptio verò, prout hîc sumitur, & Spei opponitur, significat actum voluntatis tendentis in bona supernaturalia, supra moderationem & Regulam Spei. Vt si quis speret se consecuturum remissionem peccatorum, & gratiam & gloriam proprijs viribus, vt Pelagiani: vel sola Fide, sine pœnitentia & bonis operibus, vt Lutherani: vel si statuat in peccatis perseuerare quamdiu bene valet, sperans in fine se à Deo efficaciter vocatum iri ad pœnitentiam: atque ita Dei misericordiâ abutatur ad peccandum, nimiúmque de illa præsumat. Vel si speret à Deo bona supernaturalia præter ordinem à Deo positum: v. gr. sanctitatem, & gloriam, quantam habet Beata Virgo. Vel si absque Dei vocatione ingerat se ad ardua quædam, quæ specialem Dei vocationem, & auxilia postulant non omnibus communia, neque omnibus etiam obnixè petentibus destinata: cuiusmodi sunt martyrium, status Religiosus, Sacerdotalis, Episcopalis, & similes. Etenim auxilia specialia, quæ ad hæc, & similia, non simpliciter necessaria ad vitam æternam consequendam, requiruntur vt aptè succedant, non sunt eiusmodi, vt omnibus exhibeantur: sed *diuisiones gratiarum sunt*, quemadmodum ait Apostolus 1. Corinth. 12. *Nec quisquam sumit sibi honorem* Sacerdotij, *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, Hebr. 5. v. 4. Quibus locis, & similibus significatur non omnes à Deo vocari ad eiusmodi: quæ cùm requirant auxilium speciale, & vocationem singularem; non sunt suscipienda sine iudicio sufficienti diuinæ voluntatis. 89. Præsumptio quid sit?


Neque obest quod ait D. Thomas quæst. 17. art. 5. ad 2. Spem non habere medium ex parte principalis obiecti, quia diuino auxilio nullus potest nimis inniti: Ergo potest quivis inniti, quantum volet, diuino auxilio, & per illud tendere ad quodcunque bonum. Respondeo enim consequentiam non valere, neque bene deduci ex assertione D. Thomæ, qui ibidem adiungit, quantum ad ea, quæ confidit aliquis se adepturum, posse reperiri excessum. Quare quod ait nullum posse nimis inniti Deo, intelligendum est intensiuè, non extensiuè: Vel intelligendum est de Deo quantum est ex parte ipsius, quatenus est per se infinitè desiderabilis, & eius auxilium valet ad omnia possibilia: secus autem in ordine ad nos, & ad mensuram nobis ab eo positam, qui ne quidem totam nostram capacitatem implere decreuit; nec 90. Spes habet medium, quod excedere potest.

vllum vnquam euehet ad Sanctitatem, & gloriam Christi Sanctitati & gloriæ æqualem, nec ad illam auxilia parauit. Non est igitur innitendum diuino auxilio sine Regula, quamvis per se consideratum valeat ad omnia possibilia: quia non est paratum omnibus ad omnia, sed iuxta determinationem diuinæ voluntatis.

91. Vnde oriatur præsumptio? Ex his collige præsumptionem aliquando oriri ex Infidelitate; vt Pelagianam, & Lutheranam, de quibus supra: aliquando ex alia falsa æstimatione, licet non contra Fidem: vt quando quis temerè existimat Deum sibi adfuturum ad ardua quædam, seque à Deo vocari ad illa, cùm tamen non ita sit. Aliquando etiam potest esse sine falsa æstimatione: Vt si quis præsumat de Dei misericordia ad liberiùs peccandum totâ vitâ, sperans Deum in fine sibi affuturum, quod interdum contingit. Quamvis autem omnis præsumptio opponatur aliquo modo Spei, quæ circa bonum supernaturale debito modo versatur, secundùm Regulam à Deo positam: Plerique tamen existimant eam non tollere habitum Spei supernaturalis, quia non tollit obiectum formale Spei propriè dictæ; quod fit solùm diffidendo propter arduitatem, & non satis innitendo Dei potentiæ & misericordiæ: sed duntaxat sperat aliquid alia ratione quàm sit promissum: sicut qui imprudenter crederet aliquid tanquam à Deo reuelatum, quod non est tale, non perderet habitum Fidei, modò aliàs nihil affecteret Fidei repugnans. Sicut etiam habitus liberalitatis non destruitur per prodigalitatem, sed per auaritiam: quia hæc directè destruit obiectum eius formale, subuenire scilicet alienæ indigentiæ: secus autem illa, quæ peccat per excessum, plus dando quàm par sit. Atque ita sentiunt Suar. lib. 11. de Gratia, cap. 7. Ægid. Coninck disp. 20. dub. 15. num. 149. Luisius Turrian. quæst. 21. art. 1. & plures alij: quorum sententiâ licet probabilis sit: probabilius tamen videtur non solùm desperationem, sed quodvis aliud peccatum mortale commissum cum aduertentia quòd grauiter noceat bono nostro supernaturali, tollere Spem: atque adeo præsumptionem etiam, si cùm tali aduertentia committatur: iuxta ea quæ diximus Sect. 6. prope finem.

Vltra præsumptionem ita sumptam, & huius loci propriam, alia est huius vocis acceptio pro nimia sui æstimatione, vel affectu voluntatis illi conformi: quod ad superbiam pertinet. Item pro iudicio ex coniecturis, vel pro coniecturis ipsis, vt sumitur in titulo iuris *de præsumptionibus*. Item pro transgressione legis, aut præcepti, factâ scienter & liberè, sine metu, aut vi quo sensu sæpe dicitur in iure positiuo, *Si quis præsumpserit hoc aut illud, &c.* Item pro affectu voluntatis ad aggrediendum aliquid quod vires suas excedit, siue in materia Spei, siue in quavis alia: aut pro iudicio conformi huic affectui. Ac denique sumitur aliquando in bonam partem, pro alto sensu & affectu, inspirationi diuinæ innixo ad aliquid magnum aggrediendum, qualis ille Iudith cap. 6. ver. 15. *Non derelinquis præsumentes de te:* & cap. 9. ver. 17. *Exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem:* ad aggrediendum scilicet facinus audax occidendi Holofernem, quod sine Dei instinctu temerè suscepisset. 91. Præsumptio multipliciter sumitur.





DISPVTATIO SEPTIMA-DECIMA.

De habitu Charitatis.

COnueniens fuisset, quod in prioribus virtutibus fecimus, Charitatis explicationem ordiri ab eius obiecto. Sed vt adhæreamus ordini præscripto à D. Thoma, dicemus 1. de Habitu. 2. de Obiecto: 3. de Actibus, & Effectibus: 4. de Vitijs oppositis: 5. de Præceptis. De primo disputat S. Doctor q. 23. & 24. quarum priore docet Charitatem esse amicitiam quandam hominis ad Deum, fundatam super communicatione beatitudinis æternæ: & esse habitum in anima creatum, inclinantem ad amorem Dei. Esse quoque virtutem specialem, & vnam: quia habet diuinam bonitatem propter se amabilem pro obiecto sibi proprio specialiter: & denique omnium virtutum esse excellentissimam: quia sic Deum attingit, vt in ipso sistat propter se, & non vt ex eo nobis aliquid proueniat. Cúmque per Charitatem dirigatur homo in suum finem vltimum, nullam posse sine illa esse virtutem simpliciter veram. Eandémque esse formam cæterarum omnium virtutum: quia per ipsam omnium virtutum actus in debitum, & vltimum finem ordinantur.

Posteriori quæstione affirmat Charitatem esse in voluntate, tanquam in subiecto: quia non respicit bonum sensibile, sed diuinum. Et esse virtutem infusam, ac supernaturalem: quia cùm sit amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicatione beatitudinis æternæ: & hæc communicatio non sit secundùm bona naturalia, sed secundùm

dona gratuita: Charitas quoque ipsa facultatem naturæ excedit: vnde non potest naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales acquiritur, sed per infusionem Spiritus sancti, cuius participatio quædam est. Quantitas etiam Charitatis non pendet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturali virtutis; sed ex voluntate Spiritus sancti distribuentis sua dona prout vult. Potest autem augeri vsque ad terminum viæ, seu finem vitæ præsentis: quia quandiu viatores sumus, possumus Deo magis, ac magis propinquare, non passibus corporis, sed affectibus mentis: quam propinquitatem facit Charitas, quia per ipsam mens Deo vnitur. Hoc verò augmentum non fit per extensionem, neque per additionem Charitatis ad Charitatem: sed solùm per hoc, quòd subiectum magis, ac magis participat Charitatem; id est, secundùm quòd magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. Sed non augetur quolibet actu, nisi dispositiuè, quatenus ex vno ipsius actu redditur homo promptior ad agendum iterum secundùm Charitatem: & habilitate crescente, homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conetur ad Charitatis profectum: & tunc Charitas augetur in actu. Nullus eius augmento potest præfigi terminus hac in vita: quia ipsa de se potest crescere in infinitum, cùm sit participatio quædam infinitæ Charitatis, quæ est Spiritus sanctus: & illius causa efficiens sit infinitæ virtutis, scilicet Deus: & subiectum illius possit magis, ac magis recipere: quia semper Charitate crescente, crescit habilitas ad vlterius augmentum. Quamvis autem non possit in nobis esse perfecta ex parte diligibilis, quia nulla creatura potest Deum diligere quantum diligibilis est: secus tamen ex parte diligentis, quando quis diligit quantum potest: vel semper actu toto corde amando, vt fit in patria: vel quantum patitur necessitas, & fragilitas huius vitæ: aut saltem nihil cogitando, aut volendo, quod diuinæ dilectioni sit contrarium. Triplex est illius gradus. Primus incipientium, consistens in recessu à peccato. Secundus proficientium, consistens in virtutum exercitatione. Tertius perfectorum, consistens in Dei adhæsione, & fruitione. Potest diminui dispositiuè, & indirectè per peccata venialia, & cessationem ab exercitio operum Charitatis; per quæ duo disponitur ad corruptionem, quatenus illorum occasione labitur homo, sensim in aliquod peccatum mortale, vi cuius, tanquam sibi contrarij, pellitur Charitas ab eodem subiecto. Quodlibet enim peccatum mortale ponit obstaculum infusioni, & conseruationi gratiæ. Hucvsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus Sectionibus expendetur.

SECTIO I.

Vtrum Charitas sit amicitia?

1. Amicitia sumitur dupliciter.



Dupliciter sumitur amicitia. Primò, pro amore beneuolentiæ, quo alium propter se diligimus, & quæ sunt ipsi bona, quatenus talia. Secundò, pro mutua beneuolentia, partim fundata in aliqua communicatione, & partim aliquam afferente. Duplex enim est communicatio coniuncta cum mutua beneuolentia. Vna antecedens, quæ mutuam beneuolentiam generat: vt consanguinitas, societas, similitudo morum, officiorum, virtutum, &c. Alia est consequens, quæ sequitur beneuolentiam mutuam in priori communicatione fundatam, cuiusmodi est communicatio bonorum, consiliorum, actionum, &c. iuxta vulgare Prouerbium, *Amicorum omnia communia*. Hoc supposito, certum est Charitatem hominis ad Deum esse amicitiam priori sensu, quatenus est amor be-

neuolentiæ erga Deum, dilectum propter se. De posteriori

2. Dico primò, solam Charitatem hominis ad Deum non esse amicitiam. Probatur, quia non est amor mutuus, seu mutua beneuolentia; imò neque supponit per se quòd Deus nos amet, neque Deum respicit formaliter & præcisè vt nos amantem. Non enim Deum diligimus ex Charitate quia diligit nos; sed quia summè bonus est, & amore dignissimus; eumque vt talem amaremus, licet nos non amaret. Sicuti cùm inimici essemus, ipse prior dilexit nos: & nos ipsi diligimus ex Charitate inimicos, à quibus non amamur: & pater filiolum, licet non redamantem, nec agnoscentem, ex Charitate diligit. Quare Charitas sola, & simplex, neque est amicitia, neque intrinsecè & essentialiter illam infert, sed potest sine illa concipi, & existere.

Sola Charitas vnius non est amicitia.

3. Dico secundò, mutuam Charitatem inter Deum, & homines iustos, habere rationem veræ amicitiæ: & Charitatem hominis ad Deum esse partem illius amicitiæ, quæ reciprocam Dei Charitatem complectitur, & in mutua vtriusque beneuolentia consistit. Probatur primò ex Scriptura, Sapient. 7. ver. 14. *Participes facti sunt amicitiæ Dei*. Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. Ioannis 14. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*. Quæ, & similia Scripturæ verba sæpius repetita, in proprio significatu accipienda sunt, cùm nihil ex illis sequatur apertè absurdum: iuxta Regulam interpretandi Scripturas diuinas, traditam à D. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. Probatur secundò ex conditionibus veræ amicitiæ, quæ sunt omnino quatuor. Prima, vt sit amor beneuolentiæ; non concupiscentiæ, quâ quis se amat, aut sua. Secunda, vt sit amor mutuus, non occultus & latens, sed vtrinque notus; vt docet Philosophus 8. Ethic. cap. 4. & lib. 9. cap. 5. vbi dicit amicitiam esse beneuolentiam cum redamatione. Tertia, vt fundetur in aliqua communione, quâ reddantur amantes aliquo modo similes, vt idem ait cap. 7. lib. 8. suprà citati. Quarta, vt afferat communicationem bonorum, & consiliorum, vnionémque animorum, & voluntatum.

Sed mutua Charitas duorum, vt Dei & hominis.

Conditiones amicitiæ.

4. Hæc autem omnia reperiuntur in mutua Charitate inter Deum, & iustos. Primò enim, Charitas hominis erga Deum est amor beneuolentiæ, Deum diligens propter se. Charitas quoque Dei ipsius erga homines, diligit homines propter ipsos, & ipsorum bona, vt talia: non autem dumtaxat quatenus sunt aliquo modo ipsius Dei; qui amor non est Charitatis, sed similis nostro amori concupiscentiæ, quo nos ipsos, & nostra amamus, vt nostra. Nec obest quòd Deus omnia propter semetipsum operatur, Prouerb. 16. Neque enim propterea nihil aliud amat nisi seipsum, aut non nisi propter seipsum: sed eius amor infinitus, & virtualiter multiplex, æquiualet multis actibus nostris, quorum vno quædam amamus propter se: alio, eadem referimus ad Deum, velut ad finem vltimum, & propter ipsum illa diligimus. Secundò, ille amor mutuus est: iuxta illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*. Et Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum*. Est etiam notus vtrinque: quia licet non simus certi Fide diuina quod Deum verè, sicut oportet, diligamus, & ab eo diligamur reciprocè: id tamen iustis, ex coniecturis probabilibus & moraliter certis, notum est: quod ad veram amicitiam sufficit: & inter homines plerumque non est notior amor mutuus. Tertio, amor iste mutuus fundatur in communione gratiæ & iustitiæ supernaturalis, per quam homines fiunt diuinæ consortes naturæ, vt ait Petrus Epist. 2. cap. 1. ver. 4. & sunt filij Dei, vt dicitur 1. Ioan. 3. v. 1. Quæ coniunctio cum Deo sanè maxima est, plurimúmque valens ad mutuum amorem. Neque deest quartò communicatio bonorum, & consiliorum, vnio animorum, & coniunctio voluntatum: iuxta illud 1. Cor. 6. ver. 17. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*. Et Ioan. 15. ver. 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, &c. quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*.

Reperiuntur inter Deum, & iustos.

Objicies ex Arist. 8. Ethic. cap. 7. non posse amicitiam esse cum Deo, aut cum regibus, ob conditionis inæqualitatem. Respondeo cum Ægidio Coninck disp. 21. dub. 3. quod ad reges attinet, Aristotelem loqui de amicitia æqualitatis, qualis est inter pares. Nam ibidem, & cap. 12. fatetur esse posse cum regibus amicitiam supereminentiæ. Et experientiâ satis liquet reges solere aliquos è subditis habere, quos ament singulariter, & honoribus, opibus, ac potentiâ mirabiliter augeant, suâque amicitiâ & familiaritate dignos reddant. Quoad Deum verò, ignorauit Aristoteles posse hominem supernaturaliter eleuari ad statum quendam diuinum, per gratiam sanctificantem: in quo statu fundatur amicitia cum Deo, quatenus homo supra naturam & conditionem serui, seu mancipij (in qua sola fundari nequit amicitia vera, vt neque est inter seruum & Dominum, nisi ille supra conditionem seruilem eleuetur) attollitur ad status diuini participationem, & ex seruo fit filius adoptiuus, & hæres, vt ait Apostolus Rom. 8. ver. 16. & 17. 5.

Obstetne amicitiæ inæqualitas?

Instabis, quia maior est inæqualitas inter Deum, & hominem, quamvis eleuatum per dona supernaturalia; quàm inter Regem & vilissimum mancipium, inter quos nequit esse vera amicitia. Respondeo, Physicè quidem maiorem esse inæqualitatem in natura, & perfectione naturali donorum, Physicè tantùm spectata: secus autem si spectetur moraliter in participatione status diuini, ad quem homo per adoptionem prouehitur, quando per gratiam sanctificantem fit iustus, & consors naturæ diuinæ, filiusque adoptiuus, & hæres futurus & particeps illius gloriæ, & beatitudinis. Seruus autem manens in statu mancipij nullo modo participat excellentiam Regis: secus verò si ab eo adoptaretur in filium, vel si ad statum nobilium eleuaretur: vt nos à Deo adoptamur, & eleuamur per gratiam: iuxta illud 1. Ioan. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur*; 6.

Quare non obstat inter Deum, & iustos?

& simus. Aliter huic difficultati respondent Lessius & pauci illum secuti, adoptionem nostram non fieri per sola dona creata, sed per ipsummet Spiritum diuinum, iustis communicatum, & per ipsius naturæ diuinæ participationem, in qua formaliter consistit adoptio. Sed nos hunc modum explicandi adoptionem diuinam reiecimus tomo præcedenti disputatione 40. Sect. 7. num. 59. & sequentibus, & Sect. sequenti iterum refutabitur.

SECTIO II.

Vtrùm Charitas habitualis sit aliquid creatum in anima?

7. Magistri sententia negans. Circa quæstionem propositam Magister in 1. dist. 17. lit. B. & sequent. existimauit Charitatem, quâ Deum diligimus, esse Spiritum sanctum, seu tertiam personam diuinam, in Iustis manentem: quæ licet alios actus per proprias eorum virtutes producat; actum Fidei, per Fidem; & actum Spei, per Spem; vt Magister fatetur ibidem lit. S. circa medium: nihilominus actum dilectionis per seipsam operetur. Fundatur Magister in quibusdam locis D. August. quibus videtur id affirmare. Fauet August. Qui etiam lib. 8. de Trinit. cap. 7. videtur dicere ipsum actum dilectionis esse Deum, sic enim ait: *Qui proximum diligit, consequens est vt ipse præcipuè dilectionem diligat: Deus autem dilectio est.* Et paulò post; initio capitis 8. *Nemo dicat, Non noui quid diligam. Diligat fratrem, & diligat eandem dilectionem. Magis enim nouit dilectionem, quâ diligit; quàm fratrem, quem diligit. Ecce iam potest notiorem habere Deum, quàm fratrem.* Adde illud 1. Ioan. 4. ver. 16. *Deus Charitas est; & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ver. 8. *Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus Charitas est.* Quæ verba expendens D. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. dicit, Quando Deus in Scriptura dicitur Charitas, id non esse accipiendum, sicut cùm aliqua alia dicuntur Deus; vt quando Vates Regius Deo dicit, *Tu es patientia mea, misericordia mea, fortitudo mea, &c.* quando enim hæc de Deo affirmamus, sensus tantùm est quòd Deus sit causa, à qua nobis hæc proueniunt. At verò *ita dictum est, Deus Charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est:* id est, non in sensu tantùm causali, & metonymico, vt illa priora: sed in sensu proprio, & formali.

8. Contraris & vera sententia. Contraria sententia est D. Thomæ, quæst. 23. art. 2. & cæterorum communiter, qui sententiam Magistri vt errorem auersantur. Nec immeritò: quia Scripturæ, & Concilijs satis apertè repugnat. Dico igitur primò, Charitatem habitualem, quâ Deum diligimus, esse aliquid creatum in anima, & distinctum à Spiritu sancto. Probatur ex Scriptura, Rom. 5. ver. 5. Probatur ex Script. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Quibus verbis significatur Charitatem esse effectum Spiritus sancti, & ab illo distingui. Alioqui nihil aliud esset Charitatem diffundi, quàm Spiritum sanctum diffundi: & dicere Charitatem diffundi per Spiritum sanctum, nihil aliud esset quàm dicere Charitatem diffundi per Charitatem, quod absurdum est. Ibi autem sermonem esse de Charitate habituali affirmat Trident. Sess. 6. cap. 7. Simili modo Arausic. can. 25. affirmat Spiritum sanctum diffundere Charitatem in cordibus nostris: & Tridentinum suprà citatum dicit per Spiritum sanctum Charitatem Dei diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsis inhærere. Et ex Cōcilijs. At Spiritus sanctus non inhæret, sed adest, & est in iustis substantialiter, assistendo, non inhærendo. Idem Concilium ibidem affirmat causam formalem nostræ iustificationis esse iustitiam Dei; non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit. Ergo Charitas, in qua præcipuè iustitia nostra consistit, non est Charitas ipsa quæ Deus est, & quâ Deus iustus & Sanctus est. Neque respondeat Magister, sufficere diuersam considerationem, vel respectum diuersum: & Charitatem Dei esse Charitatem nostram, non quatenus Charitas Dei est, sed quatenus nos iuuat ad amandum. Nam Trident. aliter loquitur, significátque realem distinctionem esse, cùm ait, iustitiam nostram esse iustitiam Dei, non quâ, id est, per quam, ipse iustus est; sed quâ nos iustos facit, quæque nobis inhæret, vt addit paulò post: Non verò dicit iustitiam nostram esse iustitiam Dei, non quatenus ipse iustus est, sed quatenus nos iustos facit. Qui loquendi modus à priori longè diuersus est. Adde, Tridentinum sic definire contra Nouatores, affirmantes nos iustificari non per iustitiam intrinsecam, & infusam; sed per iustitiam Christi nobis imputatam, & per fauorem extrinsecum Dei nos amantis propter Christum. Denique, cùm actus dilectionis sint actus nostri vitales, æquè ac actus Fidei, & Spei; Probatur ratione. conuenientius est, vt sicut Deus infundit nobis habitus Fidei, & Spei, veluti principia proportionata, quibus constituamur permanenter & habitualiter potentes intrinsecè ad hos actus eliciendos, vt fatetur Magister lit. S. circa medium: ita pariter infundat habitum Charitatis proportionatum dilectioni supernaturali erga Deum, & proximum.

9. Exponitur D. August. Ad fundamentum Magistri respondeo D. Augustinum lib. de Spiritu & litera cap. 31. in fine, & alibi satis apertè distinguere Charitatem à Spiritu sancto, & affirmare esse aliquid creatum & inhærens, vt Fidem, & iustitiam; quod cum Augustino alij quoque Patres affirmant: vt videre est apud Valent. disp. 3. quæst. 1. p. 1. Verba D. August. cap. cit. hæc sunt: *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut dicitur iustitia Dei, quâ iusti eius munere efficimur: & Domini salus, quâ nos saluos facit: & Fides Iesu Christi, quâ nos Fideles facit.* Quibus verbis significat Charitatem, quâ Deum diligimus actu, vel habitu, non esse illam ipsam, quâ Deus nos diligit: sed distingui à Deo, non minùs quàm Fidem, quâ in illum credimus: & vtramque esse nobis æquè intrin-

sectam, & inhærentem. Duplex autem Charitas est. Vna increata, quâ Deus nos diligit, quæque est Deus ipse: de qua loquitur Ioannes cap. cit. Alia creata, quâ nos Deum, & proximum diligimus: quæ quia increatæ participatio quædam & similitudo est, confunditur interdum à D. August. cum increata: vt cap. illo 8. libri 8. de Trinit. Cuius sensus est, quòd qui dilectionem suam cognoscit, Deum cognoscit, non in se, sed tanquam in imagine: quia Deus etiam est dilectio, non illa quâ diligimus, sed alia. Etenim dilectio quâ diligimus, à nobis est, & est actus noster vitalis, nostraque operatio. Dilectio autem quæ est Deus, non est à nobis, neque est noster actus secundus & operatio vitalis. Legatur D.Thom. q. 23. a. 2. ad 1. vbi S. Augustinum sic exponit, qui tamen sine dubio obscurè & minùs propriè locutus est hac in parte, vt & in multis alijs, egetque benigna explicatione. Ioannis verò Apostoli sensus est verbis relatis ex Epist. 1. cap. 4. v. 8. & 16. quòd qui manet in Charitate, manet in Deo qui est Charitas increata, & cui nos Charitas creata vnit, veluti summa eius participatio. Et qui non diligit proximum, non nouit Deum sicut oportet; quia Deus Charitas est, tanto amore nostri flagrans, vt ad nos inuicem diligendos mirabiliter prouocet. Qui sensus verbis præcedentibus & sequentibus congruit multò meliùs, quàm qui solet ab interpretibus afferri. Quod autem notat D. Augustinus circa illa verba, nihil aliud sibi vult, quàm Charitatem esse virtutem adeo perfectam, vt in suo conceptu nullam inuoluat imperfectionem, ideòque possit absolutè de Deo in sensu proprio & formali enuntiari, æquè ac attributum Spiritus, & alia quædam quæ in suo conceptu nullam inuoluunt imperfectionem Deo repugnantem, sub eodemque nomine, & ratione abstractâ, Deo & creaturis conueniunt. Secus verò patientia, misericordia strictius sumpta, & fortitudo, quæ non possunt de Deo in sensu proprio formali enuntiari, sed causaliter tantùm & metonymicè. Quia patientia, & fortitudo connotant imperfectionem aliquam in subiecto, de quo enuntiantur, cui scilicet aliquid durum sit, & difficilè perferre, aut aggredi: & misericordia strictiùs sumpta, non est sine dolore & compassione aliqua: dicitur enim misericors, quasi habens miserum cor.

10. Dices, Scripturam nusquam facere mentionem huiusmodi qualitatum mortuarum, propter quas Deus nos diligat: sed tantùm affirmare quòd Deus nos diligat quia eum diligimus, quia credimus, quia sumus naturæ intellectualis, liberè eum amantes, & bene operantes. Addo quòd illæ qualitates non sunt amabiles, ex D. Thoma. Ergo non possunt nos reddere amabiles; quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Denique, cùm sit opus Spiritu sancto dirigente huiusmodi habitus, satius esset dicere eas non dari, sed Spiritum sanctum per se solum nos eleuare ad operandum supernaturaliter.

Certum est infundi habitus super naturales. Respondeo falsum esse antecedens, vt constat ex Scripturæ locis supra citatis, & ex pensis, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* Rom. 5. & 1. Ioan. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus:* ideòque valde amabiles: &, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen eius in eo manet:* alijsque pluribus locis, quæ alibi expendimus in tract. de Iustificat. Propter quæ iunctâ Patrum expositione, & traditione, certum semper & indubitatum in Ecclesia fuit huiusmodi habitus saltem adultis infundi, vt rectè ostendit Suares lib. 6. de Gratia cap. 3. Post Tridentinum verò tam certum est infundi habitus iustificantes; vt iam intolerabilis sit temeritatis velle in dubium id vocare; vt ostendimus tomo 2. disp. 39. Sect. 2. & sequenti Sectione confirmabimus ampliùs. D. Thomas falsò citatur, cum expressè contrarium dicat quæst. illa 23. art. 2. Nec obest quòd illi habitus sunt mortuæ qualitates, id est, non sunt ipsum viuens, & principium vitale. Nam res Physicæ, vel Morales, quamvis mortuæ, sunt amabiles & æstimabiles, si sint per se bonæ & excellentes: vt v. g. corporis pulchritudo consistens in figura, & proportione artuum, & colorum, opes, honores, scientia eximia, dignitas Regia vel Pontificia, & similia: quæ si quis negat valere plurimùm ad amorem conciliandum, experientiæ apertè refragatur. Euidens item est ea quæ fiunt à personis excellentibus, multò plus æstimari, quàm quæ à vulgaribus. Quamvis autem Spiritus sanctus possit per se solum nos eleuare ad omnes actus supernaturales: multum tamen est habere in nobis principium permanens & intrinsecum, quo optimè afficiamur formaliter, & simus completè potentes ad operandum supernaturaliter cum solo concursu generali, & debito, respectu habitus supernaturalis. Denique, posse aliquid mortuum, id est, quod non sit principium viuens, iuuare ad vitales operationes conjici facilè potest ex ipsa sensuum experientia: Iuuamur enim v. g. siue speciebus melioribus, siue perspicilijs, siue spiritibus animalibus, ad meliùs videndum: Iuuamur quoque habitibus naturalibus, quos alibi ostendimus distingui à principio vitali, & concurrere ad substantiam actus vitalis.

11. Descriptio Charitatis. Dico secundò, Charitatem esse virtutem supernaturalem, infusam voluntati, omnium hac in vita infusarum præstantissimam, cæterarúmque quodammodo formam & perfectionem, quatenus illas summè cohonestat, & ad finem supremum attollit, atque in esse meritorio constituit. Hæc conclusio satis patet ex dictis de Fide, & Spe: plura verò de illa videri possunt apud D. Thomam quæst. 23. art. 3. & sequentibus, Suar. disp. 3. de Charitate Sect. 1. & Ægid. Coninck disp. 21. dub. 4. 5. & 6. Tantùm aduerto, supremam hanc eminentiam Charitati competere quatenus in Deum perfectissimè tendit, vt ratione suæ summæ & infinitæ bonitatis propter se diligibilem: non autem quatenus proximum diligit ratione sui tantùm. Cuius etiam consideratione non dicitur virtus Theologica, sed quatenus Deum attingit, illúmque amat propter se & cætera pro-

pter ipsum. Dicitur enim aliqua virtus esse Theologica, ex eo quòd Deum attingit velut obiectum *quod*, & quidem formale. Dixi autem, *quatenus proximum diligit ratione sui tantùm*: quia duobus modis potest diligi proximus ex Charitate. Primò, propter Deum, vt & cætera quæ ad Deum aliquo modo pertinent, & propter ipsum amari possunt. Et hic actus, cùm Deum respiciat vt rationem formalem obiecti, pertinet ad Charitatem Theologicam, vt talem. Secundò, potest diligi proximus propter se, sine respectu ad Deum, ratione suæ bonitatis creatæ, & intrinsecæ, vel naturalis, vel supernaturalis. Et hic actus, cùm nullo modo Deum habeat pro obiecto, non est actus Theologicus, siue actus Charitatis prout est virtus Theologica: tametsi est actus eiusdem virtutis supernaturalis quæ Deum etiam propter se diligit, & proximum propter Deum, vt ostendemus disp. sequenti Sect. 1.

SECTIO III.

De infusione habitus Charitatis.

11. QVinque in præsenti breuiter explicanda sunt. Primò, An certum sit, & de Fide, infundi habitum Charitatis? Secundò, cui subiecto proximè infundatur? Tertiò, an creetur, vel educatur de potentia subiecti? Quartò, an infundatur secundùm capacitatem naturalem? Quintò, an infusio habitus præcedat semper, ac necessariò, omnem actum Charitatis? Circa primum,

Certum est infundi habitum Charitatis.

Dico primò, quidquid sit de nomine habitus, certum esse, & de Fide, dari Charitatem infusam, ab actibus distinctam, & permanentem, quam nomine habitus significamus. Probatur efficaciter ex Trident. Sess. 6. cap. 6. & 7. Nam post enumeratos cap. 6. actus, quibus disponimur ad iustificationem, subdit cap. 7. initio, *Hanc dispositionem, seu præparationem, iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Et paulò post, circa medium capitis, sic ait: *In ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem.* Quam Charitatem ibidem asserit iustificatis inhærere: Et in fine affirmat iuberi nos iustitiam illam conseruare, ceu stolam primam, vt eam perferamus ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeamus vitam æternam. Atqui non iubemur conseruare eo vsque, & perferre actum, sed habitum: neque in iustificatione infunduntur actus Fidei, Spei, & Charitatis. Quis enim illos infundi experitur? Caderent autem sub experientiam cuiusque, cùm sint actus vitales. Nec denique actus Fidei, Spei, & Charitatis sunt dispositiones ad seipsos, vel ad alios sibi similes, & eiusdem naturæ. Quare forma iustificationis, ad quam disponunt, ex Tridentino, quæque illos consequitur, & consistit in Fide, Spe, & Charitate, vt

Probatur ex Trident.

Trident. ibidem ait, forma, inquam, illa non est actus, sed habitus.

Secundò, idem Concil. Sess. 7. can. 6. 7. & 8. *de Sacram. in genere*, affirmat generatim Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. Gratia verò, quam baptismus confert paruulis (qui certe non ponunt obicem) non est actus, cuius non sunt capaces. Ergo est gratia quædam habitualis, qualem nos asserimus. Quare licet Concilium Viennense Clement. vnicâ de Sum. Trinit. statuat, aut supponat tantùm de solis adultis tanquam certum, eos informantem gratiam & virtutes in baptismo recipere; de paruulis autem probabilius tantùm id esse dicat: de vtrisque tamen post Tridentini declarationem citatam res certissima est: licet primum sufficeret ad probationem nostræ conclusionis.

Tertiò, idem Concil. Sess. 14. cap. 4. dicit actum contritionis Charitate perfectæ hominem Deo reconciliare: ita tamen vt reconciliatio ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, adscribenda non sit. Ergo manifestè distinguit reconciliationem ab ipsa contritione, quæ tamen actus Charitatis est. Itaque ex mente Concilij Trident. iustificatio non fit formaliter per actum Charitatis, sed per habitum, vi actus tanquam dispositionis infusum. Ibidémque Concilium ponit discrimen inter contritionem, perfectam, & attritionem: quòd illa, etiam sine Sacramento actu suscepto, perducat hominem ad iustificationem, velut sufficiens dispositio: ista verò, non nisi cum Sacramento. Et denique Sess. 6. cap. 10. affirmat iustos, Fide cooperante bonis operibus, crescere in iustitia; & hoc augmentum ab Ecclesia peti, cùm sic orat, *Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*: & can. 32. definit iustos per bona opera mereri augmentum gratiæ: quod augmentum statim dari, & hac in vita, ostendemus inferiùs Sect. 5. num. 40. vt nimirum per illud crescant iusti in accepta iustitia, & sit eorum *semita quasi lux splendens, quæ procedit & crescit vsque ad perfectam diem*, vt ait Scriptura Prouerb. 4. v. 18. & vt magis vsque ad mortem iustificentur, & renouentur de die in diem, vt ait Trident. Sess. 6. cap. 10. post Ecclesiast. cap. 18. v. 22. & Apostolum 2. Corinth. 4. v. 16. Hoc verò augmentum non potest intelligi de actibus ipsis per quos iusti merentur, neque prout Physicè & actu existunt, neque prout manent postea moraliter, donec retractentur. Etenim meritum & merces debent esse distincta, & correlatiua: & merces debet acquiri per meritum. Ergo merces non est ipsemet actus meritorius, qui est vnus & idem, siue vt Physicè existens, siue vt moraliter manens; & non acquiritur per seipsum. Sed neque meremur alium actum: quia cum per omne bonum opus factum in statu gratiæ, ex Charitate, mereamur augmentum gratiæ, quo crescamus in via; consequens est vt per vltimum bonum opus ita factum, quamvis exerceatur in extremo instanti vitæ, vt contigit in B. V. plurimisque Martyribus, & alijs Sanctis eximijs, & nobis quoque speciali

Confirmatur ex eodem.

Dei beneficio contingere potest, mereamur illud augmentum. Atqui per illum actum qui exercetur in vltimo instanti vitæ, non meremur alium actum per quem ita crescamus. Ergo augmentum gratiæ quod meremur per bona opera, non consistit in actu. Adde quod Trident. nomine gratiæ, & iustitiæ intelligit illam eandem, de qua loquitur cap. 7. & per quam dicit nos iustos & gratos constitui; vt patet ex serie, & contextu titulorum & capitum. Ista autem non est actus, sed habitus, vt antea ostendimus: quare crescere in actibus tantùm, non esset crescere in gratia, & iustitia, de qua loquitur. Quæ autem Vasques in contrarium objicit, refutata sunt alibi tractando de gratia & iustificatione, vbi etiam fusiùs hac de re disputauimus.

Vide tom. 2. Disp. 39. Sect. 5.

13. Charitas est in voluntate.

Circa secundum, dico secundò, habitum Charitatis infundi voluntati, velut subiecto proximo, & immediato. Ita D. Thomas quæst. 24. art. 1. & cæteri communiter. Ratio est, quia est habitus valens ad appetendum, non autem ad cognoscendum. Ergo debet infundi appetitui. Cùmque sit qualitas merè spiritualis, & valens ad obiecta immaterialia, ad Deum scilicet, & alia plurima bona spiritualia diligenda, veluti Deo grata; debet esse in appetitu superiori & spiritali, qui est voluntas. Notandum tamen est, quòd sicut quando cogitamus per intellectum de rebus spiritualibus (quas pro statu huius vitæ non apprehendimus nisi ad modum rerum corporearum) phantasia operatur, simul cum intellectu, circa eadem obiecta, & acquirit habitum, & speciem materialem valentem ad eorum recordationem: quod etiam in rebus Fidei locum habet: ita dum voluntas fertur in res spiritales apprehensas per modum boni sensibilis, appetitus sensitiuus solet habere actum ei correspondentem, quo ipse facilitatur, quique sensibilem delectationem aliquando parit, iuxta illud Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum:* vt rectè docet S. Thomas 1. 2. quæst. 30. art. 1. ad 1. vbi affirmat ex appetitu superiore fieri redundantiam in appetitum inferiorem, vt simul etiam ipse inferior appetitus suo modo tendat in spirituale bonum, consequens appetitum superiorem: & etiam ipsum corpus spiritualibus deseruiat, sicut in Psal. 83. dicitur, verbis suprà relatis.

14. Nô creatur, sed educitur.

Circa tertium, dico tertiò, habitum Charitatis non creari, sed educi de potentia voluntatis, quæ est realiter ipsa substantia animæ rationalis. Probatur, quia cùm sit accidens; connaturalius illi est vt educatur, si fieri possit, de potentia subiecti cui inhæret. Posse autem educi de potentia voluntatis verosimilius est: quia actus Charitatis, qui sunt eiusdem ordinis cum habitu, educuntur ex illa. Cùm enim sint actus vitales, debent necessariò fieri concurrente voluntate, & anima ipsa rationali, vt principio vitali: non potest autem ad creandum concurrere. Similiter actus visionis beatificæ, quamvis nobilissimus, educitur tamen de potentia intellectus. Adde quòd ijdem actus, cùm sint vitales, debent fieri concurrente efficienter ipso principio vitali, seipsum exercente, & mouente vitaliter cum auxilio supernaturali. Si autem potest concurrere in genere causæ efficientis, quod nobilius est: multò magis in genere causæ materialis. Præterea, Trident. Sess. 6. cap. 7. & can. 11. definit Charitatem & gratiam inhærere. Quod autem inhæret, sicut existit dependenter à subiecto, sic producitur dependenter ab illo: in quo consistit ratio eductionis, opposita creationi.

Contrarium sentiunt D. Bonauentura in 4. dist. 1. quæst. 1. literali, §. *Item, gratia ex nihilo & subitò creatur:* Scotus ibid. quæst. 5. Gabriël quæst. 1. art. 2. conclus. 3. §. *Tertia pars minoris.* Mouentur autem his præcipuè argumentis. Primò, quia id quod educitur, non infunditur propriè. Charitas autem dicitur infundi. Secundò, Charitas non est minùs extra potentiam animæ rationalis, quàm anima rationalis sit extra potentiam materiæ. Ergo non potest ex illa educi. Consequentia patet. Anteced. probatur, quia Charitas est forma supernaturalis: potentia verò animæ est purè naturalis. Atqui forma supernaturalis non minùs est extra sphæram potentiæ naturalis, quàm forma spiritalis sit extra sphæram potentiæ materialis. Tertiò, habitus infusi dicuntur esse noua creatura, Galat. 6. ver. 15. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.* Hoc est, vt exponit cap. 5. ver. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet; neque præputium, sed Fides quæ per Charitatem operatur.* 15. Contraria sententia.

Ad primum respondeo, illa etiam quæ educuntur, dici infundi, quando proueniunt ab extrinseco. Sic enim dicitur lumen infundi: & illuminationes, atque inspirationes diuinæ dicuntur mentibus nostris infundi, atque etiam ipse actus liber amoris diuini; vt quando Ecclesia sic orat, *Infunde amorem cordibus: Infunde cordibus nostris tui amoris affectum:* licet è nobis educantur, imò etiam nobis efficienter concurrentibus fiant, quia sunt actus nostri vitales. Dicuntur tamen infundi, quia à Deo peculiariter procurante & excitante fiunt, & immittuntur quodammodo. Parique iure Charitas, licet ex animæ substantia educatur, dicitur infundi, quia non inest nobis naturaliter, neque per vires naturales acquiritur, sed habetur per infusionem, id est, per specialem & supernaturalem operationem Spiritus sancti, quoniam excedit facultatem naturæ, vt rectè ait sanctus Thomas quæst. 24. art. 2. c. Quo sensu dicatur infundi?

Ad secundum: nego antecedens. Anima enim rationalis, tam secundùm se, quàm secundùm suas operationes spiritales, excedit capacitatem materiæ, non modò naturalem, verùm etiam, vt probabilius est, obedientialem. Neque enim existimo posse ad illius productionem eleuari. Vt neque potest quidlibet eleuari ad quodlibet, sed ad aliquid viribus suis proportionatum: ad quod scilicet res illa, quæ eleuatur, habeat potentiam inchoatam, quæ per adiunctionem causæ superioris, & supernaturaliter concurrentis eleuari possit. Quam vim non habet quælibet res ad quidlibet; putà oculus corporeus ad Deum videndum. At verò Charitas secundùm actus suos supernaturales, 16. Non est extra potentiam obedient. animæ.

& eiusdem ordinis cum habitu, non excedit potentiam obedientialem animæ rationalis: vnde colligitur valde probabiliter quòd neque excedat secundùm habitum, qui est eiusdem ordinis. Ad probationem antecedentis, dico formam supernaturalem non minùs esse extra sphæram potentiæ naturalis, naturaliter spectatæ, quàm sit forma spiritualis extra potentiam materiæ. Secus autem si spectetur obedientialiter, id est, in ordine ad causas supernaturales, quibus potest coniungi, & cum illis concurrere ad productionem & eductionem formæ supernaturalis, ad quod habet vim inchoatam, & imperfectam: vt de anima nostra respectu actuum supernaturalium Fidei, Spei, Charitatis, & similium, colligimus ex eo, quòd naturaliter potest operari circa eadem obiecta, cognoscendo, & amando Deum modo imperfectiori: Vnde fit credibile posse per omnipotentiam Dei eleuari, ad actus cognoscendi, & amandi nobiliores in entitate, & perfectione, quàm possit ipsa solis viribus naturalibus producere. At potentia materialis nullos actus spiritales, quantumvis imperfectos, producit naturaliter, neque producere potest.

17. Creare sumitur interdum pro, educere.

Ad tertium respondeo, creaturæ nomen in Scriptura vsurpari pro quacunque re à Deo condita, sicut & creandi verbum pro quacunque effectione vel actione Dei. Sic Sapientiæ 1. ver. 14. dicitur Deus creasse omnia. Et Ecclesiastici 17. ver. 6. creasse homini scientiam spiritus. Et Isaiæ 45. ver. 7. formare lucem, & creare tenebras; facere pacem, & creare malum: & cap. 65. ver. 18. *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.* Exultatio verò, & gaudium, cùm sint actus vitales, non possunt propriè creari, sed educi. Præterquam quòd Fides, & alij habitus infusi, possunt dici creari, sensu quodam morali, quia primò infunduntur ex nihilo meriti: id est, nullis præexistentibus meritis eius, cui infunduntur; vt rectè ait S. Thomas in capur 1. Epist. ad Ephes. circa illa verba, *Creati in operibus bonis.*

18. Infunditur iuxta mensurā Spiritus sancti.

Dico quartò, habitum Charitatis non infundi secundùm capacitatem naturalem, ita vt tanta vnicuique infundatur, quantam capere potest: sed iuxta mensuram Spiritus sancti, quam partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, ac cooperationem. Ita D. Thom. quæst. 24. art. 3. & clarè patet ex Trident. Sess. 6. cap. 7. paulò ante medium, vbi iisdem verbis traditur; & Ephes. 4. ver. 7. *Vnicuique nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Tribus verò modis infunditur Charitas habitualis. Primò, per Sacramenta, sine propria cooperatione; vt fit in paruulis. Secundò, per Sacramenta cum propria cooperatione & dispositione, vt fit in adultis. Tertiò, sine Sacramentis, ex opere operantis, id est, mediante aliquo actu de se sufficiente ad gratiæ infusionem. Primo modo certum est Charitatem non infundi subiecto secundùm totam illius capacitatem obedientialem, sed secundùm mensuram Sacramento positam. Si enim infans, cùm baptizatur, reciperet Charitatem quantæ capax est; vel non posset augeri Charitas totâ vitâ per alia Sacramenta, & per actus bonos & meritorios: quod est Hæreticum, & damnatum à Trident. Sess. 6. cap. 10. & can. 32. & Sess. 7. can. 6. & 7. de Sacramentis in genere: Vel capacitas animæ rationalis augeri deberet: quod falsum est: quia cùm nihil sit aliud, quàm ipsa animæ substantia, quatenus potest habitum Charitatis à Deo recipere: sicut non crescit substanria animæ, ita nec illa capacitas obediencialis. Secundo autem, & tertio modo sequitur quidem infusio Charitatis mensuram dispositionis, & cooperationis: ita vt maior infundatur, tam in Sacramento, quàm extra, quò maior illa est; vt colligitur ex Trident. Sess. 6. cap. 7. affirmante iustitiam in vnoquoque recipi secundùm suam mensuram, non naturalem, sed quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem. At dispositio nostra, & cooperatio, tanta non est, quantam requirit gratiæ plenitudo, quâ tota capacitas animæ impleatur. Imò quidquid agant iusti post primam gratiæ infusionem, & quantumvis in ea crescant, semper longè absunt à gratia Christi, de cuius plenitudine cæteri omnes accipiunt. Quamvis eorum capacitas sit æqualis capacitati animæ Christi, supposito quòd omnes animæ sint æquales substantialiter, quódque diuersitas ingeniorum proueniat ex diuersitate organorum, vt probabilius esse arbitror.

Et secundùm mēsurā nostræ dispositionis.

Hinc etiam fit, vt quia diuersa & inæqualis est hominum cooperatio ad gratiam; & aliæ causæ inæquales, aut inæqualiter applicatæ: diuersa etiam sit & inæqualis mensura gratiæ, & gloriæ, ad quam perueniunt: iuxta illud. 1. Cor. 15. *Stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* Et Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et 2. Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hinc denique fit, vt quò iusti meliùs aut sæpius bene operantur; crescant magis magisque in gratia & Charitate: iuxta illud Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Et Philip. 1. *Hoc oro vt Charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Psal. 91. v. 13. *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur:* vel, vt est in textu græco, *in altum succrescet*, id est, sensim magis magisque fiet iustus, sicut arbor sensim crescit, & procerior fit. Et Eccles. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*, id est, magis ac magis fieri iustus, quandiu viuis. Nec obest quòd in Græco est, μὴ μείνῃς, id est, *ne expectes.* Nam quæ præcedunt, & sequuntur immediatè, ostendunt versionem vulgatam, quæ sola authentica est, meliùs expressisse sensum verbi Hebraïci & originalis. Sic enim habet locus integer: *Non impediaris orare semper: & ne verearis vsque ad mortem iustificari: Quià merces Dei manet in æternum.* Quasi dicat: Nihil te remoretur à continuo exercitio orationis, aliorúmque bonorum operum, quibus possis magis ac magis iustificari, dum viuis. Quoniam pro tali exercitio, & labore continuo, ingens te manet in cœlo merces nunquam

Hinc est inæqualitas gratiæ, & gloriæ.

interitura, laborémque tuum abundè compensatura.

19. Possumus magis aut minus cooperari gratiæ. Dubitari verò potest, an sicut quisque liberè assentitur Spiritui sancto excitanti ad dispositionem & cooperationem liberam, iuxta Trident. Sess. 6. cap. 5. & Can. 4. ita possit liberè magis & minùs assentire? Respondeo affirmatiuè. Quia sicut potest dissentire, si velit: ita potest magis aut minùs, si velit, assentire & cooperari vocationi diuinæ. Quapropter differentia augmenti Charitatis potest existere non tantùm ex Deo, sed etiam ex eo, qui recipit Charitatem, prout liberè magis aut minùs cooperatur auxilijs gratiæ sibi oblatis. Quódque vnus recipiat minus Charitatis, quam alius, ex eo quòd minùs ille cooperetur, potest accidere per liberum defectum recipientis, qui liberè cooperatur remissiùs cum æquali auxilio gratiæ. Ideóque Tridentinum Sess. 6. cap. 7. mensuram Charitatis partim refert ad Spiritum sanctum diuidentem singulis prout vult, vt ait Apost. 1. Corinth. 12. partim ad propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.

20. Et toto conatu assentire. Addo, posse voluntatem eidem vocationi toto conatu assentiri si velit, & non tantùm intra certum gradum: ex. gr. posse toto conatu, totáque vi concurrere cum auxilio præueniente & concomitante, intenso vt quatuor. Tuncque licet maior futurus sit effectus, & intensior, quàm si potentia remissiùs operaretur, & minori conatu cum eodem auxilio: non tamen erit maior effectus, quàm ferat vis & eleuatio principij supernaturalis. Nam actus supernaturalis non potest excedere principium supernaturale, neque esse supra illius eleuationem, ita vt potentia obedientialis plus agat, quàm eleuetur. Atque ita v. g. per nullum conatum fieri potest vt quisquam Beatorum videat Deum perfectiùs, quàm ferat lumen gloriæ quod habet ad Deum videndum. Et quamvis possit naturalis potentia operari infra gradum formæ supernaturalis, quam habet (neque enim semper operamur secundùm totam intensionem habitus supernaturalis; quem habemus) & possit quoque operari infra gradum auxilij actualis, & assistentiæ sibi præparatæ, atque excitationis præcedentis, dum liberè operatur: non tamen potest operari supra formam aut principium supernaturale, & totam virtutem eleuandi, quam habet. Quia non potest operari supra, vel vltra id, ad quod habet potentiam. Non habet autem potentiam suprà quàm ferat auxilium, à quo eleuatur. Quod auxilium habet virtutem finitam & limitatam ad eleuandum. Neque enim eleuat & complet potentiam obedientialem ad quemlibet, aut quantumlibet effectum. Quare licet auxilium æquale meliùs operetur cum principio meliori, aut fortiùs se applicante: non tamen potest ad quemcunque effectum eleuare potentiam naturalem, quamtumvis conantem; sed intra certum gradum, quem non potest excedere.

21. Actus non semper præsupponit infusionem habitus. Dico quintò, infusionem habitus Charitatis non semper præcedere omnem actum Charitatis, sed sæpissime aliquem subsequi. Probatur, quia cùm aliquis ex opere operantis, per actum contritionis, aut amoris Dei super omnia, consequitur iustificationem; actus ille Charitatis non est ab habitu, sed potiùs illum naturâ præcedit, veluti sufficiens dispositio ad iustitiam, & Charitatem habitualem, quæ vi illius introducitur. Etenim iustificatio sequitur dispositionem, quæ fit per actus credendi, sperandi, diligendi, & penitendi, vt docet Trident. Sess. 6. cap. 6. & 7. iuncto Can. 3. Quare habitus Fidei, Spei, & Charitatis, in quibus consistit iustificatio positiua, ex eodem Tridentino cap. 7. Sessionis citatæ, non præcedunt huiusmodi actus, sed potiùs eos sequuntur naturâ posteriùs, & actus illis præsupponuntur, veluti præuiæ dispositiones, naturâ priores in genere causæ materialis.

22. Refellitur cuatio. Neque respondeant Thomistæ, habitus esse priores huiusmodi actibus in genere causæ efficientis, licet sint illis posteriores in genere causæ materialis: & non repugnare idem esse prius & posterius alio in diuerso genere causæ. Contrà enim: fieri non potest vt actus accipiat esse ab habitu, cui præsupponitur cum illo ipso esse reali & actuali quod habet. Si enim ab illo acciperet esse, deberet habitus esse prior, & præsupponi. Quia quod dat esse alteri, est illo prius. Implicat autem vt id quod totaliter præsupponitur alteri secundum suum esse reale & actuale, ipsum præsupponat secundùm illud esse. Quia sequeretur esse seipso posterius. Quod enim est prius alio, est etiam prius illo, quo illud aliud prius esse dicitur. Et similiter illud est posterius alio, quod est posterius aliquo posteriori illi. Ergo si actus præsupponeret habitum vt causam efficientem; & simul illi præsupponeretur vt dispositio: actus præsupponeret seipsum, & esset seipso posterior. Quod si est incommodum & impossibile in eodem genere causæ, vt fatentur Thomistæ; est etiam in diuerso: quia cur v. g. non possint duo se mutuò efficere primâ effectione, non inde oritur, quòd in eodem genere essent priora seipsis; sed quòd simpliciter vnum debet supponi esse, vt aliud efficiat; ac proinde non potuit ab illo accipere esse. Atqui etiam in diuerso genere causæ, si vnum dat physicè esse alteri, præsupponitur illi secundùm suum esse actuale: ac proinde non potest ab illo accipere esse quod præsupponitur vt illud sit, & habeat vim physicè efficiendi. Confirmatur, quia id quod est naturâ prius altero, est tale, vt alterum ab ipso pendeat: nam prioritas naturæ nihil est aliud, quàm vera & realis dependentia vnius ab alio: ergo si aliquid est naturâ prius altero, oportet vt ratione eius quo prius est, nullo modo pendeat ab altero quod posterius dicitur: alioqui secundùm idem esset prius & posterius, & penderet à seipso. Sed actus secundùm totum suum esse Physicum & actuale, est prior habitu qui vi illius tanquam dispositionis sufficientis introducitur, atque ab illo pendet. Ergo non potest esse posterior eodem habitu secundùm idem esse.

Objicies cum Banne, dub. 2. ad art. 2. quæst. 23. amorem supernaturalem non esse actionem diligentis, tanquam causæ instrumentalis, sed tanquam causæ principalis: quia nimirum est actus vitalis: & actus vitalis est ab eo cui vita- 23.

lis est, tanquam à causa principali. Sed causa principalis debet habere in se formam quæ sit principium agendi: quoniam causa, quæ non habet in se formam & actum primum ad agendum, non est causa principalis. Forma verò & principium actus dilectionis supernaturalis, est Charitas habitualis: Ergo, &c. Neque dicas Deum supplere defectum formæ. Quia Deus est causa adiuuans extrinseca, quæ non constituit causam principalem id quod adiuuatur. Quo modo, licet Deus per aliquid calefaceret, non constitueret illud causam principalem, nisi daret illi calorem, vel formam aliquam, per quam posset calefacere.

Soluitur altera obiectio. Respondeo, in nostra voluntate esse vim obedientialem vitalem, & minùs principalem ad diligendum supernaturaliter, Deo specialiter iuuante, siue per formam adiunctam, siue per seipsum supplendo concursum effectiuum illius formæ: & eum qui diligit dilectione supernaturali, esse causam vitalem & principalem eius dilectionis; non autem causam instrumentalem, propriè & strictè sumptam: sed non esse causam totalem, neque causare sine auxilio speciali, intrinseco, vel extrinseco. Sufficit autem auxilium extrinsecum. Nam sicut voluntas potest & debet concurrere vitaliter & partialiter cum habitibus infusis, quando illos habet, & ab illis iuuatur ad producendos vitales actus supernaturales: ita non minùs potest concurrere cum auxilio speciali, æquiualente habitibus quoad agendi vim: quippe qui non concurrunt per modum causæ formalis, nec quatenus informant; sed per modum principij effectiui. Neque constituunt voluntatem in esse potentiæ vitalis: sed supponunt esse talem, & iuuant per modum adiuncti non vitalis, nec vitaliter operantis. Quare concursus, quem præstant voluntati, non requirit necessariò informationem, & adiunctionem intrinsecam.

44. In forma igitur, concessâ maiore distinguo minorem, causa principalis debet habere in se formam quæ sit principium agendi, totale, nego: partiale saltem, concedo: Qui autem amat supernaturaliter, licet nondum habeat habitum infusum; habet tamen innatum sibi principium vitale ad talem amorem: nempe voluntatem, quæ est principium partiale, egens tantùm eleuatione, siue adiunctione causæ alterius supernaturalis, intrinsecæ, vel extrinsecæ. Dico itaque actum dilectionis, qui præcedit infusionem habitus Charitatis, non esse ab ipsomet habitu, qui naturâ posterior est: sed esse à voluntate, quæ debet illum vitaliter elicere; & à Deo eleuante, & concurrente supernaturaliter per auxilium speciale, supplens defectum habitus. Quo actu posito vi auxilij diuini specialis, & voluntatis liberè cooperantis, Deus infundit, seu producit habitum principaliter & Physicè, veluti formam consequentem ad sufficientem dispositionem moralem. Nam habitus supernaturales pendent solùm moraliter ab actibus nostris, siue vt dispositionibus, siue vt meritis. Et à Deo solo Physicè producuntur; à Sacramentis verò, vt instrumentis moralibus; & à Christo, velut à causa morali & meritoria: vt colligitur ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. & patet ex dictis alibi de gratia, & de Sacramentis in genere.

SECTIO IV.

De augmento habitus Charitatis.

Charitatem augeri posse certum est, & de Fide, ex Trident. Sess. 6. cap. 10. & Can. 32. Idémque patet ex pluribus Scripturæ locis, relatis suprà, num. 18. Quibus adde illud D. Augustini Tract. 5. in 1. Epist. Ioan. *Charitas vt perficiatur, nascitur. Cùm fuerit nata, nutritur. Cùm fuerit nutrita, roboratur. Cùm fuerit roborata, perficitur.* Vbi tamen de actuali Charitate magis loqui videtur. Et Prosper in libro Sentent. D. Augustini, Sent. 102. *In hac vita, quæ tota tentatio est, etiam in sublissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* Perfectio autem consistit in Charitate, ex Sententia eiusdem D. August. Serm. 20. de Verbis Apostoli, vbi sic loquitur: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Consultò prætereo alium locum huius Sancti Doctoris ab alijs afferri solitum ex Epist. 106. *Gratia Dei meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici:* quia non ibi loquitur de augmento Charitatis & gratiæ Sanctificantis, sed de progressu ab actu Fidei (per quem ait nos mereri de congruo Fidem) ad ipsam Fidem habitualem, & reliquam iustificationem, vt patebit legenti locum integrum. Similia verò præcedentibus habent Hieronymus in Psal. 83. circa illa verba, *Ascensiones in corde suo disposuit:* & S. Leo Serm. 2. de Quadragesima, cap. 1. & Athanas. in vita S. Antonij, quorum verba referemus inferiùs. Accedit etiam ratio congrua. Quia de ratione viæ est, vt quantò aliquis magis per eam progreditur, tantò magis ad terminum accedat. Via autem, quâ ad Deum tendimus, est Charitas, iuxta illud Apost. 1. Cor. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, &c.* Ergo de ratione Charitatis viæ est vt possit augeri; vt quò magis augetur, eò magis procedamus, & accedamus ad Deum, cui non appropinquamus passibus corporis, sed affectibus mentis. Si enim Charitas non posset augeri, cessaret iam viæ processus. Idem denique constat ex omnibus alibi dictis de augmento gratiæ Sanctificantis, quam non distingui realiter à Charitate probabilius existimamus, alibique probauimus. Hoc igitur vt constanti præsupposito, quatuor sunt difficultates hac sect. & sequentibus examinandæ. Prima, vtrùm Charitas augeatur per additionem graduum? Secunda, vtrùm augeatur per singulos actus? Tertia, an Charitas in via possit semper, & in infinitum augeri? Quarta, an habitus Charitatis sit intensior in patria, quàm in via?

25. Probatur Charitatem habit. augeri.

Confirmatur ratione.

Vide tom. 2. Disp. 44. sect. 16.

Ibid. Disp. 40. Sect. 2.

26. D. Thomæ opinio de intensione Charitatis.

Circa primum, D. Thomas quæst. 24. art. 5. affirmat Charitatem non augeri per additionem Charitatis ad Charitatem: sed augeri secundùm essentiam, per hoc, quòd magis participetur, & magis insit eidem subiecto. Secundum probat, quia accidentis esse est inesse: ergo

ergo quò magis inest & magis participatur, tantò magis dicitur augeri. Primum verò confirmat, quia si Charitas adderetur Charitati, vel esset specie distincta, vel numero. Non potest dici specie distincta: quia si specie distingueretur, deberet habere diuersum obiectum. At Charitas quælibet valet ad omnia, quæ possunt diligi per Charitatem. Non potest etiam differre numero: quia accidentia distinguuntur numero per subiectum. At Charitas prior, & posterior ei superaddita, haberent idem subiectum, nempe eandem voluntatem indiuisibilem: ergo, &c. Simili modo de intensione Charitatis, & cæterarum qualitatum philosophantur Caiet. ibidem, & alij Thomistæ, existimantes Charitatem non intendi siue augeri secundùm se, & secundùm propriam entitatem: sed tantùm quatenus eadem qualitas indiuisibilis magis inest, seu magis inhæret, & magis educitur è potentia subiecti.

27. Rejicitur communiter. Hic tamen modus philosophandi de intensione qualitatum, à multis alijs rejicitur, tanquam minùs probabilis, vt videre est apud Suarem Disp. 46. Metaphys. Sect. 2. Vasq. 1. 2. disp. 82. cap. 3. Hurtad. disp. 5. de Generat. Sect. 4. & Ægid. Coninck disp. 22. de Fide, Spe, & Charitate, dub. 5. num. 31. Nec immeritò: quia experimur qualitatem fieri maiorem & crescere secundùm se, siue secundùm propriam entitatem: ex. gr. maius lumen fieri in aëre, deficiente sensim aurora, & sole magis accedente: maioremque calorem in manu, quò magis calefit: & sic de cæteris. Non fit autem maior secundùm entitatem, si tantùm magis inhæret, inhæsione distincta ab entitate, vt putant aduersarij. Secundò, inhæsio non videtur, neque sentitur, vt patet ex accidentibus Eucharisticis, quæ non possunt sensu discerni ab alijs: neque enim visu, vel vllo alio sensu, discerni queunt species consecratæ à non consecratis. Atqui sentimus euidenter aliquid maius & intensius. Ergo id quod fit maius & intensius, non est tantùm inhæsio, sed aliquid aliud, nimirum entitas ipsa accidentis, quæ sentitur per se. Tertiò, crescente qualitate per intensionem, crescit euidenter vis agendi. Vis autem agendi est entitas ipsa accidentis, & non inhæsio, quâ sublatâ, æquè remanet vis, & æqualiter agit, vt patet ex accidentibus Eucharisticis, quæ æqualiter agunt, siue auulsa à subjecto, siue cum illo coniuncta. Quartò, si qualitates sunt in se indiuisibiles, & tantùm intenduntur quia magis inhærent: ergo auulsæ à subiecto per miraculum, essent æquales inter se: atque ita gratia habitualis Christi, non esset maior gratiâ infantis baptizati: neque lux solis, luce candelæ aut noctilucæ: Quintò, qualitas illa, si est indiuisibilis, quando primùm fit, tota educitur ex subiecto, & tota inhæret. Quomodo ergo potest magis ac magis educi, & inhærere? Quod argumentum multò magis vrget si loquamur de subiecto spiritali, cuius entitas est planè indiuisibilis: cuiusmodi est anima rationalis, eiusque intellectus, & voluntas: ideóque quidquid illi inhæret, toti intimè inhæret. Sextò, vel inhæsio est similiter indiuisibilis: vel ipsa partes habet & gradus intensionis in eodem subiecto. Si secundum: incurrit hæc opinio incommodum, quod vitare intendit: & sine ratione negat ipsi entitati formæ diuisibilitatem, quam tribuit inhæsioni: cùm tamen experientia clariùs ostendat augeri formam, quàm inhæsionem. Si primum: ergo quando intensio continuè & successiuè fit, pereunt continuò innumeræ inhæsiones indiuisibiles, alijs alijs succedentibus: & quando accidens incipit remitti vi agentis contrarij, vt calor vi frigoris, pereunt infinitæ inhæsiones totales & indiuisibiles, aliæ alijs succedentes. Quæro igitur, à quo fiat posterior inhæsio pereunte priori? Non à frigore contrario; quod potiùs vim habet destruendi calorem, quàm dandi illi inhæsionem. Non ab ipso calore: quippe qui vim non habet educendi seipsum ex subiecto, vel dandi sibi inhæsionem. Non à priori inhæsione: quæ non est, quando posterior fit, ideóque non potest illam causare Physicè: quia quod causat Physicè, existit Physicè quando causat. Si igitur inhæsio causat inhæsionem, sunt simul duæ inhæsiones: prior, quæ causat: & posterior, quæ causatur & fit: quod enim fit, est quando fit: quia productio terminatur ad esse rei productæ: & quo instanti est actio, est terminus actionis: cùm actio nihil sit aliud, quàm positio effectus vi causæ, seu causa vt agens & ponens effectum vi sua. At non potest dici ab aduersarijs quòd simul sint duæ inhæsiones. Tum quia supponunt ipsi alias, alijs succedere. Tum etiam quia essent simul duo accidentia in eodem subiecto, numero tantùm diuersa, vt ipsi argumentantur contra diuisibilitatem partium qualitatis in eodem subiecto. Ergo non potest dici quòd posterior inhæsio causetur à priori. Adde, nullo constare indicio quòd inhæsio sit actiua: eséque probabilius illam non distingui realiter aut modaliter ab ipsa entitate accidentis, quod inhæret formaliter & immediatè per seipsum, & non tantùm per entitatem aut modulum distinctum: imò neque per illum potest formaliter inhærere, non magis quàm existere; sed per seipsum, quatenus innititur subiecto, & ex illo educitur secundùm se. His igitur rejectis, non potest alia excogitari causa posterioris inhæsionis, nisi fortasse Deus, qui ne qualitas pereat vno instanti, det illi successiuè inhæsiones innumeras. Sed hoc effugium miserum & gratuitum est. Quid enim refert vt habitus vitiosi v. g. toti simul non pereant? Et si contrarium vim habet destruendi simul totum accidens, vt facit quando illud priuat tota inhæsione, debet potiùs Deus per modum causæ primæ, accommodare se illi exigentiæ agentis contrarij, quàm miraculosè quodammodo impedire ne pereant habitus vitiosi, & dare illis inhæsionem non debitam. Idémque dico de alijs qualitatibus.

Intenduntur qualitates per additionem graduum.

Confirmatur efficaciter.

Propter hæc ergo, & similia, quæ Philosophi fusiùs persequuntur, existimo Charitatem, & alias qualitates, intendi per additionem gradus ad gradum, & multiplicationem partium entitatis in eadem parte subiecti. Hoc enim argumenta facta conuincunt: & alij quorumdam modi Philosophandi, qui apud auctores supra 28. Refutantur aliæ Sententiæ.

citatos videri possunt, non plus habent probabilitatis, quam prædicta Thomistarum opinio, iisdémque argumentis sufficienter refutantur. Nam quod ait Durandus, produci innumeras qualitates indiuisibiles, alias alijs succedentes in intensione successiua: eodem modo refellitur, quo successio inhæsionum indiuisibilium. Quod verò ait Astud illo, augeri existentiam, sed non essentiam & entitatem qualitatis, apertè falsum est: cùm existentia nihil sit aliud, quàm ipsa entitas & essentia actualis, quæ seipsa formaliter & immediatè existit quatenus est extra nihil posita. Quod item ait Ægid. Roman. tolli tantùm impedimentum, vel contrarium qualitatis quæ intenditur; falsum est: quia lumen v. g. caret contrario, neque apparet quodnam eius impedimentum tollatur in cœlo, vel in aëre sereno: & tamen ibi intenditur, vt patet experientiâ. Deinde, quomodo tollitur successiuè impedimentum, aut contrarium; si non est diuisibile? Si autem est diuisibile: quidni etiam forma contraria, quæ dicitur intendi, diuisibilis esse affirmatur, cùm experientia id magis ostendat?

29. Accidentia seipsis formaliter indiuiduantur. Nec obest argumentum allatum in contrarium à Thomistis. Nam accidens non indiuiduatur à subiecto, sed seipso formaliter est hoc, & non aliud: sicut quælibet alia res seipsa formaliter est id quod est, tum specie, tum numero: quia seipsa differt à qualibet alia: & eo ipso quod est hæc, non est vlla alia. Sanè accidentia Eucharistica numero differunt, licet extra subiectum existant. Deinde, gradus illi non sunt simpliciter diuersa numero accidentia: sed sunt partes vnius numero accidentis, ex multis gradibus compositi. Tertiò, experientiâ satis constat diuersa numero accidentia recipi in eodem subiecto, tum successiuè, tum simul. Nam lumen quod hodie producitur in aëre, non est idem quod fuit heri: & cùm multa lucida eiusdem speciei simul videntur, species eorum visibiles simul effunduntur in aëre; sicut & multi soni, quando auditur harmonia ex multis vocibus composita. Quanquam eiusmodi accidentia habent aliquid differentiæ præter purè numericam, vt de gradibus intensionis dicemus paulò post. Quod verò alij objiciunt, Essentiæ sunt sicut numeri, quibus si aliquid addatur, variatur essentia. Ergo variatur essentia qualitatis, si ei additur aliquid, dum intenditur. Quod est contra commune axioma Philosophorum, *Intensio non variat speciem*: Hoc, inquam, debet intelligi de additione, non qualicunque, quasi verò essentiæ rerum consistant planè in indiuisibili, nec vllam partium multiplicationem & additionem pati possunt: alioquin extensio quoque in linea v. g. speciem variaret: sed debet intelligi de additione rei dissimilis, & conceptum dissimilem exigentis. Quæ enim habent conceptum similem, dicuntur habere similem & eandem essentiam: eandem, inquam, identitate rationis, & similitudinis vniuocæ, quamvis re differentem partialiter, aut totaliter. Atque ita quando v. g. Charitas crescit, additur nouus gradus priori, à quo differt quidem realiter, & est diuersa numero essentia partialis, Physicè loquendo: at non Logicè, seu Metaphysicè; quia est similis priori, & similem habet conceptum essentialem, eadémque prædicata essentialia. Vnde non variatur essentia.

Cùm autem quæritur, an huiusmodi gradus sint subordinati inter se ex natura sua, & alij alijs perfectiores? Respondeo cum Suare Disp. 46. Metaphys. Sect. 1. num. 38. Hurtado Disp. 5. de Generat. Sect. 6. Lorca 2. 2. Sect. 3. Disp. 14. in Appendice, Moncæo Disp. 8. cap. 12. Ægid. Conink Disp. 22. dub. 3. num. 34. alijsque multis, probabilius esse tum gradus singulos inter se, tum singulorum graduum partes in quas diuidi possunt, esse subordinatas naturaliter, & alias alijs perfectiores. Primò, quia alioqui non essent propriè gradus perfectionis, nisi vnus alio altiùs ad perfectionem qualitatis ascendat: sicut non sunt gradus materiales in scala, nisi alius alio sit altior. Nec vlla esset ratio cur vnus primus diceretur, potiùs quàm alius, generatim loquendo. Nam si quis dicat primum dici eum, qui primò producitur: contingit aliquando qualitatem intensam totam simul produci, vt lumen v. g. quare tunc nullus est primus potiùs, quàm secundus. Dici etiam nequit illum esse secundum qui perficit priorem. Neuter enim potiùs alium perficit, quàm ad eo perficiatur, si omnes sunt æqualis inter se perfectionis. Secundò, quia difficile est reddere rationem cur formæ omnes capaces extensionis, non sint quoque capaces intensionis ex natura sua, si partes intensionis sunt planè eædem cum partibus extensionis, solùmque differunt quia sunt in eadem parte subiecti. Item, cur octo calida vt vnum, simul applicata eidem passo, non possint producere calorem vt octo (quod tamen est contra experientiam) cùm habeant tantam perfectionem, quanta est in vno calido vt octo, iuxta contrariam sententiam, excepta coniunctione in eodem subiecto, à qua non est vis agendi, sed ab ipsa entitate caloris. Et hoc argumentum magis vrget, si supponamus illa octo calida poni simul penetratiuè: aut calores ab illis abstrahi, & simul poni. In quo modo se habendi incredibile est non posse illos idem facere, quod possunt quando simul existunt in eodem subiecto: cùm inhæsio non det agendi vim: & calores illi positi extra subiectum non minorem vim habeant, quàm si essent in subiecto: quia non minorem habent entitatem, quæ est ipsamet agendi vis. At incredibile etiam est quòd possint ita abstracti efficere quod non poterant antea existentes in subiectis: cùm non habeant vim maiorem, quàm priùs quando inhærebant. 30. Gradus intensionis sunt subordinati.

31. Refellitur cuasio. Nec valet quod respondent aliqui: calidum vt vnum non posse efficere calidum vt duo, quia agens intendit tantùm assimilare sibi passum. Quamvis enim in agentibus saltem vniuocis, natura in agendo intendat aliquid sibi assimilare: falsum est tamen eam præcisè tantùm intendere vt aliquid sibi sit simile. Alioqui producto vno sibi simili, quiesceret ab omni alia actione, & nihil amplius ageret, quasi obtento fine. At è contrario, intendit potius se communicare quantùm potest, siue aliquid

sibi simile producere in quocunque capaci. Quare si subiectum est capax alterius gradus similis ei qui est in agente, intendit quoque illum producere. Non item satisfacit quod alij respondent, operosius esse, ac difficilius educere secundum gradum caloris ex subiecto, in quo est primus, licet non aliunde dissimilis: quia subiectum magis conari debet, illique magis dominandum est ad talem concursum exigendum. Enimvero non apparet quomodo non sufficiat ad vincendam illam difficultatem multiplicatio agentis eiusdem virtutis, nempe adiunctio alterius calidi vt vnum: sicut ex parte materiæ exigitur tantùm alter concursus eiusdem virtutis cum priori, & planè illi similis. Sanè causa causæ respondet, & conatus conatui: neque apparet quomodo magis dominaretur secundus calor, si primo adderetur in eodem subiecto; quàm cùm est in subiecto diuerso, sed tamen æquè applicatur passo. Tertiò, nulla est ratio cur in remissione successiua vnus gradus priùs expellatur, quàm quilibet alius. Nam cùm gradus formæ contrariæ, qui introducitur, æquè repugnet omnibus gradibus formæ intensæ; non est cur potiùs vnum expellat, quàm alium: sicut neque est ratio cur vnus gradus formæ introducatur potiùs, quàm quilibet alius. At verò in sententia nostra ratio facilè redditur; quia cùm gradus posteriores supponant naturaliter priores, non possunt magis sine illis induci, aut consistere, quàm tectum sine fundamento. Cúmque posteriores sint perfectiores prioribus, minùs possunt compati formam sibi oppositam. Vnde fit vt gradus intensi, siue posteriores, præsertim in subiectis quibus non insunt naturaliter, difficiliùs & producantur, & conseruentur; quàm gradus remissi, siue priores; quemadmodum patet experientiâ. Nimirum quia, vt rectè ait Ægid. sup. num. 47. res quælibet extra locum suum, siue subiectum naturale, faciliùs consistit in infimo gradu perfectionis, quàm in summo: quia hic longè faciliùs læditur, quam ille. Inde etiam fit vt primus gradus frigoris non sit incompossibilis cum primo gradu caloris, sed solùm cum octauo: & hunc, non autem alios, expellat: Quia solus octauus gradus constituit calorem in summa sua perfectione naturali; ideóque huic soli quævis forma contraria, quantumvis remissa, repugnat: non autem alijs gradibus: Vnde etiam ille ante alios expellitur.

32. Non proptetea differunt specie. Objicies primò, gradum secundum fore diuersum specie à priori: quia est illi dissimilis, & plus quàm solo numero differens: plus enim differunt, quàm duo calores vt vnum. Respondeo primò, hoc argumentum retorqueri posse in aduersarios. Nam etiam calidum vt vnum, & calidum vt duo, magis differunt inter se, quàm duo calida vt vnum: adeóque plusquam solo numero differunt. Secundò, inter differentiam specificam, & purè numericam, admittendam esse mediam quandam differentiam entitatiuam, quæ est quidem aliqua dissimilitudo, non tamen perfecta, & sufficiens ad diuersitatem essentiæ. Nam vt aliqua specie differant, non sufficit quòd differant perfectione quomodocunque; sed debent habere perfectionem essentialem valde diuersæ rationis, quæque sit principium proprietatum, aut effectuum valde differentium, ex quibus essentiæ diuersitatem colligimus. Quod non conuenit diuersis gradibus eiusdem qualitatis, qui differunt tantùm secundùm magis & minus in eadem ratione perfectionis vniuoca. Sic etiam species visibiles Petri, & Pauli, magis differunt inter se, quàm duæ species Petri. Et sonus acutus, ac sonus grauis, magis differunt, quàm duo acuti: & tamen sunt eiusdem speciei, quia rationem similem habent, & tam parum diuersam, vt non sufficiat ad differentiam specificam.

Objicies secundò, constare experientiâ habitus intendi per actus multò imperfectiores ijs, qui generarunt primas partes intensionis, seu primos illius gradus: ex. gr. confirmari habitum memoriæ repetitione parum attenta, & multò minùs efficaci, quàm fuerit prima cogitatio. At non est probabile quòd actus perfectiores produxerint imperfectas partes habitus, & actus imperfectiores producant partes magis perfectas: sed cùm omnes actus indifferenter habeant vim intendendi habitum, probabilius est omnes partes habitus esse vniformes. Respondeo antecedens negari communiùs à Philosophis: qui ad experientiam in contrarium allatam respondere possunt primò, habitum memoriæ nihil esse aliud, quàm specierum conseruationem. Species autem sunt naturæ fluxæ, ita vt seipsis sensim & facilè desinant, nisi foueantur actibus iteratis, qui licet non sint prioribus intensiores, neque speciem intendant; eam tamen fouent, & impediunt ne effluat, aut reparant si quid effluxerit: atque ita viuam, vegetamque, & facilè obuiam memoriæ faciunt: Adde quòd, vt docet experientia, specierum vigor, & conseruatio iuuatur somno, spiritibusque, & humoribus, qui simili modo frequenter operando excitantur. Vnde secundo respondet Moncæus disp. 8. cap. 8. sæpe quidem accidere vt frequenti exercitatione actuum similium, aut remissiorum eo qui habitum peperit, promptiores videamur ad eosdem actus postea exercendos: sed hoc non fieri eò quòd ab illis auctus fuerit præcedens habitus, sed quia multa per eos remouentur ex parte corporis, quæ reuocare possunt ab exercitio actus, neque potuerunt omnino per primum actum tolli. Vt exemplum habemus manifestum in dispositione corporis quæ ad facilem temperantiæ vsum necessaria est: & in illa complexione posterioris partis cerebri, & spirituum animalium, quæ similiter ad facilem memoriæ vsum plurimùm conducit, nec acquiri subitò potest ob resistentiam contrariæ dispositionis, aliorúmque eiusmodi; licet species, quibus intellectus ad reminiscendum vtitur, statim acquiri possint. Addit Moncæus ibidem, vix fieri posse vt is, qui frequenter exercet actus æquales illis per quos acquisiuit habitum, non prorumpat aliquando in intensiores, quibus reipsa augeatur ille habitus: quamvis hæc intensio maior actus non aduertatur; quia potentia, ob facilitatem iam par-

33. Intendáturne habitus per actus remissos?

tam, faciliùs & minore conatu operatur actum intensiorem.

34. Alius respondendi modus. Alij verò qui admittunt maiorem propositionem huius obiectionis, nempe habitus naturales posse intendi per actus remissiores illis à quibus fuerunt producti (in qua sententia sunt Durandus in 1. dist. 17. quæst. 8. num. 6. Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 3. dub. 4. Valent. tom. 2. quæst. 4. de habitibus, p. 3. & Vasq. 1. 2. disp. 80. cap. 1.) respondere possunt ad minorem propositionem eiusdem argumenti, actus naturales esse causas æquiuocas habituum, quorum quilibet perfectior est essentialiter, tota intensione habitus, licet non quilibet solus totam producat, quia non superat totam difficultatem & resistentiam potentiæ, quæ cùm per vnum actum minuitur, disponitur vt per alium, quamvis æqualem, aut minorem, cum proportione minuatur: ad eum modum, quo priores aquæ guttæ disponunt lapidem vt posterioribus, licet æqualibus, aut minoribus, excauetur magis ac magis, superatâ sensim ipsius duritie. Quòd si potentia circa aliquid caret difficultate, & resistentiâ, circa quod tamen habitum acquirat, vt ad gulam, & voluptates, ad quas natura corrupta per se potiùs inclinat: habet nihilominus quoddam veluti pondus, quod magis ac magis actibus iteratis impellitur eò, quò vergit: vt paries ad ruinam inclinans, ictibus iteratis, licet æqualibus, tandem penitùs corruit. Scio aduersus hunc postremum respondendi modum multa solere obijci: sed in re purè Philosophicâ nolo diutius immorari, & importunè à proposito longiùs digredi: præsertim cum argumento proposito, quantum ad rem nostram facit, possit aliter satisfieri. De illis autem videri poterit Moncæus disp. illa 8. cap. 8. vbi alia quædam addit notatu digna de habitibus naturalibus, & eorum comparatione cum actibus.

35. Actus meritorij remissi quomodo augêt gratiam? Objicies tertiò, gratiam intendi quolibet actu meritorio. Sed actus meritorij sunt indifferenter perfectiores, aut imperfectiores, ita vt frequenter posterior non attingat perfectionem præcedentis. Ergo intenditur etiam per actus remissiores. Quomodo ergo præcedentibus actibus tributa fuit gratia imperfecta, & subsequentibus gradus perfectior? Et quamvis isti actus non producant Physicè gratiam, sed obtineant meritoriè: tamen æquè absurdum est perfectis tribui meritum imperfectum, & perfectum imperfectis: causâmque imperfectam producere effectum perfectiorem, & perfectam imperfectiorem. Huic argumento respondebitur Sect. seq. num. 45. & Sect. 6. num. 47. & 49.

36. Soluuntur aliæ obiectiones. Objicitur quartò, intensionem qualitatum posse explicari sine tali graduum differentia. Ergo frustra inducitur, & sine sufficienti fundamento, contra veterem, & communiorem sententiam. Antecedens probatur, quia simpliciter potest augeri qualitas, & crescere in eadem parte subiecti, tum in actiuitate sua, tum in specie & apparentia, ex coniunctione multorum graduum similium. Quemadmodum virtus motiua duorum hominum est maior, quàm vnius; licet vna non sit alterâ perfectior, sed vtraque æqualis. Quare non est necesse propter apparentiam augmenti intensiui formarum, existimare gradum superuenientem superare priorem perfectione. Objici etiam potest sequi ex nostra opinione intensionem fieri per gradus indiuisibiles. Quia sicut gradus singuli differunt inter se perfectione entitatiua: ita & singulæ partes quomodocunque diuisibiles eiusdem gradus differunt inter se: neque est possibile dari duas non entitatiuè inæquales, & quarum vna non aliam præsupponat naturaliter, quò magis accedit ad perfectionem intensiuam qualitatis.

Sed posterior hæc obiectio fieri æquè potest in aduersariorum sententia contra intensionem vniformiter difformem; & contra productionem successiuam qualitatum, quæ secundùm nullam sui partem æquè primò producuntur, ideóque videntur produci, & intendi per partes indiuisibiles; & contra motum localem successiuum, in quo nulla pars diuisibilis spatij æquè primò acquiritur ideóque videtur fieri per indiuisibilia. Ad priorem verò obiectionem. Respondeo, liquere ex suprà dictis antecedens non esse adeo probabile. Ad cuius confirmationem dico, virtutem motiuam duorum hominum esse maiorem quidem extensiuè, per multiplicationem agentium: sicut & virtutem calefactiuam duorum ignium, quamvis summè intensorum: & posse fortiùs, ac faciliùs, atque ad maiorem distantiam operari, vel contra maiorem resistentiam. Sed hoc non sufficit ad saluandum, & declarandum quidquid apparet in intensione, in qua virtus non ea tantùm ratione crescit, verùm qualitas ipsa in se maior apparet. Magna enim cernitur differentia inter octo lucernas simul iunctas, & lucem vnam valde intensam, vt lucem Solis. v. g. aut inter octo alba remissa, & vnum intensissimum. Neque præstant illæ qualitates remissæ simul applicatæ, quod præstare potest vnica intensa, vt in secundo argumento contra aduersam opinionem ostendimus.

SECTIO V.

An per singulos actus Charitatis augeatur habitus, & quomodo?

Dico primò, quemlibet actum Charitatis, productum ab habitu, mereri ipsius augmentum. Probatur ex D. Thoma quæst. 24. art. 6. ad 1. vbi ait quemlibet actum Charitatis mereri Charitatis augmentum. Quod non est intelligendum de actibus præcedentibus primam infusionem habitus, qui meritorij propriè non sunt, cùm non fiant à viuo Christi membro: neque simpliciter illum augent, sed primò producunt per modum sufficientis dispositionis; licet eum non producant in indiuisibili, sed in aliquo gradu diuisibili, vno, aut multiplici, eò maiore, quò actus melior est, duratione, intensione, extensione, appretiatione, & similibus modis paulò post explicandis: atque ita eatenus aliquo modo augeant, quatenus successiuè vel instantaneè plus pro- 37. Augetur per quẽlibet actũ ab habitu productum.

ducunt Charitatis, quàm ſimpliciter produci poſſet.

Probatur ſecundò ex Trident. Seſſ. 6. cap. 16. & can. 32. Nam Canone illo definit, iuſtificatum, bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum eſt membrum, fiunt, mereri augmentum gratiæ, & gloriæ. Capite verò 16. ad merendum requirit tantùm vt opera bona fiant in Deo, ab homine iuſtificato, & viuo Chriſti membro: quod conuenit omnibus actibus procedentibus ab habitu Charitatis iam exiſtente in ſubiecto iuſtificato. Porrò Concilium, quamvis notam vniuerſalem non apponat; loquitur tamen doctrinaliter & vniuerſaliter de omnibus huiuſmodi operibus, ſicut & de omni iuſtificato: alioquin eius doctrina eſſet incerta & dubia, atque huic aut illi ad libitum applicari poſſet.

38. Probatur ex Scriptura. Probatur tertiò ex Scriptura. Chriſtus enim Matth. 10. ver. vlt. minimis etiam Charitatis operibus, cuiuſmodi eſt dare calicem aquæ frigidæ in ipſius conſiderationem, mercedem promittit, cùm ſic ait: *Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Vbi nota particulam excluſiuam, *tantùm*: quaſi dicat, non requiri aliam circunſtantiam ex parte actus. Quod Concilium Trident. rectè ponderauit cap. 16. Seſſ. 6. dicens, *In ſacrâ Scripturâ vſque adeo tribui bonis operibus, vt etiam qui vni ex minimis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſuâ mercedæ cariturum.* Quæ particulæ, *vſque adeò*, &, *vt etiam, &c.* oſtendunt paruitatem operis, & liberalitatem atque amplitudinem promiſſionis. Quare contra intentionem Chriſti, & Concilij mentem, loquuntur illi, qui dicunt requiri magnam quandam intenſionem affectus interni: ita vt non mereamur niſi per actus intenſiores habitu gratiæ præexiſtentis, vel actibus Charitatis antè elicitis. Quod ſi ita eſſet, Deus non adeo liberalis præmiator, ſed valde ſeuerus exactor eſſet: Et ſequeretur iuſtos operantes totâ vitâ in minori aut æquali intenſione cum habitu vel actu intenſo & feruenti, habito ab initio, nihil vnquam mereri. Certè quidem mirum eſſet Tridentinum illius conditionis tam neceſſariæ nunquam meminiſſe, de qua tamen nos admonere fuiſſet valde vtile, & prudenter neceſſarium: ſed abſolutè de bonis iuſtorum operibus in Deo factis loqui, & ad illa ſolùm hortari, dum ad merendum hortatur: imò, quod amplius eſt, dixiſſe nihil aliud ad merendum requiri, quàm tria illa, quæ paulò antea ex eodem Concilio commemoraui. Neque dici poteſt Chriſtum loco citato non loqui de mercede gratiæ, & gloriæ. Nam contrarium patet ex verbis præcedentibus, aliiſque Scripturæ locis, vbi mercedis nomine intelligi ſolet vita æterna, & gloria eſſentialis, cui gratia reſpondet: quemadmodum rectè oſtendit Moncæus diſp. 8. cap. 9. & confirmat Trident. verbis ſuprà relatis ex Seſſ. 6. cap. 16.

39. Confirmatur auctoritate Patrum. Quartò denique, idem etiam docent SS. Patres, quorum aliquot illuſtriora teſtimonia refert Monc. cap. 10. diſput. citatæ. Cuiuſmodi eſt illud Ambroſij in fine Prologi libri 2. de Spiritu ſancto, vbi hæc Chriſti verba Matth. 10. & Luc. 12. *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, explicans allegoricè de bonis iuſtorum operibus, ſic ait: *Quid mihi prodeſt ſi Deus ipſe omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat, & proficit, ſi bonorum operum peruigil teſtis remunerationem gloriæ docet æternæ*: Nimirum ſi docet illam eſſe promiſſam etiam minimis operibus bonis, per capillos ſignificatis, qui minimum aliquid in homine ſunt: vnde Chriſtus ad exaggerandam Dei prouidentiam circa nos, affirmat tantam eſſe, vt ne capillos quidem capitis noſtri prætermittat, ſed omnium ſingillatim curam habeat.

Dico ſecundò, probabilius eſſe augmentum illud dari ad quemlibet huiuſmodi actum, & non tantùm ad actus intenſiores, vel in fine vitæ. Probatur, quia Trident. Seſſ. 6. can. 24. definit iuſtitiam acceptam conſeruari, atque etiam augeri coram Deo, per bona opera: Intelligit autem augeri, æquè ac conſeruari, in ſtatu vitæ præſentis: nam in ipſo fine vitæ non ampliùs conſeruatur per opera. Et cap. 10. ſic habet: *Iuſtificati, per obſeruationem mandatorum Dei, & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari.* Hæc Trident. Ex quibus ſic argumentor: Augmentum gratiæ, ſeu iuſtitiæ ſupernaturalis, conſiſtentis præcipuè in Charitate habituali, fit hac in vita: quandoquidem iuſtificati creſcunt in accepta iuſtitia, atque magis iuſtificantur, euntéſque de virtute in virtutem, renouantur, id eſt creſcunt de die in diem, vt ait Trident. cap. proximè citato. Atqui quilibet actus Charitatis hominis iuſtificati meretur augmentum iuſtitiæ, vt probaui in prima concluſione. Ergo illud augmentum fit per quoſlibet tales actus. 40. Augmentum datur ad quelibet actum, etiam remiſſum. Probatur ex Tridentino.

Confirmatur, quia Trident. Seſſ. 6. cap. 10. affirmat iuſtificatum creſcere in iuſtitia accepta, per obſeruationem mandatorum Dei: nempe eo ipſo quòd plenè obſeruat Dei mandata: quorum vnum, & primum, maximumque eſt diligendi Deum ſuper omnia: quod facere poteſt ſine actu intenſiore præcedentibus: & neque ibi, neque alijs locis ſuprà citatis, vbicumque loquitur Tridentinum de merito augmenti gratiæ, ſignificat requiri ad conſequendum augmentum gratiæ, actum intenſiorem actibus præcedentibus, aut habitu præexiſtente. Capite verò 16. eiuſdem Seſſ. affirmat, bonis iuſtorum operibus, habentibus eas conditiones quas ibi enumerat, nulla facta mentione intenſionis, nihil deeſſe quo minùs diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur. Vbi nota Concilium apponere quidem conditionem ad conſequendam re ipſa vitam æternam, *ſi tamen, &c.* nullam verò apponere ad conſequendum augmentum gratiæ, quod augmentum nos mereri per ea- Confirmatur ex eodem.

dem opera definit cap. 10. & can. 32. eiusdem Sessionis.

41. Refutantur effugia. Confirmatur secundò, refutando varia aduersariorum effugia, quibus relatam Tridentini definitionem, & argumentum ex illa desumptum, eludere conantur. Primò enim, dici nequit iustificatum crescere operibus remissis dispositiuè tantùm, id est, disponi ad maiorem iustitiam consequendam quando intensiùs operabitur. Hoc enim verè non est crescere, & magis iustificari, vt loquitur Tridentin. sed tantùm esse in via ad maiorem iustificationem, nunquam tamen consequendam, si nunquam intensiùs operetur. Secundò, dici etiam nequit iustum operibus remissis crescere quatenus nouo titulo meretur gratiam aliunde habitam, licet eam non augeat Physicè. Id enim non est verè & realiter crescere in iustitia accepta, & ire de virtute in virtutem, ac renouari de die in diem, vt Trident. affirmat cap. cit. additque incrementum illud peti à sancta Ecclesia, cùm sic orat, *Da nobis Domine Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Ecclesia autem petit verum & reale augmentum, & non tantùm quòd nouo titulo conferantur, vel conseruentur huiusmodi virtutes. Adde quòd, si ita liceat Concilium interpretari, ex nullo eius loco constare poterit gratiam Physicè & realiter augeri. Simili enim modo responderi poterit augeri per actus intensiores, solùm quatenus alio & nobiliori titulo confertur: & Sacramenta augere gratiam nouo titulo tantùm: & inæqualitatem inter iustos & beatos, esse tantùm quoad titulos: quod perabsurdum est.

42. Nulla est ratio cur augmentum differatur. Tertio, dici præterea nequit, mereri quidem actus remissiores augmentum reale; sed tamen illud tunc non dari; sed post, vel in fine vitæ, vel quando exercebuntur actus intensiores. Etenim nulla huius dilationis ratio reddi potest: cùm neque Trident. locis citatis, neque vlla alia traditio diuina significauerit hanc conditionem requiri ad consequendum augmentum Charitatis. Contrà verò, Trident. Sess. 6. can. 32. affirmat iustificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem. Ex quo sic argumentor: Concilium nullam apponit conditionem augmento gratiæ respectu meriti, sicut apponit consecutioni vitæ æternæ. Ergo temerè ponitur ab aduersarijs, & contra mentem Concilij, quod non minùs vni, quàm alteri apposuisset, si esset necessaria. Secundò, omnis promissio humana, facta sub conditione, de re aliqua danda, posito aliquo opere, censetur transire in absolutam, & obligare ad dandum statim, nisi vel ex materia ipsa seu natura rei promissæ, vel aliunde constet promissionem factam esse pro alio tempore, aut dilationem mercedis magis expedire. Ergo idem censendum est de promissione diuina, facta sub simili conditione: Deus enim hominibus humano modo loquitur, præsertim in promissionibus, alijsve contractibus. Atqui Deus promittit bonis operibus iustorum, factis in Charitate, augmentum gratiæ, ex Trident. can. cit. & cap. 16. Sess. 6. Neque constat ex vllo capite id promitti pro alio tempore vel statu, aut dilationem magis expedire. Ergo, &c.

Promissio Dei exigit vt statim detur.

Confirmatur exemplo, & ratione. Confirmatur exemplo contritionis, quæ statim iustificat peccatorem: & exemplo Sacramentorum, quæ statim gratiam infundunt, quia iustificatio, & gratiæ infusio, contritioni, & dignæ susceptioni Sacramentorum promissa fuit: idémque est de alijs promissionibus similibus. Ratio eiusdem rei est, quia quando ad mercedem recipiendam non alia ponitur conditio, quàm executio operis: tunc ipsa operis appositio est designatio temporis, pro quo merces reddenda est, ita vt pro illo tempore intelligatur facta esse promissio. Cùm ergo Deus promittat iustis augmentum gratiæ, apposità solùm conditione operis meritorij; debet censeri promittere pro illo ipso tempore, quo exhibetur opus meritorium; ita vt statim, eo posito, reddatur merces: quia tale augmentum de se non postulat dilationem: neque aliunde est ratio differendi: sed potiùs magna est ratio statim conferendi, quia valde conuenit statui huius vitæ, & conditioni merentis, cui plurimùm expedit vt per tale augmentum Deo gratior fiat, possitque per principium intrinsecum elicere actus intensiores, & magis Deo gratos, regatúrque à Deo magis speciali prouidentia, tanquam magis dilectus, & præstantioribus atque frequentioribus iuuetur gratiæ auxilijs. Certè Deus, qui Leuit. 19. præceperat ne merces operarij differretur vsque ad manè sequentis diei, multò promptior est, quàm nos esse velit. Cùm igitur, posito merito, ponatur ex parte nostra quidquid ad mercedem augmenti necessarium est, & nos statim eam habere possimus, idque nobis vtilissimum sit; malè asseritur non dari donec intensiùs operemur.

43. Altera ratio efficax. Præterea, quando intensiùs operamur; vel datur solummodo augmentum pro excessu intensionis, vt Bannes & alij quidam opinantur: & sic non plus datur, quàm si opera remissa non præcessissent, adeóque hæc non augent gratiam: cuius tamen contrarium suprà ostendimus ex Tridentino. Vel si datur aliquid amplius respondens meritis præcedentibus: vnde habetur illa necessaria dependentia, vel connexio inter id quod respondet excessui intensionis, & id quod respondet meritis prioribus, ita vt vnum sine alio dari nequiuerit? Denique ratio congrua diuinæ ordinationis est, quia valde conuenit vt merces respondeat operi Charitatis, ratione suæ dignitatis substantialis, & difficultatis, aut impensæ hominis liberè operantis: ideo enim quis mercede dignus est, quia bene & laudabiliter operatur, séque in obsequium alterius impendit, vt de illo bene mereatur. Opus autem supernaturale non est minùs excellens & laboriosum, siue præcesserint actus tantùm remissiores, siue non: aut siue habitus supernaturalis præexistat intensior, siue remissior: de quo puto parem esse rationem, ac de ipso actu: cùm Tridentinum loco suprà cit. non magis ad merendum requirat

hanc conditionem vt actus sit intensior habitu iam infuso & præexistente, quàm vt sit intensior actibus præcedentibus. Denique parum credibile, & minùs rationi consentaneum est, actum intensum vt quatuor mereri quidem augmentum gratiæ in eo, qui priùs habuerit actus vel habitum dumtaxat intensos vt duo: actum verò intensum vt septem nullum mereri augmentum in eo, qui priùs actum intensum vt octo exercuerit, vel qui habitum tantæ intensionis habet; quamvis actus iste sit multò nobilior alio, & plus laboret operans in eo exercendo. Durum etiam est, & incredibile, iustum exercentem mille & mille actus meritorios eiusdem intensionis, non plus mereri, quàm si vnum tantùm exercuisset. Consentiunt Gabriel, Maior, Almain. & alij veteres, quos refert & sequitur Suares lib. 9. de Gratia cap. 3. num. 14. Vasq. 1. 2. disp. 220. cap. 5. Moncæus disp. 8. cap. 9. & sequent. alijque plures recentiores.

44. Refellitur prima opinio cõtraria.

Contrarium verò sentit Durand. in 1. dist. 17. quæst. 8. affirmans habitum Charitatis non intendi per actus ipso remissiores. Fundamentum eius est, quia ille solus est dignus maioribus accipiendis, qui bene vtitur iam acceptis. Sed habens habitum iam intensum, & remissè operans, non vtitur debito modo, suo habitu: quia actus non proportionatur intensioni habitus. Ergo per tales actus non meremur augmentum Charitatis; sed solùm per illos, qui excedunt, vel adæquant ipsum habitum. Respondeo minorem non esse veram. Vsus enim remissus formæ bonus est, licet melior sit intensus. Et quilibet actus Charitatis est per se bonus & laudabilis: neque fit malus per accidens, ex eo quòd non sit formæ adæquatus: quia nemo tenetur vti adæquatè tota sua vi, præsertim in quolibet actu; aut summo conatu semper operari.

45. Altera opinio cõtraria.

Contrarium etiam sentit Valentia disp. 3. quæst. 2. p. 3. assert. 8. & 9. vbi fatetur quidem quemlibet actum Charitatis mereri ipsius augmentum: sed negat illud dari, nisi vel actus sit intensior quàm habitus præcedens, vel sit post plures alios actus, per quos potentia sit sufficienter exercita ad recipiendum augmentum. Ratio eius est, quia Deus in augendis habitibus supernaturalibus se habet proportionaliter, quemadmodum se habet, velut causa prima, in augendis habitibus naturalibus. Sed habitus naturales non augentur per actus nisi modo prædicto: ergo, &c. Minor supponitur ex vera Philosophia. Maior autem probatur, quia Philosophandum est de supernaturalibus cum proportione ad naturalia.

Satisfit eius argum.

Respondeo, quidquid sit de minori, Deum per modum causæ primæ se habere in producendis & augendis habitibus naturalibus, secundùm exigentiam naturalem actuum à quibus generantur: cui exigentiæ Deus se accommodat: In producendis autem vel augendis habitibus supernaturalibus, Deum sequi moralem exigentiam actuum supernaturalium, quorum intuitu, veluti simplicis dispositionis moralis, aut meriti, infundit habitus supernaturales. Si autem quilibet actus Charitatis mereretur ipsius augmentum, vt fatetur Valentia: exigit illud augmentum quod meretur: & consequenter statim illud obtinet, cùm sit conueniens præsenti statui, & statim dari possit, nulláque sit ratio differendi, ac Deus mercedem, quæ statim dari potest, non differat sine necessitate. Sanè Trident. affirmans iustificatum crescere in gratia & Charitate per obseruationem mandatorum Dei, non apponit has conditiones, *quando potentia est sufficienter exercita*, vel, *quando exercet actus intensiores*, quæ addi non debent ob tam leue fundamentum, ad seruandam proportionem inter habitus naturales, & supernaturales, quorum producendorum longè diuersa est ratio; cùm illi Physicè producantur ab actibus ex natura rei: isti tantùm moraliter ex aliqua congruitate, vel ex merito pendente à libera Dei institutione, quæ conuenienter potuit esse qualem esse re ipsa ex Trident. deducimus. In forma itaque, distinguo maiorem. Vel enim habitus naturales augentur etiam per actus remissiores præcedentibus, vt multi sentiunt: & ita minor est neganda. Vel, si iuxta aliorum sententiam minor conceditur; neganda est maior. Ad cuius confirmationem dico philosophandum esse de supernaturalibus per analogiam ad naturalia, in illis, in quibus non est manifestum discrimen, vel certa auctoritas, aut ratio cogens aliter Philosophari. Cuiusmodi est circa modum quo habitus supernaturales, & naturales producuntur, aut intenduntur per actus: Illi, moraliter tantùm & meritoriè: isti, Physicè. Adeóque licet habitus naturales non possint intendi nisi per actus intensiores, quia æquales, aut remissiores non habent vim Physicam maiorem præcedentibus: non sequitur quòd actus supernaturales non possint moraliter augere habitum supernaturalem, merendo aliquid propter laborem bene operandi.

SECTIO VI.

Refutatur alia sententia contraria.

Contradicit etiam præcedenti doctrinæ Dominic. Bannes quæst. 24. art. 6. dub. 1. vbi contendit habitum Charitatis non augeri vllo modo, nec vllo tempore, nisi per actus ipso intensiores. Primò, quia alioqui fieret augmentum incredibile, si per actum quemlibet remissum intenderetur. Secundò, non esset proportio inter habitum, & actus qui exercentur post primam infusionem; sed habitus semper esset intensior actu, quia semper cresceret supra ipsius mensuram. Tertiò, non foret etiam proportio inter actus, & habitum huius viæ, & inter lumen gloriæ in patria: quia cùm actus, & habitus huius viæ non sint inter se proportionati quoad intensionem; non possunt vni tertio proportionari quoad illam, nempe lumini gloriæ. Quartò, non esset proportio inter augmentum respondens actui meritorio instantaneo, & augmentum respondens actui meritorio continuato: sicut non est

46. Tertia sententia cõtraria.

proportio inter instans, & tempus. Ac si merito instantaneo respondet augmentum certæ & determinatæ quantitatis, eidem continuato respondere debebit augmentum infinitum, ratione instantium infinitorum, quibus continuatur, & æquiualet infinitis actibus momentaneis ad singula instantia exercitis. Quintò, sententia nostra inducit teporem bene operandi. Et ex ea sequeretur hominem remissè operantem longo tempore, posse plus gratiæ & sanctitatis consequi, quàm alium breui, actus licet excellentissimos, vt martyrij v. g. exercentem. Atque ita breuitas temporis non posset diligentiâ & feruore compensari: quod est contra Scripturam, & à ratione alienum.

47. Non propterea fit augmentum incredibile. Ad primum respondeo non fieri augmentum incredibile; quia per singulos actus remissos non multum acquiritur, neque per illos valde intenditur habitus præcedens. Seruatur enim proportio moralis inter augmentum quod fit per modum mercedis, & inter actum, per modum meriti: ita vt non plus detur, quàm ipse mereatur. Ad secundum respondeo, frustra requiri proportionem Physicam inter actus, & habitus supernaturales, inter quos non est causalitas Physica, sed moralis dumtaxat, dispositiua, vel meritoria. Et quidem licet habitus sit intensior actu remisso, de quo est quæstio, ratione causarum præcedentium, à quibus ille fuit productus: seruatur tamen proportio moralis inter id quod illi additur per modum mercedis respondentis actui remisso,& inter actum ipsum meritorium talis augmenti. Ad tertium dico, fore proportionem inter lumen gloriæ,& statum iustitiæ huius vitæ: ita vt quisque tantum gloriæ sit habiturus, quantum habuit gratiæ. Gloria verò illa tanta erit, sicut & gratia, quanti sunt tituli quibus adæquatè respondet; qui non sunt dumtaxat actus meritorij; sed etiam Sacramenta, & dispositiones sufficientes ex opere operantis.

Neque infinitũ. Ad quartum respondeo primò, retorqueri posse contra Bannem, qui fatetur augeri habitum per actus intensiores. Nam actus intensior habitu, potest continuè magis ac magis intendi supra excessum habitus: non minùs quàm potest intendi continuè calefactio. Et tunc continuè augeretur pariter habitus Charitatis. Respondeo secundò, augmentum continuatione actus acquisitum non esse exigendum secundùm proportionem Physicam inter instans, & tempus, quæ nulla est, iuxta opinionem componentem continuum ex semper diuisibilibus: sed secundùm proportionem moralem, ita vt continuationi respondeat etiam aliquid retributionis, pro ratione maioris laboris & impensæ, ac bonitatis extensiuæ: quam rationem, & proportionem Deus optimè nouit, licet nos eam determinare nequeamus. Sicut autem vnus actus continuatus breui tempore, non æquiualet moraliter infinitis instantaneis, in quibus exercendis multò plus esset laboris: ita neque tantum meretur retributionis. Nam libertas, & determinatio voluntatis, multò magis, & longè difficiliùs exerceretur in eliciendis tot actibus: longéque aliud est elicere nouos & nouos actus, etiam remissos: quàm persistere aliquo tempore in eodem actu. Quia in priori casu fit noua & distincta substantia actus, vincendo nouam difficultatem, seque iterum per nouam determinationem applicando ad bene operandum. In priori autem casu continuatur solùm idem actus & eadem determinatio voluntatis: quod sine tam magna, &, vt puto, pro perexiguo tempore sine vlla difficultate fit. Porro valde durum est, & incredibile, eum qui longo tempore exercet continuò actum amoris Dei, non plus mereri, cæteris paribus, quàm si amaret tantùm vnico instanti. Plura de hac difficultate diximus disp. 44. de Gratia Sect. 14. quæ nolumus hoc loco repetere.

Ad quintum respondeo sententiam nostram magis excitare vniuersaliter, & extensiuè studium bene operandi. Feruor autem satis ex eo excitatur, quòd asserimus tantum dari mercedis operibus intensioribus, imo etiam plus, quàm illis tribuant aduersarij (quorum aliqui, & inter eos Bannes ipse, vt videbimus paulò pòst, volunt augere tantùm secundùm excessum intensionis, & non secundùm totam latitudinem actus) quódque asserimus multò plus nos per illos mereri, quàm per actus remissos: nec vnquam posse compensari iacturam magni illius augmenti, quod acquireretur, si loco actuum remissorum ponerentur intensi. Quamuis autem nobis ignotum sit quid præcisè, & quantum respondeat multitudini actuum remissorum, & actibus excellentibus & heroïcis, vt martyrio, tam ratione dignitatis, quàm specialis priuilegij: non videtur tamen inconueniens dari posse tantam multitudinem actuum remissorum, vt adæquent, vel excedant meritum vnius actus, vel paucorum excellentissimorum, adeóque ipsius martyrij. Licet enim plus valeat vnus actus intensus, quàm multi remissi, tametsi in illis, simul sumptis, tot sint, vel plures gradus, quàm in actu intenso: quia scilicet difficilius est operari simul vnum actum perfectum, quàm paulatim & successiuè plures remissos: atque ita possit quis magnâ diligentiâ, & feruore eximio defectum longioris temporis compensare, iuxta illud Sapient. 4. *Consummatus in breui, expleuit tempora multa:* tamen etiam vice versa, potest feruor eximius vnius actus, aut paucorum, & breuis temporis, compensare maximam multitudinem actuum remissorum, & longissimo tempore. Hæc enim duo reciproca sunt: & sicut potest primum secundo adæquari: potest similiter secundum primo. Sicut, inquam, potest vnius actus intensio adæquare, vel superare multitudinem plurium actuum remissorum: sic multitudo actuum remissorum tanta esse potest, vt adæquet, aut superet intensionem vnius actus excellentissimi. 48. Non nocet feruori bene operandi.

Idem auctor dub. 4. ad art. cit. putat habitum Charitatis augeri tantùm secundùm excessum graduum actus supra se, non autem secundùm totam latitudinem actus: ita vt solus excessus actus mereatur propriè & obtineat augmentum reale habitus. Verùm ex dictis satis liquet actus tum intensiores, tum alios, mereri augmentum secundùm totam latitudi- 49. Actus meretur secũdùm totam suam latitudinẽ.

nem suam & bonitatem moralem, quæ tota est digna mercede. Ita vt omnes, & singulæ illius partes, vel gradus concurrant ad tale præmium, quod tantum non esset, si aliqua pars aut gradus illi actui deesset: quia non esset æqualis labor, & æquale opus meritorium. Quemadmodum quando calor intensus producit alium calorem, omnes & singulæ illius partes & gradus concurrunt ad illam effectionem, quæ alioqui non tanta esset, vel non tam citò & tam facilè fieret. Quare non est intelligendum quòd singuli gradus actus producant singulos gradus habitus. Ac neque etiam, quòd producantur tot gradus habitus, quot sunt in actu. Hoc enim non est necessarium, neque probabile. Imò neque in primis gradibus actus, & habitus, constat hanc proportionem æqualitatis Physicæ seruari inter res specie diuersas; & à diuina ordinatione pendentes: sed ita, vt augmentum, qualecunque illud sit, detur secundùm mensuram totius actus, & propter omnes illius gradus, iuxta moralem proportionem laboris ad mercedem, quam Deus nouit: & non solùm iuxta mensuram excessus, & propter solos gradus intensiores. Qua de re plura videri possunt apud Suarem in Opusc. disp. 2. de reuiuiscentia meritorium, Sect. 3. num. 43. & 44. & Ægid. Coninck disp. 22. de Charitate, dub. 4. vbi post Malderum, & alios quosdam, rectè docet multò probabilius esse elicientem actum Charitatis, nunquam pro eo recipere tot gradus gratiæ habitualis, quot ipse actus habet. Primò, quia tunc solùm dicitur augeri habitus secundùm proportionem Physicam actuum, quando actus respondent habitui in perfectione. At nostri actus Charitatis, propter imperfectionem præsentis status, semper hîc à nobis eliciuntur longè imperfectiores, quàm perfectio ipsius habitus requirat, etiam in eo casu, quo actus elicitur tam intensus, quàm sit ipse habitus: nam actus Charitatis in patria, procedens ab eodem habitu, præuia visione beatifica, erit longè perfectior substantialiter, quam quilibet actus viæ procedens ex cognitione Fidei. Secundò, quia vel talis eliciens actum Charitatis, nunc primò iustificatur, vel iam erat aut fuit antea iustus. Si primum: ergo eius actus non est tantæ dignitatis, atque esset si procederet ab homine iusto, & Filio Dei adoptiuo, qui status ad meriti dignitatem plurimum facit. Ergo ille actus non est dignus tot gradibus, quot in eo casu dignus esset. Atqui si esset ab homine iusto, non acquireret ad summum nisi gradus sibi pares, vt fatentur omnes: nemo enim affirmat actum meritorium dare plures gradus habitus, quàm ipse habeat: ergo, &c. Si secundum: ergo cùm gradus, qui acquiruntur vi talis actus meritorij, intendant habitum Charitatis iam antè acceptum: & gradus intensionis sint entitatiuè perfectiores, ita vt secundus sit perfectior primo, & secundo tertius, & sic deinceps, vt ostendimus Sect. 4. sequitur gradus augmenti addendos habitui Charitatis, iam præexistenti, esse perfectiores totidem gradibus actus meritorij. Ergo isti non habent proportionem æqualitatis Physicæ cum totidem gradibus superioribus formæ intendendæ. Actus enim v.g. intensus vt sex, non habet sex gradus æquales in perfectione sex alijs gradibus habitus Charitatis præsupponentibus vnum aut plures priores, quos intendant: sed ad summum habet tantùm proportionem (si tamen habet) cum sex primis gradibus habitus, & non cum alijs vlterioribus & perfectioribus. Quare non potest addere sex alios gradus Charitati præexistenti.

Nunquã meretur totidem gradus habitus.

Hinc etiam fit, vt quò aliquis habet intensiorem habitum; eò, cæteris paribus, minus augmenti acquirat. Quia gradus, quò sunt superiores & perfectiores, minus habent proportionis cum actibus aliunde æqualibus, & secundùm aliquid minus respondent illis proportione morali. Ita vt actus intensus vt quatuor v.g. non tantùm Physicè acquirat augmenti in habente Charitatem vt octo, quàm in habente tantùm vt quatuor: quia id quod addendum est octo gradibus, perfectius est in minori entitate Physica, quàm id quod quatuor gradibus addi debet. Nec obest quòd actus habentis maiorem gratiam, est eò gratior & dignior ex parte subiecti, magisque meritorius. Licet enim meritum inde aliquantùm crescat: non tamen eo excessu, quo gradus gratiæ superiores excedunt inferiores. Quare iustus habens gratiam vt octo, merebitur quidem per actum vt sex, plus quàm alius habens habitum vt quatuor: sed nihilominus non tantum addet augmenti Physici octo gradibus, quàm alius quatuor præexistentibus.

Habitus intensus minus augetur cæteris paribus.

50. Superest quærere, vtrum habitus Charitatis augeatur non tantùm per actus ipsius Charitatis, sed etiam per actus aliarum virtutum, siue imperatos à Charitate, siue non? Respondeo non esse huius loci, sed pertinere ad tract. de merito, definire an illi actus sint etiam meritorij de condigno. Tantùm dico in præsenti, habitum Charitatis augeri etiam per singulos alios actus, si qui alij meritorij sint; cuiusmodi certò esse puto actus hominis iusti imperatos à Charitate erga Deum, propter ea quæ diximus in tract. de Gratia, disput. 44. Sect. 12. num. 100. Tribus autem modis possunt actus imperati esse Charitatis. Primò, quatenus imperantur per actum Charitatis applicantis principium ad eos exercendos, ita tamen vt dum exercentur, vel continuantur, actus ille Charitatis maneat in illis virtualiter, simili modo, quo intentio actualis sacrificandi v.g. manet virtualiter in Sacerdote, qui ex illa se disponit continuò ad celebrandum, & præstat ea, quæ ad sacrificium peragendum necessaria sunt. Secundò, quatenus per actum Charitatis non longè antea præcedentem fuerunt voliti, & ad Deum relati, quamvis ille actus non fuerit moraliter continuatus in alijs, qui continua successione, & concatenatione, vnus ab alio, virtute illius primi actus, sequuti sint. Vt cùm aliquis manè offert Deo per actum Charitatis quidquid boni agendum tota die susceperit, & actum illum subinde renouat, ita vt semper sit moraliter præsens, id est, non multo tempore distans, dum alij exercentur. Tertiò, quatenus actus Charitatis, quo imperantur, manet

Augetúr ne Charitas per actus aliarum virtutũ?

formaliter præsens, illisque Physicè coniunctus, difficultatem operandi vincens, & omnia ad Deum continuè referens. Et hic modus perfectior est, valétque ad maius augmentum, cæteris paribus: alij tamen duo modi sufficiunt, vt ibidem ostendimus.

51. Idē actus potest esse multipliciter meritorius. Præterea, quoad actus imperatos notandum est, posse actum Charitatis versari inæqualiter, & magis meritoriè, non modò circa actus inæquales imperatos; sed etiam circa æquales; non solùm intensiuè, verùm etiam extensiuè; afficiendo illos secundùm plures aut pauciores considerationes, & maiores aut minores, secundùm quas possunt illi actus referri ad finem Charitatis. Ex. gr. potest versari Charitas circa actum eleemosynæ referendo illum ad Deum & quia ipsi placet ratione suæ honestatis, & quia eidem placet propter aliorum ædificationem, & quia etiam illi placet propter commodum quod præstat ipsi indigenti, aut largienti, vel tanquam relatus ad cultum & honorem Dei, si propter eius reuerentiam fiat: quæ omnes relationes meritoriæ sunt.

Charitas potest amare Deū magis aut minùs appretiatiuè. Item, vt rectè aduertit Ægid. Coninck disp. 22. dub. 4. num. 57. actus Charitatis potest esse perfectior intrinsecè, & magis meritorius, non tantùm ratione suæ intensionis, ita vt quo est intensior, sit perfectior cæteris paribus: sed etiam ratione maioris appretiationis. Quo enim Deum magis amamus appretiatiuè, eò noster amor perfectior est. Amatur autem Deus magis appretiatiuè, quando amatur secundùm excellentiores rationes, aut quando vi illius actus parati sumus longè plura, vel maiora, & difficiliora pro Deo suscipere: vt abstinere non tantùm à mortalibus, verùm etiam ab omnibus peccatis venialibus: aut sequi non modò præcepta omnia, sed & consilia: subire martyrium, ingredi arctissimam Religionem, & similia. Qui enim Deum sic amat, longè perfectiùs eum diligit, quàm ille, qui vi sui amoris paratus solùm est seruare grauia mandata, & quædam leuia subire: licet actus intensio in vtroque sit æqualis, sicut esse potest. Non enim necessariò actus maior appretiatiuè; est etiam maior intensiuè: sed contrà, sæpe fit vt qui est maior appretiatiuè, sit minor intensiuè: quemadmodum patet vulgari exemplo matris diligentis intensiùs & teneriùs filium natu minimum, magis verò appretiatiuè filium natu maximum.

SECTIO VII.

Vtrum Charitas in via possit semper, & in infinitum augeri?

52. Non potest augeri in infinitum. RESpondeo Charitatem viatorum non posse augeri in infinitum simpliciter: posse tamen secundùm legem ordinariam crescere quandiu durat via. Prima pars huius responsi est D. Bonauent. in 1. dist. 17. Secunda parte distinctionis, quæst. vlt. Ricardi, ibidem art. 2. quæst. 4. Durandi in 3. dist. 13. quæst. 1. Ratio illius sumenda est non ex parte gratiæ, quippe quæ, quantum est ex se, potest augeri magis ac magis in infinitum: numquam enim accedit ad tantam Dei participationem creatam, quin possit dari maior: cùm Deus sit in infinitum participabilis, visibilis, amabilis, fruibilis: Sed sumenda est ex parte capacitatis hominum viatorum, quæ cùm sit finita, non est capax gratiæ simpliciter infinitæ. Capacitas nostra est finita. Quod enim sit finita, probatur quia capacitas animæ ad gratiam, seu Charitatem habitualem recipiendam, non est aliud, quàm ipsa entitas & substantia animæ, & voluntatis. Entitas autem animæ & voluntatis est finita simpliciter. Ergo & capacitas. Probatur maior, quia capacitas rei cuiuslibet nihil est aliud, quàm vis ipsius, & aptitudo ad aliquid: magis verò propriè significat vim recipiendi: quæ si sit ad aliquid quod obtinere possit per causas naturales, dicitur capacitas naturalis: sin autem solùm per causas supernaturales, dicitur obedientialis. Capacitas rei quid sit? Neutro autem modò spectata distinguitur à re. Naturalis enim non est distincta à re ipsa, siue à subiecto recipiente, aut potente recipere: sed est ipsa eius entitas per se immediatè potens recipere: alioquin abiretur in infinitum. Nam si capacitas est distincta à subiecto: ergo subiectum recipit illam. Ergo habet vim recipiendi. Per se igitur, an per aliud? Si per se: idem priùs dici poterat. Si per aliud: itur in infinitum, aut sistendum est in aliqua capacitate, quæ immediatè recipiat. Poterat autem subiectum eodem modo id recipere ad quod ponitur capacitas distincta: quæ idcirco superfluè ponitur, & sine vlla necessitate.

Capacitas quoque obedientialis non est distincta ab entitate subiecti recipientis, vt probatur simili argumento. 53. Capacitas obedientialis non distinguitur à re. Nam si entitas naturalis non potest per se immediatè recipere formam supernaturalem: ergo debet præhabere aliquid, quo mediante recipiat. Vel ergo illud naturale est: & hoc non, quia est contra suppositionem, quòd scilicet naturale non possit recipere formam supernaturalem immediatè. Vel est supernaturale: At neque etiam id dici potest, iuxta illam suppositionem aduersariorum. Quia id immediatè recipitur ab entitate naturali: ergo naturale recipit immediatè supernaturale. Ergo non erat opus hoc supernaturali ad reddendam entitatem capacem recipiendi supernaturale. Ergo potentia obedientialis non est aliud ab entitate naturali. Ergo finita est, si entitas est finita; & non crescit, nisi entitas ipsa crescat. Atque inde fit vt capacitas obedientialis non sit æqualis in omnibus, sed maior in creaturis perfectioribus; possintque aliquæ eleuari ad quosdam effectus, ad quos non possunt aliæ: vt intellectus v. g. potest eleuari ad Dei visionem, quod oculus non potest: ac denique quodlibet non possit ad quidlibet eleuari, sed tantùm iuxta certam sphæram capacitatis obedientialis, Deo notam.

Confirmatur ex D. Thoma, 3. p. quæst. 7. art. 11. c. vbi sic habet: *Anima Christi est creatura quædam, habens capacitatem finitam: vnde esse gratiæ, cùm non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum.* 54. Confirmatur ex D. Thoma. Hæc D. Thom. Cuius verbis & sensui non aptè quadrat interpretatio Ægidij Coninck disp. 22.

dub. 5. num. 72. affirmantis eum loqui de capacitate & potentia non absolutè sumpta, sed prout suberat ordinationi Dei, qui statuerat ei dare tantam gratiam, & non maiorem. Nam D. Thomas apertè loquitur de anima Christi secundùm se, & prout creatura quædam est.: neque vllam facit mentionem ordinationis diuinæ, sed ait, idcirco non habere gratiam simpliciter infinitam, quia est creatura capacitatis finitæ. Quæ ratio nulla esset, si haberet quidem capacitatem infinitam: ex eo verò solùm non haberet gratiam infinitam, quia Deus dare noluit.

55. Potest crescere Charitas quandiu sumus in via. Secunda pars responsi, quòd scilicet Charitas possit crescere quandiu sumus in via, probatur primò ex Scriptura, Ecclesiast. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*: id est, Ne verearis quandiu viuis crescere magis ac magis in accepta iustitia: quòd enim de illa loquatur docet Trident. Sess. 6. cap. 10. Et Psal. 8. *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion*; id est, crescent donec ad illam visionem perueniant. Et ad Galat. 6. ver. 9. & 10. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Quibus verbis significat Apostolus totum huius vitæ tempus aptum esse ad bene operandum, & ferendum quod metamus in altera. Et Apocal. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc*: quod generaliter ad omnes, & pro quocunque tempore vitæ dictum est.

Probatur ex Scriptura.

Et ex Patrib. Probatur secundò ex Patribus: *In hac vita* (inquit Prosper in lib. sententiarum Augustini, Sent. 102.) *quæ tota tentatio est, in sublimissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* Hieron. super Psal. 83. *Quicunque sanctus quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiscitur.* Athanas. in vita S. Antonij refert illum paulò ante mortem discipulis sic præcepisse: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere quod cœperit.* Et Sanctus Leo Sermone 2. de Quadragesima: *Hæc est*, inquit, *perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos: ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, incidant in deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum.*

56. Et ex Cōcilijs. Tertiò, idem definitum fuit à Concilio Viennensi in Clement. *Ad nostrum, de Hæreticis*, vbi damnantur Beguardi asserentes nos hac in vita posse ad tantam Charitatem peruenire, vt ampliùs augeri non possit. Et à Trident. Sess. 6. cap. 10. affirmante iustos renouari de die in diem, hoc est, inquit, *in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante Fide bonis operibus, crescere, atque magis iustificari, sicut scriptum est, Qui iustus est, iustificetur adhuc, &c.* Additque cap. 16. Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam, tanquam mercedem promerendam, & ipsorum meritis fideliter reddendam.

Quartò denique probatur hac ratione: quia non possunt homines crescere in gratia, nisi vel per Sacramenta, quorum virtus finita est & limitata: vel per actus meritorios, qui fieri nequeunt sine speciali Dei auxilio præueniente, & cooperante. Deus autem ita res disposuit, vt nemo, siue per Sacramenta, siue per auxilia quibus præuenitur & iuuatur, perueniat toto viæ tempore, à Deo constituto, ad tantam gratiam, quantæ omnino capax est, vel quanta in Christo fuit: imò ne quidem ad tantam, quanta est in Beata Virgine, quisquam alius peruenturus est: licet natura in alijs non sit minùs capax, quàm in Christo, & in Beata Virgine. Vnde fit vt viatores nunquam ad tantam Charitatem perueniant, quin vlteriùs crescere possint nouis actibus meritorijs, vel alijs causis augmenti toto viæ tempore applicatis. 57. Confirmatur ratione.

Contra primam responsi partem opinantur Gabriel in 1. dist. 17. quæst. 8. art. 2. conclusione 3. & 5. Bannes, & plures alij Thomistæ, 2. 2. quæst. 24. art. 7. Suar. lib. 9. de Gratia cap. 9. Vasq. in 3. p. disp. 47. cap. 3. Coninck disp. 22. dub. 5. quibuscum sentire videtur D. Thomas quæst. 24. art. 7. in c. Vbi ait nullum terminum præfigi hac in vita Charitatis augmento: quia terminus præfigitur alicui formæ, vel ratione ipsius formæ, quæ non potest vlteriùs crescere: vel ratione agentis, quod non potest vlteriùs augere; vel ratione subiecti, quod non potest ampliùs recipere. At Charitas per se non habet terminum. Causa etiam illius est infinitæ virtutis, nempe Deus. Subiectum autem quantò plus recipit, tantò habilius redditur ad plus recipiendum. Ergo, &c. Deinde, vt Suares & alij supra citati argumentantur, Nulla potest vel apparens ostendi implicantia in huiusmodi augmento. Atqui potentia obedientialis animæ, & cuiusvis alterius creaturæ, extenditur de se ad omne id, quod non implicat contradictionem: & respondet quodammodo adæquatè omnipotentiæ diuinæ ad id omne, quod in illa, vel ex illa facere potest. Tertiò, ex opposita doctrina sequeretur hominem, aut Angelum valde diu existendo in via, posse tandem mereri maiorem gloriam, aut pœnam, quàm Deus posset ei rependere: quod videtur omnino absurdum. Addi quartò potest, animam Christi fuisse capacem hypostasis diuinæ, quæ infinita est. Ergo est capax gratiæ & Charitatis infinitæ, quamvis sit creatura finitæ entitatis. 58. Contraria sententia.

Ad primum respondeo; D. Thomam intelligendum esse iuxta sensum secundæ partis responsi; ita nimirum vt secundùm Dei ordinationem nullus sit terminus præfixus augmento Charitatis, vltra quem crescere non possit quamdiu vita suppetit: quia Charitas, quantum est de se, potest semper & in infinitum crescere: Deus quoque potest semper illam augere: & subiectum, quò plus recipit, fit habilius moraliter ad plus recipiendum; quia quò Deo charius & gratius est, faciliùs obtinet auxilia, & media, quibus ampliùs mereatur, & plus recipiat; maioremque dat valorem suis operibus meritorijs, ratione maioris di- 59. Explicatur benignè D. Thomas.

gnitatis personæ operantis: opera enim, quæ à persona gratiore, & nobiliore proueniunt, sunt eò gratiora, & pluris æstimantur, cæteris paribus. Physicè verò capacitas illa non crescit, sed eadem semper manet, cùm sit ipsamet entitas animæ: neque per Charitatem acquiritur, sed illi præsupponitur.

60. Subiectũ finitum non potest recipere gratiam infinitam.

Ad secundum respondeo, implicare contradictionem quòd subiectum finitæ capacitatis recipiat gratiam simpliciter infinitam, aut quacunque datâ maiorem. Neque verum est capacitatem obedientialem animæ, vel cuiusvis alterius creaturæ, extendi absolutè & vniuersaliter ad id omne, quod non implicat contradictionem, & adæquari omnipotentiæ diuinæ. Alioqui posset creare, & eleuari ad quidlibet: Quod ramen D. Thomas, & ipsimet aduersarij alijs locis negant; pro certóque habent non posse v. g. oculum corporeum eleuari ad Deum videndum. Sed tantùm extenditur ad ea, quæ non repugnat fieri concurrente tali creatura actiuè, vel passiuè, vel alio concurrendi modo: quæ si finita est, non habet vim infinitam concurrendi. Esse autem finitam patet ex dictis num. 52. & 53.

Ad tertium dico, Deum ita disposuisse statum viæ, vt nullus plus gratiæ, vel pœnæ sit promeriturus, quàm possit ipse recipere, & Deus possit illi rependere. Ad quartum respondeo, animam Christi nullam exercere causalitatem circa hypostasim Verbi; sicut exercet erga gratiam, quæ ex ipsa educitur, in eáque subiectatur. Verumtamen neque anima Christi recipit adæquatè hypostasim diuinam, ita vt ab ea terminetur infinitè; sed inadæquatè, iuxta mensuram suæ capacitatis. Quo etiam modo posset gratiam infinitam recipere, inadæquatè, & quoad aliquos gradus finitos, sibi proportionatos; alijs infinitis quodammodo supereminentibus, & non illi inhærentibus.

61. Alterius sententiæ argumenta.

Contra secundam quoque partem responsi, & in fauorem erroris Beguardorum supra relatum objici potest primò, quòd nisi possit hac in vita perueniri ad tantam Charitatem, quâ maior haberi nequeat, sequeretur posse aliquem tantam Charitatem acquirere, quanta in Christo fuit, præsertim si loquamur de illis, quorum vita extendebatur, vltra nouem sæcula: vel de Enoch, & Elia, qui hucvsque viui seruantur post multa annorum millia, merentúrque adhuc, cùm sint in statu viæ, & nondum adepti terminum beatitudinis, ad quem tota præsens vita viæ loco est. Secundò, D. Augustinus in Enchiridio cap. 121. & lib. 1. Retract. cap. 7. docet veniri hîc ad tantam magnitudinem Charitatis, quâ maior esse non possit: & plenam Charitatem illam dici, quâ maior esse non potest quandiu ambulamus per fidem. Tertiò, si Charitas potest semper crescere: ergo posset aliquis in via peruenire ad tantam Charitatem, quantam alius haberet in patria, & ad maiorem: quod D. Thomas negat fieri posse, quæst. 24. art. 7. ad 3. vbi dicit Charitatem patriæ habere quantitatem alterius rationis, quæ non potest attingi per Charitatem viæ.

Quare possumus semper crescere totâ vitâ.

Ad primum iam responsum est, viæ tempus secundùm Dei ordinationem tam breue esse, & media, vel auxilia gratiæ talia, vt nullus, quamvis in via semper crescat, æquare possit Charitatem Christi excellentissimam. Nec obest quòd homines in prima ætate mundi, ante diluuium, multis sæculis viuerent. Nam spatium illud nimis adhuc angustum erat ad hoc vt homines, per auxilia gratiæ tunc oblata, ad tantam gratiam peruenire possent. Idémque dico de Enoch, & Elia, si sunt adhuc in statu merendi. Quod addo, quia probabilius est esse extra illum statum, æquè ac extra conditionem vitæ mortalis, vt diximus in disp. de merito, *tom. 2. disp. 44. Sect. 7.* Ad secundum: D. August. non loquitur de Charitate secundùm intensionem habitus, sed secundùm executionem externi operis ex genere suo maximi: cuiusmodi est, omnia propter Deum contemnere, & mortem pro illo subire: iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: quo loco vtitur August. ad probandum id quod suprà ex illo retulimus ex Enchirid. cap. 121. Alibi verò perspicuè affirmat posse nos semper in via crescere: vt cùm ait Serm. 15. de verbis Apost. in fine, *Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare.* Et sententiâ 102. ex relatis à Prospero, affirmat nullum hac in vita tantam apprehendere perfectionem, vt illi non supersit ascensio. Ad tertium, patebit ex Sect. sequenti.

SECTIO VIII.

Vtrum habitus Charitatis sit intensior in patria, quàm in via?

61. Habitus Charitatis idem in patria, qui in fine vitæ.

Dico primò, vnumquemque in patria habiturum Charitatem habitualem eiusdem planè intensionis, cuius fuit in via: ita vt habitus Charitatis, quem habet vnusquisque dum moritur, sit æqualis quoad intensionem, ei quem postea beatus habet, imò sit planè idem. Quod enim sit idem substantialiter, docet Apost. 1. Cor. 13. ver. 8. *Charitas nunquam excidit.* Quod autem non sit futurus intensior docent Vega lib. 15. in Trident. cap. 15. Caiet. 2. 2. quæst. 24. art. 7. §. *Ad cuius euidentiam,* Bannes ibid. dub. 3. Malder. dub. 4. conclus. 3. vbi Almainum, & Scotum citat, Suar. disp. 3. de Charitate Sect. 4. num. 5. & Ægid. Coninck disp. 22. dub. 6. num. 85. Ratio præcipua est, quia quidquid habemus gratiæ & Charitatis in patria, respondet Sacramentis, vel operibus meritorijs, & alijs titulis, quibus in via comparata fuit. Plus enim dari in cœlo, quàm illis respondeat, planè sine fundamento assereretur: & è contrario, Paulus 2. Corint. 5. ver. 10. sic pronuntiat, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et cap. 9. ver. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* At quidquid intensionis respondet huiusmodi titulis,

Probatur ratione.

tiulis, datur hac in vita; cùm simus illius capaces, non minùs quàm aliquorum graduum; & multùm expediat nobis statim dari; neque sit ratio differendi ex parte Dei, qui etiam talem conditionem non apposuit, neque promisit dare tantùm post vitam: vt ostendimus Sect. 5. Ergo non plus erit gratiæ & Charitatis habitualis in patria, quàm fuerit in via.

63. Quo sensu Deus præmiat supra condignum? Neque obest quòd dicitur Deus præmiare supra condignum. Sensus enim est, non quòd Deus aliquid addat supra gratiam viæ: sed quòd opera nostra, seclusa Dei promissione, & ordinatione, non sint digna tanto præmio, quantum eis Deus constituit: imò neque ad perfectam æqualitatem illi respondeant: vt exposuimus tom. 2. disp. 44. Sect. 4. Ex dictis autem colligere est plurimos viatores habere Charitatis habitum intensiorem, quàm plurimos Beatos: vt patet in Sanctis eximijs, qui longo vitæ tempore Sacramenta cum magna deuotione creberrimè frequentant, plurimáque pro Deo patiuntur & agunt, & continuò fere in intensis actibus amoris diuini occupantur. Qui certè longè superant habitum Charitatis existentem in infantibus cum sola gratia baptismali decedentibus: vel in illis, qui breui post conuersionem, & primam iustificationem moriuntur, aut diu quidem viuunt, sed remissè operantur.

Habitus Charitatis in quibusdam viatoribus maior est, quàm in aliquibus Beatis.

Contraria sententia. Aduersus hanc conclusionem sentit Lorca 2. 2. Sect. 3. disp. 18. num. 7. vbi docet vnumquemque Beatorum ipso initio suæ beatitudinis, tam intensum habitum Charitatis accipere, vt superet habitus omnium viatorum, excepta fortè Beata Virgine. Ad quod probandum adducit primò aliqua Scripturæ, Patrum, & D. Thomæ testimonia. Sed parum efficaciter. Nam illa facilè possunt ac debent intelligi de Charitate actuali, non de habituali: vel de ratione modi operandi nobiliùs & perfectiùs in patria, supposita Dei visione: vt consulenti loca patebit, & clarè ostendit Ægid. Coninck disp. 22. dub. 6. num. 77. & sequentibus. Deinde opponit hanc rationem: Deus tantò magis excitat voluntatem ad sui amorem, quantò perfectiùs cognoscitur. Atqui longè perfectiùs cognoscitur in patria, quàm ab vllo viatore. Ergo excitat ad amorem longè perfectiorem. Et consequenter voluntas opus habet intensiore habitu, vt amorem tam intensum eliciat. Confirmatur, quia Deus est obiectum amoris: & quò clariùs cognoscitur, eò magis excedit naturam. Ergo voluntas eget maiori auxilio vt illum amet proportionatè ad visionem.

64. Non augetur habitus Charitatis in patria. Respondeo primò indirectè, si hoc argumentum valeret, probaret minimum Beatorum habere intensiorem habitum Charitatis, quàm habuerit ipsa Beata Virgo in hac vita mortali: de qua tamen aduersarius non audet id asserere, & per se satis absurdum apparet. Probatur sequela: nam quilibet Beatorum habet perfectiorem Dei cognitionem, quàm Beata Virgo haberet hac in vita. Visio enim est perfectior quacunque cognitione Fidei obscurâ & ænigmaticâ. Secundò respondeo directè, eundem habitum Charitatis supernaturalis, qui est in via, sufficere absque sui augmento, ad longè perfectiùs & intensiùs amandum in patria, supposita clara Dei visione, vt explicabitur conclusione sequenti. Priùs verò addendum est, ex sententia aduersarij sequi absurdum: quòd scilicet infantes, qui cum sola gratia baptismali decedunt, vel adulti, qui breui post primam iustificationem & pauca bona opera moriuntur, debeant in cœlo accipere valde ingens augmentum gratiæ, quo superent intensionem gratiæ Sanctorum omnium huius vitæ, quorum aliqui diu viuunt in continuo bonorum operum exercitio valde feruenti, & frequentissimo vsu Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: qui certè ita diu viuendo magnum gratiæ cumulum acquirunt, qui non potest excedi ab infantibus, & adultis supradictis, nisi isti vltra gratiam, in qua decedunt, ingens eius augmentum in cœlo recipiant. Et iam, vel tale augmentum datur omnibus & singulis Beatis cum proportione: vel illis solis qui cum exigua gratia decedunt. Si primum: ergo quilibet iustus quolibet opere meritorio acquirit in cœlo ingentem gratiæ & gloriæ intensionem, habendam supra gradum hac in vita redditum pro eodem actu meritorio: quod est inauditum & incredibile. Et vel augmentum illud tam magnum datur ex iustitia pro tam exiguo opere: quod est falsum, cùm ad illud remunerandum satis supérque sufficiat gradus augmenti gratiæ datus in hac vita, & gloria illi respondens. Vel datur ex pura misericordia: & sic gloria Beatorum non poterit iure dici corona iustitiæ, & merces: cùm ex longè maiore sui parte, ac fere tota, sit ex pura misericordia. Denominatio enim à longè maiori parte sumi debet: & in moralibus id quod minimum est, censetur esse nihil præ longè maiori. Atqui Scriptura gloriam Beatis reddendam vocat absolutè mercedem; & coronam iustitiæ: affirmátque Deum vnicuique redditurum esse secundùm opera eius, & parcè messurum esse illum, qui parcè seminauerit; quia quæ quisque in carne seminauerit, hæc & metet, & nimirum nihil amplius gratiæ, vel gloriæ, quàm quod meritis, & dispositionibus huius vitæ respondet. Si autem dicatur secundum, non dari scilicet augmentum ingens, nisi illis qui parum gratiæ hac in vita acquisiuerunt: sequitur omnes beatos esse futuros pene æquales, & Deum fore minùs liberalem ergà magis amicos, & magis eius gratiam promeritos: illísque suam Sanctitatem & gratiam tantam, hac in vita acquisitam, fore nocituram: alijs verò profuturum quòd parum laborauerint pro gratia hîc acquirenda; quia sine vllo labore parem fere gratiam, & gloriam in cœlo recipient.

Absurditas contrariæ sententiæ.

65. Charitas perfectius operatur in patria, quam in vllo viatore. Dico secundò, Charitatem patriæ excedere in statu, & in modo operandi, quamcunque Charitatem viæ: quâ ratione Charitas habitualis patriæ potest dici esse maior aliquo modò, & perfectior, Charitate viæ. Probatur primò ex Scripturâ, quæ statum viæ longè postponit statui patriæ in perfectione cognoscendi, & amandi Deum: 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc au-*

Probatur ex Script. & Patribus.

tem cognoscam sicut & cognitus sum. Modus autem diligendi, sequetur modum cognoscendi, eritque illi commensus. Et Philipp. 3. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quo modo comprehendam, &c.* Et Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno Cælorum, maior est illo.* Ex quibus verbis, D. August. lib. 2. contra aduersarium legis & Prophetar. cap. 3. colligit minimum Sanctorum Angelorum maiorem esse viro quolibet sancto portante corpus quod corrumpitur & aggrauat animam: & S. Hieronymus in locum Matth. cit. reiectâ eorum opinione, qui per minorem in regno Cœlorum, Christum intelligunt, *Nos*, inquit, *simpliciter intelligamus quòd omnis Sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, qui adhuc consistit in prælio.* Maior scilicet in præcipuis etiam perfectionibus beatificis, consistentibus in visione, & amore Dei, secundùm quas maximè iudicandum est de excessu proportionis Beatorum.

Probatur ratione.

Probatur secundò ratione, quia Charitas patriæ est coniuncta lumini gloriæ, & visioni beatificæ, secundùm quam operatur, eique proportionatur. Tantùm enim amant Deum Beati, quantùm vident, & tantùm gaudent de illo viso, quantùm amant. Vnde quantùm differt perfectione visio clara Dei à cognitione Fidei: tantùm differt dilectio patriæ à dilectione viæ. Quocirca meritò D.Thomas quæst. 24. art. 7. ad 3. affirmat Charitatem patriæ habere quantitatem alterius rationis, quæ non potest attingi per Charitatem viæ, actualem scilicet. Quia hæc sequitur cognitionem Fidei: illa verò, claram visionem, quâ præsuppositâ, Charitas Beatorum toto conatu fertur in Deum necessariò, sine vlla interruptione, sine amissionis periculo, sine vllius repugnantis admixtione, cum summo gaudio, & communicatione cum Deo, longè maiori, quàm fuerit in via.

66. Operatur intensiùs, quàm in via.

Quæres, in quo consistat differentia intrinseca inter amorem patriæ, & viæ? Respondeo primò, probabile esse quemvis amorem patriæ circa Deum, esse intensiorem quovis amore viæ. Ratio est, quia Charitas sequitur cognitionem, & pro ratione cognitionis habet vim diuersam: ita vt hîc intensissima non habeat vim, quam habet in cœlo remississima. Cùm autem dicitur Charitatem hâc in vita elicere actum sibi æqualem, imò etiam interdum maiorem, cum maiorè auxilio diuino: intellige, sibi, comparatæ cum cognitione viæ, quæ nunquam attingit ad perfectionem eiusdem comparatæ cum cognitione patriæ. Consentiunt Malderus, Bannes, & Caiet. supra citati: contra Suarem disp. 3. de Charitate, Sect. 4. num. 5. & Ægidium Coninck disp. 22. dub. 6. num. 90. & disp. 23. dub. 4. quorum rationes ex dictis facilè solui possunt.

67. Amor patriæ differt specie ab amore viæ.

Respondeo secundò, amorem patriæ secundùm visionem, differre etiam specie ab amore viæ, qui est secundùm fidem. Ita D.Thomas quæst. 24. art. 7. ad 3. vbi docet actum Charitatis viæ non posse attingere perfectionem Charitatis patriæ, quia habent quantitatem diuersæ rationis, sicut linea & superficies: quod malè assereretur, si secundùm substantiam essent eiusdem speciei. Idem clariùs docent Capreolus, Caietanus, Ferrar. Almain. & alij quos refert & sequitur Ægidius Coninck disp. 23. dub. 3. num. 13. Ratio eiusdem præcipua est, quia cognitio altioris ordinis inducit amorem altioris ordinis. Atqui cognitio patriæ est altioris ordinis, & inducit amorem sibi proportionatum. Neque est tantùm altior intensiuè, sed etiam specificè; cùm sit cognitio propria & intuitiua Dei sicuti est; cognitio autem viæ sit ænigmatica tantùm, & aliena, seu per speciem alienam & impropriam. Confirmatur; quia idem perceptum in propria specie, differt in ratione obiecti, à seipso inuolutè conceptò sub aliena specie. Charitas autem fertur in obiectum mediante cognitione, & secundùm illam. Item, in Deo clarè viso multa percipiuntur, in quæ secundùm seipsa fertur actus Charitatis; quæ per solam fidem non percipiuntur. Quare licet obiectum Charitatis in via, & in patria, sit idem aliquatenus; nempe confusè, & implicitè: distinctè tamen secundùm plures rationes occurrit in patria.

Vlteriùs, vt rectè addit idem auctor ibidem num. 18. quoad illa ipsa, quæ eadem occurrunt in via, & in patria, quivis Beatus incomparabiliter Deum meliùs cognoscit, & perfectiùs æstimat; quàm vlla creatura in statu viæ puro cognoscere, aut æstimare possit. Quare cùm perfectio amoris beatifici exactè sequatur perfectionem cognitionis; inde colligitur quemvis Beatum incomparabiliter magis appretiatiuè, siue perfectiùs, amare Deum, quàm vllus viator possit eum amare: adeóque magis non tantùm intensiuè, verùm etiam æstimatiuè, secundùm meliorem & perfectiorem cognitionem obiecti, quod longè alia ratione repræsentatur per visionem, quàm per Fidem. Sicut igitur cognitio in Beatis est altioris ordinis, & perfectioris speciei: ita & amor, cuius perfectio sequitur perfectionem appretiatiuam ipsius cognitionis: tàmque differt actualis Dei amor in patria, ab amore qui est in via: quàm differt amor rei præstantissimæ per tenuem imaginationem apprehensæ, ab amore eiusdem perfectè cognitæ, & æstimatæ. Hinc etiam fit vt Beatorum quilibet, ex vi amoris beatifici, sit tanta necessitate Deo deuinctus, & determinatus ad cætera omnia Deo postponenda; vt impossibile illi sit vllum bonum, quantumvis magnum, appetere contra Dei voluntatem: & quodcunque malum, quantumvis ingens, non subire potiùs, quàm Deum leuiter offendere. Quòd viatores non habent vi sui amoris: quippe qui non ita firmat & plenè possidet voluntatem, neque ita promptam, & constantem eam reddit, ne quidem in Beata Virgine, quæ aliunde, quàm ex vi amoris sui, fuit impeccabilis; nempe ex speciali prouidentia Dei, & assistentia Spiritus sancti contra peccandi occasiones & pericula.

Est etiam maior æstimatiuè.

Firmissimè Deo adstringit.

68. Contraria sententia.

Contrarium opinatur Suares disp. 3. de Charitate Sect. 3. num. 2. affirmans Charitatem viæ, & patriæ, vnam & eandem esse, non solùm

quoad habitum, sed etiam quoad actum. Quam sententiam communem esse dicit Theologorum cum Magistro in 3. dist. 31. & D. Thoma 1. 2. quæst. 67. art. 6. Probat primò ex Apost. 1. Cor. 13. & ex Patribus affirmantibus Charitatem eandem manere in via, & in patria: nam potiùs de actibus, quàm de habitibus loquuntur. Secundò, quia ratio formalis obiecti in via, & in patria, est eadem, nempe diuina bonitas supernaturalis: & differunt solùm hi amores in cognitione talis obiecti; ergo solùm in conditione sine qua non, & applicatione obiecti amabilis. Addi tertiò potest viatores amare Deum super omnia, & vt bonum super omnia. Ergo summè amant Deum appretiatiuè. Ergo non potest à Beatis amari magis appretiatiuè, vt nos asserimus.

69. Quo sensu Charitas nunquam excidit? Ad primum respondeo, id quod ait Apost. Charitatem nunquam excidere, propriè verum esse de habitu Charitatis, qui per mortem non excidit. Si autem ad actum extendatur, debet intelligi moraliter, non quòd idem actus specie & numero maneat, sed quòd tam in patria, quàm in via, exerceatur verus actus Charitatis erga Deum, siue eiusdem speciei, siue diuersæ. In quo differt Charitas à Fide, & Spe, illisque excellentior est: quia Fides simpliciter & adæquatè inuoluit imperfectionem, nempe obscuritatem, statui patriæ repugnantem: ideóque nullus eius actus manet in patria. Spes verò quoad actum viæ præcipuum, à quo nomen accepit, inuoluit similiter imperfectionem absentiæ summi boni desiderati, quæ repugnat statui beatitudinis. Similique sensu intelligendi sunt Sancti Patres relati à Suare, qui nihil aliud volunt, quàm ex eo commendare excellentiam Charitatis supra Fidem, & Spem.

Soluuntur alia argum. Ad secundum respondeo obiectum illud formale diuersum esse formaliter, quatenus longè aliud repræsentatur per visionem patriæ, quàm per cognitionem viæ. Attingitur autem per actum amoris, quale repræsentatur. Hinc est quòd vim mirabilem excitandi amorem, & longè maiorem habet in patria, quàm in via, & modo eminentiori voluntatem ad se rapit.

Ad tertium respondeo viatores minùs percipere excellentiam Dei super omnia, ideóque formaliter minùs eam æstimare in via, quàm in patria. Vnde etiam fit vt vi suæ cognitionis, & amoris, minùs sint parati cætera omnia pro Deo contemnere. Hinc collige Charitatem actualem viæ, nunquam posse ascendere ad perfectionem patriæ. Quomodo autem Charitas hac in vita possit aliquo sensu dici perfecta, & qua ratione distinguatur in Charitatem incipientium, proficientium, & perfectorum, videri potest apud D. Thomam quæst. 24. art. 8. & 9. vbi hæc clarè prosequitur, & fusiùs exponit Ægid. Coninck disp. 22. dub. 7.

SECTIO IX.

An, & quomodo Charitas minuatur, vel amittatur?

70. PRima conclusio: Habitus Charitatis non minuitur secundùm se. Ita D. Thomas quæst. 24. art. 10. interpretes ibidem communiter, & Scholast. cum Magistro in primo dist. 17. contra Dionysium Chartus. dist. cit. quæst. 9. Ricardum ibid. quæst. vlt. Altisiod. lib. 3. Summæ, Tract. 5. cap. 5. & Victor. in relect. de augmento Charitatis, parte 2. Probatur, quia vel minueretur à Deo solo, nulla data occasione ex parte creaturæ: & hoc non, quia *sine pænitentia sunt dona Dei*, Rom. 11. ver. 29. Vel data occasione aliqua, peccati scilicet venialis, aut mortalis. Secundum dici nequit, quia quodlibet peccatum mortale non minuit gratiam seu Charitatem, sed planè destruit, vt probabitur conclusione sequenti. Primum etiam dici non potest quia peccatum veniale vel Physicè Charitatem minueret, vel meritoriè. Non Physicè: quia peccatum veniale, cùm sit actus, aut quasi actus; id est, commissio, vel omissio libera; non est contrarium Physicè habitui Charitatis per se immediatè: actus enim non contrariantur per se immediatè habitibus, sed actibus; & habitus habitibus. Sed neque etiam habitus per peccatum veniale inductus opponitur Physicè & contrariè habitui Charitatis: experimur enim post iustificationem, & infusionem Charitatis, eosdem habitus malos, & æquè intensos remanere, licet magna Charitas prioribus titulis acquisita, tota recuperetur: vt alibi probauimus. Quod signum est huiusmodi habitus non opponi Physicè & incompatibiliter habitui Charitatis, à quo etiam differunt genere, & ordine. Restat ergo vt si peccatum veniale minuit habitum Charitatis, minuat meritoriè. At hoc etiam dici nequit: quia Deus non punit peccata leuia tam graui pœnâ, quanta esset amissio partis gratiæ habitualis, siue Charitatis. Sic enim homo priuaretur parte æternæ beatitudinis, & per totam æternitatem foret minùs beatus in pœnam peccati venialis: quod damnum grauissimum est, & quodammodo infinitum. Confirmatur, quia ex eo sequeretur sola peccata venialia posse tota Charitate & gratia priuare. Cùm enim Charitas finita sit; & peccata venialia possint augeri, & valde multiplicari: possent eousque augeri vel multiplicari, & eousque minuere Charitatem, vt tota denique exhauriretur. Supponamus enim aliquem v. g. habere decem gradus Charitatis, & vno peccato veniali amittere vnum gradum: sequeretur nouem alijs peccatis venialibus additis, æquè aut aliquantò magis demeritorijs, amissurum totam Charitatem quam habet: atque ita ob sola peccata venialia priuatum iri vitâ æternâ, & gratiâ Dei ac gloriâ: quod absurdum est.

Non minuitur secundùm se.

Probatur ab absurdo.

Respondent aliqui, peccatum vltimum fore mortale, quia priuat omni gratia & vita animæ. Sed hoc est contra suppositionem. Deinde, licet adiunctio talis pœnæ efficeret de veniali mortale: inaduertentia tamen huius adiunctionis excusaret à mortali: & tamen non excusaret à pœna. Tertiò, sequeretur iustos sæpissime efficere de venialibus mortalia: quia exponerent se periculo amittendi totam gratiam. Quid enim sciunt an tantum gratiæ supersit, vt post tot peccata venialia non possit hoc & illo exhauriri? 71. Refellitur euasio.

Altera euasio refutatur. Respondent alij, vltimum gradum non posse tolli per vllum peccatum veniale: quia illius ablatio, cùm absolutè priuet amicitiâ Dei & vitâ spirituali, est sine comparatione maior pœna, priuatione omnium graduum superiorum: & consequenter respondere non potest meritis peccatorum venialium. Sed contra: quia per accidens est quòd ille gradus sit vltimus, & consequenter peccator priuetur omni gratia. Quantitas autem pœnæ consistentis in priuatione, non spectatur ex damno, siue incommodo quod punitus ex ea patitur per accidens: sed præcisè ex magnitudine boni, quo priuat: Alioqui pro iisdem peccatis deberent diuersæ mulctæ pecuniariæ imponi; aliæ diuitibus, aliæ pauperibus; & pro conditione peccantium deberent variari: quod est contra communem legum praxim. Gradus autem vltimus vel non est nobilior alijs superioribus: ideoque si alia peccata venialia priuant gradibus superioribus, potest aliud illis æquale priuarè vltimo gradu. Vel, si est nobilior, potest id præstare aliud peccatum veniale aliquantò grauius, aut plurium collectio.

72. Respondent alij tertiò, per peccata venialia, licet æqualia, non tolli semper æqualem partem gratiæ, sed eò minorem, quò Charitas in peccante minor est. Cúmque Charitas sit diuisibilis in infinitum, nunquam tollitur tota per peccata venialia. Probant, quia tanta est pœna si auferatur vnus gradus habenti tantùm duos: quanta, si habenti decem, auferantur quinque. Sicut pauper habens tantùm duos aureos, magis læditur ablatione vnius, quàm diues ablatione quinque. Deinde, quò plus est gratiæ, peccator magis ingratus est. Et consequenter peccatum veniale, alioquin æquale, grauius est, & maiori pœnâ dignum, cùm fit ab eo, qui plus habet Charitatis.

Tertium effugium reijcitur. Sed contra: quia sequeretur quò aliquis plus habet Charitatis, eò plus amittere per peccatum veniale alioquin æquale. Atque ita per furtum v. g. vnius assis, iustus habens duos gradus, amitteret tantùm vnum: alius verò habens mille, amitteret quingentos: quia per aduersarios pœna vtraque respectiuè æqualis est. Hoc autem est absurdum. Imò idem iustus, qui mille gradus habuit, postquam totam fere gratiam perdidisset, nihil fere perderet per peccata similia præcedentibus. Falsum verò est quod assumitur in prima probatione, pœnam esse æqualem in vtroque magis & minùs priuato. Nam per se maior est in eo, qui maiori bono priuatur: licet per accidens minor priuatio plus aut æquè vni nocere possit, quàm maior alteri. Falsum etiam est quò plus est gratiæ, peccatorem magis ingratum esse, vniuersim loquendo. Potest enim aliunde, ratione aliorum beneficiorum, maior esse ingratitudo in eo, in quo minus est gratiæ, seu Charitatis habitualis. Deinde illa circunstantia ingratitudinis non est tanta, vt mereatur tantum excessum pœnæ. Tertiò, peccata venialia sunt alia alijs maiora: & commissum à iusto habente minimam gratiam, potest aliunde esse multò grauius, quàm sit commissum à iusto gratiore, iunctâ licet circunstantiâ ingratitudinis: vnde merebitur pœnam maiorem. Quartò denique, qui peccant venialiter, sæpissime non cogitant de gratia quam habent, eiusque intensione: vnde non sunt ex ea parte ingrati culpabiliter.

Dixi in conclusione, habitum Charitatis non minui secundùm se: quia extrinsecè, quoad feruorem operandi, & constantiam in operando, & actualem extensionem ad obiecta propter Deum dilecta, vel amori eius postposita, certum est minui Charitatem per peccata venialia, & habitus ab illis contractos: quatenus peccata venialia reddunt hominem minùs dignum vt à Deo præueniatur, & iuuetur maioribus atque frequentioribus gratiæ auxilijs: & inclinant habitualiter ad amorem inordinatum rerum temporalium: ac si frequentiùs & liberiùs iterentur, disponunt ad peccandum mortaliter: iuxta illud Ecclesi. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quo sensu intellige quod aiunt Sancti Patres, August. Serm. 41. de Sanctis, paulo ante medium, & tract. 12. in Ioan. in fine, & tract. 1. in Epistolam Ioan. circa med. & Epist. 108. in fine, & Gregor. lib. 3. Pastor. admonit. 34. Sicut nauis, aquâ paulatim subintrante, tandem mergitur: sic, &c. 73. *Peccata ven. minuunt Charitatis habitum extrinsecè.*

Secunda conclusio: Charitas habitualis corrumpitur per quodvis peccatum mortale; non Physicè quidem, sed moraliter & meritoriè. Prima pars est D. Thomæ quæst. 24. art. 12. & omnium Catholicorum, apertéque definitur à Tridentin. Sess. 6. cap. 15. vbi rectè id probat ex 1. Cor. 6. ver. 10. *Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.* Et Iacob. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim neminem tentat* (tentatione scilicet non facta solùm ad probandum, sed ex animo inducendi ad peccandum) *Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Vbi nomine peccati, intelligit mortale, quod simpliciter & absolutè solet dici peccatum in Scriptura. Per mortem verò, intelligit spiritalem, quæ est priuatio gratiæ. Neque enim omne peccatum mortale generat mortem corporis statim atque consummatum est. Et Roman. 6. *Stipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna.* Atque hinc dicitur peccatum mortale, quòd tollat vitam animæ, quæ consistit in gratia, seu Charitate. 74. *Destruitur quolibet peccato mortali.*

Secunda pars conclusionis, quòd peccatum mortale non corrumpat Charitatem habitualem per modum causæ Physicæ, sed per modum causæ moralis & meritoriæ, est plurimorum Theologorum, quos citant & sequuntur Suares lib. 11. de Gratia cap. 4. & Ægid. Coninck disp. 22. de actib. supernat. dub. 10. num. 133. Neque repugnat D. Thomas quæst. 24. art. 12. Quod enim ait, peccatum mortale ponere impedimentum actioni Dei gratiam conseruantis: potest facilè intelligi de impedimento morali. Probatur, quia peccatum mortale vel est pura omissio, vel commissio contra 75. *Peccatū mort. est tantum causa moralis destructionis.*

graue Dei præceptum. Si primum: cùm pura omissio sit mera priuatio actus debiti; non potest esse causa Physica destruens vi sua Charitatem. Adde quòd eadem omissio, si non esset libera, non destrueret Charitatem, quia non esset peccatum culpabile. Quòd autem sit libera, est tantùm denominatio extrinseca à statu voluntatis, potentis agere si vellet: quæ denominatio nihil ponit in actu, vel in omissione, quod possit esse causa Physica destructionis Charitatis. Si autem peccatum mortale sit commissio: idem actus quoad omnia Physica esse potest non destructa Charitate: vt si fieret sine aduertentia & libertate, vel ex motu repentino, & semideliberato. Ergo non destruit Charitatem, per id solum quod Physicum est, quod ne quidem moraliter illi repugnat. Quòd autem liberè & culpabiliter fiat, est tantùm extrinseca denominatio, quæ non potest Physicè agere ad destructionem Charitatis, vt suprà diximus de omissione.

76. Confirmatur, quia actus non destruunt Physicè immediatè habitus, sed mediantibus habitibus contrarijs à se productis. Ergo peccatum mortale, quod est actus, aut quasi actus, non destruit Physicè immediatè habitum Charitatis: sed si destruit, debet id facere mediante habitu à se producto. Atqui peccatum puræ omissionis non producit habitum. Peccata verò commissionis, licet producant habitus vitiosos; illi tamen non destruunt Charitatem, vt neque per illam destruuntur: neque repugnant illi incompatibiliter, ne quidem de lege ordinaria: vt patet, quia Iustificati experiuntur eosdem habitus vitiosos, quos ante contraxerunt. Superest ergo vt peccatum mortale meritoriè solùm destruat Charitatem, quatenus ob grauem Dei offensam & contemptum, meretur rescissionem amicitiæ diuinæ, & graue odium Dei, ac priuationem æternæ hæreditatis, ponitque morale impedimentum actioni Dei gratiam conseruantis: tum ratione decreti, quo statuit non eam conseruare in peccante mortaliter: tum ratione indecentiæ, & indignitatis, quia peccator se indignum reddit tam nobili forma, neque decet tantum Dei donum in peccatore conseruari.

SECTIO X.

Refutantur [illegible]riæ sententiæ.

77. *Non sola Infidelitas destruit Charitatem.*

Contra primam partem conclusionis sentiunt aliqui huius temporis Hæretici, affirmantes gratiam (quam tamen potiùs fauorem extrinsecum esse putant, non autem habitum infusum) solo peccato Infidelitatis amitti. Quem errorem damnat Tridentina Synodus Sess. 6. cap. 15. & can. 27. Caluinus verò lib. 3. Institut. cap. 2. num. 11. sequutus Iouinianum apud Hieron. lib. 1. contra eundem cap. 2. & lib. 2. cap. 1. affirmauit fidem & iustitiam esse propriam electorum, & semel habitam non posse amitti: neque fuisse verè Fideles qui eam videntur amittere. Sed hic error repugnat apertè Scripturæ, Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem; morietur in illa.* Vbi nota eodem modo dici, *Si auerterit se iustus, &c.* quo ibidem dicitur paulò ante, *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet, & non morietur.* Atqui hoc secundum non dicitur per hypothesim impossibilem, sed quæ sæpe reducatur ad actum: ergo & illud primum asseritur tanquam sæpe contingens. Et Lucæ 8. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Et Ioan. 15. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Et Rom. 11. ver. 22. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.* Et ver. 20. *Tu autem Fide stas; noli altum sapere, sed time,* casum scilicet à Fide, qui reipsa contigit alijs, & tibi similiter contingere potest. Et Apoc. 2. ver. 4. & 5. *Habeo aduersùm te, quòd Charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Vt omittam exempla Saulis, Dauidis, Salomonis, & aliorum, qui de statu iustitiæ deciderunt; & plura alia Scripturæ loca præcedentibus similia.

Refellitur error Caluini, fidem & iustitiam non posse amitti.

78. *Soluuntur eius argumenta.*

Quæ autem in contrarium opponit Caluinus loco suprà citato, videri possunt soluta apud Bellar. lib. 3. de Iustificat. cap. 15. & Ægid. Coninck disp. 22. dub. 9. Breuiter dico, illud 1. Ioan. 3. ver. 6. *Omnis qui peccat, non vidit Deum, nec cognouit eum,* intelligendum esse, quòd non cognouerit sicut debuit, cum affectu voluntatis sequente dictamen Fidei. Quo pacto dicitur Deus eos nescire, quos non amat; quia non eos nouit scientiâ affectiuâ, siue approbationis, Matth. 7. ver. 27. & cap. 25. ver. 12. Et peccatores dicuntur negare Fidem peccando, aut non nosse Deum, 1. Timoth. 5. & 1. Ioan. 2. quia perinde faciunt, ac si non crederent, neque cognoscerent Deum: *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.* Similiter, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est:* 1. Ioan. 3. ver. 9. Non peccat, inquam, inquantum natus est ex Deo, neque potest peccare vt talis: ac si diceretur (inquit S.Thom. 4. contra Gentes cap. 70.) Iustus non committit iniustitiam: vel sicut vulgari sermone dicitur virum nobilem nihil abiectum vel humile cogitare; licet aliunde nobilis, vt homo est, possit humiliter cogitare: & iustus, vt homo peccare possit, iuxta illud, *Qui se existimat stare, videat ne cadat:* 1. Corint. 10. ver. 12. & alia suprà relata.

79. Item, quod ait Christus Ioan. 10. de ouibus suis, *Non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea,* intelligendum est de prædestinatis, vt aliqui volunt; vel potius quòd non peribunt, si velint; nec poterit quisquam eas rapere, nisi ipsæ liberè rapi se sinant. Tanta enim est Christi potentia, vt nemo ei

præualere possit, & subtrahere oues illi adhærere volentes. Quod verò dicitur 1. Ioan. 2. versu 19. dè deficientibus ad hæresim, *Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum,* sensum hunc habet: si fuissent veri, firmi, & constantes Christiani, quales nos sumus per Dei gratiam, mansissent vtique nobiscum, neque fuissent deiecti à Fide, nescio quibus occasionibus: vt fusiùs exponit & probat Cornelius à Lapide in Epist. Canonic. ad versum Ioannis citatum.

80. Habitus Charitatis non destruitur Physicè per P. M.

Contra secundam quoque partem sentiunt Caietanus, Bannes, & alij Thomistæ ad art. 11. quæst. 24. Valent. quæst. 2. de Charitate, p. 4. & quidam alij, affirmantes habitum Charitatis supernaturalis expelli Physicè per quodlibet peccatum mortale. Primò, quia D.Thom. art. cit. ait peccatum mortale destruere Charitatem non tantùm demeritoriè, sed etiam effectiuè, eò quòd omne peccatum mortale contrariatur Charitati. Atqui si tantùm moraliter expelleret, destrueret tantùm meritoriè: nimirum quia solummodo esset causa moralis, per modum mali meriti, cur Deus non conseruet ampliùs habitum Charitatis in peccante mortaliter. Secundò, per peccatum mortale ponitur in subiecto dispositio Physicè contraria Charitati: sicut per ignem in corpore humano ponitur dispositio animæ contraria, propter quam anima desinit esse in corpore, & expellitur Physicè: ergo, &c. Probatur antecedens, quia per peccatum mortale ponitur in subiecto auersio habitualis à Deo. Ergo ponitur in subiecto dispositio contraria Charitati, quæ est conuersio habitualis ad Deum. Quare quàm est impossibile aliquem esse simul auersum à Deo, & conuersum ad Deum: tam est impossibile simul esse peccatum mortale, & Charitatem habitualem. Atqui non moraliter solùm, sed etiam Physicè, & ex ipsa natura rei, est impossibile auersionem, & conuersionem ad idem simul esse. Ergo etiam Physicè, & ex natura rei impossibile est simul esse Charitatem habitualem, & peccatum mortale: atque ita vnum illorum expellit aliud Physicè. Addunt aliqui peccatum mortale, & Charitatem, seu gratiam sanctificantem, opponi priuatiuè. Vnde consequens est, vt Physice & ex natura rei repugnent, ac ne quidem per vllam potentiam simul esse possint.

81. Exponitur D. Thomas.

Ad primum respondeo D. Thomam seipsum explicare art. 12. eiusdem quæst. 24. cùm ait, Charitatem statim desinere esse in anima per peccatum mortale, eò quòd ponitur obstaculum influentiæ Dei conseruantis Charitatem in anima. Quale verò sit hoc obstaculum exponit his verbis: *Manifestum est autem quòd per quodlibet peccatum mortale, quod diuinis præceptis contrariatur, ponitur prædicta infusioni obstaculum: quia ex hoc ipso quòd homo eligendo præfert peccatum diuinæ amicitiæ, quæ requirit vt Dei voluntatem sequamur, consequens est vt statim per vnum actum peccati mortalis habitus Charitatis perdatur.* Hæc D. Thomas: ex quibus liquet mentem ipsius esse, Charitatem non aliter opposi peccato mortali, quàm quia Charitas requirit vt Dei voluntatem sequamur, peccatum verò eam violat; scienter videlicet & liberè; Quæ ratio tantùm moralis est, vel extrinseca denominatio, non inducens Physicam oppositionem, vt antea probauimus. Et nihilominus peccatum mortale non tantùm meritoriè quomodocunque, sed etiam effectiuè gratiam destruit, vt ait D. Thomas art. 10. quæst. cit. quatenus non est solummodo meritum malum, dignum priuatione gratiæ quomodocunque: sed etiam ponit obstaculum morale conseruationi gratiæ: nempe indecentiam moralem, propter disconuenientiam, & contrarietatem moralem Charitatis habitualis cum peccato mortali, quæ contrarietas aliquid addit supra puram rationem mali meriti: quippe quæ sine vlla contrarietate & oppositione morali esse potest, vt patet in peccato respectu pœnæ. Pœna enim non contrariatur peccato, licet illi respondeat vt malo merito. Non decet, inquam, neque bene conuenit Charitatem inclinantem ad sequendam Dei voluntatem, & ad Deum amandum super omnia, esse cum peccato mortali, quo voluntas Dei liberè deseritur, postponiturque rebus creatis: adeóque est forma moraliter contraria Charitati.

Ad secundum respondeo, per peccatum non poni necessariò & vniuersim aliam dispositionem, præter ipsum peccatum, & indecentiam moralem supradictam, vt patet in peccato puræ omissionis. Peccatum autem per se solum non habet Physicam contrarietatem cum gratia, vt suprà ostendimus. Et si est peccatum puræ omissionis, nihil aliud inducit in subiectum. Sin autem est commissionis: licet vlteriùs inducat habitus vitiosos, qui plus videntur habere oppositionis cum habitu Charitatis: illi tamen non repugnant Physicè & incompatibiliter: alioqui manerent miraculosè in iustificatis. In forma igitur, nego antecedens. Ad cuius probationem respondeo Charitatis habitum esse conuersionem habitualem ad Deum. Peccatum verò mortale esse auersionem actualem, id est, consistentem in aliquo actu Physicè vel moraliter præsente. Sed non propterea peccatum est dispositio Physicè contraria, & ex sola rei natura incompossibilis cum habitu Charitatis: quia non repugnat ex natura rei esse conuersum per habitum, & auersum per actum. Imò ne moraliter quidem repugnat esse conuersum habitualiter ad Deum per habitum Charitatis supernaturalis, & simul esse auersum habitualiter per habitus vitiosos peccando contractos, qui sunt habituales inclinationes ad peccatum mortale. Nam huiusmodi habitus manent in iustificatis, vt experientiâ liquet. Sentiunt enim easdem inclinationes vitiosas, quas antea contraxerunt. Dico igitur Charitatem habitualem non omni modo conuertere ad Deum, neque repugnare omni auersioni, ne habituali quidem, quia non tollit habitus vitiosos peccando acquisitos. Ac sicut habitus acquisiti conuertunt quidem per se ad suum obiectum, sed tamen compatiuntur Physicè actum dissentaneum, imò & habitum in certo gradu: sic ex eo quòd Charitas habitualis per se ad Deum conuertat, colligi nequit quòd

82. P. M. non inducit dispositionem Physicè contrariam.

Phyſicè, & ex natura rei nullam ab eo auerſionem actualem pati poſſit in eodem ſubiecto.

83. P.M. non eſt priuatio gratiæ. Falſum verò eſt quod additur, peccatum mortale eſſe formaliter priuationem gratiæ, ſeu priuatiuè opponi gratiæ. Potiùs enim eſt cauſa priuationis, ſeu mortis animæ, iuxta illud Iacob. 1. ver. 15. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Si autem eſt cauſa priuationis, non eſt ipſa priuatio, ſed eſt prior illâ: quemadmodum etiam affirmat S. Thom. quæſt. 24. art. 10. & 12. Cùm ait peccatum mortale deſtruere effectiuè Charitatem, ponendo obſtaculum, &c. Priuatio enim non deſtruit effectiuè formam, cuius eſt priuatio; ſed eſt mera eius abſentia in ſubiecto apto, Trident. quoque Seſſ. 5. can. 1. *de peccato originali*, docet peccatum mortale eſſe cauſam cur amittatur gratia: affirmans *primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe*; id eſt, propter tranſgreſſionem incurriſſe amiſſionem ſanctitatis & iuſtitiæ. Quòd ſi tranſgreſſio ipſa eſſet formaliter amiſſio ſanctitatis, ſeu priuatio gratiæ; ſenſus Tridentini eſſet, Adamum, cùm tranſgreſſus eſſet, id eſt, cùm ſanctitatem amiſiſſet, ſtatim ſanctitatem amiſiſſe. Qui ſenſus foret ineptus. Adde præterea quòd, quamvis nullus eſſet ordo gratiæ inſtitutus à Deo: poſſet tamen offendi Deus grauiter & mortaliter: in quo caſu eſſet peccatum mortale, & non eſſet priuatio gratiæ. Plura aduerſus hanc ſententiam diximus tomo 2. in tract. de peccatis.

84. Deſinit habitus Charit. eodem inſtanti quo peccatur mortaliter. Cæterùm, eodem inſtanti quo fit peccatum mortale, deſinit habitus Charitatis conſeruari, & eſſe; propter peccatum, vt cauſam & meritum malum. Ideóque deſinit quidem ſimul tempore, eodem inſtanti quo peccatum mortale eſſe incipit: ſed tamen naturâ poſteriùs, quatenus deſinit dependenter à peccato, vt à cauſa morali. Hæc enim poſterioritas deſitionis reſpectu peccati, nihil eſt aliud, quàm dependentia ab ipſo. Sicut peccatum eſſe priùs, quàm deſinat Charitas, non eſt aliud, quàm peccatum eſſe cauſam deſitionis, quæ tamen ſimul eſt, & debet concipi eſſe toto inſtanti, quo primò eſt peccatum. Neque enim eſt prioritas in quo ſit vnum, & non aliud: ſed tantùm eſt prioritas à quo, in eo ſolùm conſiſtens, quòd gratiæ, ſeu Charitatis deſitio ſit dependenter à peccato. Ita vt vtrumque reipſa ſimul ſit, peccatum ſcilicet, & deſitio: ſed vnum dependenter ab alio: deſitio videlicet dependenter à peccato. Et ſimiliter prioritas naturæ inter quæcunque alia, in eo ſolùm conſiſtit, quòd quamvis vtrumque ſimul tempore ſit; attamen vnum eſt dependenter ab alio: & id quod pendet, dicitur eſſe naturâ poſterius: id verò à quo pendet, dicitur eſſe naturâ prius.

Quare fallitur Lorca 2. 2. Sect. 3. diſp. 22. & ſi qui alij cum illo exiſtimant peccatum mortale, & Charitatem eſſe ſimul aliquo inſtanti temporis, ſiue continui, ſiue diſcreti: Id ex eo inferentes, quòd cùm peccatum ſit cauſa priuationis gratiæ, & naturâ prius: ergo in illo priori naturæ, quo concipitur peccatum fieri, ſiue conſummari, gratia adhuc eſt. Quæ illatio nulla eſt, & procedit ex peruerſa intelligentia prioritatis naturæ. Nam cùm, vt iam diximus, eſſe prius naturâ aliquo, nihil ſit aliud, quàm eſſe id à quo illud pendet: dicere gratiam eſſe in illo priori naturæ in quo ſit peccatum mortale, eſt dicere gratiam pendere à peccato mortali. Quod perperam infertur ex eo quòd peccatum mortale ſit cauſa & prior naturâ priuatione gratiæ, id eſt, ſit id à quo pendet priuatio, ſeu propter quod ſubiectum gratiâ priuatur. Plura aduerſus hanc falſam imaginationem videri poſſunt apud Coninck diſp. 22. dub. 11. qui tamen argumento non ſatisfacit, neque verum conceptum prioritatis naturæ aſſequitur, cùm ait num. 169. ex illo argumento ſequi tantùm quòd gratia & peccatum mortale ſint ſimul ſecundùm quid, & ſecundùm modum noſtrum concipiendi: ſicut ex eo quòd Æthiops ſit albus ſecundùm dentes, non ſequitur eſſe abſolutè album, ſed tantùm ſecundùm quid. Quaſi verò gratia ſit verè ſecundùm quid eo inſtanti, quo tota eſſe deſinit, & quo verum eſt dicere quòd nihil illius ſit; aut debeat & iure poſſit concipi eſſe, cùm non eſt. 85. Refutatur [illegible] ...



DISPVTATIO OCTAVA-DECIMA.

De obiecto Charitatis.

DE obiecto Charitatis, eiusque ordine disputat S. Thomas q. 25. & 26. quarum priore docet Charitatem ad Dei, & ad proximi dilectionem se extendere: atque etiam ad Charitatem ipsam, tanquam bonum quod volumus illis, quos ex Charitate diligimus. Itémque ad creaturas irrationales, non tanquam ad id, cui bonum velimus, sed velut ad bonum, quod volumus personis ex Charitate dilectis. Posse quoque hominem per illam diligere seipsum, tanquam aliquid ad Deum pertinens: & corpus secundùm naturam spectatum, prout illo possumus vti ad obsequium Dei: & peccatores, prout diuinæ beatitudinis sunt capaces: & inimicos, secundùm naturam, non secundùm culpam: & Angelos: at non Dæmones, vt tales; quia id culpæ nomen est: posse tamen ex Charitate in Deum velle vt ad ipsius gloriam conseruentur hi spiritus in suis naturalibus.

Posteriori affirmat ordinem Charitatis postulare, vt quisque Deum magis amet, quàm seipsum: & seipsum magis, quàm proximum: ita tamen vt quantùm ad salutem animæ, magis proximum diligat, quàm proprium corpus. Inter proximos autem, magis diligendos esse eos, qui vel Deo, vel nobis propinquiores sunt: & illos præcipuè, qui secundùm carnis originem sunt nobis coniuncti, vt parentes, & liberi, & coniuges. Inter quos etiam ordo seruandus est. Nam parentes sunt magis diligendi, quàm liberi: & inter parentes, pater matri præferri debet: & vterque vxori. Benefactor quoque præferendus est beneficiato; quia cùm sit principium boni beneficiato collati, habet excellentioris boni rationem; sicut & pater, eandem ob causam, liberis præponendus est secundùm rectum ordinem Charitatis. Hucvsque D. Thom.

SECTIO I.

Quodnam sit obiectum adæquatum Charitatis?

1\. Respondeo Deum vt per se & ratione sui amandum; itemque creaturas vt amabiles amore amicitiæ in ordine supernaturali; atque tam Dei, quàm prædictarum creaturarum bona, cum oppositis malis, esse obiectum totale & adæquatum Charitatis. Prima pars, de Deo, patet: Charitas enim est virtus Theologica. Ergo debet habere Deum pro obiecto, & quidem primario & principali. Vnde frequenter vocatur in Scriptura *Charitas Dei*, non tantùm quia à Deo est, sed etiam quia Deum respicit vt obiectum: *Quis nos separabit à Charitate Dei?* Rom. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, Rom. 5. Deus autem duobus modis amabilis est. Nimirum per se & ratione sui, propter summam ipsius bonitatem, seu perfectionem absolutè spectatam; qui dicitur amor amicitiæ: & provt est summum bonum nostrum, vel ad nos pertinens aliquo modo: qui dicitur amor concupiscentiæ. Posterior modus Spei proprius est. Superest ergo vt prior sit proprius Charitatis?

Deus est obiectũ Charitatis.

2\. Secunda pars responsi, de creaturis rationalibus, probatur efficaciter ex Matth. 22. ver. 37. & sequentibus, vbi Christus affirmat duo esse præcepta Charitatis. Primum & maximum esse istud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Secundum autem simile huic, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Vnde sic argumentor: Præceptum primum diligendi Deum, est non tantùm diligendi Deum propter se, aut amandi & desiderandi Deo bonum quod ipse est; sed & alia quæcunque eius bona, vt sic, gaudendique de illis, ac dolendi de oppositis. Atqui amare proximum Deo tantùm, aut propter Deum, & non per se, ac ratione sui, amore amicitiæ, est amare illum vt bonum Dei. Ergo id continetur in primo præcepto Charitatis. Ergo præter hoc aliquid aliud præcipitur in secundo præcepto, quod similiter pertinet ad Charitatem, licet minùs principaliter. Nimirum sicut in primo præcepto iubemur amare Deum secundùm se, & velle illi bona conuenientia, ac detestari opposita: sic in secundo iubemur amare proximum secundùm se, velléque illi tum bonum quod ipse est, tum alia bona conuenientia, provt sunt ipsius bona; auersarique opposita, provt sunt ipsius mala; quod est amare amore amicitiæ. Nomine autem proximi intelligenda est per se omnis creatura rationalis quæ est capax beatitudinis; vt docent S. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 26. & 30. aliíque Patres: Angelis etiam in eo comprehensis, vt rectè ait August. ibid. & D. Thomas quæst. 25. art. 10. atque etiam Christo Domino, qui, vt homo, est eiusdem naturæ nobiscum, & consors eiusdem beatitudinis: quemadmodum notant interpretes Scripturæ Luc. 10. ver. 33. & Scholastici initio libri 4. Sentent. explicantes parabolam Samaritani; & illud Christi, *Ite & nuntiate fratribus meis*, Matth. 28. v. 10.

Atque etiã creaturæ rationales.

Qui nomine proximi intelligantur?

3\. Confirmatur & declaratur amplius, ratio proposita; quia diligere aliquid propter Deum, est diligere Deum. Quare dilectio Dei generalis & perfecta, quæ in primo præcepto comprehenditur, includit illam dilectionem proximi quæ propter Deum est, sicut & dilectionem aliorum omnium quæ propter Deum amantur. Ergo aliquid aliud iubetur in secundo præcepto, nempe vt proximum etiam diligamus propter se, amore amicitiæ. Deinde Christus ait duo esse præcepta Charitatis: vnum erga Deum, alterum erga proximum: & affirmat illud esse primum & maximum; alterum autem esse secundum & simile huic. Atqui si esset præceptum diligendi proximum tantùm propter Deum, non essent duo præcepta, sed vnum dumtaxat; quia diligere propter Deum, est diligere Deum, Doctore ipso D. Thoma, quæst. 27. art. 8. Ergo diligere proximum propter Deum continetur in primo illo præcepto, sicut & diligere quidvis aliud propter Deum: alioqui præcepta Charitatis non essent duo tantùm, sed pæne innumera, quot scilicet sint res aliæ quæ debent diligi propter Deum. Item, præceptum diligendi Deum, sumptum præcisè vt ab altero præcepto distinctum, non esset primum & maximum, quemadmodum Christus affirmat: quia dilectio proximi propter Deum, est perfectior, quàm dilectio Dei tantùm, vt docet S. Thomas art. cit. & nos inferiùs ostendemus, Disp. 19. Sect. 1. num. 4.

Confirmatur efficaciter proximũ diligi propter se.

4\. Dixi, *in ordine supernaturali, &c.* quia duobus potest modis spectari proximus, seu creatura rationalis. Primò, secundùm meram naturalem perfectionem, essentialem, vel accidentalem; intrinsecam, vel extrinsecam. Secundò, in ordine ad perfectionem supernaturalem, cuius est capax secundùm Dei ordinationem, vel quam assequuta est. Prior consideratio non pertinet ad Charitatem Theologicam & supernaturalem: sed ad aliquam aliam virtutem moralem inferiorem. Sicut enim Spes Theologica non versatur circa bonum nostrum merè naturale, sine vllo respectu ad Dei omnipotentiam, vel ad bonum nostrum supernaturale: sic Charitas non versatur circa proximum, nisi vel propter Deum, vel vt consideratum aliquatenus in ordine supernaturali. Ratio est, quia vtraque virtus infunditur homini vt illum iuuet & perficiat in ordine ad Deum, & in esse supernaturali circa finem & obiectum supernaturale, dignum affectu supernaturali, cuiusmodi sunt affectus Spei, & Charitatis. Sic etiam Fides, tertia virtus Theologica, non fertur in obiectum nisi aliqua saltem ex parte supernaturale, ratione reuelationis completæ per sufficientem credibilitatem, quod sine aliquo argumento diuino & supernaturali non fit: & propter Deum vt testificantem, & vt veracem, qui semper includitur in obiecto formali Fidei. Deus autem est aliquid in se supernaturale omni ratione quâ Deus est, & dignus cognitione & affectu supernaturali. Licet enim

Proximus est spectandus in ordine supernat.

ſecundùm aliquas rationes, ſecundùm quas cum creaturis naturaliter ſpectatis eſt connexus, vt creator, conſeruator, prouiſor, cauſa prima concurrens cum ſecundis, & denique vt finis naturalis creaturarum: licet, inquam, ſecundùm has, & ſimiles conſiderationes dici poſſit quippiam naturale reſpectiuè, propter illam habitudinem: abſolutè tamen, & ſecundùm ſe, eſt ens toti naturæ creatæ & creabili ſupereminens, ſecundùm omnem rationem diuinam, vt talem, ac longè ſuperius ipsâ gratiâ, & gloriâ creatâ, magiſque illis ſupereminens; quàm gratia, & gloria ſupereminent perfectionibus naturalibus. Vnde ſecundùm omnem rationem diuinam eſt obiectum Spei, & Charitatis, ſpectatam vt ad nos, vel vt ad Deum abſolutè pertinet. Eſt tamen opus has rationes diuinas altiori quodam modo concipi per Fidem ſupernaturalem, ad excitandos affectus ſupernaturales Spei, & Charitatis: propter quod illuminatio, & motio Spiritus ſancti nobis eſt neceſſaria vt credamus, ſperemus, & diligamus, ſicut oportet; vt ait Trident. Seſſ. 6. can. 3. & Arauſic. can. 7.

5. Bona & mala Dei & proximi pertinent ad obiectum Charit. Tertia pars reſponſi, de bonis & malis, tum Dei, tum creaturæ rationalis, probatur, quia Charitatis eſt bene velle ei, quem diligit amore amicitiæ. Conſequens autem eſt vt qui benè vult, non malè velit; & qui vult bonum, nolit malum oppoſitum. Porro bonum, quod tam Deo, quàm proximo volumus, multiplex eſt: partim intrinſecum, partim extrinſecum. Quamvis enim Deus ſuâ eſſentiâ perfectus ſit, ac beatus: tamen eorum, quæ extra ipſum eſſe poſſunt, quædam ſunt illi grata, & quædam diſplicentia: quæ eo nomine vocantur Dei bona, vel mala. Velle igitur Deo quod ei placitum eſt, ad beneuolentiam erga illum ſpectat: cui coniunctum eſt nolle quod ei diſplicet. Similiterque velle proximo finem ſupernaturalem, & media ad illum pertinentia, aliáque bona ſupernaturalia, ſpectat ad beneuolentiam ſupernaturalem erga proximum, quæ Charitas dicitur; ad eandémque pertinet nolle malum oppoſitum.

6. Tria in obiecto Charitatis. Tria verò ſunt diſtinguenda in obiecto Charitatis: Videlicet, id quod volumus, aut nolumus; id cui volumus, aut nolumus: & ratio formalis propter quam volumus, aut nolumus. Id quod volumus, aut nolumus, eſt aliquod bonum, vel malum. Id cui volumus bonum, aut nolumus malum; eſt Deus, & proximus; ſeu natura intellectualis, creata vel increata. Et ratio formalis propter quam illi volumus bonum, aut nolumus malum, eſt perfectio illius naturæ, vt propter ſe amabilis amore amicitiæ. Sed non ſemper hæc tria ſunt realiter diſtincta. Poſſumus enim velle Deo bonum quod ipſe eſt ſubſtantialiter & eſſentialiter. Et hoc maximè vult Deo Charitas, nempe vt Deus ſit quidquid eſt; & quidem affectu tam abſoluto, & efficaci, vt vellet Deo totum illud conferre, ſi poſſet. Ratio etiam quâ Deus eſt ſummè bonus, atque perfectus, & propter ſe amabilis, eſt ipſa ratio Dei, ab ipſo indiſtincta. Quare id quod volumus per Charitatem, & id cui volumus, & id propter quod volumus, non diſtinguuntur ſemper in re.

Quartò denique, quòd nihil aliud, præter ſupradicta, ſit obiectum Charitatis, atque adeo obiectum eius totale & adæquatum in illis conſiſtat, probatur, quia nihil aliud eſt dignum amore illo amicitiæ ſupernaturalis, neque conuenienter in eius obiectum aſſignari poteſt: vt ex refutatione contrariarum opinionum apparebit, & ex dicendis Sect. 3. de obiecto materiali Charitatis.

SECTIO II.

Refutantur ſententiæ contrariæ.

7. Deus ſub omni ratione ſui pertinet ad Charitatem. CONtrarium ſentiunt plures Theologi, quorum aliqui pauciora, alij plura pertinere contendunt ad obiectum Charitatis. Ac primò Suares diſp. 1. de Charitate Sect. 2. num. 5. aſſerit Deum non eſſe obiectum Charitatis ſecundùm eas rationes, quibus habet connexionem cum natura intellectuali creata, per modum principij, & finis proportionati; ſed tantùm ſecundùm rationes quibus naturam omnem ſuperat. Quia Deus ſecundùm priores rationes poteſt amari amore naturali. Obiectum autem amoris ſupernaturalis Charitatis debet eſſe diuerſum ab obiecto amoris naturalis, neque poteſt aliquatenus ab eo attingi. Verùm ex dictis de Fide, diſp. 10. Sect. 2. conſtat hanc propoſitionem non eſſe veram, quòd ſcilicet obiectum actus ſupernaturalis non poſſit attingi aliquo actu naturali; imperfectiùs tamen, & minùs amplè, firmiter, & reuerenter, dignéque obiecti maieſtate, vt loco cit. expoſuimus.

8. Secundò, videtur etiam nobis aduerſari D. Thomas quæſt. 25. art. 1. vbi licet fateatur habitum Charitatis extendere ſe ad dilectionem Dei, & proximi: ait tamen rationem diligendi proximum eſſe Deum: nam hoc debemus in proximo diligere vt in Deo ſit. Quocirca Caiet. ad eundem art. in annot. docet ſolum Deum eſſe obiectum formale Charitatis, quia ratione eius diliguntur quæcunque ex Charitate diliguntur. Et Valentia diſp. 3. quæſt. 1. p. 2. affirmat proximum non eſſe obiectum formale vllius actus Charitatis, ſed tantùm materiale, quatenus diligitur vt aliquid Dei, ſcilicet vt effectus illius, & vt particeps diuinæ naturæ per dona gratiæ. Confirmatur, quia Charitas infuſa eſt participatio diuinæ Charitatis, quâ Deus diligit ſe, & cætera amabilia. Atqui Deus diligit ſe propter ſe, & propter id quod ipſe eſt: cætera verò diligit propter ſeipſum. Ergo ſimiliter Charitas infuſa valet tantùm ad diligendùm Deum propter ſe; & cætera propter Deum, vt ad ipſum aliquo modo pertinent.

9. Quomodo Deus eſt ratio amandi proximũ. Ad primum reſpondeo, rationem diligendi proximum eſſe Deum aliquo modo, & proximè, vel remotè: quatenus proximum vel propter Deum amamus, vel propter ſe non abſolutè, ſed vt capacem bonorum ſupernaturalium, quæ illum ordinant ad Deum, & ad hoc tendunt vt proximus in Deo ſit. Quare locus citatus D. Thomæ nobis non aduerſatur,

Eodémque sensu accipi debet interpretatio Caiet. & Valentiæ, vt vera sit. Ad secundum, seu præcedentis confirmationem, dico Deum quidem cætera diligere propter se, sed non tantùm: nam illa amat etiam secundùm alias considerationes, secundùm quas rectè & conuenienter amabilia sunt. Quia diuinus amor continet omnem gradum & perfectionem amoris. At creaturæ intellectuales rectè amari possunt, etiam ratione sui: quia obiectum illud bonum est in seipso, & talis amor versatur circa illud congruenter, & secundùm rectam rationem: ergo, &c. Adde quòd alioqui non esset in Deo amicitia respectu hominum, neque liberalitas & munificentia, neque misericordia, aut vlla alia virtus, præter amorem proprij boni, qui dicitur amor concupiscentiæ: quia hoc tantùm amore, & propter solum bonum ipsius proprium nos amaret, aut nobis bene faceret. Et tamen Deus 4. Reg. 20. v. 6. de seipso sic loquitur: *Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.* Et Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et Isa. 41. *Semen Abrahæ amici mei.* Quibus, & alijs similibus locis testatur Deus se diligere homines amore amicitiæ, atque illos vt amicos habere. Amicus autem diligit amicum propter ipsum.

10. Nō amatur proximus purè naturaliter per Charitatem.

Tertiò, ex opposito contendunt aliqui recentiores, creaturas intellectuales, non tantùm in ordine supernaturali, sed etiam purè naturaliter spectatas, & quoad bona merè naturalia, sine vllo respectu ad supernaturalia, pertinere ad obiectum Charitatis. Primò, quia Charitas valet ad seruandum integrè mandatum diligendi Deum, & proximum. Atqui mandatum diligendi proximum est etiam volendi illi naturalia bona, & non tantùm vt æternam beatitudinem consequatur, sed etiam vt naturaliter illi bene sit. Alioqui non esset iuuandus vir sanctus, qui ex summa egestate, vel afflictione non esset passurus detrimentum in bonis supernaturalibus, sed potiùs maiorem gloriam consecuturus. Christus etiam Matth. 25. nullam facit mentionem bonorum supernaturalium, sed damnat propter opera Charitatis necessaria, simpliciter omissa, *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Et Luc. 10. declarans præceptum diligendi proximum, ostendit proximum esse alterum alteri, quemlibet cuilibet, Samaritanum Iudæo: licet beatitudinis nulla adsit consideratio, sed tantùm boni corporalis. Secundò, D. Thomas quæst. 59. art. 4. c. affirmat omne nocumentum alteri illatum, ex se repugnare Charitati, quæ mouet ad volendum bonum alterius. Ex quo sic argumentor: Virtus quæ aliquod malum auersatur, prosequitur bonum ipsi oppositum. Sed Charitas auersatur omne proximi nocumentum. Ergo prosequitur, & vult eius bonum omni nocumento oppositum. At nocumento naturali tantùm, non opponitur nisi bonum naturale: ergo Charitas prosequitur etiam bonum naturale proximi. Vlteriùs, ea quæ repugnant; vel sunt circa idem, vel circa repugnantia. Sed Charitas, & quodlibet nocumentum repugnant, secundùm D. Thomam: Ergo Charitas, & quodlibet nocumentum vel sunt circa idem, vel circa repugnantia. Atqui Charitas, & nocumentum merè naturale, nec sunt circa idem, nec circa repugnantia, nisi Charitas versetur circa bonum & malum merè naturale: ergo, &c. Confirmatur, quia recta ratio dictat volendum esse proximo bonum naturale. Ad illud autem rectè, & constanter volendum natura per se infirma est: ideóque per Charitatem iuuari debuit.

11. Soluuntur arg. contrariæ sententiæ.

Ad hæc respondeo, Charitatem valere ad seruandum integrè mandatum diligendi Deum, & proximum, imò & ad quævis alia præcepta, & virtutum officia, non quidem omni ratione, sed sub aliqua generali, quæ ad omnia pertinet. Nimirum quatenus valet ad volendum quidquid Deo placet, & nolendum quidquid illi displicet. Atque ita valet etiam ad naturalia bona volenda proximo, & procuranda, quia id Deo placet: atque vlteriùs, quia sunt illi bona, spectato in ordine supernaturali. Meritóque Christus exprobrat omissa Charitatis & misericordiæ opera necessaria: quæ saltem quia Deo placent, & ab ipso grauiter expetuntur, exercenda fuerunt. Eandémque ob causam Charitas exigit vt quisque cuilibet bene velit, & bene faciat, Samaritanus Iudæo, Infidelis Fideli, Hæreticus Catholico. Et omne nocumentum iniustum, siue in naturalibus, siue in supernaturalibus, repugnat Charitati, quatenus Deo displicet. Denique Charitas iuuat naturæ infirmitatem, quatenus iuuat ad volenda etiam bona naturalia quia Deo placent. Sed non debet iuuare omni alia consideratione. Quemadmodum, vt fatentur illi ipsi quos impugnamus, Spes non iuuat ad volendum bonum nostrum merè naturale, quà tale, sine respectu ad Deum, vel ad bonum nostrum supernaturale: licet ad illud quoque rectè, moderatè, & constanter volendum valde infirmi simus. Cúmque multæ dentur à Deo virtutes Theologicæ, vel morales; non debet quælibet iuuare omni modo, sed vnaquæque pro sua ratione succurrit alicui naturæ infirmitati.

12. Diligātur Charitas proximū propter se?

Quartò denique, Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 98. cap. 2. Turrian. disp. 73. in 2. 2. dub. 3. Lessius lib. 2. de Iustit. cap. 36. num. 23. & Ægid. Coninck disp. 24. de actib. supernat. dubit. 1. num. 19. censent proximum non amari propter se per Charitatem Theologicam, sed per aliquam virtutem moralem inferiorem, quæ Charitas siue amicitia proximi dici potest. Primò, quia ex D. Thoma quæst. 103. art. 3. ad 2. Sicut Sancti ob propriam excellentiam coluntur cultu distincto à latria: ita proximus ob proprias, sibique intrinsecas perfectiones amatur virtute distincta à Charitate Theologica; nimirum virtute morali quæ sit amor amicitiæ erga proximum. Secundò, quia hic amor habet obiectum planè distinctum à virtute Theologica. Ergo debet necessariò à distincta virtute proficisci. Consequentia patet, quia habitus nequit ferri extra suum obiectum. Antecedens verò probatur, quia obiectum virtutis Theologicæ non est aliud nisi Deus: obiectum autem huius virtutis non est Deus, sed proximus. Tertiò, sicut præter virtutes Theologicas, qui-

bus Deum diligimus, siue vt bonum nostrum, siue vt in se bonum, dantur aliæ virtutes morales quibus voluntas amat cætera bona honesta, propter se; vt Iusta, Fortia, Temperata, &c. Sic dari debet virtus moralis, & distincta à Theologicis, quâ proximum amemus, sine respectu ad Deum, ratione propriæ bonitatis intrinsecæ. Quartò, diligere proximum propter se, aut velle illi bonum immediatè propter ipsius bonitatem, videtur esse eiusdem rationis, ac diligere meipsum, aut velle mihi bonum propter meam bonitatem & amabilitatem: sicut ego, & proximus sumus eiusdem rationis & speciei. Sed hic actus quo diligo meipsum, non est Charitatis Theologicæ, licet sit bonus & supernaturalis: ergo, &c.

13. Probatur pars affirmans. Contrarium tamen probabilius esse mihi videtur cum Suare disp. 1. de Charitate Sect. 3. num. 7. & tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 5. num. 11. & 12. alijsque multis, quos citat, affirmantibus eâdem Charitate diligi Deum, & proximum, vt amicos, ac proinde ratione sui. Primò, quia Scriptura passim loquitur de Charitate supernaturali erga Deum, & proximum, vt de vnica virtute, 1. Cor. 13. & 1. Ioan. 4. alijsque locis. Cuius Charitatis dicuntur esse duo præcepta generalia, Matth. 22. ver. 37. & sequentibus, diligendi Deum, & diligendi proximum. Non essent autem duo præcepta si diligeremus proximum tantùm propter Deum. Nam primum præceptum amandi Deum complectitur generaliter alia omnia, quæ propter Deum amanda sunt: neque multiplicantur præcepta Charitatis erga Deum propter obiecta materialia, quæ tenemur propter ipsum diligere: alioquin longè plura essent quàm duo. Deinde, supposito quòd ex præcepto Charitatis teneamur diligere proximum sicut nos ipsos: Quemadmodum ipsi nos atque bonum nostrum supernaturale honestè amamus & supernaturaliter, non solùm propter Deum, sed etiam propter nos ipsos, & quia bonum nostrum est: Sic proximum debemus non tantùm propter Deum amare, sed etiam propter se, vero amore amicitiæ supernaturalis, optando illi beatitudinem, aliaque bona supernaturalia. Tertiò, ex communi hominum sensu id discriminis est inter proximum, & creaturas irrationales: quòd istæ non possunt diligi ex Charitate amore amicitiæ: secus autem proximus. Nimirum quia illæ non possunt amari propter se: licet amari possint propter Deum, quatenus ipsi placent, aut sunt ipsius bona. Confirmatur quia Charitas creata est participatio, & similitudo Charitatis increatæ ipsius Dei, & Charitatis Christi Domini, iuxta illud Matth. 5. v. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*: iunctis immediatè præcedentibus à versu 43. in quibus de dilectione proximi, & modo eum diligendi sermo est. Et Ioan. 15. v. 12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Charitas verò increata versatur circa proximum, vt amicum: & non tantùm propter Deum, sed etiam propter se: iuxta illud Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Ergo Charitas creata diligit proximum etiam propter se. Charitas quoque ipsius Christi versatur circa homines vt amicos, id est, propter se dilectos: iuxtà illud Ioan. 15. v. 14. & 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, &c. Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.* Posito autem quòd per Charitatem diligamus proximum etiam propter se: vel admittendum est id fieri per eandem Charitatem, quâ diligimus Deum, quod nos intendimus: vel fatendum erit quatuor esse virtutes Theologicas, quod inauditum est, & repugnat Apostolo 1. Cor. 13. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc.* Probatur sequela, quia negari non potest quin virtus, quâ diligimus propximo Deum ipsum, vt finem supernaturalem, sit virtus Theologica, æquè ac Spes quâ quisque sibi eundem finem diligit; quod esse obiectum Spei Theologicæ, docet inter aduersarios Ægidius Coninck disput. 19. dub. 2. num. 26.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ, sumptum ex D. Thoma, respondeo eandem quoque virtutem Religionis infusæ valere posse ad omnem cultum Religiosum reddendum, siue Deo, siue Sanctis, & alijs rebus sacris, etiam ob propriam illorum excellentiam. Quamvis enim illi cultus specie differant, habeántque diuersa obiecta formalia: tamen eadem virtus supernaturalis valet ad plures actus specie diuersos, & ad obiecta diuersa, vnita solùm in aliqua ratione generica, vel analoga: cuiusmodi ratio est in Religione, ratio cultus sacri: in Charitate, ratio personæ seu naturæ intellectualis amabilis amore amicitiæ: & in Spe, ratio proprij boni supernaturalis, siue per modum auxilij cui innitendum sit, siue alterius boni amabilis vt nostrum est. Loquendo autem de virtutibus acquisitis, verum est quod ait D. Thomas, aliam esse virtutem quâ Deus colitur per latriam: aliam quâ Sancti, per duliam. Sicut non eadem est Charitas naturalis, quâ proximus diligitur propter se, cum illa, quâ propter Deum dumtaxat, aut quâ Deus solus amatur propter se. Nam illi actus, vt sunt specie & re diuersi communiter: ita producunt habitus sibi proportionatos, & adæquatos, re ac specie diuersos. 14. Eadem Religio versatur circa Deum, & Sanctos.

Ad secundum, & tertium respondeo, eundem habitum Charitatis supernaturalis, quo diligimus Deum propter se, & quæ sunt illi grata, vt talia; sufficere ad amandum proximum non solùm per respectum ad Deum, sed etiam vero amore amicitiæ, ad ipsum terminato, spectatum saltem in ordine supernaturali. Itaque ad hoc præstandum non est necessaria alia virtus supernaturalis distincta à Charitate erga Deum. Notandum tamen virtutes supernaturales Spei, & Charitatis, non esse Theologicas formaliter, & propriè, ratione cuiuslibet partis sui obiecti: sed tantùm quatenus Deum respiciunt, idque non quomodocunque, sed vt *obiectum quod*, & motiuum formale. Quâ de causa Religio, & iustitia erga Deum, vel obedientia, & gratitudo erga illum, non sunt virtutes Theologicæ, quia respiciunt Deum tantummodo vt obiectum cui reddunt 15. Charitas eadem amat proximũ propter se, & propter Deũ.

reddunt cultum, aut aliud officium, titulo iuſtitiæ, aut alio debitum: non autem vt motiuum, & obiectum formale actuum ſuorum; quod non eſt aliud quàm talis ratio debiti.

16. Amor ſui, & amor alterius differunt ſpecie moraliter. Ad quartum reſpondeo, amorem ſui vt ſui, & amorem alterius vt alterius, tam differre moraliter, quàm idem, & diuerſum. Et illum eſſe amorem concupiſcentiæ, pertinentem ad Spem: iſtum, amorem amicitiæ, qui ſolus pertinet ad Charitatem. Porro ſicut amare nobis ipſis Deum, & alia bona ſupernaturalia, non debet pertinere ad virtutes morales, ſed ad Spem Theologicam: ſic amare proximo Deum & alia bona ſupernaturalia, non debet pertinere ad virtutes morales, ſed ad Charitatem Theologicam. Neque minor eſt ratio cur hic amor ſit Theologicus, quàm ille: cùm vterque Deum æquè reſpiciat. Ex his collige Charitatem habitualem definiri ſic poſſe: Eſt habitus ſupernaturalis, quo Deum, & creaturas intellectuales in ordine ſupernaturali ſpectatas diligimus amore amicitiæ; quæque ſunt ipſis bona; propter ipſas amamus, & auerſamur oppoſita.

SECTIO III.

De obiectis materialibus Charitatis.

17. Deus eſt præcipuũ obiectũ materiale. DE his D. Thomas tota quæſt. 25. cuius doctrinam per ſe perſpicuam ſatis erit referre breuiter, & ſi quid opus fuerit annotare. Docet igitur primò, Deum & proximum eſſe obiectum materiale Charitatis, quia Charitas ad vtrumque ſe extendit: ſed magis principaliter Deum, in quo infinitè maior ratio amabilitatis elucet. Qua etiam de cauſa primum & maximum mandatum Charitatis eſt diligendi Deum, vt dicitur Matth. 22. Nimirum quia, vt addit quæſt. 26. art. 2. in qualibet amicitia præcipuè diligitur ille, in quo principaliter inuenitur illud bonum, ſuper cuius communicatione fundatur. Sicut amicitia politica principaliùs reſpicit Principem ciuitatis, à quo totum bonum commune ciuitatis dependet. Vnde & ei maximè debetur Fides, & obedientia à ciuibus. Amicitia autem Charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, quæ conſiſtit in Deo eſſentialiter, ſicut in primo principio, à quo deriuatur in omnes qui ſunt beatitudinis capaces. Et ideo principaliter & maximè Deus eſt ex Charitate diligendus. Confirmatur, quia Charitas ſupernaturalis eſt amor ordinatiſſimus, tenditque ex natura ſua recto & conuenienti ordine in ſua obiecta. Ergo magis & principaliùs tendit in illud, quod amabilius eſt. Ergo magis in Deum, quàm in proximum, aut quodvis aliud obiectum creatum.

18. Charitas ipſa continetur in obiecto. Docet ſecundò, Charitatem ipſam contineri in obiecto materiali Charitatis: quia Charitas amatur Charitate, non vt id cui volumus bonum, ſed vt bonum quod alicui volumus. Quæ doctrina D. Thomæ extendenda eſt ad cætera bona ſupernaturalia, atque etiam ad naturalia, in ordine ad Deum, vel ad finem ſupernaturalem ſpectata. Quia hæc omnia amantur per Charitatem, non vt id cui volumus bonum, cùm non ſint naturæ intellectuales, quæ ſolæ ſunt amabiles conuenienter amore amicitiæ; ſed vt bona quæ pertinent ad naturas intellectuales dilectas propter ſe, quæque illis conuenienter expetuntur. Similitérque mala oppoſita comprehenduntur in obiecto materiali Charitatis: quia eiuſdem virtutis eſt proſequi bonum, & auerſari oppoſitum.

Tertiò docet, creaturas irrationales poſſe amari Charitate, non vt amici amantur, ſed vt bona quæ amicis optantur. Quod probat triplici ratione. Primò, quia amicitia, inquit, habetur ad eum, cui volumus bonum. Sed non poſſumus propriè velle bonum creaturæ irrationali; quia non eſt eius propriè habere bonum, ſed ſolùm creaturæ rationalis, quæ eſt domina vtendi bono quod habet, per liberum arbitrium. Quibus verbis D. Thomas per, *habere propriè bonum*, intelligit ſpecialem quendam modum moralem poſſidendi bonum, cum dominio, ſeu libera poteſtate vtendi: quod ſolis naturis intellectualibus conuenit. Secuda ratio eſt, quia amicitia fundatur in aliqua communicatione vitæ, vt docet Ariſtot. 8. Ethic. cap. 3. & 4. Creaturæ autem irrationales non poſſunt habere communicationem in vita humana, quæ eſt ſecundùm rationem. Vnde nulla amicitia poteſt haberi ad creaturas irrationales, niſi fortè ſecundùm metaphoram. Tertiò, Charitas fundatur ſuper capacitate bonorum ſupernaturalium, & communicatione beatitudinis, cuius creaturæ irrationales non ſunt capaces: ergo, &c. Poſſunt tamen amari ex Charitate, ſicut bona quæ alijs volumus: quatenus ſcilicet ex Charitate volumus eas conſeruari ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum. 19. Et creaturæ irrationales.

Quartò, docet hominem ſeipſum diligere ex Charitate, non quidem vt ſeipſum, ſed tanquam ad Deum pertinentem. Ratio primæ partis eſt, quia homo, inquit, non habet amicitiam ad ſeipſum, vt ſic, ſed aliquid maius: id eſt, non habet ſolùm amorem fundatum in vnione & communicatione; ſed fundatum in vnitate & identitate, quæ eſt aliquid maius. Atque iſte amor eſt eatenus maior; quamvis alia ratione ſit inferior amore Charitatis, quia eſt amor concupiſcentiæ. Ratio ſecundæ partis eſt: quia homo ſpectatus quatenus pertinet ad Deum, conſideratur vt bonum Dei: ideóque pertinet ad amorem Charitatis erga Deum. Poteſt tamen aliter homo ſpectare ſeipſum, vt perſonam intellectualem, capacem beatitudinis & bonorum ſupernaturalium, non ſpectatâ identitate ad ſeipſum, vel relatione ad Deum, propter quem ſolùm diligatur. Et ſic etiam eſt obiectum Charitatis, quia conſiderat ſe aliquo modo vt alterum. Atque ita Deus ſeipſum diligit abſolutè vt naturam intellectualem infinitè perfectam: & non tantùm vt eundem ſibiipſi, amando ſibi perfectionem illam, qui amor ſimilis potius eſt Spei noſtræ, id eſt, amori concupiſcentiæ & ſtudio proprij boni, quàm amori Charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed verſatur circa alterum, quaſi alterum. Ratio verò cur Deus 20. Et ipſe met diligens.

vtroque modo se amet, est quia illius amor realiter vnicus & simplex, continet virtualiter & æquiualenter perfectionem amoris nostri, quo vtroque modo in illum tendimus, versatúrque circa Deum omni modo, quo rectè & conuenienter amari potest.

21. Secūdùm animam & corpus. Quintò, docet non solùm animam, sed etiam corpus ex Charitate diligendum esse: non secundùm infectionem & corruptionem culpæ, quæ potiùs detestanda est: sed secundùm naturam à Deo creatam, quatenus vtile est ad obsequium Dei. Adde etiam, quatenus est à Deo datum, & ordinatum ad æternam beatitudinem, & capax gloriæ peculiaris. Præterquam quod est pars totius compositi rationalis, per se amabilis ex Charitate. Bona quoque omnia, tum animæ, tum corporis, possunt amari ex Charitate, vel in ordine ad Deum cui placent,& ad quem aliquo modo pertinent; vel in ordine ad proximum, quatenus possunt conferre ad eius beatitudinem, & statum supernaturalem.

22. Et peccatores, & inimici. Sextò denique, docet peccatores, & inimicos, amandos esse ex Charitate: non vt peccatores, vel vt inimicos, quia sic vitium amaremus: sed secundùm naturam & substantiam capacem æternæ beatitudinis. Angelos quoque bonos debere amari ex Charitate, quia cum illis participamus in communicatione beatitudinis: & ipsi pariter sunt creaturæ intellectuales capaces bonorum supernaturalium. At verò Dæmones (& de damnatis par est ratio) posse quidem diligi secundùm substantiam, volendo vt maneant ad gloriam Dei, cuius iustitiæ, & potentiæ manifestandæ inseruiunt: sed non posse diligi vt amicos, quia sunt iam exclusi ab ordine status supernaturalis, neque sunt ampliùs capaces beatitudinis, & aliorum bonorum supernaturalium, propter decretum Dei immutabile: ideóque hæc bona non possunt illis expeti. Intellige perfectè & efficaciter: quia Dæmones, & damnati, simpliciter diligi nequeunt amore perfecto Charitatis: licet imperfecto modo possit Charitas versari circa illos per voluntates & desideria imperfecta: vt rectè notat Suares disp. 1. de Charitate Sect. 1. num. 4. Enim-vero esset contra Charitatem, quæ iustitiam Dei amplectitur & amat, velle damnatis efficaciter beatitudinem, à qua per iustum Dei decretum fuerunt in perpetuum exclusi: aut nolle illis efficaciter damnationem, cui sunt iustissimè addicti. At non dolere inefficaciter, quòd tam nobiles substantiæ in tantam infœlicitatem inciderint, & optare vt oppositum euenisset.

An etiam Dæmones, & damnati?

23. Inimici quatenus diligēdi? Addit S. Thomas art. 8. & 9. inimicos non tantùm posse, sed etiam debere ex Charitate diligi in articulo necessitatis: tuncque posse omnino excludi à Charitate per propositum non diligendi, aut à communibus signis, & effectibus externis dilectionis: cuiusmodi sunt suffragia, & orationes pro omnibus fidelibus viuis, & defunctis, beneficium collatum communitati, eleemosyna publica, & similia; quia id esset argumentum odij, & vindictæ. Non esse tamen necessarium extra articulum alicuius necessitatis exhibere illis particularia signa, & effectus dilectionis. Cuiusmodi sunt conuiuari, colloqui, emere, vendere, salutare, & similia officia particularia; quæ non magis debemus inimicis, quàm alijs. Non tenemur autem cum quolibet homine conuiuari, loqui, &c. Ergo neque cum inimicis, nisi aliqua necessitas id exigat: vt si scandalum vitandum sit, vel si inimicus indigeat. Sed hæc, quia non pertinent ad explicandam naturam obiecti, sed potiùs obligationem præcepti Charitatis, in disputationem de præceptis rejicienda sunt.

Superest hîc difficultas: quia cùm multa obiecta materialia pertinent ad eandem virtutem, debent omnia conuenire in aliqua vna ratione formali, à qua virtus sumat speciem, & vnitatem suam. Atqui non est aliqua ratio formalis, in quâ vnâ prædicta omnia Charitatis obiecta materialia conueniant. Ergo, &c. Respondeo omnia obiecta materialia Charitatis conuenire in ratione boni per se amabilis amore amicitiæ, quod bonum propter se amatur; & propter ipsum reliqua, tanquam ipsius bona, vel mala, sub affectum amoris, vel odij Charitatis cadunt. Cæterùm virtutes sunt quidem id quod sunt in ordine ad obiectum: sed non sumunt speciem suam; & vnitatem ab obiecto formaliter, verùm ex seipsis formaliter sunt id quod sunt: & virtutes supernaturales sunt potentiæ quædam infusæ, quæ vnâ simplici entitate valere possunt ad multa diuersa, sicut potentiæ naturales valent ad plurima: vt intellectus ad omnia intelligibilia: & voluntas ad omnia volibilia. Neque habent opus vna aliqua ratione communi vniuoca, sub qua tendant. 24. Quæ sit ratio formalis obiecti Charitatis?

SECTIO IV.

De ordine inter obiecta Charitatis: & primò, quomodo teneamur diligere Deum super omnia?

DVplex est ordo inter obiecta Charitatis. Vnus est inter materiale, & formale; in eo consistens, quòd voluntas feratur in materiale propter formale, atque ita priùs ratione, vel naturâ in formale; quàm in materiale, quippe quod est ratio, vel causa volendi materiale. Priùs, inquam, prioritate *à quo*, siue ex parte obiectorum; quorum vnum cadit sub voluntatem dependenter ab altero, & ratione illius. Est enim obiectum materiale, id quod appetitur ratione alterius: formale verò est id, quod propter se, & ratione sui appetitur, quatenus tale est. In omni autem actu, quo vnum appetitur propter aliud, necessarium est aliquid; quod per se appetatur, & terminet voluntatem, ne abeatur in infinitum. Porro id, ratione cuius appetitur aliud, dupliciter se habere potest respectu illius: nimirum vel vt forma, vel vt finis. Prioris exemplum est, quando amatur aliquid vt Sanctum, & Deo gratum: Sanctitas enim & gratia est forma, propter quam appetitur quod alioquin per se non appeteretur. Posterioris exemplum est, cùm quis appetit aliquid propter aliud consequendum, vt martyrium propter vitam æternam. 25. Ordo inter materiale, & formale.

26. *Alius ordo inter ipsa obiecta mater: vel formalia.* Alius ordo est inter obiecta particularia non constituentia vnum obiectum per modum materialis, & formalis, sed pertinentia ad vnum vniuersale continens multa particularia obiecta materialia, vel formalia. Et hic ordo iterum duplex est. Vnus excellentiæ, & dignitatis: alter obligationis, & necessitatis. *Duplex ille est: necessitatis, & dignitatis.* Priori modo Charitas priùs Deum respicit, quàm creaturas: & ex creaturis, priùs eas, quæ sunt maiores, & amabiliores, consideratas simpliciter vt tales, & secundùm gradus amabilitatis, quæ vnicuique illarum inest. Posteriori modo Charitas priùs respicit ea, quorum affectus magis necessarius est, & quibus alia cedere debent in affectu, vel effectu: quando varia obiecta ita concurrunt, vt quidam actus, alioqui conuenientes circa illa, non se compatiantur, sed vnus debeat præferri alteri. Exemplum est, quando parentes sunt iuuandi, simúlque alius quispiam: vel quando concurrunt duo, quorum vnus iuuandus sit ad salutem æternam, alius ad temporalem.

27. *Quomodo differunt?* Non est autem idem, ordo dignitatis, & necessitatis. Nam interdum id quod per se dignius est, cedit minùs digno, quoad actus, qui circa illa exerceri possunt. Exempli gratiâ, quando concurrunt proximus in graui necessitate iuuandus, & Deus opere supererogationis honorandus, vel in altissima, & quietissima contemplatione intensè amandus. Vnde Matth. 15. v. 5. Christus eos reprehendit, qui parentes rebus necessarijs fraudabant, vt eas Deo offerrent. Nimirum quia, licet per se loquendo dignius, & nobilius sit offerre Deo, quàm dare hominibus: istud tamen erat magis necessarium. Et cap. 12. v. 7. *Misericordiam*, inquit, *volo, & non sacrificium.* Licet sacrificium, quod est actus præstantissimus Religionis, nobilius sit, quàm opus misericordiæ, putà eleemosynæ.

28. *Tripliciter potest amari vnum plus alio.* De hoc posteriori ordine sermo est in præsenti quæst. Vbi de ordine seruando in dilectione Dei, nostri, & proximi disputamus, vt explicemus doctrinam D. Thomæ totâ quæst. 26. Prius verò notandum est tripliciter posse amari vnum plus quàm aliud. Primò obiectiuè: optando illi maius bonum, quam alteri. Secundò appretiatiuè: præferendo illud alijs: ita vt, si opus esset hoc, aut illa perdere; mallemus hoc potiùs, quàm illa retinere: & vi illius affectus simus parati cætera potiùs, quàm illud deserere. Tertiò intensiuè, id est, maiori feruore, & vehementiâ voluntatis, seu maiori graduum intensionis latitudine. Rectè autem aduertit Ægid. Con. disp. 25. dub. 1. n. 9. amorem intensiuè maiorem non includere necessariò comparationem prælationis inter ea, quorum vnum plus altero amatur: secus autem amorem appretiatiuè maiorem. Nam vt amem intensiùs Petrum, quàm Paulum; non est necessarium, vt Petrum illi præferam: imò possum minoris facere eum, quem diligo maiori intensione, & teneritudine affectus. *Amor appretiatiuè maior est comparatiuus.* Secus autem si magis amo appretiatiuè. Nam hic amor consistit essentialiter in comparatione tacita, vel expressa, obiectorum, quorum vnum pluris alio fit. Tacitâ, inquam, vel expressâ: quia dupliciter fieri potest illa comparatio: expressè videlicet, & formaliter; aut tacitè, & virtualiter. Potest enim Deus v. g. magis amari appretiatiuè, quàm creaturæ, primò expressè illum comparando cum creaturis, vel sigillatim enumeratis, vt Paulus faciebat Rom. 8. v. 38. cùm diceret: *Quis nos separabit à Charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, &c. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, &c. neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei:* Vel Deum præferendo expressè omnibus rebus alijs confusè tantum conceptis: proponendo v. g. omnia potiùs perdere, quàm Deum grauiter offendere, de nullo tamen alio cogitando in particulari: vel formando serium, & efficax propositum placendi Deo in omnibus, aut abstinendi ab omnibus illi displicentibus, præcipuéque à peccatis mortalibus; aut illa omnia detestando, quia Deo displicent. Secundò, implicitè tantùm & virtualiter, amando scilicet Deum propter se, sine vlla expressa comparatione cum creaturis: & tamen beneuolentiæ affectu, ex quo sequeretur propositum placendi Deo in omnibus, & vitandi omne peccatum mortale, & quidvis aliud potiùs amittendi, quàm Deum, si de illo proposito formando cogitatio occurreret.

His præmissis, Dico primò, Deum super omnia obiectiuè, & appretiatiuè amandum esse, etiam super nos ipsos: & officia erga ipsum necessaria cæteris omnibus anteponi debere. 29. *Deus est amandus super omnia obiectiuè.* Prima pars assertionis, quòd Deus sit amandus super omnia obiectiuè, probatur, quia magis amare aliquem obiectiuè nihil est aliud, quàm maius bonum illi optare. Atqui Deo maius bonum optandum est, quàm cæteris omnibus. Cùm enim ipse solus sit summum bonum, cui potest conuenire perfectio simpliciter, & in omni genere infinita: hæc illi soli seriò, & conuenienter expeti potest. Neque solùm potest, verùm etiam debet: quia Deus, vt Deus, id est, secundùm suam supremam, & infinitam perfectionem amandus est, séque vt talem amari præcipit, cùm absolutè, & sine vlla exceptione ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Deuter. 6. & Matth. 22.

Secunda pars, quòd sit amandus etiam super omnia appretiatiuè, probatur, quia Deus cæteris omnibus præferendus est: non solùm ijs, quæ ipsius voluntati, & amicitiæ aduersantur: sed simpliciter, & absolutè rebus omnibus ab eo distinctis: neque enim licitè possumus aliquid æqualiter cum Deo appretiatiuè amare, & tanti facere, atque ipsum Deum. 30. *Atque etiam appretiatiuè.* Estque planè necessarium, vt vi affectus, quo Deum propter se diligimus, parati simus cætera omnia deserere potiùs, quàm illum; nosque ipsos potiùs, & quæcunque Charissima perdere iuxta illud Christi, Luc. 14. v. 26. *Qui non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam* (quando scilicet id necessarium est ne Deum deseramus) *non potest meus esse Discipulus.* Confirmatur ex præcedenti parte conclusionis: quia Deus,

vt Deus, est infinitè maior cæteris rebus omnibus. Atqui tenemur eum diligere vt Deum: Ergo vt maiorem infinitè cæteris omnibus, ac proinde magis appretiatiuè.

31. Etiam supra nos ipsos. Quod est iuxta naturalem inclinationem voluntatis. Tertia pars, quòd sit amandus etiam supra nos ipsos, patet ex iam dictis. Dubitari verò solet, vtrum hic ordo magis amandi Deum, quàm nos ipsos, sit consentaneus inclinationi naturali voluntatis. Respondeo affirmatiuè cum D. Thoma q. 26. art. 3. Ratio est, quia voluntas, quæ est appetitus rationalis, naturaliter inclinatur, quà talis, ad id, quod recta ratio naturalis dictat, & præcipit. Sed recta ratio naturalis dictat, & præcipit Deum esse amandum super omnia, etiam supra nos ipsos, tam obiectiuè, quàm appretiatiuè. Ergo, &c. Maior patet, quia naturale est homini, quà homo est, viuere secundùm rectam rationem; & omne peccatum legi naturali oppositum, est contra naturam hominis prout rationalis est. Minor verò probatur, quia præceptum amandi Deum super omnia, tam obiectiuè, quàm appretiatiuè, est naturale, vt ostendemus inferiùs. Ergo recta ratio naturalis dictat, & præcipit Deum esse tali modo amandum. Ergo illud est conforme inclinationi hominis saltem supremæ, quà rationalis est. Confirmatur, quia suprema illa inclinatio naturæ rationalis non est vitiosa: alioqui peccatum esset sequi supremam, & potissimam inclinationem nostram; quod absurdum est; sed potiùs est recta, & bene ordinata; prout decet naturam bene institutam à Deo. Atqui vitiosa esset, & inordinata, nisi Deum magis amaret obiectiuè, & appretiatiuè, quàm quidlibet aliud. Est enim inordinatum aliquid aliud Deo æquare, aut præferre. Confirmatur secundò, quia quælibet res fertur naturaliter præcipua inclinatione in suum finem vltimum: Deus autem est finis vltimus naturæ rationalis.

32. Occurritur obiectioni. Nec obest quòd, vt experientia docet, nisi auxilio gratiæ speciali adiuuemur, vehementiùs inclinamur in amorem nostri, quàm in amorem Dei; vnde nascitur difficultas sincerè amandi Deum in omnibus, & nostris omnibus commodis præferendi. Primò enim, aliud est amare vehementiùs, siue intensiùs; & aliud, amare magis obiectiuè, aut appretiatiuè. Deinde, illud oritur ex inferiori, & animali inclinatione hominis, quæ ad se, suáque commoda magis propensa est: non autem ex inclinatione suprema voluntatis, quæ rationalis est, id est, rectæ rationi conformis, & animalem corrigit, atque illi in multis aduersatur: vnde illa pugna interior inter legem membrorum, & legem mentis, vt loquitur Apostolus Rom. 7.

33. Officia erga Deū cæteris præferenda. Quarta pars conclusionis, quòd officia erga Deum necessaria cæteris omnibus anteponenda sint, ita vt quisque malit non offendere Deum, quàm sibi vel alijs bona quæcunque procurare, probatur, quia Deus tam est amabilis, & tam dignus amore, ac honore; vt quodvis malum sit potiùs ferendum, quàm in iustam, verámque ipsius offensionem incurratur. Tantáque est turpitudo huius mali, vt quocunque alio malo sit maior, nec vllo bono compensari queat. Vnde Paulus ad Rom. 3. declarat non esse faciendum vllum malum, vt eueniat bonum. Notandum tamen, interdum id, quod esset necessarium per se, desinere esse tale propter aliud occurrens, & magis vrgens: vt quando propter opus misericordiæ, quod Deo gratius sit hîc & nunc, relinquitur opus Religionis, alioqui necessarium. Putà, quando relinquitur sacrum die festo, vt iuuetur ægrotus in necessitate.

Dico secundò, conuenientius quidem, & melius esse, non tamen necessarium ex præcepto naturali, aut positiuo, amare Deum intensiuè super omnia, id est, maiori intensione & feruore, quàm quidvis aliud. Hæc assertio est contra Petrum à Soto lect. 14. de Pœnit. in fine, & lect. 15. §. *Cæterùm*: Vbi docet ad actum veræ Charitatis necessariò requiri, vt nihil aliud amemus tam intensè, quàm Deum. Est etiam contra Adrianum in 4. q. 2. de Pœnit. & Quodl. 5. a. 3. affirmantem necessarium esse ad actum contritionis, vt doleamus de peccatis propter Deum; quantum intensè possumus: & consequenter ad actum dilectionis necessarium esse, vt ametur Deus quantâ potest intensione à nobis amari. Nobiscum verò sentiunt Ioan. Med. Cod. de Pœnit. tract. 1. q. 5. Dom. Soto in 4. dist. 17. q. 2. art. 4. Vega lib. 17. in Trident. cap. 24. Henriq. lib. 4. de Sacram. cap. 27. num. 2. Valent. quæst. 4. de Charit. punct. 1. Suares disp. 1. de Charit. Sect. 4. num. 10. & Ægid. Con. disp. 25. dub. 1. num. 14. Quibus adde D. Thomam in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 3. ad 4. vbi docet hominem bene dispositum erga Deum horrere aliquando pœnam vehementiùs, quàm culpam (quod prouenit ex amore magis intenso sui ipsius) & tamen malle pœnam subire, quàm committere culpam; quod arguit maiorem Dei amorem appretiatiuè. 34. Deus non est necessariò amandus intensiuè super omnia.

Probatur Ratione. Ratio eiusdem conclusionis est, quia non est per se malum; sed potiùs rectum, & honestum, vt non tantùm Deus, verùm etiam proximus tota intensione Charitatis amentur, sicut amari à Beatis credibile est. Eadémque Charitas habitualis se tota inclinat ad vtrumque amandum, & quò intensiùs amat, eò perfectiùs operatur, cæteris paribus. Aliunde verò nullum ostenditur esse præceptum, quale prætendunt aduersarij, vt patebit respondendo eorum argumentis: Et præcepta, sicut & quævis alia onera moralia, non sunt leuiter, & sine sufficienti ratione suscipienda: præsertim istud, ex quo magna sequeretur perplexitas. Nam cùm nobis certò constare nequeat an vnus actus sit intensior alio, sequeretur hominem magnis vexari scrupulis, fere semper dubitando an actus sit sufficienter intensus, & an aliquid aliud æquè intensè dilexerit. Hoc autem non est conforme bonitati diuinæ, cuius iugum suaue est, & onus leue. Multóque maior esset perplexitas, & difficultas, si teneremur amare Deum tota intensione voluntatis, & quantùm possumus, vel absolutè, vel respectiuè ad auxilia gratiæ oblata: quam intensionem vix vllus attigit, præter Christum, & Beatam Virginem. Deinde, ex sententia Petri Soti sequeretur eum, qui aliquid amauit intensè vt centum, & iam Deum amat intensè vt nona-

ginta, non exercere actum veræ Charitatis: secus verò illum, qui amat tantùm vt quatuor, & nihil aliud hucvsque tanta intensione amauit. Hoc autem meritò absurdum videtur. Ex quo etiam sequeretur è duobus parem actum contritionis, & dilectionis habentibus, vnum iustificari, alterum non: & multis nociturum quòd antea intensè operati essent. Atqui Deus in Scriptura cuicunque diligenti, & contrito, seu dolenti de peccatis propter ipsum, promittit veniam, & reconciliationem, nec vsquam talem differentiam tradit. Eadémque incommoda sequuntur ex sententia Adriani, intellecta de contritione summa respectiuè ad auxilium gratiæ, id est, quanta potest cum illo elici. Sequeretur enim non iustificari per contritionem intensam vt decem, eum, qui præuenitur ad illam eliciendam auxilio gratiæ vt duodecim. Et è contrario, iustificari per contritionem intensam vt duo, eum, qui præuenitur auxilio tantùm intenso vt duo.

35. Quomodo amandus ex toto corde. Objicies primò, Deum præcipere, vt eum amemus ex toto corde, & ex totis viribus, Deuter. 6. & Matth. 22. Non amatur autem ex toto corde, vel ex totis viribus animæ, nisi ametur quanta intensione possumus cum auxilijs gratiæ, quæ habemus, vel nisi ametur intensiùs, quàm quidlibet aliud. Respondeo, sensum illius præcepti esse, quòd non debemus habere mentem diuisam ad aliquid aliud Deo repugnans, sed ita illum diligere, vt nihil amemus eius amori contrarium; paratique simus totum cor, viresque omnes, & totam animam, vitámque nostram impendere in eius obsequium; potiúsque omnia perdere, si opus esset, quàm ipsum. Iuxta illud D. Augustini lib. 1. de Doct. Christ. cap. 22. *Cùm ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare; vt aliâ re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.*

36. Qui potest Charitas amare aliquid intensiùs, quam Deum? Objicies secundò: Non potest quicquam aliud diligi ex Charitate, nisi propter Deum. Ergo non potest quidquam aliud amari ex Charitate intensiùs, quàm Deus. Non potest, inquam, non modò iure, & licitè; sed ne quidem de facto: quia impossibile est amari aliquid intensiùs, quàm motiuum, propter quod solum amatur. Respondent aliqui concedendo antecedens, & negando consequentiam: putant enim voluntatem instructam habitu Charitatis, vel auxilio æquiualente, posse pro sua libertate amare intensiùs proximum, quàm Deum, etiam illo actu, quo proximum non amat, nisi propter Deum. Sed alij meliùs censent hoc esse impossibile, quia non potest attingi obiectum materiale sine formali, quod est illi tota ratio cognoscendi, vel amandi, vt ostendimus disp. 1. Sect. 9. Ergo quilibet gradus intensionis actus amoris, quo diligitur proximus propter Deum dumtaxat, attingit indiuisibiliter ipsum Deum. Ergo quanta intensione diligitur proximus propter Deum, tanta diligitur ipse Deus. Ergo proximus non amatur intensiùs, id est, maiori graduum intensione, quàm Deus: Siquidem tota intensio actus vtrumque attingit indiuisibiliter, & quidem principaliùs Deum, tanquam motiuum amandi proximum. Confirmatur, quia effectus non potest esse perfectior sua causa adæquata. Et quemadmodum intellectus non potest clariùs, & firmiùs assentiri conclusioni, quàm præmissis, per quas solas illam cognoscimus, & propter quas dumtaxat illi assentimur: ita fieri nequit, vt voluntas intensiùs amet obiectum materiale, quàm motiuum formale, propter quod solum illi adhæret per affectum: tam enim motiuum integrum amandi est sola, & adæquata causa amoris; quàm motiuum integrum cognoscendi est adæquata causa assensus. Quare admisso consequente obiectionis propositæ, negandum est antecedens. Ostendimus enim Sect. 1. & 2. proximum posse ex Charitate amari, etiam propter seipsum, vero amore amicitiæ. In quo affectu non repugnat amari proximum intensiùs alio affectu, quo Deum diligimus propter se, aut quo amamus eundem proximum propter Deum. Plura de hac difficultate videri possunt apud Ægid. Coninck disp. 25. dub. 2. Vbi nobiscum sentit, & alia ratione id probat, sed, vt puto, minùs efficaci. Frustra verò objicit secundam rationem à nobis allatam nimis probare, quia ex ea sequeretur nos non posse amare proximum tam intensè, quàm Deum: sicut non possumus tam perfectè assentiri conclusioni propter præmissas, quàm ipsis præmissis. Respondeo enim nos quidem non tam perfectè assentiri conclusioni, quàm præmissis, quoad prioritatem, & independentiam; secus autem quoad intensionem, & firmitatem: tam enim intensè & firmiter, ac certò, aut euidenter assentimur conclusioni, quàm præmissis, quarum veritatem stare non posse videmus sine veritate conclusionis.

SECTIO V.

An, & quomodo in bonis spiritualibus teneamur nos ipsos magis diligere, quàm proximum?

37. Non tenemur amare intensius bonum nostrum spirit. quã proximi. Prima conclusio: Non tenemur ex Charitate diligere magis intensè bonum nostrum spirituale, quàm proximi: sed possumus laudabiliter illud æquè intensè diligere. Patet ex dictis paulò ante. Si enim licet proximum diligere æquè intensè, ac Deum: multò magis æquè, ac nos ipsos. Talis videtur fuisse Pauli affectus cùm diceret Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis, &c.* vbi maiorem etiam erga illos, quàm erga se, affectum præ sefert. Et 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Et 1. Corinth. 9. v. 19. & sequentibus, ait se omnibus omnia factum esse: quasi Iudæum Iudæis, & tanquam Gentilem Gentilibus: séque in ipsos quodammodo transformasse, vt omnes faceret saluos. Et Philip. 1. v. 8. *Testis enim mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu*

Christi : quæ verba valde eximium, & perquam intensum affectum erga illos significant.

38. Neque magis obiectiuè. Secunda conclusio : Non tenemur ex Charitate amare magis obiectiuè bonum nostrum spiritale, quàm proximi, id est, maiora nobis quàm illi spiritalia bona desiderare, generatim loquendo : sed possumus honestè parem, aut maiorem illi gratiæ, aut gloriæ gradum, & alia bona spiritalia æqualia, vel ampliora optare. Ita docet Lorca 2. 2. Sect. 3. disp. 28. num. 2. & probatur primò Scripturæ testimonijs, & exemplo Sanctorum : *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum?* aiebat Moyses ministro suo Iosue, nuntianti alios Prophetare, sicut Moisem, Numer. 11. v. 29. Et Paulus ad Agrippam Regem, Act. 26. v. 29. *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Probatur secundò ratione manifesta. Est enim honestum, & laudabile, optare vt alij æquè perfectè, ac nos ipsi, in Deum credant, eúmque diligant: & gaudere quòd ab Angelis, vel à Sanctis perfectioribus, atque à Beatis omnibus, tanta Charitate ametur. Quódque Beata Virgo, & Apostoli tam eximium gratiæ, & gloriæ gradum supra nos consequuti sint : quòd denique Christus, & mater eius Sanctissima, ad tantum Sanctitatis gradum, & spiritualium bonorum abundantiam euecti sint, vt nullus alius sit ad illam peruenturus, neque secundùm potentiam, & legem ordinariam peruenire possit. Cùm etiam Deus antecedenti voluntate efficaci, vel inefficaci, maiorem gloriam vnis, quàm alijs destinauerit, & ad illam consequendam plura, & maiora his, quàm illis auxilia gratiæ destinauerit; potest quisque laudabiliter desiderare, vt voluntas illa æquissima, & Dei beneplacitum impleatur.

39. Contraria sententia. Contrarium sentiunt Dom. Sot. lib. 5. de Iust. q. 1. art. 6. Valent. quæst. 4. de Charit. p. 3. & Ægid. Con. disp. 25. dub. 5. num. 53. vbi affirmat contra Charitatem esse, ob quemcunque finem velle sibi minorem Sanctitatem, vel eandem sibi minùs velle, quàm ipsi proximo. Probat primò, quia Charitas inclinat semper suum subiectum, vt omnibus modis optet magis placere Deo, eúmque magis amare ; quod fit per maiorem Sanctitatem, siue Charitatem. Secundò, quia velle sibi minorem Sanctitatem non potest esse vtile ad vllum finem bonum. Tertiò, quia contra ordinem Charitatis est eligere id, quod minùs Deo placet. Qui autem optat sibi minorem Sanctitatem, eligit id quod minùs Deo placet. Probatur maior, quia Charitas nos semper excitat, vt quæramus ea quæ magis Deo placent. Quartò, vnicuique incumbit maior cura sui, quàm aliorum. Quare magis obligatur promouere Dei gloriam in se, quàm in alijs : sicut superior tenetur magis curare perfectionem suorum subditorum, quàm aliorum. Ergo Charitas magis inclinat vt procurem meam salutem, quàm aliorum, quia semper magis me inclinat ad id, ad quod magis obligor.

Ad primum respondeo primò, non teneri nos ad id omne, ad quod Charitas inclinat. Secundò, Charitatem quidem inclinare nos, vt magis, ac magis studeamus Deo placere, & in eius amore semper proficere : Sed non vt maiorem nobis Sanctitatem optemus, quàm Beatæ Virgini, vel Apostolis. Ad secundum respondeo, posse illud esse vtile, vt nos diuino beneplacito conformemus, qui vult antecedenter maiorem Sanctitatem quibusdam alijs, quàm nobis. Est etiam vtile ad Dei gloriam, cùm nos remissè, & imperfectè Deum amemus, optare vt alij multò perfectiùs eum diligant, & gaudere quòd à Beatis, & à Sanctis excellentioribus tam perfectè ametur. Ad tertium respondeo, eum, qui sibi minorem Sanctitatem optat, quàm alteri qui ad maiorem fuit antecedenter à Deo destinatus, putà Beatæ Virgini, vel Apostolis ; non optare id quod minùs Deo placet : nam Dei beneplacitum antecedens est, vt ille maiori gloria potiatur. Ad quartum respondeo, vnumquemque debere quidem in necessitatibus spiritualibus prouidere sibi potiùs, quàm alijs : & subditis suis potiùs, quàm alienis. Non tenetur tamen facere quidquid potest ad Dei gloriam in se promouendam ; vel optare, vt nullus alius magis eam promoueat, vel vt aliunde non magis in alijs, quàm in se vno promoueatur. Soluuntur eius argumenta.

40. Charitas obligat vt peccatum vitemus præ omnibus. Tertia conclusio : Tenetur quisque ex Charitate seipsum appretiatiuè ita præ alijs diligere, vt nullum malum culpæ velit committere, ad vitandum quodcunque alterius peccatum, aut procurandum quantumcunque bonum aliorum, ac ne quidem salutem totius vniuersi. Probatur primò ex Apostolo, Rom. 3. vbi blasphemiæ damnat eos, qui dicunt *Faciamus mala, vt eueniant bona* : significátque illud absolutè, & vniuersaliter esse illicitum & malum. Charitas autem inclinat, & obligat ad vitandum quidquid illicitum est, quia Deo displicet. Ergo inclinat, & obligat ad nullum malum faciendum propter quodcunque aliorum bonum, aut propter malum alterius vitandum. Probatur secundò, quia quocunque bono fine peccatum fiat, est illicitum eo ipso, quòd est peccatum : neque enim tollitur eius malitia intrinseca per ordinem ad bonum finem extrinsecum. Ergo quicunque illud facit, quamvis ex bono fine ; malè facit, & Deo displicet. Ergo tenetur ex Charitate ab illo abstinere. Neque objicias, è duobus malis posse laudabiliter eligi quod minus est, iuxta Regulam Cap. *Duo sunt*, dist. 13. ideòque peccatum proprium leue posse laudabiliter eligi præ alieno graui. Respondeo enim Regulam illam esse intelligendam quando è duobus malis vnum necessariò subeundum est, eò quòd ambo non possunt omnino vitari, vt sæpe contingit in malis non culpabilibus : Et in ipsis malis culpæ aliquando contingit, cùm scilicet quis ex conscientia perplexa iudicat se peccare, quidquid faciat : tunc enim potest laudabiliter eligere id, in quo minus peccatum esse putat. Posset etiam ex conscientia erronea contingere, vt quis existimet melius sibi esse peccatum aliquod veniale, committere, quàm pati vt alius grauiter peccet. Nos autem hîc loquimur non de

eo quod esse potest ex conscientia erronea; sed de eo quod vera, & recta ratio, prudénsque ordo Charitatis requirit: secundùm quem non potest quisquam licitè peccare vel leuiter, vt alter à grauiori peccato abstineat; quod liberè committit, & quod potest vitare, si velit.

41. Interdum aliquid de illicito fit licitũ, aut etiam necessariũ.

Notandum autem est primò, aliquando contingere vt id, quod alioqui malum esset, desinat esse tale aduenıente aliqua circumstantia: imò etiam fiat necessarium moraliter, atque idcirco Charitas ad illud obliget; quippe quæ obligat ad id omne, quod aliunde facere tenemur ex præcepto, & in cuius omissione peccatum esset. Ex. g. Malum est innocentem occidere sine causa; sed si Deus det ius in eius vitam, & præcipiat occidere, sicut Abrahæ; necessarium est Deo obedire. Malum est rapere bona alterius sine necessitate ad id cogente; sed si proximus sit in extrema necessitate, & non possit illi aliter succurrere, potest licitè accipere. Nota secundò, Quando occurrunt duæ obligationes inæquales, Charitatem semper obligare magis ad illam, quæ, omnibus pensatis, maior est, & alteri derogat: quia peccaretur illam omittendo. Ex. gr. si occurrat simul necessitas audiendi sacrum die festo, & iuuandi proximum in extrema necessitate: hæc posterior obligatio debet alteri præferri. Nota tertiò, aliud esse peccatum; & aliud, peccandi periculum. Nam istud non tenemur semper vitare: imò aliquando Charitas obligat, vt illud subeamus cum fiducia diuini auxilij ad resistendum, quando salus proximi, aut necessitas spiritalis id exigit: imò etiam propter commoda temporalia: nam ex. c. ad alendam familiam possunt suscipi, & exerceri officia quædam mercaturæ, militiæ, & similia, in quibus sunt frequentia, pericula peccandi. Et propter temporalem necessitatem parentum potest Religiosus obligari vt redeat ad vitam sæcularem, in qua maiores sunt occasiones peccandi.

Maior obligatio præferẽda minori.

Licet interdũ exponere se periculo peccandi, cum fiducia diuini auxilij.

42. Debet quisque salutem suam præferre alienæ.

Quarta conclusio: Tenetur quilibet in spiritalibus necessitatibus sibi potiùs prouidere, quàm alijs: & propriam salutem aliorum quorumvis saluti anteponere, atque ita magis appretiatiuè eam sibi optare; & si necessarium sit, malle alios, quàm seipsum, à salute excidere, vel à gratia Dei. Ita D.Thom. quæst.26. a.4. Interpretes ibidem, & Scholastici cum Magistro in 3. dist.29. Id etiam Christus insinuauit Matth. 16. v.26. cum dixit. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ratio D. Thomæ art. cit. est, quia vnitas, & identitas maior est, quàm vnio moralis, & consociatio. Amor autem, quo volumus alijs salutem, & beatitudinem, fundatur in vnione, & consociatione, secundùm quam sunt nobiscum participes boni supernaturalis à Deo consequendi. Amor verò salutis nostræ, ac beatitudinis, fundatur in identitate. Ergo illius maior debet esse vis, & obligatio. Cuius, inquit, rei signum est, quòd homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, vt proximum liberet à peccato. Verùm quia hæc ratio, nisi aliud addatur ad illius explicationem, probaret hominem teneri quoque in temporalibus necessitatibus seipsum cuilibet alteri præferre, etiam communitati, quod falsum esse dicemus paulò post: existimo rationem adæquatam assertionis propositæ sumendam esse partim ex identitate eiusdem ad seipsum; partim etiam ex bonorum supernaturalium præstantia, momentóque salutis, vel damnationis æternæ, cui nihil aliud æquiparandum est, & cui vnusquisque debet prospicere, quantum est necessarium, potiùs quàm cuiusquam alterius necessitati. Dixi autem, *in bonis spiritualibus necessarijs:* quia in alijs non puto Charitatem obligare, vt semper nos ipsos magis diligamus appretiatiuè, quàm proximum, vt dicemus conclusione sequenti.

D.Thom.

Magist.

Objicies primò, bonum commune præferendum esse priuato in eodem ordine, vt totum parti: quemadmodum patet in bonis temporalibus. Ergo salus multorum præferenda est saluti propriæ. Secundò, Charitas magis diligit id, quod magis cedit ad gloriam Dei. Salus autem plurimorum magis ad illam cedit, quàm mea salus propria: Ergo, &c. Tertiò, Moises Exod.32. & Paulus Rom. 9. optarunt à Deo separari pro salute fratrum: Ergo potest salus aliena præferri propriæ. 43.

Satisfit argumẽtis contrarijs.

Ad hæc respondeo, bonum commune non esse præferendum priuato, cum tanto priuati incommodo, quantum est malum propriæ damnationis æternæ. Similitérque Charitas non magis diligit, quidquid magis cedit ad gloriam Dei, cum tanto diligentis incommodo: neque tale bonum, tanto malo admixtum, est conuenienter diligibile. Illud autem axioma, *Charitas magis diligit quod magis cedit ad gloriam Dei,* intelligendum est, si nihil aliud obstet, aut per se loquendo: nam aliunde, aut per accidens, fieri potest minùs diligibile, vel non simpliciter diligibile respectu huius, aut illius, in his, aut illis circumstantijs. Denique Moises, & Paulus non optarunt simpliciter à Deo separari: sed Moises vsus quadam erga Deum confidentia, immiscuit se causæ populi, quem Deus volebat delere, petijtque vt Deus aut ipsum cum populo perderet, quod sciebat non futurum; aut vtrosque conseruaret. Vt si filius Regis, videns patrem iratum alicui multitudini rebellanti, & paratum immittere milites ad eius interfectionem; ei se immisceret, & ad patrem clamaret, vt ei parceret, aut se cum illa interficeret, quòd sciret patrem non facturum: Ita post D. Augustinum Ægidius Con. disp.25. dub.5. num.52. Paulus verò habuit tantummodo desiderium conditionatum, si per impossibile posset sine peccato separari à Christo, & id esset medium conueniens ad salutem Iudæorum.

Quomodo Moises, & Paulus optarunt deleri de libro vitæ, & anathema esse pro fratribus?

Quinta conclusio: Non tenemur ex Charitate nos semper alijs præferre in bonis spiritualibus non necessarijs, illáque nobis magis amare appretiatiuè. Ita Dom. Bannez ad quæst. 25. art.4. concl. 2. vbi docet posse hominem absque peccato pati aliquod detrimentum in profectu spirituali, propter commodum proximi, etiam temporale. Quia, inquit, non tenemur ex præcepto crescere semper in Charit- 44.

Non tenemur nos præferre alijs in spiritualibus non necessarijs.

tate, illamque augere quantum possumus. Ergo si quis omittat aliquando illam augere, patiarúrque detrimentum illius profectus, propter commodum proximi, non peccat. Idem etiam docet Ægid. Con. Dipſ. 25. dub. 5. num. 74. Quia, inquit, non tenemur sub peccato positiue velle maiorem nostram perfectionem: & consequenter non tenemur postponere maiorem proximi perfectionem nostræ. Confirmatur, quia, vt paulò ante dixi, potest aliquis obligari ad non continuandum, aut non suscipiendum statum Religionis, propter necessitatem parentum; quamvis in eo statu maiorem esset perfectionem assequuturus ex natura ipsius status, & conditione personæ. Multi etiam debent ex Charitate, vel ratione officij, & status sui, incumbere aliorum saluti, vacando eorum regimini spiritali, confessionibus, concionibus; aut etiam temporalibus eorum necessitatibus: tametsi futurum sit, vt ex eo minùs proficiant sibi ipsis in spiritalibus, quàm si contemplationi, & propriæ tantùm saluti, perfectionique incumberent.

45. Addit Ægid. vbi suprà, quòd si magno valde excessu proximi perfectio crederetur magis promouenda; quàm nostra retardanda, non esset improbabile Charitatem tunc posse non modò permittere, sed etiam inclinare ad hoc opus suscipiendum: quatenus ex eo tanta promotio salutis proximi, & consequenter maior Dei gloria sequeretur, quam videmur honestè posse procurare cum aliquo periculo incommodi nostri spiritualis, siue minoris perfectionis acquirendæ. Sed malè negat paulò post, num. 75. ex hoc concesso non sequi Charitatem inclinare aliquando ad minorem perfectionem propriam. Est enim manifestum quòd tunc ad illam inclinet: non quia minor est, sed quia maior sequitur ex illius detrimento. Malè quoque negat num. 76. Charitatem nunquam ita inclinare, nisi vbi magnus est excessus perfectionis alienæ. Nam cùm, vt ipsemet, sæpius affirmat in eodem dubio, Charitas per se magis inclinet ad illud omne, ad quod magis obligamur: Obligat Prælatum v.g. vt etiam cum aliquo suæ perfectionis detrimento vacet regimini subditi, tametsi non multò magis profecturi: & Parrochum, vt vacet audiendis confessionibus pœnitentium: licet ab illis fructus non adeo magnus speretur. Ad illa enim obligatur ex officio. Porro aliud est inclinatio Charitatis; aliud obligatio. Charitas semper inclinat subiectum ad id quod ipsum facere meliùs est, & Deo gratius, pensatis omnibus: sed non semper ad illud obligat.

SECTIO VI.

Vtrum in bonis temporalibus teneamur nos magis diligere, quàm alios: & inter illos quinam sint præferendi?

46. Salus proximi est præferenda proprio bono corporali. PRima Conclusio: Tenetur quisque magis diligere salutem proximi, quàm proprium bonum corporale. Vnde existenti in extrema necessitate spiritali debet succurrere, etiam cum vitæ propriæ periculo, atque dispendio. Ita D. Thomas quæst. 26. art. 5. in c. & ad 3. alijque communiter ibidem, vel in 3. Sentent. dist. 27. aut 29. Probatur ex Ioan. 15. v. 12. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Christus autem ita nos dilexit, vt vitam propriam pro salute nostra dederit. Et 1. Ioan. 3. v. 16. *In hoc cognouimus Charitatem Dei, quia ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ratio est, quia Charitas exigit, vt, si possumus exiguo nostro damno ingens proximi malum auertere, id faciamus, si proximus est in extrema necessitate, neque sine opera nostra malum auerti possit. Atqui mors corporalis nostra exiguum damnum est, si comparetur cum malo spiritali proximi, præsertim æternæ damnationis. Ergo, &c. Dixi autem, *si proximus est in extrema necessitate*, & nimirum si opera nostra illi prodesse possit, sitque probabilis spes illum iuuandi. Nam sine spe, frustra, & temerè vita exponeretur. Et extra casum extremæ necessitatis non tenentur homines communiter alijs succurrere cum tanto periculo: exceptis Prælatis, seu Pastoribus, & Superioribus, qui plus habent obligationis, quàm alij; tenentúrque non tantùm in extrema; sed & in graui necessitate: Neque possunt, quando necessitas incumbit, renuntiare officio.

Dicitur autem extrema necessitas, quando malum sine opera nostra non potest omnino euadi, aut secundùm moralem æstimationem impossibile est illud euadere. Ex. gr. si infans sine baptismo moriturus est: si quis existens in peccato mortali est occidendus in somno, aut in phrenesi, ex quo sequeretur æterna damnatio: aut si desit confessarius, & moribundus propter ignorantiam nesciat per contritionem sibi subuenire: secus autem si id non ignoret. Ideóque tempore pestis non tenetur quilibet Sacerdos se exponere, ne peste laborantes moriantur sine confessione. Multò minùs tenetur quis exponere se morti, vt alium liberè peccantem, aut in peccato perseuerantem impediat: quia non est in extrema necessitate, cum id liberè faciat. Potest tamen quisque, etiam citra necessitatem extremam, laudabiliter subuenire proximo in periculo salutis constituto, etiam cum vitæ periculo, quamvis ad id non teneatur. Quia est actus heroïcæ virtutis præferre vitæ propriæ, salutem proximi, & Dei honorem, qui per eius peccatum, ac fortè damnationem, grauiter est lædendus. Imò si vitæ periculum est leue, debet contemni ob grauem necessitatem spiritualem proximi. Multóque magis postponendum illi est incommodum aliquod, aut damnum temporale non adeo graue. Si quis tamen communitati planè necessarius esset, ita vt multorum salus ab eo penderet, non posset is, ne quidem in extrema necessitate, pro salute vnius se prudenter exponere: quia vt vnum seruaret, multos perderet. Maius autem malum minori præferendum est. Quare quod diximus in conclusione intelligendum est per se loquendo, comparando salutem proximi cum vita propria, non autem salutem vnius cum salute multorum. Plura hac 47.

de re videri possunt apud Ægid. Coninck Disp. 25. dub. 7. & Suar. Disp. 9. de Charit. Sect. 2.

48. In temporalibus bonum commune proprio præferendum.

Secunda conclusio: In temporalibus tenetur homo communitati potiùs, quàm sibi subuenire. Ità D. Thom. quæst. 26. art. 4. Ratio est, quia pars anteponere debet conseruationem totius, conseruationi propriæ temporali: & bonum commune, bono particulari temporali, quod non est magni momenti, & à communitate adeo pendet, vt sine bonis, & commodis, quæ ab illa nobis proueniunt, vita foret miserrima: nisi scilicet quisque, quod suæ artis est, vel industriæ, conferret in bonum aliorum, ad officia mechanica, ad alimenta, & vestimenta procuranda, cæteráque vitæ necessaria, ad eruditionem & cultum animorum, ad bonum regimen, & ad pacem, & iustitiam conseruandam, &c. Loquor autem de communitate bene instituta, & bonis legibus, moribusque probabili. Nam qui à Deo sunt alieni, ij non debent, vt tales, cuiquam esse chari: neque talium hominum communitas est expetenda, sed fugienda potiùs. Duplex verò est hominum societas. Vna ciuilis, & humana. Alia Ecclesiastica, à Deo instituta, præsidijsque diuinis, & supernaturalibus munita. Hæc vna est omnium Christianorum sub vno Christi Vicario, sub vna communi Fide, Spe, cultu, & Religione: quamvis plures in se partes similis ordinis contineat. Altera verò societas, nempe ciuilis, non vna est omnium etiam Christianorum: sed multæ, & plurimùm differentes, quæ legibus diuersis ciuilibus, moribúsque dissimilibus vtuntur. Vtraque autem societas, Ecclesiastica scilicet, & ciuilis, bene fundata, bonisque legibus, ac moribus ornata, continet adiumenta plurima, tum diuina, tum humana, ad beate viuendum: debetque singulis esse charior propriâ ipsorum vitâ, quæ sine illis esset inops, & multipliciter misera, ac prorsus infirma, veluti membrum à suo toto diuulsum: Homines enim sunt sociales naturâ suâ: & quamvis singuli sua secum portent: tamen nullus illorum tantum in se opis habet, quantum opus est ad infœlicitatem vitandam; sed indiget adiumentis plurimorum ad corporis, & animi bonum, & ad viuendum humano modo.

Communitas est per se amabilis.

Non tamen illa est præcipua ratio diligendi Rempublicam, hoc est, Societatem Ecclesiasticam, aut ciuilem: sed potiùs ipsa rei dignitas, & præstantia. Nam congregatio hominum integra, suisque partibus, & adjunctis expleta, pulcherrimum quoddam est, & optimum: fuitque rectè pronuntiatum à quodam gentili, Nihil esse gratius principi cunctorum Deo, quàm Concilia, cætusque hominum iure sociatos, quæ ciuitates appellantur. Ipsa etiam Ecclesia vocatur ciuitas, & regnum Dei, illique multò ampliùs, quàm hominibus singulis insunt rationes vniuersæ, propter quas aliquid diligi potest, vel amore naturali, vel supernaturali, Etenim certiùs illi conuenit ordo ad beatitudinem, & quæcunque hunc ordinem consequuntur. Partium denique omnium dignitas in ipsa includitur; at non quidquid in ipsa boni existit, in singulis pariter reperitur. Cæterùm in hominum societate duæ sunt partes: quarum vna est veluti corpus, & materia: altera est veluti anima, & vita. Corpus sunt homines, quorum societas est, atque collectio. Anima verò, & vita, sunt cognitio veri, & amor boni: scilicet rectus omnium erga Deum affectus, aliorúmque erga alios: & singulorum studium rectum, & amor verè amabilium, odiumque malorum, cum opere, & executione coniunctum. Bonorum nomine intellige honesta, commoda, & iucunda non aliunde illicita. Malorum verò appellatione comprehenduntur non modò turpia, sed etiam incommoda, & molesta, quæ propter bonum melius non sunt ex rationis dictamine subeunda. Quemadmodum verò corpus sine anima cadauer est: ita congregatio hominum sine virtute est veluti cadauer extremæ resolutioni proximum, quod veluti tale non est amandum, sed fugiendum potiùs, & vitandum.

Tertia conclusio: Potest quisque licitè, ac debet priuatorum necessitates temporales suis postponere, cæteris paribus: nisi adsit aliqua ratio laudabiliter præponendi, vt frequenter contingit. Prima pars probatur, quia Matth. 22. iubemur tantùm diligere proximum, sicut nos ipsos. Ergo non tenemur eum amare supra nos ipsos; sed potiùs cùm amor nostri sit regula amandi proximum, possumus primò diligere nos ipsos: quia rectitudo, & perfectio regulæ exemplaris priùs & magis conuenit ipsi regulæ exemplari, quàm regulatis: & identitas nos inclinat vt nobis potiùs, quàm alijs prouideamus. Vnde Eccles. 14. dicitur, *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Et, *Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius.* Addidi autem in conclusione, *Cæteris paribus:* quia conclusio tantummodo locum habet in eodem genere bonorum, & necessitatum, & qualitate personarum. Secus autem si varientur bonorum genera, vel comparentur necessitates, aut personæ inæquales. Vt si v. g. proximus sit in necessitate vitæ, ego autem in minori necessitate famis dumtaxat ordinariæ, seu communis appetitus edendi; qua de re plura inferiùs, cùm dicemus de præcepto eleemosynæ: vel si seruanda sit vita hominis valde necessarij Reipublicæ, cum iactura vitæ propriæ non tanti momenti, quæ idcirco potest laudabiliter exponi. 49.

49. Temporales nostræ necessitates possunt præferri alienis priuatis.

Intellige, cæteris paribus.

Secunda pars est D. Thomæ, quæst. 26. art. 4. ad. 2. & aliorum plurium, quos citat & sequitur Suar. Disp. 9. Sect. 3. num. 3. & Ægid. Con. Disp. 25. dub. 6. num. 81. qui etiam id asserunt de necessitate vitæ: quòd scilicet possit interdum laudabiliter vita propria exponi periculo pro aliena conseruanda. Probatur, quia licet homo non possit seipsum interficere: non tamen semper: & omni medio, & ratione tenetur seruare vitam; etiam postponendo illi vitam proximi, præsertim amici, vel patris, vel benefactoris insignis: sed potest laudabiliter contrarium facere: sicut fecerunt nonnulli ab hominibus sapientibus laudati. Vt inter ethnicos Orestes & Pylades, Damon, & Pythias, laudati etiam à Sanctis Patribus, Augustino lib. 4. Confess. cap. 6. Ambrosio lib. 3. de Offic. 50.

50. Potest vita exponi pro alio.

cap. 12. & Hieron. in cap. 7. Micheæ. Secundò, si quis non possit fugiendo mortem euadere, nisi equo proculcet infantem in via expositum; potest laudabiliter mortem potiùs expectare, quàm cum morte paruuli innocentis sibi consulere, propter quam tamen non tenetur non fugere. Similiter, si me inuadat phreneticus, possum laudabiliter mortem ab illo pati potiùs, quàm illum interficere, tametsi licitè id possum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Item, si possunt homines licitè, & laudabiliter exponere se mortis periculo pro rebus temporalibus magni momenti, sine quibus vita censetur esse misera, vt pro conseruatione sui status, & honoris: Quidni etiam pro vita amici, præsertim illius, à quo maximis sis affectus beneficijs, vel cuius opera tibi sit adeo necessaria, vt sine illa miser futurus sis? Ac denique se possunt stipatores magnatum pro stipendio se obligare ad vitam illorum tuendam, cum periculo propriæ: multò magis idem possunt amici pro honestate amicitiæ, quæ stipendio est longè pretiosior. *Amico enim fideli nihil est comparabile*, Eccles. 6. Et vt ait Ambros. lib. 3. de Offic. cap. 16. *In rebus humanis nihil est pulchrius amicitiâ*. Quapropter meritò Aristot. 9. Ethic. cap. 8. affirmat studiosum complura facere amicorum, & patriæ gratiâ, atque etiam mori pro illis, si opus sit.

51. Sed non in omni casu.

Notandum tamen primò, eum cuius vita est alijs necessaria, vt conseruationi familiæ, aut Reipublicæ facturum contra Charitatem, si pro priuato amico vitam exponat. Secundò, cæteris paribus secundùm ordinem Charitatis meliùs esse subuenire sibi, quàm alij: vnde qui, æqualitate existente, sine alia ratione præferret alienam necessitatem suæ, minùs bene faceret, quia propter identitatem conuenientius est vt sibi potiùs prouideat. Imò videtur id non fieri sine aliquo peccato, nisi aliquo fine bono honestetur, & aliqua ratione sufficienti ad præferendum proximi necessitatem: vt reuerentiæ, vel gratitudinis, vel maioris vtilitatis personæ, quæ conseruatur ad gloriam Dei, vel ad bonum commune. Alioqui enim videtur proprium bonum necessarium præferendum esse alieno, sicut bonum coniunctorum necessarium præferendum est minùs coniunctis. Quamquam ius habeo cedendi eo, quod mihi debeo, non autem priuandi alterum debito: atque ita possum faciliùs inuertere ordinem Charitatis, quoad meipsum, quàm quoad alios. Dixi autem, *in necessitate*: quia in rebus non necessarijs possum laudabiliter alium mihi præponere, id est, priuare me aliquo non necessario in commodum alterius: neque enim teneor ea mihi seruare, quæ non sunt necessaria: sicut neque teneor illa mihi acquirere. Tertiò denique, notant aliqui, quando ex Charitate exponitur vita pro altero, cauendum esse ne intercedat actio positiua, quâ aliquis cooperetur directè suæ morti. Ex. gr. inquiunt, si contingat naufragium, & quis possit tabulam arripere, potest illam alteri relinquere. At si iam illi insideat, non potest se in mare demittere, vt illam cedat alteri; quia in eo casu non solùm sibi non prospiceret, sed etiam positiuè cooperaretur suæ neci, in fluctus se projiciendo. Verùm existimo, quamvis nemo possit licitè semetipsum interficere: posse tamen honestè facere aliquid, ex quo sequatur propria mors: non quidem illam directè intendendo, sed maius aliquod bonum vitâ propriâ: vt si ad vitam personæ magni momenti conseruandam vulgaris aliquis tabulâ cedat: si miles, aut stipator principis medium se inter illum, & sicarium interponat, vt ictum potiùs & vulnus lethale recipiat.

Quarta conclusio: Inter proximos priuatos, cæteris, paribus, tenemur eos præferre, qui nobis sunt coniunctiores. Vt inter consanguineos, Patrem: inter amicos, fideliorem, & antiquiorem: inter benefactores, insigniorem, & sic de cæteris. Ita D. Thom. quæst. 26. art. 6. & seqq. vbi tamen art. 9. in corp. affirmat filium patri præferendum esse ex parte diligentis, quia patri magis coniunctus est: licet ex parte obiecti pater sit magis amandus, quia habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris, nempe rationem principij. Quæ distinctio, quoad priorem partem, difficultatem habet. Par enim potiùs videtur esse coniunctio inter filium & patrem, ac inter patrem & filium. Patri verò mater postponenda est: matri vxor: vxori filij: vel potiùs contra, vt alij malunt, filijs vxor, quia inter patrem & filios maior coniunctio est, quàm inter virum, & vxorem: & sic deinceps, prout alij magis vel minùs sunt coniuncti. Dixi autem, *cæteris paribus*: quia aliunde tantus potest esse excessus, vt ordo inuertendus sit. Plus enim v. g. tenetur filius matri, à qua studiosè & honestè educatus fuit, quàm patri, à quo projectus, despectus, & pessimè tractatus fuit. Vltra coniunctionem verò carnalem, quæ per se alijs præferri debet, quippe quia maior est, & magis immutabilis, vt rectè docet. D. Thomas art. 7. & 8. alia multiplex est moralis: vt coniunctio spiritalis inter patres spirituales, vel pastores, & subditos: coniunctio moralis inter amicos, aut ciues, aut homines eiusdem Fidei, vel eiusdem Religionis professores, in quibus omnibus coniunctiores, cæteris paribus, præponendi sunt alijs, nisi scilicet excessus sanctitatis, & gratiæ, vel multitudo, & præstantia beneficiorum, aut aliarum rationum amabilitatis, aliud exigat. Nam ex. gr. filius, qui statim post natiuitatem fuerit crudeliter à parentibus expositus, ab alio verò misericorditer susceptus, à morte liberatus, Christianè educatus, alijsque magnis beneficijs affectus, potest meritò hunc illis præponere, qui non tam parentes, quàm peremptores fuerunt. Singulares quoque, & eximij benefactores possunt, ac debent, in necessitate præferri consanguineis remotis. Et si quis alium præsenti morti eripuit, potest præponi etiam fratri, quia ille velut alter parens est, vt rectè post Bannem, & Turrianum, docet Ægid. Coninck Disp. 25. num. 156.


52. Coniunctiores sunt alijs præferendi.

Cæteris paribus.

53. Probatur ex Script.

Porro coniunctiores, cæteris paribus, præferendos esse alijs notum est lumine naturali, & affirmatur à D. Paulo 1. Timot. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et ad Gal. 6. *Operemur bonum ad omnes, ma-*

ximè autem ad domesticos fidei. Excessum tamen sanctitatis, & virtutum posse alijs præponderare, interdum etiam cognitioni carnali, videtur Christus significasse Matth. 12. Vbi monenti adesse matrem, & fratres, respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres, mei? Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Videantur Suar. Disp. 9. de Charitate Sect. 4. Et Ægid. Disp. 25. dub. 9. qui hæc fusiùs, & minutiùs persequuntur. Notandum autem est, quando vita vnius priuati, quàm præferre tenemur alteri, non potest conseruari, nisi occidendo alterum iniustè inuadentem, non obligari nos ex Charitate ad illum occidendum: quia homicidium est actio valde repugnans inclinationi naturæ: vnde non videtur ordo Charitatis obligare cum tanto rigore: vt bene ait Suares Sect. cit. num. 15. post Almain. in 3. dist. 29. quæst. 1. Notandum prætereà posse nos, ac debere vnum alteri præferre modò supradicto, non tantùm in effectu, & executione operum Charitatis, verùm etiam in affectu interno. Quia exhibitio externa Charitatis non debet esse ficta, sed procedere ab interno affectu, esséque illi conformis. Quare sicut inclinat, & exigit Charitas, vt vnum præ alio diligamus secundùm exteriorem effectum: ita pariter inclinat, & exigit, vt vnum plus alio diligamus secundùm interiorem affectum. Sicut, inquam, inclinat & exigit, vt vni præ altero bonum aliquod conferamus: ita etiam vt illi præ altero optemus; & consequenter, vt magis eum amemus interiùs. Nam velle alicui bonum, quia est illi bonum, est interiùs illum diligere. Ita Ægid. Coninck Disp. 25. dub. 8. num. 104. cum D. Thoma quæst. 26. art. 6. & communi Sententia.




DISPVTATIO NONA-DECIMA.

De actibus, & effectibus Charitatis.

DE actibus, & effectibus Charitatis Disput. S. Thomas à quæst. 27. vsque ad 33 In quarum prima tractat de principali actu Charitatis, qui est dilectio. Docetque. 1. Charitatis magis proprium esse amare, quàm amari. 2. Dilectionem esse vnionem quandam affectus amantis ad amatum. 3. Deum, cùm sit ipsa essentia bonitatis per se, & vltimus finis rerum omnium, debere summè diligi propter seipsum. 4. Posse etiam hac in vita immediatè diligi per Charitatem, quamvis non possit immediatè cognosci. 5. Posse quoque diligi totaliter, id est, secundùm omnia quæ ad ipsum spectant: licet non quantùm diligibilis est. 6. Modum dilectioni eius non esse ponendum: quia quantò plus diligitur, tantò melior est dilectio. 7. Ex parte proximi, qui diligitur, meliorem esse dilectionem amici, quàm inimici: quia amicus & melior est, & magis coniunctus. Ex parte verò motiui propter quod diligitur, meliorem esse dilectionem inimici: quia Dei consideratio fortiùs agit, quando nos mouet ad inimicum diligendum. 8. Magis meritorium esse diligere proximum propter Deum, quàm Deum solum amare: quia dilectio proximi propter Deum includit dilectionem Dei: at dilectio Dei solius

non includit dilectionem proximi. In reliquis agit S. Doctor de gaudio Charitatis proprio, de Pace, & Concordia, de Misericordia, Beneficentia, Eleemosyna, & correptione fraterna, velut effectibus proprijs, Charitatis. Cuius doctrina partim istâ, partim aliquot sequentibus disputationibus exponetur.



SECTIO I.

Quis, & quotuplex sit actus Charitatis?

1. Actus Charitatis multiplices. TOt sunt actus Charitatis circa suum obiectum, quot sunt recti affectus voluntatis circa bonum, & malum: amoris scilicet, gaudij, & desiderij circa bonum: odij verò, metus, & tristitiæ circa malum: adiunctis etiam alijs affectibus conuenientibus, qui tribuuntur appetitui irascibili. Hæc assertio satis patet ex dictis disp. 15. de Spe, vbi ostendimus vnamquamque virtutem perficere adæquatè voluntatem in ordine ad suum peculiare obiectum. Vnde collige primò, amorem Dei propter se, & gaudium de illius bonis, ac desiderium eorum quæ ipsi placent, & odium eorum quæ ipsi displicent, tristitiamque de illis, & timorem ne eueniant, esse actus Charitatis: similitérque amorem, gaudium, & desiderium circa proximum, & eius bona; odiumque, & tristitiam, ac metum circa ipsius mala. Idemque dico de Spe latius sumpta; pro fiducia exequendi, vel assequendi ardua, & difficilia, provt faciunt ad Dei gloriam: vel pro desiderio vehementi, & generoso eiusdem boni Deo placentis, vt talis; déque audacia & ira contra difficultatem vel impedimenta boni ad Deum pertinentis, vel contra causas mali oppositi. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disput. 2. de Charitate Sect. 1.

2. Beneuolētia non est omnis actus Charitatis. Collige secundò, actum Charitatis non esse tantùm beneuolentiam: nam præter beneuolentiam propriè dictam, quâ Deo, vel proximo bene volumus, datur simplex affectus complacentiæ, quâ nobis placet quod bonum est, absque eò quòd quicquam illi velimus. Gaudium quoque, seu delectatio simplex in bono possesso, non est formaliter beneuolentia: multóque minùs odium, & alij actus circa malum.

3. Non sunt omnes eiusdem speciei. Collige tertiò, actus Charitatis non esse omnes eiusdem speciei: tum ob diuersum tendendi modum: tum etiam propter obiectorum diuersitatem. Nam amor v. g. & odium, gaudium & tristitia, desiderium & metus, specie differunt ob contrarium tendendi modum: vnde etiam contrarios habent effectus: nam amor recreat & exhilarat mentem, odium exasperat: gaudium cor dilatat, tristitia restringit. Amor quoque, quo diligitur Deus propter se, differt specie ab actu, quo proximus amatur propter seipsum, aut etiam propter Deum. Quia non solùm Deum attingit, sed etiam proximum secundùm se. Actus autem sunt specie diuersi, quotiescunque tendunt ad obiecta specie diuersa, quà diuersa, & secundùm proprias differentias, quamvis sub eodem formali illa attingant. Sicut ex. gr. visio albedinis, & visio nigredinis secundùm propriam vtriusque coloris differentiam, specie distinguuntur, quamvis sub eodem obiecto formali, nempe sub lumine videantur. Secus autem si obiecta materialia non attinguntur secundùm se, & in propria specie: qua de causa diuersitas substantiarum quæ videntur tantùm secundùm accidentia, non distinguit specie visionem. Similiter actus, quo bona diuersa essentialiter volumus Deo, & proximo, aut diuersa mala nolumus, sunt specie diuersa: quia attingunt obiecta diuersa, secundùm proprias eorum differentias, quæ non se habent, purè materialiter, sed formaliter ex parte, quatenus attinguntur per se, & non tantùm per aliud, ac secundùm illud dumtaxat: iuxta ea quæ diximus de Fide disp. 10. Sect. 5. Nec obest quòd conueniunt in aliqua ratione formali confusa, & vniuoca, vel analoga. Quia non attinguntur tantùm secundùm illam, sed etiam secundùm se. Non obest etiam quòd sint ab eodem habitu Charitatis supernaturalis: nam habitus supernaturales sunt potentiæ quædam, quæ valent ad actus speciè diuersos, dantque posse simpliciter.

Collige quartò, actus Charitatis, quamvis omnes sint honesti, & supernaturales; alios tamen esse alijs meliores, & nobiliores. Nam illi, quibus amatur Deus propter se, cæteris paribus, sunt meliores ijs, quibus amatur proximus propter se. Et amor quo amatur proximus propter Deum, est melior, cæteris paribus, amore quo solus Deus amatur: quippe quia extensiuè maior est. Includit enim amorem Dei, & proximi. Et perfectior est amor Dei qui ad proximum extenditur propter Deum, quàm amor Dei tantùm: vt rectè docet S. Thomas quæst. 27. art. 8. indéque infert amorem hunc esse magis meritorium, quia scilicet versatur pleniùs circa Deum: & vltra perfectionem amoris Dei includit etiam perfectionem amoris proximi. Dixi autem, *Cæteris paribus:* quia fieri potest vt vnus amor circa Deum solum, sit multò maior & efficacior, quàm alius circa Deum, & proximum. Inter amores verò proximi ille melior est per se, & cæteris paribus, qui versatur circa maiorem bonitatem, aut circa plures rationes amabilitatis. Dico autem, *per se:* quia per accidens, qui nobiliores sunt ex obiecto, non sunt meliores huic, aut illi, in his aut illis circunstantijs: sed alij magis necessarij ratione coniunctionis, vel alijs de causis, de quibus præcedenti Sectione dictum fuit. Potest etiam ratione intensionis & vehementiæ, aut modi tendendi, vnus alium excedere quamvis nobiliorem ex obiecto. Bonitas enim actus non petitur solùm ex obiecti præstantia: sed ex efficacitate, & vehementia, & intensione affectus voluntatis, 4. Neque æqualis perfectionis.

voluntatis, & generaliori ſubiectione ad diuinam voluntatem, vt diximus alibi.

5. Eſtne melius amicum diligere, quàm inimicum? Atque inde ſolui poteſt dubitatio propoſita à D. Thoma, quæſt. 27. art. 7. an ſit melius, & magis meritorium, diligere amicum, quàm inimicum. Dicendum enim eſt amorem amici ex vna parte eſſe meliorem; quia habet melius obiectum, nobiſque magis coniunctum: Amicus enim & melior eſt, & magis coniunctus: Ex alia verò parte amorem inimici eſſe meliorem, quia eſt puriùs propter Deum, & eſt fortior dilectio Dei, ac maior appretiatiuè; quippe quæ diligentem impellit ad opus difficilius, magiſque Deo ſubjicit voluntatem. Tantò enim fortior oſtenditur Dei dilectio, quantò propter ipſum difficiliora implemus: ſicut virtus ignis tantò fortior eſt, quantò comburere poteſt materiam minùs combuſtibilem. Et plus illud æſtimamus, pro quo plus impendimus, aut parati ſumus impendere: ſicut pluris facit, & magis amat appretiatiuè gemmam, qui pro illa paratus eſt centum aureos impendere, quàm qui decem tantùm. Et hic exceſſus priori præponderat. Concluditur negatiuè. Vnde cæteris paribus dilectio inimici melior eſt, magiſque meritoria. Ideóque præfertur in Scriptura, & commendatur vt actus perfectiſſimus, Matth. 5. ver. 44. & 46. Rom. 5. ver. 6. & alibi. Verba Chriſti Matth. 5. hæc ſunt: *Diligite inimicos veſtros, &c. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Quibus tamen verbis vltimis non negatur merces dilectioni amicorum, ſi fiat ex motiuo diuino: ſed tantùm ſi ex motiuo purè naturali, quia ipſi nos diligunt, aut quid ſimile; de quo ibi eſt ſermo. Et Auguſtin. cap. 73. Enchirid. *Minùs magnum eſt erga eum eſſe beneuolum, ſine etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecit. Illud multò grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, vt tuum etiam inimicum diligas: & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facere: tu bonum ſemper velis, faciaſque cùm poſſis.* Videatur Ægid. Coninck diſput. 24. dub. 8. vbi nobiſcum ſentit, rectéque notat non omnem actum Charitatis ſupernaturalis eſſe talem, vt vi illius parati ſimus ſecundùm præſentem affectum non cedere vlli difficultati ſuperandæ propter Deum: & aggredi quidqnid arduum & durum occurret, illius cauſâ ſubeundum. Difficiléque eſt tantum affectum Charitatis attingere. Neque debent infirmi facere comparationem ſui affectus cum huiuſmodi malis, quando conantur actum contritionis, aut amoris Dei elicere. Inde autem fit non omnes erga Deum affectus Charitatis eſſe paris æſtimationis. Et quia dilectio inimici propter Deum eſt maior affectus æſtimatiuè erga Deum, propter quem tanta vincitur difficultas, quàm dilectio amici, quem propter Deum amare facillimum eſt: idcirco dilectio inimici, cæteris paribus, eſt perfectior, quàm dilectio Dei impellentis ſolùm & ſufficientis ad amicum diligendum.

6. Cõtraria opinio. Contrarium docet Suares diſp. 2. de Charitate, Sect. 3. num. 6. affirmans ſimpliciter, & generaliter melius eſſe diligere amicum, quàm inimicum. Primò, quia dilectio amici eſt magis conſentanea ordini Charitatis: ſicut eſt melius diligere patrem, quàm extraneum; iuſtum, quàm peccatorem; amicum, quàm alienum. Secundò, dilectio amici eſt per ſe melior ex obiecto. Obiectum autem plus confert ad bonitatem, & meritum, quàm difficultas: quia obiectum eſt magis eſſentiale actui. Ergo exceſſus ex parte obiecti præponderat. Vnde licet facilius ſit diligere patrem, quàm extraneum: tamen hic actus nobilior eſt, & magis conſentaneus ordini Charitatis. Tertiò, multò peius eſt odiſſe amicum, quàm inimicum. Ergo priuat maiori honeſtate.


Soluuntur eius argumenta. Ad primum reſpondeo, ordinem Charitatis non ſemper ſequi nobilitatem actuum, ſed neceſſitatem. Sæpe autem actus inferiores ſunt magis neceſſarij. Ad ſecundum dico obiectum conferre ad bonitatem eo modo quo attingitur. Obiectum autem præcipuum, quod eſt Deus, multò meliùs attingitur per dilectionem inimici, quæ magis appretiatiuè circa Deum verſatur. Quare non tantùm ratione difficultatis occaſionaliter ſe habentis, ſed etiam ratione modi tendendi in obiectum, hic actus melior eſt. Neque dicas inimicum poſſe amari ſine reſpectu ad Deum, ideo ſolùm quia eſt natura intellectualis capax beatitudinis. Reſpondeo enim etiam tunc obiectum illud multò meliùs & magis appretiatiuè attingi, quando impellit ad opus difficilius, vt eſt dilectio inimici. Ad confirmationem dico exceſſum exiguum non præponderare alijs rationibus, propter quas pater eſt diligibilis præ extraneo: quamvis, vt ſuprà dixi, ordo Charitatis non attenditur ſemper penes nobilitatem obiectorum. Ad tertium reſpondeo, peius eſſe odiſſe amicum, quàm inimicum, quia maior eſt ratio amandi amicum, & maior inclinatio voluntatis. Vnde plus malitiæ requiritur ad illum odio habendum contra talem inclinationem voluntatis, & contra maiorem amabilitatem obiecti. Malitia verò, æquè ac bonitas, non ſumitur tantùm ex obiecto; ſed etiam ex modo tendendi, & affectione voluntatis erga obiectum.

SECTIO II.

Qualis ſit actus dilectionis erga Deum?

7. D. Thomæ doctrina. HAc de re D. Thomas quæſt. 27. art. 3. & tribus ſequentibus, vbi primò docet, Deum ex Charitate diligendum eſſe quidem propter ſeipſum, quia per ſuam eſſentiam eſt optimus, & amore digniſſimus: ſed poſſe etiam diligi propter aliquid aliud, quia poſſumus moueri & prouocari ab eius beneficijs ad ipſum diligendum. Secundò Deum etiam hac in vita per Charitatem amari immediatè: quia Charitas verſatur primò circa illum ſecundùm ſeipſum. Nec obeſt quòd Deus non poteſt cognoſci à nobis hac in vita, niſi mediatè per creaturas. Quia ordo volendi non ſequitur neceſſario ordinem cognoſcendi. Nam poſſumus amare aliquem immediatè propter ſuam bonitatem: licet eum non cognoſcamus niſi per

non includit dilectionem proximi. In reliquis agit S. Doctor de gaudio Charitatis proprio, de Pace, & Concordia, de Misericordia, Beneficentia, Eleemosyna, & correptione fraterna, velut effectibus proprijs, Charitatis. Cuius doctrina partim istâ, partim aliquot sequentibus disputationibus exponetur.



SECTIO I.

Quis, & quotuplex sit actus Charitatis?

1. Actus Charitatis multiplices. TOt sunt actus Charitatis circa suum obiectum, quot sunt recti affectus voluntatis circa bonum, & malum: amoris scilicet, gaudij, & desiderij circa bonum: odij verò, metus, & tristitiæ circa malum: adiunctis etiam alijs affectibus conuenientibus, qui tribuuntur appetitui irascibili. Hæc assertio satis patet ex dictis disp. 15. de Spe, vbi ostendimus vnamquamque virtutem perficere adæquatè voluntatem in ordine ad suum peculiare obiectum. Vnde collige primò, amorem Dei propter se, & gaudium de illius bonis, ac desiderium eorum quæ ipsi placent, & odium eorum quæ ipsi displicent, tristitiamque de illis, & timorem ne eueniant, esse actus Charitatis: similitérque amorem, gaudium, & desiderium circa proximum, & eius bona; odiumque, & tristitiam, ac metum circa ipsius mala. Idemque dico de Spe latius sumpta; pro fiducia exequendi, vel assequendi ardua, & difficilia, provt faciunt ad Dei gloriam: vel pro desiderio vehementi, & generoso eiusdem boni Deo placentis, vt talis; déque audacia & ira contra difficultatem vel impedimenta boni ad Deum pertinentis, vel contra causas mali oppositi. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disput. 2. de Charitate Sect. 1.

2. Beneuolētia non est omnis actus Charitatis. Collige secundò, actum Charitatis non esse tantùm beneuolentiam: nam præter beneuolentiam propriè dictam, quâ Deo, vel proximo bene volumus, datur simplex affectus complacentiæ, quâ nobis placet quod bonum est, absque eò quòd quicquam illi velimus. Gaudium quoque, seu delectatio simplex in bono possesso, non est formaliter beneuolentia: multóque minùs odium, & alij actus circa malum.

3. Non sunt omnes eiusdem speciei. Collige tertiò, actus Charitatis non esse omnes eiusdem speciei: tum ob diuersum tendendi modum: tum etiam propter obiectorum diuersitatem. Nam amor v. g. & odium, gaudium & tristitia, desiderium & metus, specie differunt ob contrarium tendendi modum: vnde etiam contrarios habent effectus: nam amor recreat & exhilarat mentem, odium exasperat: gaudium cor dilatat, tristitia restringit. Amor quoque, quo diligitur Deus propter se, differt specie ab actu, quo proximus amatur propter seipsum, aut etiam propter Deum. Quia non solùm Deum attingit, sed etiam proximum secundùm se. Actus autem sunt specie diuersi, quotiescunque tendunt ad obiecta specie diuersa, quà diuersa, & secundùm proprias differentias, quamvis sub eodem formali illa attingant. Sicut ex. gr. visio albedinis, & visio nigredinis secundùm propriam vtriusque coloris differentiam, specie distinguuntur, quamvis sub eodem obiecto formali, nempe sub lumine videantur. Secus autem si obiecta materialia non attinguntur secundùm se, & in propria specie: qua de causa diuersitas substantiarum quæ videntur tantùm secundùm accidentia, non distinguit specie visionem. Similiter actus, quo bona diuersa essentialiter volumus Deo, & proximo, aut diuersa mala nolumus, sunt specie diuersa: quia attingunt obiecta diuersa, secundùm proprias eorum differentias, quæ non se habent, putè materialiter, sed formaliter ex parte, quatenus attinguntur per se, & non tantùm per aliud, ac secundùm illud dumtaxat: iuxta ea quæ diximus de Fide disp. 10. Sect. 5. Nec obest quòd conueniunt in aliqua ratione formali confusa, & vniuoca, vel analoga. Quia non attinguntur tantùm secundùm illam, sed etiam secundùm se. Non obest etiam quòd sint ab eodem habitu Charitatis supernaturalis: nam habitus supernaturales sunt potentiæ quædam, quæ valent ad actus speciè diuersos, dantque posse simpliciter.

Collige quartò, actus Charitatis, quamvis omnes sint honesti, & supernaturales; alios tamen esse alijs meliores, & nobiliores. Nam illi, quibus amatur Deus propter se, cæteris paribus, sunt meliores ijs, quibus amatur proximus propter se. Et amor quo amatur proximus propter Deum, est melior, cæteris paribus, amore quo solus Deus amatur: quippe quia extensiuè maior est. Includit enim amorem Dei, & proximi. Et perfectior est amor Dei qui ad proximum extenditur propter Deum, quàm amor Dei tantùm: vt rectè docet S. Thomas quæst. 27. art. 8. indéque infert amorem hunc esse magis meritorium, quia scilicet versatur pleniùs circa Deum: & vltra perfectionem amoris Dei includit etiam perfectionem amoris proximi. Dixi autem, *Cæteris paribus:* quia fieri potest vt vnus amor circa Deum solum, sit multò maior & efficacior, quàm alius circa Deum, & proximum. Inter amores verò proximi ille melior est per se, & cæteris paribus, qui versatur circa maiorem bonitatem, aut circa plures rationes amabilitatis. Dico autem, *per se:* quia per accidens, qui nobiliores sunt ex obiecto, non sunt meliores huic, aut illi, in his aut illis circunstantijs: sed alij magis necessarij ratione coniunctionis, vel alijs de causis, de quibus præcedenti Sectione dictum fuit. Potest etiam ratione intensionis & vehementiæ, aut modi tendendi, vnus alium excedere quamvis nobiliorem ex obiecto. Bonitas enim actus non petitur solùm ex obiecti præstantia: sed ex efficacitate, & vehementia, & intensione affectus voluntatis, 4. Neque æqualis perfectionis.

voluntatis, & generaliori subiectione ad diuinam voluntatem, vt diximus alibi.

5. Estne melius amicum diligere, quàm inimicum? Atque inde solui potest dubitatio proposita à D. Thoma, quæst. 27. art. 7. an sit melius, & magis meritorium, diligere amicum, quàm inimicum. Dicendum enim est amorem amici ex vna parte esse meliorem; quia habet melius obiectum, nobisque magis coniunctum: Amicus enim & melior est, & magis coniunctus: Ex alia verò parte amorem inimici esse meliorem, quia est puriùs propter Deum, & est fortior dilectio Dei, ac maior appretiatiuè; quippe quæ diligentem impellit ad opus difficilius, magisque Deo subjicit voluntatem. Tantò enim fortior ostenditur Dei dilectio, quantò propter ipsum difficiliora implemus: sicut virtus ignis tantò fortior est, quantò comburere potest materiam minùs combustibilem. Et plus illud æstimamus, pro quo plus impendimus, aut parati sumus impendere: sicut pluris facit, & magis amat appretiatiuè gemmam, qui pro illa paratus est centum aureos impendere, quàm qui decem tantùm. Et hic excessus priori præponderat. Concluditur negatiuè. Vnde cæteris paribus dilectio inimici melior est, magisque meritoria. Ideóque præfertur in Scriptura, & commendatur vt actus perfectissimus, Matth. 5. ver. 44. & 46. Rom. 5. ver. 6. & alibi. Verba Christi Matth. 5. hæc sunt: *Diligite inimicos vestros, &c. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Quibus tamen verbis vltimis non negatur merces dilectioni amicorum, si fiat ex motiuo diuino: sed tantùm si ex motiuo purè naturali, quia ipsi nos diligunt, aut quid simile; de quo ibi est sermo. Et Augustin. cap. 73. Enchirid. *Minùs magnum est erga eum esse beneuolum, sine etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum etiam inimicum diligas: & ei qui tibi malum vult, & si potest facere: tu bonum semper velis, faciasque cùm possis.* Videatur Ægid. Coninck disput. 24. dub. 8. vbi nobiscum sentit, rectéque notat non omnem actum Charitatis supernaturalis esse talem, vt vi illius parati simus secundùm præsentem affectum non cedere vlli difficultati superandæ propter Deum: & aggredi quidquid arduum & durum occurret, illius causâ subeundum. Difficiléque est tantum affectum Charitatis attingere. Neque debent infirmi facere comparationem sui affectus cum huiusmodi malis, quando conantur actum contritionis, aut amoris Dei elicere. Inde autem fit non omnes erga Deum affectus Charitatis esse paris æstimationis. Et quia dilectio inimici propter Deum est maior affectus æstimatiuè erga Deum, propter quem tanta vincitur difficultas, quàm dilectio amici, quem propter Deum amare facillimum est: idcirco dilectio inimici, cæteris paribus, est perfectior, quàm dilectio Dei impellentis solùm & sufficientis ad amicum diligendum.

6. Cótraria opinio. Contrarium docet Suares disp. 2. de Charitate, Sect. 3. num. 6. affirmans simpliciter, & generaliter melius esse diligere amicum, quàm inimicum. Primò, quia dilectio amici est magis consentanea ordini Charitatis: sicut est melius diligere patrem, quàm extraneum; iu[...]m, quàm peccatorem; amicum, quàm alie[...]m. Secundò, dilectio amici est per se melior ex obiecto. Obiectum autem plus confert ad bonitatem, & meritum, quàm difficultas: quia obiectum est magis essentiale actui. Ergo excessus ex parte obiecti præponderat. Vnde licet facilius sit diligere patrem, quàm extraneum: tamen hic actus nobilior est, & magis consentaneus ordini Charitatis. Tertiò, multò peius est odisse amicum, quàm inimicum. Ergo priuat maiori honestate.

Ad primum respondeo, ordinem Charitatis non semper sequi nobilitatem actuum, sed necessitatem. Sæpe autem actus inferiores sunt magis necessarij. Soluuntur eius argumenta. Ad secundum dico obiectum conferre ad bonitatem eo modo quo attingitur. Obiectum autem præcipuum, quod est Deus, multò meliùs attingitur per dilectionem inimici, quæ magis appretiatiuè circa Deum versatur. Quare non tantùm ratione difficultatis occasionaliter se habentis, sed etiam ratione modi tendendi in obiectum, hic actus melior est. Neque dicas inimicum posse amari sine respectu ad Deum, ideo solùm quia est natura intellectualis capax beatitudinis. Respondeo enim etiam tunc obiectum illud multò meliùs & magis appretiatiuè attingi, quando impellit ad opus difficilius, vt est dilectio inimici. Ad confirmationem dico excessum exiguum non præponderare alijs rationibus, propter quas pater est diligibilis præ extraneo: quamvis, vt suprà dixi, ordo Charitatis non attenditur semper penes nobilitatem obiectorum. Ad tertium respondeo, peius esse odisse amicum, quàm inimicum, quia maior est ratio amandi amicum, & maior inclinatio voluntatis. Vnde plus malitiæ requiritur ad illum odio habendum contra talem inclinationem voluntatis, & contra maiorem amabilitatem obiecti. Malitia verò, æquè ac bonitas, non sumitur tantùm ex obiecto; sed etiam ex modo tendendi, & affectione voluntatis erga obiectum.

SECTIO II.

Qualis sit actus dilectionis erga Deum?

Hac de re D. Thomas quæst. 27. art. 3. & tribus sequentibus, vbi primò docet, Deum ex Charitate diligendum esse quidem propter seipsum, quia per suam essentiam est optimus, & amore dignissimus: sed posse etiam diligi propter aliquid aliud, quia possumus moueri & prouocari ab eius beneficijs ad ipsum diligendum. 7. D. Thomæ doctrina. Secundò Deum etiam hac in vita per Charitatem amari immediatè: quia Charitas versatur primò circa illum secundùm seipsum. Nec obest quòd Deus non potest cognosci à nobis hac in vita, nisi mediatè per creaturas. Quia ordo volendi non sequitur necessario ordinem cognoscendi. Nam possumus amare aliquem immediatè propter suam bonitatem: licet eum non cognoscamus nisi per

aliorum relationem, quæ est quidem medium cognitionis, sed non est obiectum amoris. Tertiò docet, Deum non amari à nobis totaliter & adæquatè, quantùm amabilis est. Quia bonitas Dei & amabilitas est infinita: vis autem nostra ad amandum est finita. Quartò, dilectionem Dei non habere modum, seu mensuram: quia versatur circa Deum, qui quantacunque dilectione non potest nimium diligi, sed quantò magis diligitur, tantò meliùs diligitur. Hæc D. Thomas.

8. Deus potest amari plures ob rationes.

Circa quæ dico primò, supremam quidem rationem, propter quam Deus est amabilis, quæque immediatè secundùm se, & propter se attingitur per actum Charitatis, esse infinitam ipsius bonitatem, seu perfectionem, quâ summè bonus essentialiter, & amabilis est: alias tamen esse rationes multiplices, ob quas diligi possit per Charitatem, & per alias virtutes inferiores. Probatur, quia quælibet res amari potest secundùm omnem rationem quâ est bona, & conuenienter amabilis. Deus autem est conuenienter amabilis non solùm quatenus est in se bonus, ratione suæ perfectionis essentialis, & absolutæ: sed etiam quatenus est nobis bonus, & causa boni nostri supernaturalis, & finis noster vltimus: ita vt hæc sint ratio ipsum amandi: qui amor pertinet ad Spem supernaturalem: atque etiam quatenus alijs bonus est, & causa boni supernaturalis, ac finis vltimus aliarum creaturarum intellectualium, qui amor pertinet ad Charitatem quâ proximum diligimus, & quæ sunt illi bona. Cùm autem Deus amatur vt bonum nostrum, vel vt bonum proximi, non refertur ipse ad aliud, tanquam ad finem potiorem: alioqui non rectè amaretur: sed amatur restrictè, & contractè secundùm illam rationem, non postpositis, neque exclusis vitiosè maioribus rationibus, secundùm quas propter seipsum multò magis amore dignus est: quamvis actus ad illas negatiuè, seu præcisiuè se habeat. Hinc collige Deum non tantùm posse amari immediatè, id est, propter se solum: sed etiam mediatè, id est, propter aliquid aliud.

9. Amatur aliquid propter aliud quadrupliciter.

Contrarium videtur sentire D. Thomas quæst. 27. art. 3. vbi videtur affirmare Deum non posse diligi propter aliud, nisi excitatiuè. Pro quo notat particulam, *propter*, significare habitudinem alicuius causæ. Est autem, inquit, quadruplex genus causæ: scilicet efficientis, finalis, formalis, & materialis, ad quam reducitur dispositio. Et secundùm hæc quatuor dicitur aliquid propter aliud diligi. Medicinam enim diligimus propter sanitatem, vt finem: & hominem, propter virtutem, vt formam: & aliquem, quia est filius talis parentis, vt propter causam efficientem: & per aliqua v.g. beneficia disponimur ad aliquem amandum, in genere causæ veluti materialis. Deus autem non habet causam efficientem, sed ipse est effector rerum omnium: nec finalem, sed ipse potiùs est finis vltimus omnium: nec formalem, præter suam bonitatem intrinsecam. Quare non potest propter aliam diligi. Possumus tamen eius beneficijs moueri ad ipsius amorem, qui non terminetur ad beneficia, vt ad obiectum; sed ab illis oriatur, vt dispositionibus & motiuis, & feratur in Deum vt propter se amabilem.

Respondeo Deum, non tantùm propter id quod est essentialiter, sed etiam propter alias considerationes amari posse, tanquam propter adiuncta quæ spectent quasi ad genus causæ formalis, non essentialis, sed quasi adiunctæ, & accidentariæ. Etenim Deus, licet per essentiam suam præcipuè bonus sit: tamen etiam aliquo modo est bonus denominatiuè per suas actiones, & terminos earum, quatenus creaturis se dat videndum, & fruendum, aut aliter illis benefacit. Neque ipse per se solum merè & nudè est bonum creaturarum, sed etiam per aliquid additum, sine quo non est omni modo bonum ipsarum, quamvis & ipse secundùm se in bono creaturæ includatur, tanquam illis bonus per seipsum vt causa efficiens, & finis vltimus, & obiectum præcipuarum operationum naturæ intellectualis. Est tamen verum quod ait D. Thomas, amorem Charitatis non terminari obiectiuè ad Deum, vt bonum nostrum est; neque ad Dei beneficia, vt nos bene afficiunt; quia Charitas non quærit, neque spectat quæ sua sunt: sed ad ipsam Dei bonitatem absolutam, ad quam meliùs cognoscendam, & propter se amandam, beneficia nos inducunt. Notandum præterea, non esse idem amare aliquid vt causam alicuius, quo, veluti termino suæ actionis, illud nobis bonum est, aut alijs: & amare illud propter suum effectum, tanquam finem. Nam etiam nos ipsos amamus vt nobis placentes, & vt causas alicuius boni, quod nobis à nobis prouenit: qui tamen non amamus nos propter illud bonum tanquam finem. Notandum quoque, aliud esse finem actus, & finem obiecti. Nam actus ipse amoris Dei potest aliò referri vt ad finem, & propter illud expeti: vt quando aliquis per actum Spei, ex desiderio vitæ æternæ, imperat sibi actum amoris Dei ex Charitate, velut necessarium ad finem illum consequendum. Tunc enim vita æterna est quidem finis actus amoris Dei: sed non est finis ipsius Dei, qui est obiectum talis amoris. Quare particula illa, *propter*, non semper significat causam obiecti, sed interdum causam actus, quo aliquid amatur: vt rectè obseruat Ægid. Coninck disp. 23. dub. 2. num. 5. & sequent.

10. Deus potest amari propter aliud.

Aliud est finis actus, & finis obiecti.

Dico secundò, Deum solum esse summè, & præ alijs omnibus propter se diligendum: verumtamen alia quoque nonnulla posse honestè propter se diligi in suo gradu, tum per amorem Charitatis, tum etiam per affectus aliarum virtutum. Prima pars liquet. Deus enim solus est super omnia æstimabilis: quare in gradu excellentissimo, & omnibus alijs supereminenti solus amari potest, ac debet. Secunda verò probatur, quia licet alia omnia, quæ rectè diligi possunt, & conformiter rationi, possint etiam diligi propter Deum: idque meliùs & perfectiùs, quàm propter se solùm: tamen alia quoque multa habent vnde possint honestè amari propter se, citra Dei considerationem, propter quem diligantur. Nam citra illam considerationem, creaturæ intellectua-

11. Creaturæ possunt amari propter se.

les sunt dignæ quæ amentur amore amicitiæ, illarúmque necessitatibus succurratur, & optentur, ac procurentur illis bona conuenientia, præsertim spiritalia, & supernaturalia. Est enim per se honestum, id est, conforme rectæ rationi, iuuare pauperem in necessitate; misereri afflicti, illique succurrere; eripere alium periculo peccati, & damnationis; & similia, quæ sunt actus, vel effectus Charitatis. Est quoque per se honestum colere parentes, quia tales, quod pertinet ad pietatem: amare benefactores, & gratum illis esse: obseruare superiores legitimos, & illis obedire. Et denique omnes aliæ virtutes Charitate inferiores, quæ habent aliud obiectum quàm Deum, versantur circa illud propter se, ratione propriæ bonitatis & amabilitatis, in qua sistunt; neque enim vlteriùs tendunt ad Deum vt propter se amandum, quod est proprium Charitatis.

Confirmatur ab absurdis contrariæ sententiæ. Absurdum verò esset existimare nihil nisi Deum posse licitè amari propter se: & cætera nonnisi propter Deum. Nam inde sequeretur attritionem descriptam à Tridentr. Sess. 14. cap. 4. vt distinctam à contritione, & non conceptam propter Deum, sed propter pœnam, aut turpitudinem peccati, non esse actum bonum: contra expressam Concilij definitionem ibidem. Sequeretur etiam nullam esse virtutem præter Charitatem: & rationem amandi vnam tantùm esse, nempe summam & diuinam: quod falsum est. Nam in qualibet virtute quæcunque ratio boni, illius propria, est bona & amabilis, etiam sola: non quidem alias excludendo, quasi propter illas non sit amabilis, aut quasi negligendo, aut contemnendo, vel alijs maioribus eam præferendo: sed simpliciter illas non includendo. Sic iustitia amat iustum, quia iustum est: & temperantia, tantum cibi, & potus, quantum ad sanitatem opus est. Fortitudo, moderationem rectæ rationi conuenientem in adeundis periculis, & ferendis asperis, neque nimis timendo, neque nimis audendo. Spes, bonum nostrum supernaturale, vt tale: & sic de cæteris. Quamvis omnia hæc obiecta possint nobiliùs amari secundùm altiorem considerationem, quatenus Deo placent: sed non est vna tantùm virtus, scilicet summa; neque vna tantùm ratio amabilitatis & suprema, quæ diuina est. Iustum enim v. g. licet nihil aliud consideretur, habet vnde sit volitum conuenienter iuxta regulam recti iudicij. Quòd si iustum vt iustum, & temperatum vt temperatum, & similia habent vnde rectè amentur: quantò magis creatura intellectualis, quæ est imago Dei, & capax visionis beatificæ, summæque participationis naturæ diuinæ?

12. Argumenta contraria. Objicies ex D. Thoma, quæst. 27. art. 4. Deum immediatè amari per Charitatem, & alia mediatè, quatenus amor noster primò in Deum tendit, & ex Deo deriuatur ad alia. Item, ex D. August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 3. 4. & 5. Solo Deo fruendum est. Frui verò est alicui propter se inhærere, vt ait idem S. Doctor initio capitis 4. Et lib. 3. cap. 10. dicit Charitatem esse motum animi ad fruendum Deo propter ipsum; & se, atque proximo, propter Deum. Cupiditatem autem esse motum animi ad fruendum Deo, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum. Quam cupiditatem ibidem affirmat esse malam, & destrui per Charitatem. Item, in libro de moribus Ecclesiæ, postquam dixit cap. 14. esse beatum nihil aliud esse, quam inhærere summo bono, quod est Deus solus, cui inhærere non valemus nisi dilectione, amore, & charitate: addit initio capitis 15. *Quòd si virtus ad beatam vitam nos ducit; nihil omnino esse virtutem affirmauerim, nisi summum amorem Dei.* Quia scilicet nullus alius amor honestus est. Et lib. de gratia Christi cap. 26. *Vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur; quia, omne quod non ex fide est, peccatum est: & fides per dilectionem operatur.* Loquitur autem de dilectione erga Deum. Et lib. de gratia & libero arbit. cap. 18. initio affirmat. Quidquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine Charitate, nullo modo bene fieri. Et denique ex eodem August. lib. 1. Retract. cap. 15. referri solent hæc verba, *Voluntas sine Charitate, non est nisi vitiosa cupiditas.* Quibus consonat quod ait lib. de gratia Christi cap. 20. *Aliud est Charitas radix bonorum; aliud cupiditas radix malorum: tantúmque inter se differunt, quantùm virtus, & vitium.*

Propter hæc noui Dogmatistæ existimant nihil licitè amari posse nisi propter Deum: & omnem actum esse vitiosum, si non fiat ex motiuo Charitatis. Sed hæc doctrina est erronea, & satis apertè damnata à Trident. Sess. 14. cap. 4. affirmante attritionem conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, & distinctam à contritione quæ est dolor de peccatis propter Deum, esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, ac dispositionem ad veniam & iustificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Expressiùs vero à Pio V. & Gregorio XIII. in censura Michaelis Baij Doctoris Louaniensis, cuius damnatur hæc propositio num. 36. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur: aut laudabilis illa Charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Itaque non potest hæc sententia sine graui errore sustineri; neque sine contumacia, nisi excusante ignorantia. 13. Iansenij error lib. 5. de gratia Christi cap. 3. & seqq.

Ad primùm argumentum in contrarium, sumptum ex D. Thoma, respondeo illum esse intelligendum de præstantissimo amore Charitatis, deque modo & ordine perfectiori tendendi ad obiecta, sine exclusione aliorum actuum, quibus eadem possunt minùs perfectè diligi per alias virtutes Charitate inferiores. 14. Exponitur D. Thom.

Ad secundum dico, solo Deo fruendum esse tanquam fine simpliciter vltimo, cui omnes alij subjiciantur aliquatenus, saltem quatenus non debent intendi contra ipsius voluntatem, aut assecutionem. Non est quoque ita inhærendum amori vllius creaturæ, vt obliuiscamur Dei, & ad illum nos ipsos cæteráque omnia non aliquando referamus per actum superiorem: nec ita vt in creatura simpliciter vltimò Quomodo solo Deo fruendum?

quiescere velimus. Possumus tamen præter Deum habere alios fines vltimos secundùm quid, nostrorum actuum; & in illis quiescere & oblectari: quod est frui aliquo modo, non tamen eo sensu, quo D. Augustinus loco ibi citato, & alij loquuntur. Intelligunt enim per *frui*, inhærere alicui vt fini simpliciter vltimo. Quo sensu D. August. cap. 22. eiusdem lib. 1. de doctrina Christ. dicit, *Quod propter seipsum diligendum est, in eo constituitur vita beata*. Et cap. 31. *Dicimus*, inquit, *ea re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam: & ea re nobis fruendum esse tantùm, qua efficimur beati*. Eodemque sensu verum est quod idem August. ait alibi, Deo solo fruendum esse, & cæteris vtendum ad consequendum illum vt finem vltimum. Ad tertium respondeo verba illa D. Augustini, *non propter Deum*, intelligi debere de cupiditate ita fruendi, seu adhærendi alijs rebus, vt non modò non referatur ad Deum, sed neque referri possit. Ad quartum dico S. Augustinum cap. illo 15. libri de moribus Eccles. loqui de virtute sufficiente vt nos ducat ad beatitudinem: eóque sensu dicere nullam esse virtutem præter summum amorem Dei, quo videlicet amatur super omnia propter se: quia nulla alia sufficit ad finem illum obtinendum. Qua de causa potest dici sola virtus antonomasticè, aliquo sensu, qui nulli alteri conuenit.

Explicantur loca D. Augustini.

15\. Ad quintum respondeo D. Augustinum cap. illo 26. libri de gratia Christi, non loqui de quocunque opere bono, sed solùm de pertinente ad pietatem, verámque iustitiam: vt patet ex verbis immediatè sequentibus, *Ac per hoc gratiam Dei, quâ Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet verámque iustitiam* (id est, sicut oportet ad salutem) *fieri posse non dubitet*. Latiùs autem tum ibi, tum alibi pluribus locis, sumit nomen Charitatis & gratiæ pro quacunque motione pia diuinitus immissa voluntati, & necessaria ad omnia opera salutaria: vel pro quocunque actu virtutis, & iustitiæ generaliter sumptæ: quo sensu, vt refert ipsemet recoctor errorum Baij lib. 5. de Gratia Christi Saluatoris cap. 34. affirmat alibi D. Augustinus sexcentis locis omnem amorem iustitiæ esse amorem Charitatis, & Dei; quia Dominus iustitia est. Cùm verò ait lib. de gratia & libero arbit. c. 18. Quidquid se putauerit homo benefacere, si fiat sine Charitate, nullo modo fieri bene: intelligit non fieri vtiliter ad vitam æternam nisi impleantur præcepta Charitatis erga Deum, & proximum. Nam de vtroque præcepto ibi loquitur, vt patet ex fine capitis præcedentis. Alia quæ adducuntur ex lib. 1. Retractat. cap. 15. non ibi reperiuntur, nec alibi vspiam apud S. August. continéntque errorem Michaëlis Baij suprà relatum, & damnatum à Pio V. & Gregor. XIII. nisi in hunc sensum exponantur, quòd voluntas hominis destituti Charitate & gratia sanctificante, soleat in vitiosas cupiditates prorumpere, & vix, raróque admodum bene operatur omni ex parte: tametsi possit, præcipuè cum Dei gratia, si velit illi cooperari. Vt etiam interdum facit: nam Fides, & attritio, vel contritio peccatoris, est bonum opus. Denique lib. 1. de gratia Christi cap. 20. per *cupiditatem*, non intelligit quemcunque amorem creaturarum: sed concupiscentiam ortam ex Adæ peccato, & trahentem ad illicita: Vt patet ex verbis sequentibus: *Sed cupiditas hominis quæ vitium est, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum & ambitio sæculi*.

Dico tertiò, licet amor Dei non habeat modum, seu mensuram ex parte obiecti, neque secundùm se absolutè spectatus: habet tamen in nobis ex parte principij finiti & limitati. Probatur, quia Deus supra omnem modum est infinitè diligibilis. Amor quoque secundùm se spectatus, potest in infinitum crescere, & in Deo reipsa infinitus est. In nobis vero non potest crescere in infinitum: quia principium dilectionis finitum est, intellectus scilicet, & voluntas: Charitas quoque habitualis, & auxilia interna non possunt à nobis recipi vltra certum gradum capacitati nostræ finitæ adæquatum: neque possumus cum auxilio diuino interno, vel externo, conari & concurrere vltra certum terminum. Sed hæc limitatio est ex mera necessitate naturæ nostræ: non autem iuris aut legis diuinæ. Neque impedit quò minùs possimus semper hac in vita magis ac magis diligere: quia dilectio nunquam ab vllo tanta exercetur, quin possit haberi maior: Deo ita disponente viæ statum, vt semper crescere quisque possit, nec vnquam summam perfectionem attingat, vel parem Christi Charitati & gratiæ. Duo verò sunt hîc distinguenda. Vnum, quòd Charitas non possit crescere absolutè vltra certum terminum capacitati nostræ adæquatum. Et hoc à mera natura esse dico. Alterum, quòd re ipsa non crescat vsque ad totam capacitatem animæ explendam, sempérque locus augmento relinquatur. Et hoc sine diuina ordinatione non fit, qui res ita disposuit, quamvis posset in omnibus explere, si vellet. 16. Habeátne mensuram amor Dei?

Posset tamen etiam Deus, absolutè loquendo, mensuram ponere Charitati intra terminum quem possumus attingere, ita vt intensiùs amare prohiberet. Deus enim liber est ad omnia extra se posita, præterquam ad malum volendum, aut aliquid indecenter faciendum, aut omittendum. Non repugnat autem, neque malum aut indecens est, quòd Deus prohibeat aliquam intensionem Charitatis, ob bonum aliquem finem, putà ad vitandum aliquod incommodum, quod ex tam intensa dilectione sequi posset: v. g. ad vitandam alienationem à sensibus, propter quam opus aliud magis necessarium omitteretur: quæ dilectio re ipsa mala esset per accidens, & prohibita extrinsecè per omissionis prohibitionem. Confirmatur, quia Charitas non eximit diligentem à naturali subiectione ad Deum. Quare non impedit quò minùs Deus possit mensuram 17. Possitne à Deo poni?

Poſſitne prohiberi amor Dei? ponere diligenti. Quin etiam non repugnat Deum prohibere exercitium dilectionis ſui, pro aliquo tempore, quo non eſt neceſſaria, & pro quo non eſt vituperabilis illius omiſſio, ſed potiùs vtilis, aut neceſſaria ad aliquid magis neceſſarium: putà ne ægrotus nimis animum contendat, aut ſanus valdè neceſſario ſe priuet alio quopiam exercitio, tunc temporis debito. Non tamen poteſt actum illi contrarium, aut turpem & vituperabilem omiſſionem præcipere: quia vtrumque malum eſt. In eo autem caſu, quo Deus exercitium aut intenſionem Charitatis prohibuiſſet, non poſſet homo talem actum ſupernaturalem elicere. Tum quia non poteſt exerceri ſine ſpeciali Dei auxilio: Deus autem non concurrit ſpecialiter ad actum malum, cuiuſmodi ille eſſet, quia prohibitus, & illicitus. Tum etiam quia ſequeretur eum ſimul amare Deum ſuper omnia, & offendere mortaliter, ac poſtponere ipſius amicitiam & voluntatem, ſuæ: quod ne quidem vllo actu naturali fieri poteſt: quia inuoluit contradictionem. Suppono autem Deum id grauiter prohibuiſſe.

18. Poſſunt alia æquè intensè amari, ac Deus: ſed non æquè æſtimatiuè. Quæres, an Dei proprium ſit vt toto conatu, & intenſione voluntatis amari poſſit? Reſpondeo negatiuè. Nam proximus quoque amari poteſt quanta intenſione poſſumus. Si quis etiam v. g. ſecundùm ſuam totam vim expeteret fortiter in bello ſe gerere, vel rectè fungi officio iuſtitiæ, quòd exercet, & exactè reddere cuique ſuum, non eſſet malum: & quantocunque conatu id vellet, non committeret exceſſum, per ſe loquendo. Quare præcellentia intenſionis non eſt Dei propria: ſed tantùm præcellentia æſtimationis, in eo conſiſtens, quòd Deus ametur ſecundùm æſtimationem boni ſupremi, & diuini, affectu illum præferente omnibus, & parato cætera potiùs omnia perdere, quàm Deum. Quæ æſtimatio, vt alibi notauimus, poteſt eſſe duplex: virtualis, & formalis; ſiue implicita, & explicita. Formalis & explicita eſt illa, per quam formaliter & expreſsè Deus ſuper omnia æſtimatur, comparando illum cum rebus alijs diſtinctè vel confusè cognitis. Virtualis verò, & implicita eſt, quando licet Deus non actu comparetur cum alijs; amatur tamen ſecundùm eam rationem, quæ eſt fundamentum præferendi illum expreſsè rebus omnibus alijs, & affectu illi conformi; ita vt vi talis affectus fieret illa comparatio, ſi cogitatio de illa occurreret: firmiùſque per illum Deo adhæreamus, quàm alijs; actu illo magis firmante voluntatem, quàm alij circa ſua obiecta: ſicut per actum ſcientiæ quamvis remiſſum, firmatur magis intellectus, quàm per vllum actum opinionis. Ita, inquam, firmante voluntatem, vt ex tali affectu beneuolentiæ ſequeretur propoſitum vitandi omne peccatum mortale, & quidvis aliud perdendi potius quam Deum; ſi talis propoſiti formandi cogitatio in mentem veniret. Ratio verò cur poſſint alia amari æquè intensè ac Deus, & non poſſint æquè æſtimatiuè, eſt quia id, quod magis amatur æſtimatiuè, præfertur alijs; & quod æquè amatur æſtimatiuè, æquè æſtimatur. At nulla res creata, quantumvis amabilis, poteſt æquè æſtimari ac Deus. At verò qui æqualiter amat intenſiuè, non propterea æqualiter æſtimat: neque ſi magis aliquid amat intenſiuè, illud alijs præfert, paratus potiùs hæc perdere, quàm illud. Amor enim intenſiuus non continet huiuſmodi comparationem rei amatæ cum alijs, ſicut amor æſtimatiuus; ſed eſt tantùm maior vehementia & teneritudo affectus circa obiectum.

Objicies; Amabilitas ſequitur bonitatem. Ergo quod magis bonum eſt, eſt magis amabile, tam ſecundùm intenſionem, quàm ſecundùm æſtimationem. Reſpondeo, id quod eſt magis bonum, eſſe quidem magis dignum amore, etiam maiore quoad intenſionem: verumtamen quodlibet bonum honeſtum eſſe dignum ſufficienter vt illud amemus amore intenſiſſimo, ſiſtendo tamen intra limites æſtimationis, quâ dignum eſt. Quò enim quiſque magis afficitur ad bonum & honeſtum, eò meliùs facit, per ſe loquendo: eòque magis adhæret rectitudini, atque à turpi & inhoneſto magis abeſt. Dixi, *per ſe loquendo:* quia per accidens poteſt amor intenſior alicuius boni eſſe vitioſus, ſi nimis mentem occupet, & impediat aut auertat ab alijs melioribus, aut neceſſarijs: vt fieri ſolet in ſtatu vitæ præſentis. Beati autem multò puriùs & intenſiùs amant abſque talibus incommodis. 19. Soluitur obiectio.

SECTIO III.

De effectibus Charitatis.

Sex Charitatis effectus numerat & exponit S. Thomas à quæſt. 28. ad 33. incluſiuè. Tres internos, & tres externos. Interni ſunt, gaudium, pax, & miſericordia. Externi, beneficentia, eleemoſyna, & correptio fraterna. De quibus breuiter dicendum eſt, reiectis in ſequentes diſputationes ijs, quæ ad moralem conſiderationem pertinent de præceptis & obligationibus exercendi hos effectus. Reliqua verò in textu D. Thomæ ſunt fere ſatis perſpicua. 20. S. Thomas ſex effectus Charitatis aſſignat.

Gaudium ergo eſt delectatio, & veluti quies appetitus in aliquo bono. Patet autem ex dictis alibi, eandem virtutem quæ inclinat voluntatem ad amandum aliquod bonum, inclinare ad gaudendum de eo iam adepto. Quare Charitas quæ inclinat ad Deum, & proximum amandum, & ad volendum illis bonum: inclinat etiam ad gaudendum de tali bono ſi præſens eſt: ſicut & ad deſiderandum, ſi eſt abſens. Atque ita gaudium de bono Dei, & proximi, vt tali, eſt effectus Charitatis, tanquam vnus ex actibus illius proprijs: ſimilitérque deſiderium eiuſdem boni, & timor ac dolor ſeu triſtitia de oppoſito, ſunt actus eliciti Charitatis, vt docet idem S. Doctor quæſt. 28. art. 1. in corp. Et 3. p. quæſt. 85. art. 2. ad 1. affirmat eiuſdem Charitatis eſſe velle bonum Dei, quà tale, & odiſſe malum illi contrarium. Quia ſcilicet perficit integrè voluntatem circa obiectum ſibi proprium, per acceſſum ad bonum, & receſſum à malo. Gaudiũ Charitatis effectus quid ſit?

21. Pax quid, & quotuplex? Pax opponitur bello, turbationi, ac dissensioni: & significat quietem ab his omnibus. Est autem duplex turbatio, & dissensio. Vna interna, id est, ad intra, siue in ordine ad nos ipsos: consistens in pugna, & dissensione passionum à voluntate, aut inter se. Altera externa, id est, ad extra, siue in ordine ad alios, consistens in discordia voluntatis nostræ cum voluntate aliorum, quibuscum agendum est. Vnde collige primò, duplicem esse pacem: internam, & externam; ex quibus pax integra & perfecta, velut ex partibus duabus coalescit. Secundò, pacem supra concordiam, id est, consensionem voluntatis nostræ cum alijs, addere aliquid aliud, nempe consensionem internam appetitus cum voluntate, & passionum ipsarum inter se: vt ait S. Thomas quæst. 29. art. 1.

Quomodo oritur à Charitate? Vtraque pax, tam interna, quàm externa, à Charitate oritur. Interna quidem, quatenus vnit voluntatem nostram cum diuina perfectissimè; & cùm Dei gratia, & exercitio aliarum virtutum, conatur omnes ipsius affectus, & passiones appetitus, atque potentias hominis, & operationes voluntati Dei subjicere; atque ita efficere consensionem perfectam ipsarum inter se, & cum voluntate diuina, in qua omnes perfectè consentiant. Externa verò, quatenus Charitas vnumquemque inclinat ad diligendum alterum, sicut seipsum; & quatenus etiam quærens Deum in omnibus, & omnes Deo vniens per amorem, conformat omnes diuinæ voluntati; ac denique passiones in vnoquoque domans, tollit semina discordiarum, & contentionum, quæ ab illis oriri solent. Non tamen Charitas inclinat ad pacem qualemcunque, sed ad illam quæ secundùm Deum est. Alioqui verò secundùm Charitatem est resistere impijs, & maleficis, contra honorem Dei, vel bonum proximi aliquid molientibus; & pro Deo, vel proximo pugnare, quando est opus. Sed hæc necessitas oritur ex eorum imperfectione, qui Charitatis ductum non sequuntur. Nam si omnes eius legibus viuerent, pax vbique regnaret. Porro, licet iustitia, & aliæ virtutes iuuent quoque ad pacem internam, & externam: Charitas tamen multò magis: quia generaliter ad omnia se extendit. *Plenitudo enim legis est dilectio, Rom. 13. ver. 10.*

In quo consistit? Veruntamen; sicut sanitas corporis non est aliqua qualitas distincta, sed consistit in iusta omnium proportione: ita pax integra & perfecta, non est vna aliqua virtus, aut vnus aliquis virtutis actus; sed consensio hominum inter se, & inter cuiusque affectus intra seipsum, consistens in concursu & exercitio Charitatis præcipuè, aliarúmque virtutum, affectus animi rectè moderantium, in ordine ad seipsum, & ad alios: vel potiùs, est status quietis, & tranquillitatis, quâ homines fruuntur, sedatis omnibus, & pacatis interiùs, & exteriùs: qui status non est virtus, nec actus voluntatis; sed carentia perturbationis, & pugnæ, atque discordiæ, seu contrarietatis affectionum, & cordium; quæ contrarietas per Charitatem tollitur, aliasque virtutes. Atque ita pax est effectus Charitatis præcipuè, aliarúmque virtutum minùs præcipuè.

Misericordia est alienæ miseriæ displicentia, siue nolitio efficax; quâ scilicet mouemur vt ei subueniamus. Quæ virtus propriè in voluntate est, & non differt à Charitate erga proximum; quia eiusdem virtutis est amare bonum proximi, & auersari malum illius. Et sicut amor nostri nos impellit ad procuranda bona propria, & mala propulsanda: sic amor proximi idem præstat circa eius bona, & mala. Quare misericordia, si de habituali loquamur, non tam est effectus Charitatis, quàm ipsamet Charitas, inadæquatè sumpta, prout versatur circa miserias proximi. Actualis verò, est vnus de actibus secundarijs Charitatis tendentibus contra malum, quo nimirum auersamur, & amolimur miseriam proximi. Licet autem hic actus communiter in nobis cum aliquo sensu doloris exerceatur: potest tamen sine illo esse. Vnde misericordia formaliter Deo tribuitur. At circa Deum versari nequit, quia Deus miser esse non potest, ideóque non est obiectum misericordiæ, quæ versatur circa miseros, & circa mala ita subiectum afficientia, vt ipsum miserum reddant. 22. Misericordia quid sit?

Aliter sumitur interdum misericordia pro passione inferioris partis animæ, seu appetitus sensitiui, moderatè versante circa miseriam proximi, sed hæc per se & propriè virtus non est, cùm non attingat obiectum sub ratione honesti; sed tantùm quatenus constituit vnum moraliter actum cum actu voluntatis, à quo dirigitur, & secundùm rationem regulatur, vt ait D. Thomas quæst. 30. art. 3. vbi expressè docet dolorem de miseria aliena sumi posse dupliciter. Primò, pro motu appetitus sensitiui: & sic misericordia passio est, & non virtus. Secundò, potest significare motum appetitus intellectiui secundùm quòd alicui displicet malum alterius: & hic secundùm rationem potest esse regulatus, & regulare motum inferioris appetitus, atque ita virtus est. Idem S. Doctor art. 1. quæst. cit. misericordiam sic definit, post S. August. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, quâ vtique, si possimus, subuenire compellimur. Dicitur enim misericordia, ex eo quòd aliquis habeat miserum cor super miseria alterius. Sed hæc definitio, & ethymologia passioni potiùs conuenit, aut misericordiæ strictiùs sumptæ, prout à nobis cum aliquo sensu doloris exerceri solet; quàm virtuti misericordiæ per se solùm, & generaliùs abstractiúsque spectatæ: quæ neque miseriam cordis, neque dolorem includit necessariò: alioquin Deo formaliter conuenire non posset: neque Beatis, doloris & miseriæ incapacibus. 23. Dupliciter sumitur.

Beneficentia est actus externus Charitatis, quo alij bene facimus propter ipsius, aut Dei amorem. Est autem effectus Charitatis internæ; quia ex eo quòd alteri bene volumus, sequitur vt ei bene faciamus. Possumus tamen alijs bene facere non tantùm ex motiuo Charitatis, sed etiam ex motiuo iustitiæ aliarúmque virtutum, vt Pietatis, Religionis, Obseruantiæ, Gratitudinis, Liberalitatis, &c. tuncque beneficentia pertinet ad huiusmodi virtutes, tanquam actus earum externus. Quare non 24. Beneficentia quid sit?

omnis beneficentia est effectus proprius Charitatis: sed illa tantùm, quæ procedit ex motiuo Charitatis, quæque respicit bonum Dei vel proximi, quà tale est: deque hac sola in præsenti loquimur. Porrò sicut amor Charitatis debet ad omnes generaliter extendi: ita & beneficentia, orando saltem in genere pro omnibus. Specialiter verò illis benefaciendum est, qui operâ nostrâ indigent: & inter eos, potiùs illis, qui nobis magis coniuncti sunt, cæteris paribus. Iuxta ea quæ diximus de ordine Charitatis. Quod luculenter confirmat S. Thomas quæst. 31. art. 3. in corp. his verbis, *Gratia & virtus imitantur naturæ ordinem, qui ex diuina sapientia est institutus. Est autem talis ordo naturæ, vt vnumquodque agens naturale per prius magis diffundat suam actiuitatem ad ea, quæ sunt sibi magis propinqua. Exhibitio verò beneficiorum est quædam actio Charitatis in alios: & ideo oportet vt ad magis propinquos simus magis benefici.* Dixi autem, *cæteris paribus:* quia in aliquo casu magis est subueniendum extraneo (putà, si sit in extrema necessitate) quàm vel ipsi patri non tantam necessitatem patienti; vt addit S. Doctor ibidem.

Quibusnam benefaciendum?

25. Eleemosyna dupliciter sumitur. Primò, pro actu externo misericordiæ, quo subuenitur miseriæ corporali pauperis indigentis. Et sic distinguitur à correptione fraterna, quâ subuenitur miseriæ spirituali proximi delinquentis. Secundò, latiùs pro quocunque actu externo misericordiæ circa quamcumque miseriam proximi, spiritalem, aut corporalem. Quo sensu sumitur à D. Thoma, totâ quæst. 32. Interdum etiam sumitur pro re ipsa, quam damus indigenti vt eius miseriam subleuemus; quo sensu dicitur vnus dare, & alter accipere eleemosynam.

Eleemosyna multipliciter sumitur.

Eleemosyna latè sumpta in septem corporales, & septem spiritales diuiditur à D. Thoma, quæst. cit. art. 2. & ab alijs communiter: Quæ his versibus comprehenduntur,

Diuiditur in corporalem, & spirit.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Id est, pasco esurientes, poto sitientes, visito infirmos, redimo captiuos, vestio nudos, colligo hospites, sepelio mortuos. Doce ignorantes, da consilium indigentibus (quæ duo continentur verbo, *Consule*) corrige delinquentes, solare tristes, offensoribus remitte offensas tibi factas, porta onerosos & graues, & ora pro omnibus.

26. Circa quæ nota primò, per, *visitare infirmos*, non intelligi tantùm visitationem, quatenus fert solatium infirmis; id enim potiùs ad consolationem tristium, & afflictorum pertinet: sed intelligi præcipuè curam & operam ægris impensam ad morbum subleuandum. Nota secundò, præter opera prædicta, alia multa enumerari posse, diuersa ab illis quatuordecim strictè sumptis, licet ad ea reduci possint aliquo modo, velut ad communiora, vt notat etiam D. Thomas art. 1. ad 2. Cuiusmodi sunt, succurrere naufragantibus, defendere famam aliorum læsam, liberare oppressos, ducere cæcos per viam rectam; & denique quot sunt aliæ miseriæ internæ, vel externæ, & modi eos subleuandi; tot possunt esse actus & opera misericordiæ.

Nota tertiò, hæc omnia esse opera misericordiæ, & Charitatis, quatenus fiunt ex ipsius motiuo, vt subleuetur miseria proximi, propter se, vel propter Deum dilecti, qui finis est illis magis proprius & intrinsecus: licet ad alios quoque referri possint, & tunc pertinent ad eas virtutes, ex quarum motiuo exercentur. Actus enim exteriores ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id, quod est motiuum agendi huiusmodi actus; vt rectè ait S. Thomas art. 1. quæst. 32. Potest autem hoc dupliciter fieri. Primò, ita vt actus externus ordinetur ad finem, siue motiuum sibi intrinsecum. Secundò, ita vt ordinetur ad finem sibi extrinsecum. Finis autem ille dicitur alicui actui externo intrinsecus, ad quem hic naturâ suâ ordinatur, ita vt illum ex se natus sit causare. Sic sumptio medicinæ est nata causare sanitatem, & largitio eleemosynæ nata est remouere miseriam indigentis: & ideo hi sunt fines intrinseci illarum actionum: fines verò extrinseci, sunt alij ab istis distincti, ad quos pro voluntate operantis illæ actiones ordinantur. Vt si quis det alteri medicinam vt inde lucrum reportet; aut si quis det eleemosynam, vt satisfaciat pro peccatis, vel vt aliquid à Deo impetret. Ratione prioris finis actus externi habent intrinsecam honestatem, & ex se sunt actus certæ virtutis. At ratione finis extrinseci solùm sunt boni denominatione extrinseca, eâque solâ ratione ad aliquam aliam virtutem pertinent. Ita Ægid. Coninck disp. 27. dub. 2. num. 5. Vnde rectè concludit eleemosynam propriè, & ex se, esse actum Charitatis erga proximum; quia tendit per se ad remouendum illius malum: voluntas autem remouendi malum alterius, prouenit ex amore, quo ipsius bonum amamus; & vtraque voluntas ad eandem virtutem pertinet. 27.

Quomodo est effectus Charitatis?


Actuum externorum finis duplex: intrinsecus, & extrinsecus.

Nota quartò ex D. Thoma quæst. 32. art. 3. eleemosynas spirituales ex suo genere nobiliores esse corporalibus. Primò, quia id, quod exhibetur per illas, nobilius est; scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali. Secundò, ratione eius, cui subuenitur: quia spiritus nobilior est corpore. Tertiò, quantùm ad ipsos actus, quibus subuenitur proximo: quia spirituales sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quodammodo seruiles. In aliquibus tamen casibus & circumstantijs, eleemosynæ corporales sunt præferendæ spiritualibus. Nam extremè famelicus pascendus potiùs est, quàm docendus; sicut indigenti melius est ditari, quàm philosophari; quamvis hoc sit simpliciter melius. Interdum etiam corporales sunt laboriosiores, aut difficiliores: vnde maiori feruore voluntatis opus est, ex quo meritum crescit. 28.

Eleemosyna spirit. est nobilior corporali.

Nota quintò, opera misericordiæ non valere tantùm ad subleuandam miseriam proximi, ad quod intrinsecè valent, & per se tendunt: Sed ad multa alia misericordi vtilia: nimirum ad satisfactionem pro peccatis, & ad eorum 29.


remissionem, & ad gratiæ augmentum, & alia, de quibus D. Thomas art. 4. quæst. 32. & fusiùs Ægidius Coninck disp. 27. dub. 4. De obligatione vero exercendi opera misericordiæ, de qua D. Thomas art. 5. & sequentib. quæst. cit. & ferè tota quæstione 33. dicemus inferiùs, cùm agemus de præceptis Charitatis. Melius enim est totam doctrinam moralem de obligationibus & præceptis vnum in locum rejicere. Sufficiet in præsenti dicere grauem esse obligationem circa hæc omnia, quando materia grauis est, & necessitas valde vrgens, nec alius est qui possit, aut velit succurrere, & tu saltem commodè potes pascere v. g. esurientem, vestire nudum, sepelire mortuum, & similia.



DISPVTATIO VIGESIMA.

De Vitijs oppositis Charitati & eius effectibus.

CHaritatis actibus, & effectibus superiùs expositis multa vitia opponuntur: de quibus perspicuè disputat S. Thomas à quæst. 34. ad 43. inclusiuè, vbi tractat de Odio, Acedia, Inuidia, Discordia, Schismate, Rixa, Bello, Seditione, & Scandalo. De quibus singulis pauca, & præcipua dicenda sunt, referendo simul, & exponendo quid S. Doctor de illis senserit.



SECTIO I.

De Odio Dei.

1. Odium quid, & quotuplex sit? SVppono ex dictis 1. p. Disp. 16. Sect. 5. odium generatim esse duplex: abominationis videlicet, & inimicitiæ. Quorum prius est auersio animi, quâ personam, vel rem aliquam, tanquam malam, & nobis displicentem auersamur. Posterius est actus voluntatis, quo volumus alicui personæ malum, quia ipsius malum est, & ex ipsius personæ displicentia: ita vt causa, propter quam ipsi malum volumus, sit quia talis persona nobis displicet, & erga illam malè affecti sumus. Vnde sequitur odium inimicitiæ, includere odium abominationis, seu auersionis & displicentiæ erga personam; & illi addere volitionem mali quod ipsi optamus, aut inferre cupimus. Sequitur præterea non esse propriè odium inimicitiæ, velle alicui malum, etiam quia ipsius malum est, nisi talis volitio procedat ex displicentia personæ. Quare iudex, v. g. puniens malefactorem, & inferens ipsi malum pœnæ promeritæ ex puro zelo iustitiæ, non propterea ipsum odit: neque pater castigans filium studio correctionis: neque Deus affligens animas, & expians Purgatorij pœnis, alioquin sibi gratas, atque ab omni reatu culpæ, seu mortalis, seu venialis liberas. Quia hæc non fiunt ex displicentia, & abominatione, seu auersione ipsius personæ, quæ, eo non obstante, grata & amica est, aut esse potest. Vt si iudex puniat consanguineum

sibi charissimum, ægrè quidem, & inuitus quodammodo: ideo solùm quia saluâ iustitiâ non eum potest à pœna eximere. Neque verò parentes oderunt, sed amant potiùs filios, quos affectu paterno castigant; neque iustorum animæ sunt Deo exosæ, dum expiantur pœnis Purgatorijs. Tametsi iudex, & parentes, & Deus, velint illis malum, quà malum. Quisquis enim vult punire alterum, vult ei malum; quà tale: quia vult illud, prout est vtile ad puniendum alterius peccatum: non est autem vtile ad puniendum, nisi quatenus est malum, & incommodum ipsi patienti, priuando eum aliquo bono, vel positiuè affligendo, & malè afficiendo.

2. *Odisse non est tantum velle malum alicui.*

Similiter, qui malum alicui volunt, aut inferunt ex aliquo alio prauo affectu, quàm ex displicentia personæ; non propterea ipsam prosequuntur odio inimicitiæ, propriè loquendo: putà, si rapiunt bona aliena, vt augeant sua, ex affectu auaritiæ, vel ambitionis; si malum alicui inferre velint ad propulsandam iniuriam malè præsumptam, & similia. Nimirum quia in huiusmodi affectibus, non est ratio formalis inimicitiæ propria, quæ in eo consistit, vt velimus alicui malum, quà malum, ex displicentia ipsius personæ. Falluntur tamen, qui inde colligunt Deum neminem odisse propriè loquendo, odio inimicitiæ. Nam quia Deus peccatores, & damnatos punit, non tantùm ex affectu iustitiæ, verùm etiam ex displicentia personæ (*Similiter enim odio sunt Deo impius, & impietas eius*, vt dicitur Sapient. 14. v. 9.) idcirco Deus verè ac propriè illos odit odio inimicitiæ: quemadmodum etiam Scriptura sæpe testatur, tribuens Deo inimicitiam erga improbos: & nos fusiùs probauimus loco citato, initio Sectionis: vbi etiam prædicta omnia paulò vberiùs exposuimus.

Falsum est Deum neminē odisse.

3. *Potestne Deus odio haberi?*

His præmissis quæritur primo, An quis de facto possit odisse Deum odio abominationis, vel odio inimicitiæ? Respondeo neminem clarè videntem Deum posse ipsum odisse, neminem quoque obscurè cognoscentem posse ipsum odio prosequi præcisè spectatum, & absolutè secundùm se; suaque attributa intrinseca; neque etiam quatenus est nobis auctor & parens bonorum, vt talium: secus verò spectatum in ordine ad quosdam effectus qui possunt nobis displicere, & mouere ad Deum odio habendum: odio, inquam, tum abominationis, auersando illum vt nobis contrarium, quia v. g. peccata nostra prohibet, vel punit; aut quia nobis aliquid negat; vel quid simile: tum etiam odio inimicitiæ, volendo ipsi aliquod malum quà malum, & ex displicentia personæ ipsius: vt dæmones & damnati faciunt, & homines summæ ac diabolicæ improbitatis, aut dæmoniaco furore correpti.

Non potest à clarè ipsum videntibus.

Prima pars est D. Thomæ, quæst. 34. art. 1. & communior Theologorum, intellecta etiam de potentia absoluta, quòd scilicet fieri omnino nequeat, vt Deum clarè videns ipsum oderit. Ratio est, quia videns clarè Deum, ab intrinseco ex vi ipsius visionis necessitatur ad eum amandum quantùm potest, ita vt ipsi omnino impossibile sit Deum non amare, si concursus ad amandum non denegetur: sed & quamvis denegetur, manet tamen ipse determinatus ad amandum in actu primo, ratione visionis beatificæ, contra quam determinationem agere non potest per odium contrarium; sicut corpus graue, licet impediatur à descensu deorsum, quia tamen ad illum determinatum est per grauitatem, non potest niti ad ascensum descensioni repugnantem, neque prorumpere in motum contrarium. Quòd autem visio Dei determinet, ac necessitet omnino voluntatem videntis ad Deum amandum, ostendimus suo loco in tract. de Beatitudine. Et confirmatur, quia bonum, quò maius est, & meliùs cognitum, eò magis allicit voluntatem ad sui amorem, ita vt naturaliter experiamur quædam ita eam allicere, vt nisi vi sibi factâ, ab illis amandis abstinere non possit: Ergo dari potest bonum aliquod tam ingens, & tantæ virtutis ad alliciendum, vt voluntatem necessariò trahat, atque ita determinet, vt non possit resistere. Cùm enim resistentia voluntatis creatæ sit finita in resistendo bonis ita allicientibus, potest dari aliquod bonum infinitæ virtutis & amabilitatis, à quo planè superetur. Huiusmodi autem est bonitas increata Dei clarè visi, infinitè superans omnem aliam bonitatem, etiam imaginabilem. Confirmatur secundò, quia multa bona creata rapiunt indeliberatè voluntatem ad necessarium sui amorem, vt quotidie experimur; quædam etiam tentationes circa bona creata ita vehementer eam alliciunt; vt non obstante deliberatione, resistere moraliter non possit sine speciali Dei auxilio. Ergo multò magis bonitas Dei infinita, quæ Deum ipsum ad sui amorem determinat, poterit clarè visa illam determinare, & necessariò trahere ad sui amorem.

Dices, id quidem verum esse de vidente simpliciter, sine alia ratione, quæ visioni detrahat, aut amabilitati diuinæ: secus autem si talis ratio adiungitur. Vt si quis breui tempore Deum videat, & ipsi interea reueletur fore vt postea peccet mortaliter, & damnetur, & à Deo seuerissimè puniatur, grauissiméque torqueatur in perpetuum; aut si existens in peccato mortali, & damnatus, simul patiatur pœnam ignis, & eleuetur ad Dei visionem: aut si Beati voluntas ita à Deo corroboretur, vt non necessitetur ad amandum Deum, & consequenter possit aliquid à Deo prohibitum, tanquam sibi bonum apprehendere, & appetendo peccare, vt fieri posse censet Molina in primam partem D. Thomæ, quæst. 14. art. 13. disp. 18. num. 4.

4. *Soluitur obiectio.*

Ad hæc respondeo, Dei bonitatem tantam esse, vt clarè visa non possit non necessitare videntem ad amandum: neque stante visione impediri possit quin sequatur hæc necessitas amandi obiectum tantæ amabilitatis, siue per apprehensionem malorum à Deo impendentium, aut inflictorum; siue per voluntatis corroborationem, quæ vim diuinæ amabilitatis clarè visæ adæquare non potest: cùm enim dari possit amabilitas tantæ perfectionis (quippe in qua nulla apparet repugnantia) existimandum est diuinam talem esse.

5. Secunda pars responsi est etiam D. Thomæ

Non potest odio haberi secundùm se. art. cit. vbi docet Deum præcisè spectatum secundùm se, & sibi intrinseca absolutè, non posse odio haberi. Ratio est, quia quidquid odio habetur, debet apprehendi vt malum: At Deus non potest apprehendi vt malus secundùm prædictam considerationem, cum nihil contineat, quod possit apprehendi vt malum, absolutè spectatum. Ergo, &c. Docet præterea non posse odio haberi, vt est nobis auctor bonorum, intellige vt talium: quia sicut hæc per se, vt talia non possumus odisse; ita nec Deum, provt illorum auctor, & largitor est. Dixi, *vt talium*: quia si bona illa apprehendantur vt mala per accidens, poterunt tum ipsa, tum eorum auctor, haberi odio. Atque ita sunt qui vitam ipsam oderunt, quia molestam, & vitæ suæ auctores detestantur.

Secus autem respectiuè propter aliud. Tertia pars est quoque D. Thomæ art. cit. & satis patet experientiâ. Tantùm aduerto cum Caiet. ibid. & Ægid. Coninck disp. 29. num. 26. malos non solùm odisse illos Dei effectus; sed etiam Deum ipsum, propter eosdem, aut propter rationes respectiuas apprehensas, vt sibi malas, putà quia punit eorum peccata, vel quia eos affligit. Quemadmodum enim quando aliquem amamus propter virtutem, aut odimus propter vitia: licet virtus, quæ illi inest, sit causa, siue ratio formalis cur ipsum amemus; tamen non eam solam amamus, sed etiam personam ipsam secundùm se: & similiter non solùm vitia, sed & personam propter ipsa detestamur, iuxta illud Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Sic qui Deum oderunt quia vindex peccatorum est, aut afflictor; non tantùm oderunt vindictam, aut afflictiones, sed Deum ipsum vindictæ, & afflictionis auctorem. Neque id negat D. Thom. loco cit. in 2. parte responsi: sed tantùm vult non posse Deum odio haberi præcisè ratione sui, secundùm intrinseca absolutè sumpta, & sine ordine ad huiusmodi effectus, aut secundùm illas rationes respectiuas, velut motiuum formale.

6\. *Odium Dei est maximũ peccatorum,* Quæritur secundò, an odium Dei sit maximum omnium peccatorum? Respondeo esse maximum ex genere suo; vt docent S. Thom. art. 2. quæst. 34. & alij communiter. Ratio est, quia directè opponitur virtuti præstantissimæ, secundùm præstantissimam ipsius partem, estque contra maximum præceptum. Optimo autem opponitur pessimum, vt ait Aristot. 8. Ethic. cap. 10. Item, directè auertit voluntatem à Deo, aut contra ipsum hostiliter conuertit, & summæ ipsius bonitati repugnat maximè: ac denique qui Deum odit directè, vult implicitè, aut expressè summum malum: quia vult Deum non esse, aut ei malè esse; quo nihil peius excogitari potest. *Quomodo id intelligendum?* Dixi autem, *ex genere suo*: quia ratione circumstantiarum alia peccata possunt esse grauiora aliquo Dei odio, putà ex vehementi passione repentina orto, ac tantum semi-libero. Inter ipsa quoque odia Dei aliud est alio maius, neque quodlibet est peccatorum omnium maximum. Odium enim inimicitiæ maius est odio abominationis: & inter vtraque, aliud est alio grauius, provt habet plus auersionis aut inimicitiæ, Deúmque attingit secundùm plures, aut maiores rationes.

Objicies: Odium Dei oritur ex amore sui. Ergo ille amor est maius peccatum: cùm sit radix; & causa odij. Item, peccatum consistit in elongatione à Deo: At Infidelitas magis elongat: quia qui penitùs non nouit Deum, magis ab ipso abest, quàm qui nouit, & odit: Ergo, &c. Tertiò, peccatum in Spiritum sanctum est omnium grauissimum: ideóque quodammodo irremissibile, Matth. 12. At odium Dei non computatur inter peccata in Spiritum sanctum. Ergo non est maximum peccatorum.

Soluuntur arg. cõtraria. Ad primum respondeo, in moralibus effectum sæpe esse peiorem causâ: Nam qui occidit vt furetur, grauiùs peccat occidendo, quàm furando: & tamen furtum est causa homicidij. Quare licet amor sui inordinatus sit plerumque causa odij Dei (plerumque inquam, nam aliunde quoque oriri potest) non sequitur odium Dei non esse amore sui deterius. Ad secundum dico peccatum consistere in voluntaria, & libera difformitate seu disconuenientia actus cum ratione, & voluntate Dei, quæ difformitas maior est in odio Dei, quàm in mera Infidelitate. Secundò, si elongatio sumatur pro morali alienatione; magis à Deo distat moraliter, qui ipsum odit, quàm qui ipsum non nouit: quamquam nemo est culpabiliter Infidelis sine aliqua Dei notitiâ tanquam sufficienter aliquo modo testificantis.

Estne peccatum in Spiritũ sanctum. Ad tertium respondet D. Thomas art. 2. ad 1. Odium Dei esse peccatum in Spiritum sanctum; quia fit ex certa malitia: sed non computari inter species peccati in Spiritum sanctum: quia reperitur generaliter in omni specie peccati in Spiritum sanctum: Verùm non omnia peccata quæ fiunt ex certa malitia, dicuntur esse peccata in Spiritum sanctum Matth. 12. Sed illud solùm, quo miracula, vt opera diuina ad nostram conuersionem facta, malitiosè impugnantur, & Magiæ tribuuntur: quod peccatum dicitur irremissibile, id est, vix, & valde difficilè remissibile, quia directè conuersioni viam obstruit: dicitur item peccatum in Spiritum sanctum: quia sicut Spiritui sancto tribuitur specialiter, & appropriatiuè vocatio, & sanctificatio: ita, & ea, quæ fiunt in oppositum, censentur fieri specialiter contra Spiritum sanctum. Sed pari ratione, quia Spiritus sanctus procedit per viam amoris, & speciali quodam modo amor est; odium Dei specialiter illi opponitur, & eatenus dici pariter potest peccatum in Spiritum sanctum, licet de illo sermo non sit Matth. 12. Vbi non omnia peccata in Spiritum sanctum recensentur. Neque minùs præcludit viam conuersioni, quantum est ex se; quia directè repugnat voluntati reconciliationis, & ab ea per se, ac formaliter magis auertit, quàm sola impugnatio miraculorum, præcisè sumpta: sola, inquam, quia sæpissime cum odio Dei coniuncta est, & ab eo causatur.



SECTIO II.

De odio Proximi.

7. Non omne odiú proximi est peccatum. QVæritur primò, vtrum quodcunque odium proximi, sit peccatum? Respondeo negatiuè: sed illud tantùm, quod sine iusta causa concipitur, aut iustæ causæ proportionem non seruat. Ita Vasq. 1. p. disp. 84. cap. 3. n. 15. quatenus ibi docet aliquod odium tum sui, tum alterius propter peccata, esse honestum, & sanctum Maldon. in cap. 5. Matth. num. 21. Salmer. tom. 5. tract. 42. Tolet. lib. 4. Sum. cap. 11. num. 1. & alij. Probatur primò de odio abominationis: licitum enim est auersari, abominari, & fugere impios, & scandalosos, quà tales; & non tantùm ipsorum vitia; sed & ipsosmet propter vitia detestari: iuxta illud Psal 118. v. 113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi:* & Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, &c.* volentes scilicet à Deo auertere; *non potest meus esse discipulus:* & Sap. 14. v. 9. *Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Quibus verbis asseritur Deum non tantùm odisse vitia, sed & personam ipsam; non tantùm impietatem, sed etiam impium. Quare exemplo Dei possumus non tantùm abominari peccata, sed & personas ipsis infectas. Sic etiam Ecclesiasticus cap. 50. v. 29. loquens in persona Iudæorum, dicit se odisse Idumæos, Philistæos, & Samaritanos. Et confirmatur, quia quidquid est malum, est conueniens obiectum auersionis, siue odij abominationis. Atqui non tantùm impietas, sed & ipse impius malus est.

Probatur de odio abominationis.

Pro quo nota, vt aliquid sit obiectum abominationis, non esse necessarium, vt sit omni ex parte malum: sed sufficere si ex aliqua, vt propter illam odibile sit. Item, aliud esse odium, quo præcisè odimus iniquitatem, quatenus est malum ipsius iniqui, aut malum nostrum, vel malum Dei: & aliud, prout facit vnum compositum cum ipso iniquo, velut ipsius causâ, & subiecto. Prius odium cadit præcisè in iniquitatem, sine odio personæ, quæ potiùs amatur, cùm odimus iniquitatem, vt ipsius malum est. Posterius verò attingit ipsam personam, quæ secundùm se odio habetur propter iniquitatem, vt motiuum formale; ita vt odium attingat totum compositum. Atque ita Dauid, & Ecclesiasticus suprà testantur se odisse iniquos, & Deus odit impios, & nos licitè auersamur peccatores, eos præsertim, qui ad peccandum nos trahere conantur, & abominamur sceleratos, præcipuéque damnatos, & Dæmones. Quamquam non propter pœnas præcisè sumptas à culpa, sed propter culpam, quâ sunt infecti irremediabiliter, odio digni sunt.

8. Et de odio inimicitiæ. De odio quoque inimicitiæ probatur; quia non tantùm ex affectu iustitiæ, vel alio fine bono extrinseco, possumus malum, quà malum, optare peccatoribus; putà mortem, & iustam pœnam latronibus, homicidis, seductoribus ad hæresim trahentibus, scandalosis grauiter perniciosis, & similibus; aut etiam dumtaxat ne ampliùs noceant, quando non potest aliter prouideri: verùm etiam ex affectu displicentiæ iustæ, & rationabilis, personæ vt vitiosæ: ad eundem modum, quo suprà diximus Deum velle, & infligere mala peccatoribus, & damnatis, in pœnam, non tantùm ex affectu iustitiæ, sed etiam ex displicentia, quâ personas abominatur propter peccatum. Cùm enim liceat personas ipsas propter vitia auersari, vt iam ostendimus: licet etiam ex tali auersione & displicentia velle vt illis malè sit, prout conueniens est, & prout rectus ordo rerum exigit.

Dices cum Ægidio Coninck disp. 29. dub. 3. num. 53. Malum alterius, quà tale præcisè, & propter se, non esse rationabiliter appetibile, quia vt sic nullam habet rationem veri boni. Arqui odium inimicitiæ hoc modo appetit alterius malum. Ergo irrationabiliter id facit. Respondeo aliquam esse veri boni rationem in eo quòd malis malè sit, & condignè: hæc enim proportio aliquam habet veri boni, & æqui rationem. Quare malum alterius non cuiuscunque, sed improbi, & merentis, quà malum illius est præcisè, & propter se, potest rationabiliter appeti. Soluitur obiectio.

Instabis, quia D. Thomas quæst. 34. art. 3. dicit odium fratris simpliciter acceptum, semper esse cum peccato: & illud odium tantummodo permittit, quod culpam, aut defectum boni præcisè attingit, tanquam malum proximi, qui virtualiter per hunc actum amatur: odisse enim malum alicuius, quia malum ipsius est, est ipsum amare virtualiter: ideóque tale odium non est odium fratris simpliciter, & propriè: sed potiùs amor proximi, & odium solius peccati. Respondeo illam quidem esse D. Thomæ sententiam, vt Lorca, & alij interpretes fatentur: licet Ægid. Coninck dub. sup. cit. conetur aliter explicare, ne ipsi videatur contradicere: quod tamen facit apertè num. 55. quando fatetur posse impios odio haberi, saltem abominationis. Neque prodest distinctio, quam affert num. 51. inter naturam, & personam, vnde concludit num 53. illicitum esse odisse naturam, non personam: & hoc putat non repugnare D. Thomæ aienti nos non posse proximum odisse secundùm id quod habet à Deo, id est, secundùm naturam, & gratiam: sed tantùm secundùm id quod habet à seipso, & à Diabolo: siue secundùm peccatum, & iustitiæ defectum. Non prodest, inquam, primò quia D. Thomas hæc duo tanquam membra diuisionis adæquata opponit: vnde nomine naturæ, & gratiæ, intelligit quidquid homo à Deo habet. Atqui persona etiam à Deo est. Ergo ex mente D. Thomæ non potest odio haberi persona, æquè ac natura. Secundò, D. Thomas permittit tantùm vt licitum, odium peccati, quod sit amor personæ. Atqui tale non est odium abominationis, quod licitum esse affirmat Ægid. num. 55. vt magis patet ex num. 52. Ergo, &c. Eodem argumento refelluntur qui dicunt sanctum Doctorem loqui in sensu formali, non licere scilicet odisse natu-

9. Altera instantia repellitur.

ram, & gratiam, & quævis alia bona formaliter & præcisè vt talia, ita vt hæc sint ratio formalis, & motiuum formale odij: quod quidem verum, & manifestum est, sed alienum à mente D. Thomæ. Quare ingenuè potiùs fatendum videtur illam quidem fuisse ipsius sententiam, quam supra retulimus; sed nihilominus oppositam, Scripturæ, & grauium Doctorum auctoritate, ac rationibus allatis nixam, probabiliorem videri. Nisi quis malit benignè explicare D. Thomam de odio simplici, & absoluto, de quo mox.

10. Quodnã odium proximi est illicitum? Dixi in secunda responsi parte, illud solummodo odium proximi, esse peccatum, quod sine iusta causa concipitur, vel iustæ causæ proportionem non seruat: quæ pars sequitur ex priori iam probata. Cùm enim odium non sit illicitum, quando debitè tendit in obiectum odio dignum; superest vt illud solum illicitum sit, quod vel non habet obiectum conueniens, vel indebitè tendit in tale obiectum. Prioris generis odium est, si quis aliquem oderit, quia à Deo naturam, & gratiam, vel alia bona accepit: quo pacto Diabolus homines odit. Posterioris, cùm quis, licet habeat conuenientem rationem odio habendi aliquem; magis tamen intensiuè, vel extensiuè, aut æstimatiuè, odio habet, quàm ratio patiatur. Vt si quis propter vnius vitium oderit totam naturam humanam. Cùm enim vitia personalia sint, reddunt personam odibilem, non naturam vniuersaliter sumptam. Vniuersaliter, inquam, nam alioqui prout contracta ad hoc indiuiduum, est odio digna, quatenus talis vitij, seu peccati principium, & subiectum est, ab eóque malè afficitur. Item si quis ob causam leuiorem oderit summo odio intensiuè, vel æstimatiuè: aut si propter aliquod malum, quo persona malè afficitur secundùm quid, oderit quidquid in ipsa est, odio quodam absoluto, ac simplici, nullum planè amorem eiusdem personæ secundùm vllam rationem compatiente, sed excludente penitùs. Cùm enim malæ qualitates non efficiant sua subiecta omni ex parte mala (potest enim idem habere aliqua vitia, & simul aliquas virtutes: imò quamvis omnibus vitijs scateat: natura tamen secundùm se, & ab illis præcisa, bona est, & imago Dei, ipsius sanguine redempta) cùm inquam, malæ illæ qualitates non reddant sua subiecta omni ex parte mala: ita nec illa reddunt putè, ac simpliciter, & absolutè, omnique ex parte detestabilia; sed eadem sunt partim odio, partim amore digna. Vnde vt odium sit moderatum, non debemus personam absolutè, & sub omni ratione odisse: sed amare sub vna, & sub alia auersari: Amare vt homines, Dei imagines, & secundùm alia bona, quæ illis insunt: & auersari vt peccatores, scandalosos, & abominabiles.

11. Quam graue illud peccatum? Quæritur secundò, quantum, & quale peccatum sit odium illicitum proximi? Respondeo primò, esse mortale ex genere suo, & quidem grauissimum eorum, quæ in proximum committuntur, quantum est ex parte deordinationis affectus. Ita D. Thom. quæst. 34. a. 4. & alij communiter. Ratio est, quia est contra maximum eorum præceptorum, quæ ad proximum pertinent, & à proximo maximè auertit, aut pessimè contra illum afficit, valétque de se ad volenda illi mala quæcunque grauissima, atque etiam exteriùs inferenda. Dixi, *ex genere suo:* quia non omne odium in indiuiduo attingit hanc grauitatem, aut etiam rationem peccati mortalis. Notandum enim, odium proximi aliud alio grauius esse posse tripliciter. Primò, ex parte obiecti formalis; vt si quis alterum oderit, quia Dei imago est; vel quia Deo gratus est: quod est pessimum, & diabolicum, & ex odio ipsius Dei proce[illegible] Secundò, ex parte intensionis actus. Ter[illegible], ex parte extensionis, aut quantitatis obiecti, seu maioris; aut minoris boni quod habetur odio, aut mali quod expetitur proximo. Vnde sequitur primò, non quodlibet odium esse grauissimum peccatorum quæ in proximum committuntur: cùm inter illa aliud sit alio grauius. Secundò, aliquod esse odium proximi, quod propter materiæ leuitatem, aut aliam imperfectionem, leuius multò est alijs plurimis peccatis in proximum commissis, vt homicidio, adulterio, falso testimonio, & similibus. Addo tertiò cum Ægidio Coninck disp. 29. num. 60. Valentia quæst. 11. p. 2. & Caiet. in Summa Verb. *Odium*, §. 1. Odium proximi non tantùm ob defectum deliberationis, sed etiam ob suam imperfectionem, & materiæ leuitatem, posse solùm esse peccatum veniale: vt si quis alterum leuiter sine iusta ratione auersetur propter morum discrepantiam, eiusque fugiat consuetudinem; ita tamen vt nullum malum, graue saltem, ipsi optet. Vnde excusantur à peccato mortali ij, qui post remissam iniuriam, sentiunt adhuc quandam animi auersionem, quâ illorum præsentiam, & conuersationem horrent, à quibus grauiter læsi sunt, quam infirmitatem superare tam citò nequeunt, ideóque illos fugiunt. Sed propterea damnandi non sunt peccati mortalis, modò nullum graue malum disconuenienter illis optent, paratique sint illis in necessitate succurrere, & exteriùs non ostendant signa inimicitiæ abstinendo à salutationibus communibus, aut colloquijs necessarijs, & similibus, quæ graue scandalum parere possunt.

Respondeo secundò, odium proximi differre specie ab odio Dei: & inter odia proximi, & odia Dei, multas esse diuersas species, pro diuersitate obiectorum, quæ attinguntur secundùm se; vt patet ex dictis de actibus Fidei, & Spei. Generatim enim actus omnes, qui attingunt obiecta adæquata essentialiter diuersa, quà diuersa, & secundùm proprias differentias, sunt specie diuersi; cùm sint toti in ordine ad obiectum, & habeant suam essentiam, atque tendentiam illi accommodatam. Et hæc odiorum differentia specifica in peccatis mortalibus debet in confessione explicari, saltem quod attinet ad mala diuersa, quæ proximo optantur, & motiuum formale, propter quod aliquid odio habetur: vt rectè docent Ægid. Coninck disp. 29. num. 61. & Suar. disp. 6. de Charit. Sect. 2. num. 3. Plurimum enim differunt velle alicui mortem temporalem tantùm, & velle 12. Differt specie ab odio Dei.

& velle illi mortem æternam, aut bonorum temporalium amissionem, vel famæ iacturam. Plurimum quoque differunt odisse aliquem, qui est imago Dei: & odisse quia aliquod officium, vel obsequium, mihi negauit. Sunt tamen qui affirment differentiam odiorum sumptam ex parte obiecti, seu diuersitate malorum, non debere necessariò explicari in Confessione, vt neque differentiam desideriorum circa eadem mala, si optamus tantum vt aliunde adueniant, neque ea per nosipsos inferre cupimus. Censent etiam displicentias, seu abominationes rerum diuersarum secundùm idem motiuum formale, esse moraliter eiusdem speciei in ordine ad Confessionem: sicut & simplices cogitationes morosas in peccatis carnalibus. Sed hac de re, vide quæ diximus tomo 2. Disp. 16. Sect. 4. num. 35. & tom. 5. Disp. 50. Sect. 6. num. 72. & sequentibus.

SECTIO III.

De Acedia, Inuidia, Discordia, Contentione, & Schismate.

13. Acedia quid sit? CIrca primum: Acedia dicitur à Græco κῆδος, id est, cura, & sollicitudo, & α priuatiuo. Vnde generatim incuriam & negligentiam significat, & in malam partem communiter accipitur. Speciatim verò, vt hîc sumitur, est tristitia ob tædium laboris concepta, & torporem inducens, atque à labore auertens, circa bonum ex Charitate necessariò prosequendum. Prima pars huius definitionis est D. Thomæ quæst. 35. art. 1. c. vbi post D. Damasc. affirmat Acediam esse quandam tristitiam aggrauantem, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, vt nihil ei agere libeat. Secunda sumitur ex eodem, art. 2. quæstionis cit. vbi docet acediam esse duplicem: vnam de bono communiter accepto, prout reperitur in actibus singularum virtutum: & hæc, inquit, ad omnia vitia pertinet. Aliam specialiter de bono diuino, de quo Charitas gaudet: & hanc ait esse vitium speciale Acediæ, Charitati oppositum. Vbi per bonum diuinum intellige primò bonum quocunque modo ad Deum pertinens, etiam per participationem dumtaxat, cuiusmodi est bonum supernaturale proximo optandum, & procurandum ex Charitate. Intellige secundò non quodcunque tale bonum; sed illud tantùm, quod ex Charitate necessariò prosequendum est; iuxta eiusdem D. Thomæ limitationem art. 3. ad 2. vbi ait Acediam non esse recessum mentalem à quocunque spitítali bono: sed à bono diuino, cui oportet mentem inhærere ex necessitate. Ex quo patet Acediam esse peccatum, & quidem graue ex genere suo, & capitale, id est, radicem aliorum multorum, vt docet S. Doctor art. 3. & 4. quatenus nimirum retrahit, atque auertit ab implendis grauibus præceptis circa officia plurima erga Deum, & proximum, grauiter necessaria. Si tamen leuis auersio est, aut non satis deliberata, aut auertens à non nisi leuiter necessarijs, est tantùm peccatum veniale: imò nullum per se, si ab operibus tantùm supererogationis auertit: vt à statu Religioso suscipiendo, vel à Sacerdotio, & similibus. Patet secundò, Acediam opponi specialiter Charitati, cuius est gaudere de bono Dei, & proximi, illúdque prosequi, ac subire labores, & molestias in prosequendo necessarias.

(Marginal notes: Quomodo opponitur Charitati. — Quale peccatū est?)

Circa secundum: Inuidia definitur à D. Thoma, quæst. 36. art. 1. Tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminutiuum propriæ gloriæ, vel excellentiæ. Id est, tristitia, quâ quis dolet de bono alterius, eò quòd apprehendit suum per illud obscurari. Pro quo nota, vltra tristitiam de bono alterius præcisè, quia ipsi bonum est, qui est actus odij, erga proximum; & tristitiam de bono alterius, ortam ex appetitu vindictæ; aliam esse quadruplicem, vt rectè docet S. Th. art. 2. q. cit. Prima est, quâ quis dolet de bono alterius, quia timet, ne is inde sumat occasionem sibi, aut alijs bonis nocendi. Et hæc tristitia est effectus quidam timoris mali proprij, aut alieni; & bona est, si periculum prudenter timeatur, & dolor moderatus sit. Secunda est, quâ dolemus de bono alterius, solum ex eo quòd nobis deest bonum illud, quod ipse habet: quatenus scilicet dolemus nos carere illo bono, aut bonum illud ipsi potiùs, quàm nobis inesse. Et hæc dicitur Zelus, siue æmulatio; & sine peccato esse potest, tam circa bona temporalia, quàm circa spiritalia, quando versatur moderatè circa res appetendas, & personæ conuenientes, quas ipsa sibi potest optare potiùs, quàm alteri, iuxta ea, quæ diximus de ordine Charitatis. Hinc excusantur à peccato mercatores, qui dolent officinas suas non potiùs frequentari, quàm alienas: aut merces suas non vendi potiùs, quàm alienas: & similes æmulationes inter alios eiusdem artis, aut conditionis homines. Modò tamen non vltra tendant, neque conentur detractionibus, aut malis artibus impedire bonum aliorum, aut de illo simpliciter doleant. Tertia est quâ quis tristatur de bono alterius, eò quòd is, cui bonum accidit, eo indignus est: & hæc vocatur Nemesis, siue Indignatio; & non habet verè locum in bonis honestis, quæ indignis contingere non possunt, sed in diuitijs, & similibus, quæ æquè dignis, & indignis obueniunt. An verò sit peccatum, dicemus paulò post. Quarta est, quâ quis dolet de bono alterius præcisè, quia suum obscurat, & gloriam ipsius diminuit, non quidem aliquam vim ipsi inferendo per actionem directè nociuam, vt facit ille, qui famæ detrahit: nec bonum, quod possidet propriè auferendo, aut minuendo secundùm se: sed tantùm suo accessu, & splendore efficiendo vt apud alios minùs illustre appareat: sicut fax ingens candelæ apposita, lucem illi quidem non detrahit, sed tantùm facit vt minùs appareat. Et hæc tristitia propriè inuidia est, ac sine dubio vitiosa, quia sine iusta causa odit bonum alterius, ex inordinato appetitu excellentiæ: opponitúrque Charitati, cuius est de bonis alienis gaudere. Hinc autem est, quòd inuidia non est nisi inter æquales, aut aliquo modo comparabiles in bonis, circa quæ inuidia versatur. Nam inter eos, qui non sunt comparabiles, & concurrentes aliquo modo, ex-

(Marginal notes: 14. Inuidia quid sit? — Tristitia multiplex de bono alieno. — Quænam propria est inuidia? — Inuidia est inter æquales.)

cellentia vnius non apprehenditur vt deprimens excellentiam alterius. Ad inuidiam quoque pertinet affectus ille, quo quis gaudet alium in aliquam calamitatem incidisse, aut excidisse à bono, eò quòd ampliùs bonum suum non obscuretur ab ipso. Item ille, quo quis incidens in aliquam calamitatem, gaudet, vel optat alios in similem incidere, vt ex eo calamitas sua minùs appareat, aut non reddatur magis notabilis ex aliorum fœlicitate. Qui omnes actus à ratione alieni sunt, quia sine iusta causa dolent de bono proximi, vel gaudent de ipsius malo: & sunt specie diuersi, provt versantur circa bona, vel mala diuersa. Nam inuidia de bonis spiritalibus multùm diuersa est ab inuidia de bonis temporalibus. Licet autem peccatum inuidiæ sit mortale ex suo genere; leuitas tamen materiæ, vel indeliberatio, veniale sæpe facit.

15. Nemesis, siue indignatio, estne peccatum? Quæres, an Nemesis, seu Indignatio, & tristitia de bono alterius ob indignitatem personæ, sit quoque vitiosa? Affirmat D. Thom. quæst. 36. art. 2. Primò, quia temporalia bona, de quibus maximè potest esse hæc tristitia, nihil sunt respectu æternorum. Secundò, quia dantur ex Dei Prouidentia, cui videtur derogare hæc tristitia. Tertiò, quia prohibetur, & reprehenditur in Scriptura, Psal. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*: Et Psal. 72. *Pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns, &c.* Idem etiam docent Suar. Disp. 6. Sect. 4. num. 3. Ægid. Con. Disp. 30. dub. 2. num. 26. & alij plures, qui ad id confirmandum has rationes addunt. Primò, tristitia de aliquo obiecto non potest esse honesta; nisi obiectum illud sit verè malum. Sed indignum hominem habere bona temporalia, non est verè malum. Ergo, &c. Probatur minor: quia hoc non est malum ipsis possessoribus, sed est ipsis potiùs bonum: nec etiam alijs, quia per hoc præcisè, quòd illi hæc bona possident, nullum alijs malum infertur. Secundò, si aduerterem talem per incendium, aut quid simile, esse in periculo perdendi hæc bona; tenerer ex Charitate succurrere, si possem, vt fatentur omnes. At hoc esset falsum, si licitè dolerem eum hæc bona possidere: quia sic licitè optarem eum illis priuari, & consequenter licitè possem nolle id impedire.

16. Probatur non esse. Contrarium sentiunt Aristot. lib. 2. Rhet. cap. 9. Lorca art. 2. quæst. 36. Martinus de Magistris apud Cajet. ibid. & Cajet. ipse ait se non videre in hoc actu rationem peccati. Suares quoque suprà affirmat raro esse peccatum mortale, si non perueniat ad absolutum odium proximi, neque sit contra Prouidentiam Dei. Ratio præcipua est, quia in eo quòd mali, & indigni bonis fruantur, præcisè loquendo, & abstrahendo à Dei Prouidentia, & alijs rationibus extrinsecis, est quædam disproportio, & disconuenientia, quæ iusti doloris obiectum esse potest. Sicut quando officia, vel bona Reipublicæ distribuuntur indignis, meritò indignamur, eò quòd non seruetur æquitas, siue debita proportio. Et hæc sententia probabilior est, & conformis ijs, quæ suprà diximus, licitum esse velle vt malis malè sit, ex affectu displicentiæ personæ, dignæ tali malo: & non tantùm ex affectu iustitiæ, aut alio fine extrinseco: verùm etiam ob proportionem & conuenientiam, quæ est inter malum, & personam illo dignam.

Ad primum autem argumentum D. Thomæ Responderi facilè potest, bona temporalia, licet nihil sint respectu æternorum, habere tamen aliquid bonitatis; sicut eorum contraria habent aliquid mali, qua ratione licet tristari de illis si contingant iustis hominibus: quare similiter licet tristari de bonis, si contingant iniustis, & indignis, vt sic præcisè. Ad secundum respondeo, bona illa spectari posse abstrahendo à diuina Prouidentia: quo sensu nos hîc loquimur. Secundò, non esse necessarium conformari in omnibus diuinæ Prouidentiæ in volito materiali: licitè enim dolemus de malis, & pœnis nostris, & aliorum, præcipuè bonorum & Sanctorum hominum: licet contingant ex diuina Prouidentia. Ad tertium respondeo, Scripturam non damnare simpliciter hanc tristitiam, sed prohibere ne ipsius occasione moueamur ad iniquos imitandos, iuxta illud eiusdem Psalmi 36. *Noli æmulari vt maligneris.* Quod etiam insinuat illud, *Pene effusi sunt gressus mei, &c.* Significat enim Propheta se pene esse prolapsum: porro Ieremias cap. 12. vers. 1. apertè indignatur de impiorum prosperitate, & hanc indignationem iustam esse affirmat, cùm sic ait: *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? &c.* Soluuntur argumenta contraria.

Ad primam confirmationem, patet ex dictis, per se malum esse, id est, disconueniens, quòd malis, & indignis bene fit: sicut è contra, conueniens, & per se bonum est, quòd bonis, & dignis bene fit. Et hoc præcisè est obiectum conueniens gaudij; vt illud tristitiæ, & displicentiæ. Dico autem *præcisè*: quia si consideremus quòd malis bene eueniat secundùm Dei Prouidentiam, vt inde conuertantur, vel vt præmium accipiant alicuius boni operis à se facti (quamquam tunc indigni non sunt) vel ob alium finem: non est dolendum de bono indigni, sub ea ratione spectato: vnde etiam fit, vt quia ignoramus num ob talem aliquem finem illi collata sint eiusmodi bona, credendum sit potius ita esse, & præsumendum de Dei bonitate, & Sapientia. Hinc etiam est quòd illi periclitanti succurrere debemus, vt in secunda confirmatione dictum est. Hinc denique est, quòd non possum de illis bonis dolere absolutè sub omni ratione, sed tantùm secundùm quid, spectatâ præcisè indignitate personæ, & abstrahendo ab alijs finibus extrinsecis. Vnde sequitur quòd non possim optare absolutè eum illis priuari, neque nolle impedire ne priuetur, aut non succurrere in necessitate periclitanti, ex quo sequeretur absoluta priuatio. Quatenus liceat tristari de bono alterius?

Circa tertium: Discordia, vt ait S. Thomas quæst. 37. art. 1. significat dissensionem, non opinionum, aut iudiciorum, sed cordium, seu voluntatum & affectuum. Sumitúrque hîc pro dissensione voluntatis à voluntate proximi, circa bonum Dei, vel proximi, quod quis tenetur 17. Discordia quid sit?

velle ex Charitate. Dixi, *circa bonum:* quia dissentire circa malum, non est discordia vitiosa; sed bona. Dixi præterea, *bonum, quod quis tenetur velle:* quia non est peccatum discordare à proximo circa bonum aliquod superogationis, ad quod non tenetur: vt siquis nolit concordare cum socio circa ingressum Religionis. Dixi tertiò, *bonum ex Charitate:* quia licet circa alia possit esse discordia: hæc tamen non opponitur specialiter Charitati: hîc autem sermo est de vitijs Charitati oppositis. Et hoc peccatum frequentiùs contingit inter eos, quibus communiter incumbit rem aliquam procurare: vt inter magistratus, Prælatos, Ciues, Religiosos, Domesticos, & similes eodem veluti iugo deuinctos ad simul collaborandum: quàm inter alios, qui nonnisi interdum, veluti per accidens concurrunt. Estque peccatum grauius, aut leuius, prout maius, aut minus bonum impedit; aut plus, vel minùs confert ad illud impediendum; aut maior, vel minor obligatio est ad illud bonum procurandum; aut maior, vel minor aduertentia, & deliberatio, vel cognitio obligationis, & malitiæ in dissentiendo: quæ si planè non cognoscatur, cùm quisque putat bona fide melius esse quod ipse vult, nullum peccatum est. Quo pacto. S. Thomas q. 37. art. 1. ad 3. excusat dissensionem inter Paulum, & Barnabam, Act. 15.

18. *Contentio quid sit?* Contentio verò sumitur hîc, non pro conatu generatim, vel pro quavis concertatione, & contrarietate: sed speciatim pro contrarietate in locutione, vt ait S. Thomas q. 38. art. 1. nimirum pro altercatione verborum cum proximo, contra veritatem, ad eam impugnandam. Dixi, *contra veritatem:* quia contendere contra falsitatem non est vitium, sed virtus. Dixi etiam, *ad eam impugnandam:* quia disputare tantùm exercitationis gratiâ, vt veritas magis elucescat, vel vt ingenia probentur, & exerceantur, non est peccatum: nisi fortè peccetur in modo, aut scandali periculum sit respectu infirmiorum, aut malâ intentione suscipiatur disputatio ad alium irritandum, vel confundendum publicè: quod est contra Charitatem, nisi ipsius fama, vel auctoritas noceat. Si autem veritates, quæ seriò impugnantur, ad fidem, vel ad bonos mores pertinent, earum impugnatio ex suo genere graue peccatum est. Secus autem, est tantùm veniale, contra veracitatem: vt docet Ægid. Conink Disp. 30. dub. 4. Contra Charitatem verò videtur esse specialis malitia contentionis, quando aliquis directè, & quasi ex intentione vult aliud sentire, & loqui, vt alteri contradicat. Nam id certè ex obiecto suo malum est, & contra rationem; maximéque opponitur illi coniunctioni, quam Charitas postulat. Raro tamen est peccatum mortale, nisi ab extrinseco, & ex accidenti: quia per se non est grauis læsio Charitatis. Ita Suar. Disput. 11. Sect. vnica, num. 5.

Quantũ sit peccatum?

Schisma quid sit? Schisma denique, à Græco σχίζω, id est, scindo, generatim idem est, quod scissio. Speciatim verò sumitur pro scissione, siue diuisione, quâ quis propria sponte, & intentione se separat ab vnitate Ecclesiæ, eámque scindit eatenus, & diuidit: vt docet. S. Thomas qu. 39. art. 1. Vnitas autem Ecclesiæ in duobus consistit, nempe in Fidei conformitate, quâ omnes eadem credunt: & in externa communione in cultu diuino, Sacramentis, & subiectione respectu capitis visibilis, qui est summus Pontifex. Vnde dupliciter scindi potest Ecclesiæ Vnitas. Primò, quoad Fidem, quod per hæresim fit. Secundò, quoad communionem illam, vel subiectionem, salua Fide: & hoc peculiariter schisma dicitur. Addi potest tertius modus, per vtrumque, vt frequenter fit. Hæretici enim sunt ordinariè Schismatici: & Schismatici sunt frequenter Hæretici: licet hæc duo possint, non tantùm mente, sed etiam reipsa separari. Vt fit cùm aliquis, salua Fide, subtrahit se obedientiæ summi Pontificis: & quamvis credat illum esse caput Ecclesiæ, vult tamen se subtrahere ab eius subiectione. Item, cùm aliquis Fide adhærens Ecclesiæ, ab ea tamen se separat in communione Sacramentorum, & cultus diuini externi. Quo secundo modo summus ipse Pontifex Schismaticus esse posset, quantum est ex parte Schismatis; si nimirum nollet cum reliquis Ecclesiæ membris communicare, aut vellet totùm corpus Ecclesiæ excommunicare: vt ait Cajet. ad art. 1. quæst. 39. Ratio est, quia quodlibet membrum, sine quo corpus Ecclesiæ potest consistere, potest ab ipsa se separare. At corpus Ecclesiæ potest consistere sine quolibet membro particulari, etiam aliquandiu sine ipso summo Pontifice, vt patet in interregno. Dixi, *quantum est ex parte Schismatis*, quia ex parte Prouidentiæ diuinæ id nunquam euenturum est: sicut nunquam hucvsque contigit. In hoc autem casu Metaphysico iudicandum esset de depositione Pontificis secundùm ea, quæ alibi diximus de hæresi: par enim est vtriusque ratio. Videri potest Valentia, quæst. 15. p. 3.

Vt hæc meliùs intelligantur, nota primò, non sufficere ad verum, & perfectum Schisma (subiectum pœnis, de quibus infra) voluntatem internam separandi se ab Ecclesiæ corpore, vel ab ipsius capite visibili: sed requiri externam separationem. Quia Schisma consummatur in actu externo; & solus actus internus non subest legibus, & pœnis Ecclesiasticis. Secundò, non sufficere etiam, quòd quis ab vna Ecclesia particuli, aut Episcopo aliquo se separet, dummodo paratus sit reliquæ Ecclesiæ adhærere, reipsaque adhæreat. Schisma enim, vt hîc sumitur, significat separationem à tota Ecclesia, non autem à minoribus communitatibus spiritualibus. Quo fortè sensu Paulus dicebat, *Non sint Schismata in vobis*, 1. Corinth. 1. ver. 10. latiùs sumpto nomine Schismatis. Tertiò, non etiam sufficere, quòd quis Pontifici non obediat, quia putat eius imperium nimis esse difficile, aut excedere ipsius potestatem, aut esse contra suum honorem, aut vtilitatem, & similia: sed requiri inobedientiam cum rebellione iunctam, quâ velit omnino se subtrahere & eximere ab eius subiectione. Quartò, requiritur præterea, vt Pontifex sit certò talis: nam si dubius est, vt quando iure de ipsius electione dubitatur, non est Schismaticus, qui non vult ei subjici. Vnde quando plures eliguntur, nemo tenetur vlli adhærere donec constet de 19. *Quęnam ad illud requiruntur?*

illius electione. Imò si priùs vni adhæreat, Schismaticus est: quatenus sibi caput eligit, séque separat ab Ecclesia, quæ nondum illi adhæret, neque debet adhærere, donec sufficienter constiterit. Quod si constare illi non potest, debet illos deponere (quippe qui veri Pontifices non sunt, nec esse possunt vi talis electionis) & ad alium canonicè eligendum procedere. Interea verò plebs sequi debet iudicium Prælatorum suorum, donec ei constet ipsos iniquam causam fouere. Postquam verò electio certa & Canonica facta est; Schismaticus est, qui non vult se subijcere Pontifici agnito ab Ecclesia pro tali, causando esse malè electum, aut in hæresim incidisse, aut etiam conando generale Concilium contra eum, vel ipso inuito, conuocare: quia hoc faciens, se implicitè subtrahit eius obedientiæ: vt rectè ait Ægid. Con. Disp.30. num.39. post Valent. & alios.

10. Quale sit peccatum? Ex quibus patet Schisma esse graue peccatum: quippe quod priuat vnione tam necessaria ad proprium cuiusque, & ad commune bonum Ecclesiæ. Et quamvis ex parte sit contra obedientiam, & subiectionem, vel contra Religionem: est tamen contra Charitatem, quatenus tendit directè contra vnitatem, vt bonum maximum communitatis, & contra coniunctionem, & communicationem debitam cum amicis, quam amare, & conseruare Charitatis est. Pœnæ Schismatic. De pœnis autem Schismaticorum videri potest Valent. quæst. 15. p. 3. vbi docet excommunicari ipso facto, Cap. *Nulli, dist.* 19. & in Bulla Cœnæ: ac nisi per excommunicationem resipiscant, posse puniri per depositionem, vt patet ex cap. *In nomine Domini, dist.* 23. & pœnis etiam corporalibus, auxilio brachij sæcularis, si depositio non sufficiat: vt dicitur in cap. *De Liguribus, 23. quæst.* 5. Priuantur etiam licito vsu potestatis Ordinis, si quam habent, & potestate ipsa iurisdictionis, ipso facto, inquit S. Thomas quæst. 39. art. 3. saltem si sunt inferiores summo Pontifice (de quo iudicandum est iuxta ea, quæ diximus de hæresi.) Illi enim, vi saltem excommunicationis, priuantur iurisdictione. Quod tamen est intelligendum cum exceptionibus aut modificationibus, de quibus diximus tom. 5. Disp. 59. Sect. 9. & 10. Ad has verò pœnas incurrendas sufficit Schisma externum indirectè voluntarium: quia hoc sufficit ad contrahendam veram, & propriam malitiam. Schismatis: vt rectè docet Suar. Disp. 12. Sect. 1. num. 8.

SECTIO IV.

De Bello, Rixa, & Seditione.

11. Bellum quid sit? Pugna exterior paci opposita, si est inter duos Principes supremos, vel inter duas Respublicas, bellum propriè dicitur. Si inter duos, aut paucos priuatos propria auctoritate, Quid Rixa? vocatur Rixa: vnde D.Th. quæst.41. art.1. Rixam definit bellum priuata auctoritate assumptum; siue, quo duo vel pauci sine legitima auctoritate inter se pugnant. Si verò pugna est inter Principem, & subditos, vel inter partes eiusdem communitatis, Seditio appellatur. Quid Seditio? Dicitur enim seditio, quasi seorsim itio: fitque cùm partes eiusdem communitatis à se inuicem discedunt, séque mutuò impugnant, vel impugnare parant, & vna alteri aduersatur. Differt autem à Discordia: quia hæc est tantùm dissensio voluntatum, sine pugna: seditio verò pugna est, vel ad eam tendit: & à Rixa; quia hæc inter paucos est, neque respicit necessariò membra eiusdem communitatis: & à Contentione; quia hæc in verbis tantùm consistit: ac denique à Schismate; quod est diuisio in communitate spiritali, Seditio verò in ciuili, & temporali. De his plura D. Thom. quæst. 40. & duabus sequentibus.

12. Non omne bellum est iniustũ, & contrarium Charitati. Circa quæ dubitatur primò vtrum omne bellum sit iniustum, & contrarium Charitati? Respondeo negatiuè: sed illud tantùm quod sine iusta causa suscipitur, vel sine legitima potestate, vel in quo non seruatur debitus modus, vel debita intentio. Ita D. Thom. quæst. 40. art. 1. Prima pars, quòd omne bellum non sit iniustum, & illicitum, est communis Catholicorum omnium, contra Anabaptistas putantes esse illicitum in lege Euangelica, ob quædam à Christo, & Apostolis per modum consilij dicta. Contra quos multa Scripturæ, & Patrum testimonia congerunt Bellarm. lib.de Laïcis, cap. 14. & Valent. quæst. 16. p. 1. Ratio verò est, quia bellum sæpe necessarium est Reipublicæ ad iniurias propulsandas, & coërcendos hostes: neque aliter possunt Respublicæ in pace conseruari. Ergo naturæ iure licitum est. Ergo & lege Euangelica, quæ non derogat iuri naturali, nec habet noua præcepta diuina, nisi circa fidem & Sacramenta. Confirmatur praxi perpetua Principum Christianorum, etiam sanctissimorum, quos nunquam Ecclesia reprehendit, sed laudauit sæpissime. Secunda pars, quòd scilicet bellum solum sine tribus conditionibus recensitis susceptum, sit illicitum, patet, Quodnam sit illicitum? quia quilibet defectus cuiuscunque illarum malus est: & nulla esse potest in bello iniustitia, quæ non ex alicuius earum defectu oriatur: nimirum vel ex defectu iustæ causæ, & tituli sufficientis ad bellum gerendum, vel legitimæ potestatis ad indicendum, vel debiti modi, aut intentionis rectæ in eo suscipiendo, & gerendo. Vt autem tres illæ conditiones declarentur.

13. Quæ causæ iustæ, bellum inferendi? Quæritur secundò, quæ, & quotuplex sit causa iusta inferendi bellum alteri? Respondeo, si bellum sit Principis in subditos, sufficere iniustam rebellionem, quæ aliter domari meliùs non possit. Si autem sit quorumcunque contra non subditos, sed merè defensiuum: sufficere iniustam illorum aggressionem, ad quam propulsandam bellum necessarium sit: sin autem est offensiuum, siue aggressiuum, multæ sunt causæ iustæ inferendi bellum, quæ ad tria capita reuocantur. Primum est, si Princeps vnus, aut Respublica, res alterius occupet, & nolit restituere. Secundum, si neget iura communia gentium, vt transitum viarum necessarium, sine ipsius damno. Tertium, grauis læsio in fama, vel honore, aut alia quæcunque grauis iniuria illata, pro cuius vindicta, vel reparatione bellum necessarium sit. Vt si iuuet eos, quibuscum

bellum gerimus; si iniustè atque, in re magni momenti rumpat fœdus nobiscum initum: si Legatos probrosè & contumeliosè tractauerit: si nostros innocentes & immeritos, apud se degentes, vitâ, vel fortunis spoliauerit, & similia.

Quæ iniuriæ sufficiant.

Pro quo nota primo, sufficere tales iniurias fieri vel ipsi Principi, vel eius subditis, aut confœderatis, aut alijs etiam ius indicendi belli habentibus, & opem ipsius tacitè, vel expressè implorantibus, aut eâ grauiter indigentibus ad grauia mala, quæ patiuntur, impedienda, quæque aliter impediri non possunt. Qua ratione Principes Christiani possunt bellum inferre Infidelibus; qui impediunt ne sui subditi ad fidem conuertantur, qui Prædicatores vexant, qui suos innocentes, siue infantes, siue adultos Dijs immolant, iuxta ea, quæ diximus disp. 14. de Fide Sect. penultima, conclus. 4. Nota secundò, causam debere esse grauem, & damnis belli proportionatam. Cùm enim bellum multa, & magna afferat vtrinque incommoda: contra rationem esset ob leuem causam grauissima inferre damna. Vt si medicus pro leui morbo vellet ægroto crus abscindere. Nota tertiò, quando offensor paratus est ad sufficientem satisfactionem, eàmque offert, aut exhibet offenso: teneri istum à bello abstinere, atque etiam arma deponere, si iam suscepit: quia bellum non nisi ex necessitate suscipiendum est, quando aliter iniuria reparari non potest. Nota quartò, quando bellum infertur sine iusta causa, teneri inferentem omnia damna restituere: & non modò contra Charitatem, sed etiam contra iustitiam peccare; quia infert malum alteri sine potestate legitima. Dico, *sine causa iusta in se:* quia modò sit talis, quamvis ex accidenti peccet inferens contra Charitatem, non tenebitur restituere. Porro inferens peccare potest contra iustitiam, non solùm respectu eorum, quibus bellum infert; sed etiam respectu subditorum, quorum bonum tenetur ex iustitia procurare: si videlicet bellum suscipiat cum eorum præiudicio, & grauamine sine sufficienti causa; aut temerè & imprudenter eorum vitam, & fortunas exponat. Qua de re plura Suares disput. 13. Sect. 4. & 5. Ægid. Coninck disp. 31. dub. 2. Caiet. Bannes, & alij interpretes D. Thomæ, 2. 2. quæst. 40.

Bellum iniustè inferens ad quid tenetur?

24. Quis potest bellum iustè inferre?

Quæritur tertiò, quis habeat legitimam potestatem bellum inferendi? Respondeo, quod attinet ad bellum merè defensiuum, legitimam potestatem se defendendi contra iniustum aggressorem penes omnes esse: quia naturali iure licet vnicuique vim vi repellere. Quoad aggressiuum verò, solus Princeps supremus, qui in temporalibus superiorem non habet, vel Respublica similem habens iurisdictionem, potest iure communi, & ordinario bellum indicere. Ita Doctores communiter, post D. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 75. Ratio est, quia ex communi voluntate hominum consentientium in vnam Monarchiam, aut Rempublicam, ius indicendi belli, velut grauissimum, & periculosissimum, ad supremam potestatem delatum est: debuitque deferri, ne si priuatis, & inferioribus id liceret, magnæ perturbationes, grauissimáque incommoda orirentur, cum certa totius Communitatis euersione. Adde quòd Princeps, vel suprema potestas, sine tali auctoritate sibi reseruata, non potest conuenienter, & pacificè gubernare. Inferiores verò, cùm possint petere ius à suo superiore, non debent habere facultatem indicendi bellum sine ipsius auctoritate.

Inferre aggressiuum pertinet ad Principē.

Dixi autem, *iure communi, & ordinario:* nam in quibusdam casibus particularibus, aut extraordinarijs, possunt habere subditi ius inferendi bellum. Vt si Princeps esset ita negligens in vindicanda, vel defendenda Republica, vt grauissima inde pateretur incommoda. Tunc enim posset tota Respublica se vindicare: quia censetur hanc auctoritatem sibi retinuisse, si Princeps suo officio desit; vt rectè ait Suares Disp. 13. Sect. 2. num. 2. Nec obest quòd priuati non possunt se vlcisci, licet iudices publici suo muneri desint, sed tantùm possunt occultè se indemnes præstare. Nam in Republica maius est ius circa suum bonum, quod multò maioris est considerationis; quàm in priuatis, quibus etiam ius illud sine magna perturbatione concedi non posset. Item, si Princeps tacitè vel expressè subditis hanc potestatem concesserit: vel si antiquissima consuetudine, aut legitima præscriptione ius illud sibi acquisiuerint: vt dicunt Victoria Relect. de iure belli, num. 9. Caier. quæst. 40. art. 1. Molina tract. 2. de Iustitia disp. 100. Suares suprà, & Ægid. Coninck disp. 31. num. 64. quia cùm ex humana voluntate ius illud in supremum Principem sit translatum; potest eiusdem etiam voluntate, aut legitima præscriptione in inferiores refundi. 25. Aliquādo id possūt subditi.

26. Quātum peccet bellum inferens sine auctoritate?

Porro, qui bellum infert sine legitima auctoritate, non modò peccat contra Charitatem, sed etiam contra iustitiam, licet iusta causa non desit: tenetúrque restituere omnia damna, nisi fortè sua recuperet; nam hæc reddere non tenetur, sed satisfacere tantùm pro alijs damnis, & expensis, quorum omnium causa fuit sine legitima auctoritate: ac denique incurrit pœnas iniustè bellantium: adeóque, si incendium facit, incurrit pœnas incendiarij, vt post Syluestrum docet Suares disp. 13. de Charitate, Sect. 2. num. 6. Quid verò possit Summus Pontifex indirectè circa Principes Christianos in iudicio de causa iusta belli, diximus alibi, 1. 2. disp. 14. Sect. 4. Eadémque de re videri possunt Molina de Iustitia disp. 103. & Suares Sect. cit. num. 5. qui docet Summum Pontificem habere ius euocandi ad se causam belli, & potestatem ferendi sententiam, cui partes teneantur obedire, nisi manifestam faciat iniustitiam: quia id valde necessarium est ad spiritale bonum Ecclesiæ, & ad infinita propè mala grauissima vitanda.

Summus Pontifex quid potest circa bella Christianorum?

27. Causa iusta belli quomodo examinanda?

Quæritur quartò, qua ratione constare debeat de iustitia causæ, vt bellum licitè, & iustè indicatur, aut geratur? Respondeo primò, supremum Principem teneri ad diligens illius examen, si dubia sit: quia negotium belli grauissimum est: in omni autem negotio graui, diligentia & consultatio adhibenda est, qualitati illius accommodata. Adde quòd alioquin om-

nia turbarentur temeritate Principum. Modus autem examinandi est, vt, seposito omni affectu inordinato, & adhibitis in consilium viris prudentibus, & bonæ conscientiæ, liberè proponantur hinc inde rationes, ac responsiones, omniáque maturè perpendantur. Tum si res certò constat, agendum est secundùm illam cognitionem. Sin autem dubia manet, neque spes est veritatis certiùs inueniendæ, si quæstio est de iniuria illata; & dubium est, num verè illata fuerit, an verò iure facta sit: non potest bellum suscipi ad talem iniuriam vindicandam, neque illius reparatio exigi: quia vt dicitur regulâ iuris 11. in 6. *Cùm sunt partium iura obscura; reo potiùs fauendum est, quàm actori.* Si autem quæstio est de bono aliquo ab alio possesso, & dubitet Princeps, num illud ad se pertineat: si iam alius id bona fide incepit possidere, non potest illud bello repetere, quia possessio dat alteri ius retinendi: sin autem mala fide possidere cœpit, aut neuter adhuc rem possidet; res inter vtrumque diuidenda est; vel eius pretium, si res diuidi nequit: aut committenda iudicibus arbitris: quod si alter facere renuit, potest illi bellum inferri.

Quid faciendum in dubio?

28. Quid si iudicia sint contraria?

Contingit autem aliquando vt duo Principes, re examinata, habeant iudicia contraria tanquam certa moraliter: & tunc vterque debet, si fieri potest, rem arbitris bonis, & æquis committere, vel rem diuidere, aut aliter pacificè inter se transigere: cùm euidens sit alterutrum falli, & bellum, si suscipiatur, fore iniustum materialiter ex altera parte: quod, quantum fieri potest, vitari debet: neque iure potest vnus illorum facilè iudicare alterum mala fide procedere, aut falli per nimiam stupiditatem: sed potiùs debet suum iudicium in propria causa suspectum habere: & existimare se æquè falli posse: Atque ita potiùs rem arbitris vtrique parti non suspectis committere, vt diximus disp. vlt. Sect. vlt. de actibus humanis.

Cauendũ ne peccetur contra Charitatem.

Respondeo secundò, debere Principem prouidere non modò vt causa belli iusta sit; verùm etiam, vt ne ius prosequendo peccet contra Charitatem, vt faciunt qui iura sua, & bona quædam particularia, præferunt longe maiori bono communi Ecclesiæ; & bella suscipiunt, quorum occasione hostes fidei inualescunt, & Religio Christiana graue detrimentum patitur. Charitas enim erga bonum commune, & amor Religionis, eos obligat, vt patienter ferant potiùs damnum aliquod priuatum, ad vitandum grauius malum commune. In quo casu potest ac debet Summus Pontifex procurare vt Christiani Principes ab eiusmodi bellis abstineant.

29. Consulti de iustitia belli ad quid teneantur?

Respondeo tertiò, primates regni & alios, qui ad consilium de bello inchoando vocantur, teneri veritatem diligenter inquirere: quia tenentur ex iustitia iustum consilium dare: alioquin iniustitia belli iure ipsis imputabitur. Alij verò, qui ad consilium non vocantur, non tenentur inquirere, & examinare: sed gerere se possunt, vt priuati, & communes milites, qui mouentur tantùm, & non mouent: per accidens enim est quòd alioqui sint potentes, nobiles, diuites, sapientes, &c. si tamen illis iniustitia belli constaret, tenerentur ex Charitate Principem opportunè monere.

30. Et communes milites.

Respondeo quartò, communes milites Principi subditos non teneri inquirere, num causa belli sit iusta; sed vocatos ad bellum ire posse, modò illis non constet bellum esse illicitum. Ita Suares disp. 13. Sect. 6. num. 8. Ratio est, quia iudicium Principis illis sufficit. Excipe tamen casum, in quo publicè circumferretur causam belli esse iniustam, vel occurrerent rationes, quibus non possent ipsi satisfacere, & Princeps sciretur esse laxioris conscientiæ, & parum esse solicitus quâ ratione aliena inuadat, aut possideat, vel iniurias verè aut falsò præsumptas vlciscatur. Quia tunc non possunt prudenter præsumere Principem suum non suscipere bellum iniustum. Quare tenentur viros probos, & peritos consulere, vel per se, vel per suos duces. Quòd si post sufficientem inquisitionem res adhuc manet dubia, possunt nihilominus licitè militare, illi qui imperio Principis ad bellum compelluntur: vt post alios plures grauissimos doctores docet Ægid. Coninck disp. 31. num. 75. & sequentib. Ratio eiusdem est: Quia cùm superior sit in possessione præcipiendi, non debet eâ priuari, nisi constet eum malè imperare, præsertim quando subditus nequit non parére, nisi ostendendo publicè se nolle parere, & ita Principem accusando iniustitiæ.

31. Et stipendiarij, aut spõtanei.

Respondeo quintò, milites non subditos Principi, sed stipendiarios, aut spontaneos, vt vocant, quandiu illis non constat bellum esse iniustum, sibique prudenter persuadent, Principem, & eius consiliarios esse bonæ conscientiæ, non teneri inquirere, sed posse ob eorum auctoritatem sibi persuadere bellum esse iustum, atque ita licitè ad illud accedere. Quando verò & causa belli illis dubia est, & Principis, ac consiliariorum auctoritas prudenter suspecta, ita vt nequeat illos mouere sufficienter ad iudicandum, saltem omnino probabiliter bellum esse iustum; non possunt licitè ad illud accedere: quia cum absolutè dubitent, nec habeant vllam probabilem rationem, quâ moueantur, vt credant id sibi hîc, & nunc licere: non possunt hoc prudenter iudicare. Nihil autem licitè facio, quod non possum prudenter iudicare hîc & nunc, spectatis omnibus, mihi licere. Ita Ægid. sup. num. 83. Excipit tamen Caietanus in Summâ v. *Bellum* stipendiarios, qui accipiunt stipendium etiam tempore pacis, obstrictique sunt ad eundum, quoties vocantur. Tales enim possunt se gerere vt subditi, quia reuera subditi sunt ratione stipendij: quare tenentur parére, vt alij, de quibus suprà. Sed hæc exceptio non placet: quia non sunt subditi, nisi ratione pacti primùm initi: Et initio non potuerunt pacisci de militando in omni bello siue iusto, siue iniusto. Ergo ratione pacti non tenentur illi parére. Aliunde verò Princeps in illos ius non habet, vt supponimus: ergo non est par ratio de illis, ac de simpliciter subditis, & veluti membris eiusdem Regni, aut Reipublicæ.

Quæritur quintò, an liceat Clericis indicere, & gerere bellum? Respondeo primò, Cle- 32.

Licetne Clericis indicere bellum? ticos, qui ratione sui beneficij, aut aliunde sunt Principes supremi temporales in sua ditione, posse licitè indicere bellum, iustâ exigente causâ; & per suos duces illud gerere, atque illis præcipere vt fortiter pugnent, sine periculo Irregularitatis. Ratio est, quia potestas indicendi bellum conuenit supremæ potestati ciuili, quæ in illis perfecta est: & tale ius non minùs illis necessarium est, quàm alijs Principibus supremis: eiusque vsus non prohibetur vllo iure diuino, vel Ecclesiastico, vt patet ex Causa 23. quæst. 8. cap. 7. & 8. Eademque de causa licet illis constituere iudices in causis criminalibus, illisque præcipere vt in malefactores inquirant, ac lege agant; quamvis mors malefactorum inde sequatur, quam ipsi non præcipiunt directè, & per se, sed actum iustitiæ. *Can. Episcopus, Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* Ita Suares disp. 13. Sect. 3. n. 2. & Ægid. disp. 31. num. 91. & alij communiter.

33. Licet illis gerere bellum merè defensiuū. Respondeo secundò, licere Clericis quibuslibet gerere bellum merè defensiuum, quando ipsorum opera ad defensionem necessaria est: quæ necessitas moraliter & latè intelligi debet. Ratio est, quia defensio necessaria permittitur vnicuique iure naturali, & iure positiuo non prohibetur; siue sit defensio propriæ vitæ, siue propriorum bonorum; siue sit alterius, & maximè parentum, aut patriæ, & boni communis. Sunt tamen qui existiment Clericos, si tunc occidant incurrere irregularitatem, nisi occisio sit necessaria ad defensionem propriæ vitæ: sed Ægid. Coninck loco supra cit. num. 91. post Molinam, & alios, meliùs censet oppositum. Quia nunquam irregularitas, quæ vocatur *ex homicidio*, incurritur à Clerico propter alterius occisionem, nisi culpabiliter occidat. Irregularitas, inquam, quæ vocatur *ex homicidio*: secus autem illa quæ vocatur, *ex defectu lenitatis*.

34. Licitè interesse possunt bellis etiam aggressiuis. Respondeo tertiò Clericos licitè interesse bellis iustè susceptis, siue defensiuis, siue aggressiuis, vt milites iuuent in spiritualibus; eosque licitè hortari vt fortiter pugnent: dummodo non hortentur vt aliquem occidant in particulari, extra casum defensionis necessariæ: vt patet ex cap. 7. & duobus sequentibus, 23. *quæst.* 8. & ex praxi communi. Et interdum etiā pugnare. Quin etiam vrgente graui necessitate possunt pugnare manu propria, si alioquin ab hostibus inuadentibus essent occidendi: aut ciuitas, vel castrum, vel nauis in qua sunt, essent expugnanda; vel victôria magni momenti certò amittenda. Tunc enim habent à iure naturali talem facultatem: imò & obligationem, si agitur de bono communi defendendo: cui facultati & obligationi non derogat ius Ecclesiasticum, neque derogare potest. Quin etiam, si grauis instet necessitas ad commune bonum Ecclesiæ, vel quid simile, vt Clerici quoque ad bellum aggressiuum gerendum accedant, iure ipso naturali obligantur ad huiusmodi bellum, non repugnante iure positiuo, quod de casu grauis necessitatis non est intelligendum, ne iuri naturali deroget: quod non potest; cùm ius naturale sit fortius.

35. Respondeo quartò, extra casus prædictos grauiter prohiberi iure Ecclesiastico omnibus Clericis, & Monachis, saltem in sacro aliquo ordine constitutis, milites ducere, pugnam instruere, propria manu pugnare, aut tormenta bellica in hostes dirigere, vel ijs qui dirigunt præesse: vt patet de Monachis ex cap. *Eos qui*, 20. q. 3. & de Clericis, ex cap. 4. & 6. 23. q. 8. & de vtrisque simul, ex cap. *Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, vbi sub grauibus pœnis id prohibetur. Non possunt sine necessitate, & certis casibus. Quare fatentur omnes peccare mortaliter Clericos supradictos, & Monachos, qui sine necessitate id faciunt. Quātum peccent, si secus faciunt? Dixi autem, *iure Ecclesiastico*: quia neque naturali, neque diuino, grauiter saltem, prohibetur vlli gerere bellum iustum, consentiente eius Imperatore. Grauiter, inquam: quia non nego esse ex natura rei indecentiam aliquam inter statum Clericalem, & militiam, propter quam saltem venialiter peccarent, seposito etiam iure Ecclesiastico, nisi necessitas excuset. Vnde etiam fit, vt licet iura citatā non loquantur expressè de Clericis nondum constitutis in sacris ordinibus: probabilius tamen sit ipsos peccare saltem venialiter, si bellum gerant sine necessitate, nisi iam statui Clericali renuntiauerint: cuiusmodi non sunt ij, qui gestant habitum Clericalem, aut qui possident beneficia Ecclesiastica, ratione quorum tenentur Christo militare, non sæculo. Multóque magis peccant si sunt Religiosi deputati ad sacros ordines, licet nondum sacris initiati: quamquam & hos peccare tantùm venialiter docent Molina tract. 2. de Iustitia, disp. 108. & Ægidius Coninck disp. 31. dub. 6. num. 87. Hoc tamen peccatum Clericorum non est contra iustitiam, sed tantùm contra Religionem, vel contra Obedientiam. Ideóque si bellum sit aliunde iustum, non tenentur restituere: quia accipiunt à Principe potestatem militandi sine iniustitia, quamvis non sine indecentia, vel inobedientia erga Ecclesiam.

Quòd verò attinet ad irregularitatem: si Clericus peccat militando, & per se occidit alium: fit irregularis: quia est voluntarius & culpabilis homicida. 36. Fiantne irregulares? Si verò ipse non occidat, quamvis occidant alij, non est irregularis, vt indicatur *C. Petitio, Extra, de homicidio, & C. Præsentium, C. Continentia, de Clerico percussore.* Sin autem licitè militat, & per se occidit vel mutilat aliquem ex necessitate ineuitabili defensionis, non incurrit irregularitatem. Si verò deest necessitas, res dubia est, & ad securitatem peti potest dispensatio, vt ait Suares disp. 13. Sect. 3. num. 6. id tamen non est necessarium: quia in dubio potest se gerere pro non irregulari. Addit Suares, quod verissimum est, Clericum pugnantem proprijs manibus ex dispensatione Summi Pontificis, non incurrere irregularitatem per homicidium non-necessarium: quia qui dispensat in principali, censetur dispensare in concomitante. Porro, si Clerici incurrant irregularitatem in casibus suprà dictis, eius dispensatio pertinet ad Summum Pontificem, si est incursa per homicidium voluntarium, quamvis occultum. In alijs verò casibus occultis dispensatio permittitur Episcopo, in Trident. Sess.

24. Decreto 2. de Reformat. cap. 6. Qua de re plura diximus tomo 5. disputat. 62. Sect. 8. num. 104. & pluribus sequentibus.

SECTIO V.

Soluuntur aliæ quæstiones de bello.

37. Quid faciendum Principi ante belli aggressiui inchoationem? QVæritur sextò, quis sit debitus modus gerendi bellum? Respondeo primò, ante aggressiuum bellum inchoatum, teneri Principem proponere causam belli, Principi, aut Reipublicæ contrariæ. Qui si offerant emendationem, & satisfactionem condignam, tenetur Princeps acceptare, & à bello desistere: alioquin iniustè infert, & tenetur ad restitutionem. Ita Doctores communiter; colligitúrque ex Deuteron. 20. *Si quando accesseris ad expugnandam, &c.* Et cap. *Noli, 23. quæst. 1. & cap. Dominus, quæst. 2.* Limitant tamen aliqui cum Ægid. Coninck disput. 31. dub. 2. num. 26. hanc conclusionem ad eos qui non subsunt Principi. Quia Princeps (inquit auctor citatus) non peccat contra iustitiam, licet nolit acceptare à subditis rebellibus satisfactionem condignam oblatam, sed velit sibi dedi auctores seditionis, vel iniuriæ, eósque meritâ pœnâ plectere. Neque enim tenetur ex iustitia contentus esse alia satisfactione: ideóque potest bello eos capere, vel Rempublicam subditam cogere ad eos sibi tradendos. Addit peccare tamen communiter Principem contra Charitatem, si ita facit, & contra prudentiam politicam; ob grauia mala quæ ex talibus bellis sequi solent: nisi auctores seditionis non possint ab alijs tradi sine grauioribus incommodis. Secundò, Caiet. in Summa V. *Bellum*, limitat eandem conclusionem ad tempus præcedens actualem belli congressum. Quia, inquit, nisi ante offeratur satisfactio, non tenetur Princeps acceptare, sed ius habet prosequendi vsque ad finem: quia iam est Dominus causæ. Vnde sibi imputet debellatus quòd non debito tempore obtulerit satisfactionem.

38. Sed hoc meritò refellit Suares disp. 13. Sect. 7. num. 4. Nisi Caietanus intelligat pugnam actualem vltimam in qua bellum sit terminandum, & victoria inclinet ad eum qui iustè bellum infert: qui non tenetur tunc acceptare satisfactionem aliam, loco victoriæ integræ, quam moraliter iam obtinet. At verò si loquatur Caiet. de bello, in quo aliquoties pugnatum iam sit, & victoria adhuc distat: non apparet cur sit Dominus causæ, neque teneatur desistere à prosequendo, sicut priùs ab inchoando: oblata tamen maiori satisfactione pro expensis, & alijs incommodis in bello aliquandiu gerendo susceptis. Vt enim sit condigna satisfactio, requiritur primò, vt restituantur omnia iniustè ablata. Secundò, vt omnes expensæ, propter iniutiam alterius factæ, reparentur. Vnde si bellum iam est inchoatum, peti possunt expensæ eò vsque factæ. Tertiò, potest etiam peti aliquid in pœnam pro iniuria illata: quia in bello non habetur solùm ratio iustitiæ commutatiuæ, sed & vindicatiuæ. Quartò, peti quoque potest quidquid ad pacem deinceps conseruandam necessarium videtur. Quia finis belli præcipuus est pacem in futurum statuere. Ita Suares supra num. 5.

Respondeo secundò, teneri Principem ex iustitia militibus stipendia promissa persoluere, statis temporibus, quoad fieri potest: tenerique resarcire omnia damna ex contrario secuta, tum militibus ipsis, si defectu stipendij sua vendiderint vili pretio, aut in morbum inciderint, & multa in medicos insumpserint, aut mutilati, vel occisi fuerint: tum alijs subditis, aut extraneis non-hostibus, quos milites inopiâ coacti vexauerint: tum ipsi Reipublicæ, si ea de causa victoria fuit amissa, militibus rebellantibus, aut deficientibus: vel si bellum fuit protactum cum maioribus impensis, & incommodis; vel si clades accepta, & similia. Ad eadémque omnia obligantur Ministri Principis, quibus incumbit procurare vt stipendia militibus tempestiuè soluantur, aliáve ad bellum necessaria comparentur. Sunt enim illi omnes causa omnium damnorum, quæ sequuntur ex ipsorum negligentia: ideóque tenentur omnia resarcire. Quod diligenter eorum confessarijs notandum est, vt bene monet Ægid. Coninck disp. 31. num. 94. & sequentibus, vbi doctrinam præcedentem confirmat. 39. Tenetur Princeps stipendia soluere. Alioqui tenetur de damno. Itemque eius Ministri.

Respondeo tertiò, teneri milites stipendijs suis esse contentos: & iuxta fidem Principi datam, boni militis vices explere: & ordinem, aut locum, vel arcem sibi commissam, non deserere, ne metu quidem mortis imminentis, quamdiu spes est posse hostibus resisti. Secunda pars patet, quia milites ad hoc mercede conducuntur, & sacramento se obligant; ac nisi præstent, grauissima incommoda, & damna publica incurruntur. Vnde meritò puniuntur morte qui contrarium faciunt. Prima verò pars traditur Luc. 3. vbi Ioannes Baptista militibus sic præcipit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Contra quod primò peccant, & restituere tenentur milites qui hospitibus, aut ijs per quos transeunt, surripiunt aut extorquent aliquid præter ea, quæ ex constitutione Principis tenentur ipsi ministrare, & seruitia vocari solent: vt sunt ignis, lectus, paleæ, &c. Excusandi sunt tamen milites, quibus non soluuntur stipendia, quique seipsos sustentare, & bellum gerere non possunt nisi quæ sibi necessaria sunt, extorqueant. Sed tunc Princeps, vel Respublica tenetur damnum resarcire: alij verò interea debent pati illud incommodum propter bonum commune, ad quod militum opera necessaria est. Peccant secundò, qui plures schedulas pro pluribus hospitijs accipiunt, & ab aliquibus pecunias extorquent, ne apud illos hospitentur, vt se velle simulant. Tertiò, peccant etiam duces, & restituere tenentur, quando tenent vicina loca suspensa, & à quibusdam pecuniam accipiunt, ne per eorum fines ducant exercitum. Item, quando plures milites habere se fingunt, quàm verè habeant, vt plus stipendij accipiant. Quod peccatum grauius est, & dam- 40. Ad quid tenentur milites? Eorum peccata circa rapinas.

nis inde secutis resarciendis obnoxium, si Princeps, vel Respublica decepta, ea de causa detrimentum accipiat: puta, si exercitus cædatur, defectu numeri sufficientis militum, qui alioqui non defuisset: si capiatur locus, in cuius præsidio sunt: si bellum propagetur, &c. vt bene ait auctor supra citatus num. 98. & sequentibus.

41. Liceatne vti militibus Infidelibus?

Respondeo quartò, Principes fideles posse vti operâ militum Infidelium, siue contra Infideles pugnent, siue contra fideles; modò tamen scandali, vel alterius mali periculum non sit. Probatur primò, quia id non est per se malum, neque aliquo iure prohibitum. Probatur secundò exemplo Machabæorum, qui Romanorum auxilium implorarunt. Tertiò, si licet vti operâ ferarum; multò magis opera hominum quantumuis Infidelium. Quartò, licet emere arma ab Infidelibus ad bella iusta: ergo & ab illis iuuari. Dixi tamen, modò absit periculum scandali, vel alterius grauioris mali: propter aliquas circunstantias, quæ vsum istum reddere possunt illicitum: de quibus vide Summistas V. *Bellum*, Bannem, & alios interpretes D. Thomæ, 2. 2. quæst. 40. & Ægid. Coninck de Actib. supernar. disput. 31. dub. 7. num. 102.

Aut iuuare Infideles.

Similiterque non est per se malum iuuare Principes Infideles, siue pugnent contra alios Infideles: cuius rei exempla extant in Script. & Machabæi Romanis mutuum auxilium polliciti sunt: siue etiam pugnent contra fideles ad iniurias suas iustè vlciscendas, aut reparandas. Sed vt licitè id fiat, seruandæ sunt debitæ circunstantiæ, de quibus vide auctores suprà citatos. Alioqui enim grauissimè peccatur, propter scandalum, & maxima pessimáque incommoda, quæ inde patitur Religio Christiana; qualia Fideles, & Ecclesiæ, aliæque res sacræ pati solent, vbi Infideles, vel Hæretici dominantur, aut bello superiores euadunt, vrbesque aut regna Christianorum sibi subjiciunt.

42. Quæ liceant circa hostes?

Respondeo quintò: Omnia illa tum in ipso conflictu, & præparatione ad bellum, tum postea, partâ victoriâ, licet facere aduersus hostes (occidendo, spoliando, destruendo, redigendo in seruitutem, seu captiuitatem, &c.) quæ intrinsecè mala non sunt, & sunt necessaria, vel apta, & accommodata media ad assequendum aliquem è tribus belli finibus, vel illos omnes. Nimirum primò, ad obtinendam iustam rei ablatæ compensationem, vel ad rem ipsam recuperandam. Secundò, ad iniuriam iustè vindicandam, secundùm culpæ videlicet proportionem. Tertiò, ad stabiliendam, & firmandam pacem. Si quid autem ad nullum istorum finium accommodatum est, non licet id facere. Et si fiat, obligationem restituendi parit, & resarciendi damna illata. Ita Valentia quæst. 16. p. 3. & cæteri Doctores. Ratio est, quia cui finis licitus est, licent etiam media necessaria, vel conuenientia, non intrinsecè mala. Vnde collige primò, licere in bello gerendo

Insidiæ licitæ.

vti insidijs, vt docet S. Thomas quæst. 40. art. 3. & confirmatur exemplo Iosue, cap. 8. Non licet tamen mentiri, neque fidem datam fallere, nisi fallatur ab aduersario, aut per vim, & metum grauem, & iniustum extorta sit. Aut etiam nisi promissio sine grauissimo boni communis detrimento, impleri nequeat. Collige secundò, in bello siue defensiuo, siue offensiuo, licere vltra conseruationem, vel recuperationem, vel iustam compensationem rerum, inferre hostibus alia damna ad vindicandam iniuriam illatam, vel pacem in posterum firmandam. Ita vt possint, si opus sit; hostes debellati occidi, vel in captiuitatem redigi, & res eorum vniuersæ occupari; aut in eorum ditione arces extrui, & præsidia constitui, & similia.

43. Quæ computanda in satisfactione?

Notandum tamen primò, in satisfactione vel vindicta computandas esse mortes hominum, incendia, vrbium euersiones, & alia damna, quæ aduersarij in bello passi sunt. Bona tamen mobilia capta à militibus in belli decursu, non censentur computanda in compensatione; sed iure gentium censentur esse militum: quia cùm vitam tot periculis exponant; aliquid illis concedendum est. Non possunt tamen neque ante, neque post partam victoriam, accipere quicquam sine Principis auctoritate vel expressa, vel legitimè præsumpta: quia non habent per se illam potestatem, sed solùm à Principe, tanquam eius ministri.

Liceatne omnes omnino occidere?

Nota secundò, solo titulo vindictæ non omnes nocentes esse interficiendos quando valde multi sunt, nisi crimen sit admodum enorme, licet alia ad vindictam non sufficiant. Quia id sapit crudelitatem: & cederet interdum in detrimentum commune, vt si ciuitas, vel Prouincia integra occidenda esset. Interdum tamen licet seuerè agere, & expedit ad terrorem aliorum, & ad firmandam pacem, si aliter stabiliri non posset nisi in multos animaduertendo. Nonnunquam etiam ciuitates integræ ferro & igni traduntur (vt dicitur) ob nimiam grauitatem criminis, & aliorum emendationem, vel quia resistunt obstinatiùs, vel quia ad feruorem militum oppugnantium accendendum, id necessarium est. Quamquam id rarissimè permittendum est, ob cædes innocentium, & grauia scelera, quæ tunc patrari solent.

44. Liceatne occidere innocentes?

Nota tertiò, nunquam licere, per se loquendo, occidere innocentes, agnitos vt tales; licet pœna alioqui non censeatur condigna: sed tantùm per accidens, quando id necessarium est ad victoriam consequendam: vt si arx euertenda sit, vel ciuitas igni tradenda. Ratio est, quia tales innocentes ob nullum finem ex tribus suprà dictis rectè occidi possunt: aliunde verò Deus prohibet innocentem interfici, Exod. 23. & Deuter. 24. *Innocentem non occidas*. Et Deuteron. 20. præcipit Deus victoribus ne mulieres, vel infantes percutiant. Nomine autem innocentium intelligendi sunt, mulieres & infantes, & alij armis ferendis inepti, nisi arma tulisse vel bello cooperatos esse constet: Itémque *ex cap. Innouamus, de Treuga, & pace*, Presbyteri, Monachi, Conuersi, Peregrini, Mercatores (extranei scilicet) rustici euntes & redeuntes, & animalia quibus arant, & semina portant. Item legati, siue Oratores, *cap. Paternarum, 24. quæst. 3.* Et generatim om-

nes de quibus constat non fuisse participes criminis, neque belli iniusti; quia ius naturale postulat vt nullus occidatur, quem re vera constat non esse in culpa. Nec obest quòd Israëlitæ interdum omnes interemerunt captâ ciuitate, absque vllo discrimine. Vel enim id factum est ex speciali iussu Dei, qui vitæ omnium Dominus est; & ad terrorem aliorum, vel ob alium finem bonum id fieri iussit: vt Iosue 6. & 1. Reg. 15. Vel in ipso congressu actuali, & expugnatione ac vastatione ciuitatis ferro & igni traditæ id factum est, quo tempore non possunt innocentes discerni à nocentibus: vel perperam etiam factum est, vt Iudic. 20. cùm filij Israël occiderunt sine discrimine quotquot ex Tribu Beniamin potuerunt, etiam citra victoriam. Qua de re vide Abulens. Serar. & alios interpretes, ad caput citatum.

45. Vel priuare bonis, & libertate? Nota quartò, posse tamen innocentes spoliari bonis, atque etiam libertate priuari, si ad plenam satisfactionem id necessarium sit. Quia cùm sint pars Reipublicæ, tenentur contribuere ad satisfactionem pro debito ab ea contracto, quando hoc aliter solui nequit: & consequenter Princeps, cui debetur satisfactio, potest eos ad hoc compellere, expoliando suis bonis, atque etiam libertate ipsa, si opus sit; quia ipsa quoque censenda est inter bona subiecta iurisdictioni Reipublicæ, ac dispositioni, in graui necessitate. Et confirmatur, quia vbi ius positiuum id non prohibet, potest debitor, qui non est soluendo, in seruitutem rapi. At quivis particularis, etiam innocens, ob defectum aliorum est debitor eius satisfactionis quæ debetur à Republica, cuius pars & membrum est. Ergo si Respublica soluendo non sit, potest ille pro eo debito rapi in seruitutem. Neque par est ratio de libertate, alijsque bonis, ac de vita. Nam illa cadunt sub humanum dominium, & de illis magis potest disponere Respublica. At vita non cadit sub humanum dominium, ideoque nemo potest eâ per se priuari, nisi ob culpam. Excipiendi tamen sunt Ecclesiastici, quos propter aliorum culpam grauari, si innocentes sint, videtur esse contra honorem debitum Religioni. Maximè cùm sint ipsi quasi Respublica spiritalis, à ciuili distincta, eique non subiecta, nec eius dispositioni, cùm sint exempti à sæculari iurisdictione.

46. Immunitas Christianorum, & bonorum Ecclesiastic. Notandum etiam quintò, inter Christianos iure gentium & communi consensu introductum esse; vt qui bello capiuntur ex ipsis, non possint priuari libertate, & fieri mancipia. Quod tamen priuilegium non extenditur ad Apostatas, quia in fauorem fidelium factum est. Bona quoque Ecclesiastica, ob reuerentiam Religionis, immunia sunt, & Ecclesiæ ipsæ, modò tamen aduersarij Ecclesia velut arce non vtantur: alioqui potest expugnari, & comburi si opus sit. Imò etiam si hostes Ecclesiâ non sunt abusi, sed tamen ad victoriam, vel ad firmandam pacem id necessarium est; potest euerti, vel comburi.

Nota sextò, quando bellum cum aliqua gente perpetuum est, vt Christianis cum Turcis, licere ipsis eripere quæcunque eripi possunt, ne ijs contra nos vtantur. Quando item aliqui aduersariæ Reipublicæ aliquos ex nostris exspoliarunt, & ipsa id vindicare negligit; licere hoc nomine spoliare etiam innocentes aduersariæ Reipublicæ, iure Repræsaliorum (vt vocant) quia ius habet nostra Respublica vt vel hoc modo recuperet bona suorum ciuium. Aduersaria verò tenetur ad damnum innocentum resarciendum. Excipiendi tamen sunt Ecclesiastici, vt suprà. Repræsalia licita.

Nota septimò, si quid de agro, aut ditione aliena, propter obtinendam tantùm victoriam occupatum fuit, eâ iam partâ, & rebus compositis, restituendum esse; quia non ipsum, sed eius tantùm vsus ad victoriam necessarius fuit. Item, si inter bona à Victore occupata iure belli, quædam sint immobilia, ad alios, quàm ad hostes pertinentia; non possunt retineri; quia victor non acquirit eorum dominium subiugando hostes, qui non erant veri eorum domini. De mobilibus quoque alienis par est ratio ex rei natura: licet leges ciuiles in aliquibus locis contrarium statuant in fauorem belli, & ad vitandas lites, quæ possent militibus intentari; vel conscientiæ scrupulos, qui possent inde oriri; & alias ob causas, quæ sufficientes fuerunt vt leges ciuiles possent transferre dominium earum rerum in milites, vel in Principes iure belli eas occupantes, vt fusiùs docent Suar. Sect. 7. num. 8. & 9. & Ægid. Coninck num. 122. & sequentibus: vbi etiam rectè notat, bona iniustè à militibus accepta in bello iniusto, postquam ampliùs spes non est posse à Domino recuperari, licitè posse emi à quocunque, etiam vilissimo pretio, animo ea restituendi veris Dominis, si compareant. 47. Aliena restituenda.

Quæritur septimò, an liceat etiam festis diebus pugnare? Respondeo affirmatiuè, cum D. Thoma quæst. 40. art. 4. Ratio est, quia bellum non est opus seruile, cùm etiam per Principes exerceatur. Et confirmatur exemplo Machabæorum, lib. 1. cap. 2. qui necessitate compulsi statuerunt pugnare aduersus omnes aggredientes, etiam die Sabbathorum. Si tamen possit differri sine incommodo, differendum est, quia minùs decet, & periculum est frequenter ne milites multi sacro non intersint quo die pugna paranda, & gerenda est. Prohibetur etiam bellum tempore Aduentus, & Quadragesimæ, & alijs quibusdam diebus, *cap. Si nulla, 23. quæst. 8. & cap. vnico, extra, de treuga & pace:* sed hoc vsu receptum non est. 48. Licet pugnare diebus festis.

SECTIO VI.

De Duello.

Quæritur vltimò, vtrùm omne duellum sit illicitum? Vt respondeam suppono primò, Duellum vocari pugnam quæ inter duos aut paucos aliquos ex condicto committitur. Nam pugna quæ fit sine condicto ex occursu, vel subitò oborta occasione, non est propriè duellum, vt hîc sumitur: neque de illo iura citanda loquuntur. 49. Duellum quid sit?

Suppono secundò, ex Ægidio Coninck disp. 32. Diuiditur in solem-

ne, & priuatum. dub. 2. num. 3. Duellum aliquando suscipi cum certa solemnitate, datis loco & fide securitatis pro eo qui socium occiderit, & adhibitis sponsoribus, quos patrinos vocant: & tunc duellum dicitur publicum, siue solemne. Aliquando vero fit sine huiusmodi ceremonijs, & dicitur priuatum.

50. Varij eius fines. Suppono tertiò ex eodem, duellum varios ob fines suscipi posse. Primò ad virium ostentationem, vel vt alijs spectaculum exhibeatur. Et hoc omnino illicitum est: perperam enim adhibetur medium tam periculosum animæ & corpori, támque crudele & atrox, ad tam leuem & non necessarium finem. Secundò, ad vindicandam iniuriam nobis illatam, vt communiter fit, cùm qui iniuriam patiuntur ab alio, illum ad duellum prouocant. Et hoc etiam illicitum est. Quia vindicta iniuriæ est illicita, nisi fiat publica auctoritate, & legitimò Iudicij ordine, atque ita vt reus quidem puniatur, sed innocens non æquè periculo exponatur: contrà quàm in duello fit. Ideóque ob hanc vltimam causam ne quidem à Iudice permitteretur licitè. Tertiò, ad inquirendam rei alicuius veritatem, quæ aliter probari nequit, siue in iudicio, siue extra, & tam in causis criminalibus, quàm in alijs. Ita vt innocens habeatur accusator, aut reus, provt in duello victoriam obtinuerit. Et hoc, licet frequenter olim permissum fuerit, illicitum tamen est: quia duellum non est medium aptum ad talem finem, cùm quandoque contingat succumbere eum, qui iustam habet causam. Vnde medium illud vanum, & superstitiosum est: ac præterea crudele, interdum mortem vtrique parti afferens. Ideoque in cap. *Cùm suscepti, extra, de purgatione vulgari*, prohibentur eiusmodi duella. Et cap. *Monomachiam*, 2. *quæst.* 4. dicuntur tales tentare Deum, volentes vt miraculosè Deus ostendat innocentem, eúmque præualere faciat; cùm aliâ viâ meliùs lites terminari possint, ac debeant, absoluendo eum qui non probatur esse nocens; aut damnando, si probatur.

51. Quo casu licitum? Quartò, potest committi duellum inter veros hostes, vt bellum cæde paucorum terminetur; vel vt militum alacritas excitetur, & aduersariorum audacia frangatur. Et hoc, quidquid aliqui dicant, licitum est; modò fiat in illis circunstantijs, quibus ad bellum fœliciter finiendum, vel promouendum prudenter credatur vtile, aut necessarium esse. Vt si dux videat se non posse nisi cum certa strage, aut cum magno periculo, toto exercitu confligere; & tamen pugnare cogatur, & speret duellum vnius, aut paucorum, fore minùs periculosum. Aut si duellum necessarium sit ad suorum animos excitandos, qui alioqui consternabuntur si duellum non suscipiat. Ratio est, quia sicut potest confligere toto exercitu, provt prudentia dictat, eúmque dubijs belli casibus exponere: ita potest confligere parte tantùm aliquâ, quando id prudentia vtile, aut necessarium esse dictabit.

52. Licet ad iustam sui defensionem. Quintò, committi potest duellum ad iustam sui defensionem. Vt si quis hostem inermem in arcto deprehensum cogat duellum suscipere, accipiendo arma quæ ipsi offert, vel iugulum dare. Et hic licitè ad seruandam vitam potest duellum acceptare. Quanquam id propriè duellum non est, sed iniusta inuasio ex parte aggressoris, & iusta defensio ex parte alterius. Similiter, si more olim recepto in iudicijs, Actor deficiente probatione duellum reo offerret, quod nisi acceptaret, damnandus esset à iudicibus ad mortem, vel ad amissionem bonorum magni momenti, tanquam legitimè probatus reus; posset reus tale duellum acceptare ad iustam sui defensionem. Quin etiam si ei constaret actorem malâ fide agere, & falsos testes subornare, neque se posse eius fraudes & condemnationem euadere, nisi permittente Magistratu aduersarium ad duellum prouocaret, licitè id faceret in causa criminali, vel ciuili magni momenti. Vt post Bannem, Nauar. & Sanch. rectè docet Ægid. Coninck disp. 32. dub. 2. num. 17. & sequentibus. Ratio eius est, quia secundùm communem omnium sententiam, licitè occidimus iniustum inuasorem, quando id necessarium est ad tuendam vitam, vel bona magni momenti: modò id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, & seruato debito ordine. Atqui talis actor iniustè inuadit reum, & sine dubio eum vitâ vel bonis spoliabit per sententiam iudicis, nisi duello acceptato vel oblato se defendat; seruatúrque moderatio, & debitus ordo, quando fit permissu vel auctoritate Magistratus, nec nisi quatenus id necessarium est. Ergo, &c.

Dices, hinc sequi, quando duo inter se litigant in causa criminali, vel ciuili magni momenti, si vnus alterum conetur falsis testibus, aut instrumentis opprimere, & hoc illi certò constet, neque aliter condemnationem euadere possit, licitè posse alterum clam interficere ad euadendum: quia talis occisio locum habet iustæ defensionis. Respondent aliqui, spectato solo iure naturæ id licere. Quemadmodum enim licet venenum parantem præuenire, si aliter mors vitari nequit: & alijs modis se tueri contra iniustos inuasores, cùm moderamine inculpatæ tutelæ: sic, &c. Iure tamen positiuo id esse prohibitum per extensionem legis prohibentis homicidia: vt patet ex eo, quòd tales, si deprehendantur, morte puniuntur à Iudicibus. Rationem verò iustam prohibendi fuisse, quia grauissimi ex opposito sequerentur abusus. Cùm enim litigantes facilè sibi persuadeant se habere certum ius; facilè quoque iudicarent se ab aduersarijs circumueniri, ac proinde sibi licere vitam illorum clam aggredi. Vnde plurimæ cædes iniustæ sequerentur, in magnam perniciem Reipublicæ. Ideóque meritò ius positiuum seuerè prohibet, & grauiter punit huiusmodi occisiones, licet iure naturali licitas in casu necessitatis ad iustam defensionem. Potest autem ius positiuum, ob maius bonum commune necessarium, obligare ad aliquid, etiam cum vitæ & honoris dispendio. Ita docet speciatim Ægidius Coninck disp. 32. dub. 2. num. 12. Ampliùs vero affirmant simpliciter id licere Bannez 2. 2. quæst. 64. art. 7. dub. 4. concl. 2. & ad 2. Andreas Du Val Doctor Sorbonic. quæst. 17. de Charitate art. 1. Armandus

Margin notes: sui defensionem. (col. 2, line 1); 53. Dubium incidens. (beside "Dices, hinc sequi")

Episcopus Lucionensis, dictus postea Cardinalis de Richelieu, in Instructione Christiana, lect. 16. in quintum præceptum Decalogi: Idemque probabile censet Petr. Nauarra lib. 2. de Restitut. cap. 3. num. 289.

Sed contrarium planè tenendum est; & in praxi pro certo habendum id grauiter illicitum esse: neque solùm iure positiuo, verùm etiam naturali esse prohibitum: Vt cum communi Theologorum sententia docent Suar. disp. 13. de Charitate, Sect. vlt. Vasq. in Opusc. tract. de Restitut. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 24. Lessius lib. 2. de Iustit. cap. 9. num. 47. Layman tract. 3. lib. 3. Sect. 5. cap. 5 de Duello, num. 2. Reginald. tom. 2. lib. 21. cap. 3. num. 69. Filiuc. tom. 2. tract. 29. cap. 3. n. 52. Turrian. 2. 2. disp. 27. dub. 2. n. 10. Gordon lib. de Restitut. quæst. 4. cap. 1. §. 3. Ex varijs autem rationibus, quas afferunt, magis placet illa, quam reddit Layman vbi supra, quia videlicet si calumniam passus innocentiam suam ostendere potest, non deerunt alia media se liberandi à calumniatore. Sin autem innocentiam suam demonstrare nequit; res plena scandali, & pessimi exempli erit, si innotescat hominem de calumnia non conuictum, per insidias occisum esse. Addit rectè Suarez calumniam non vi, sed veritatis manifestatione propulsandam esse. Quòd si hæc possibilis non est, nequaquam licere transgredi ad media inordinata, quæ verè media non sunt: sed patienter ferendam esse mortem, non secus ac si innocens probaretur esse nocens per falsos testes. Quòd enim medium illud sit inordinatum, patet quia dubium non est, quin si contraria opinio admitteretur, plurimæ inde orirentur iniustæ cædes, in magnum præiudicium Reipublicæ. Facilè enim quisque sibi persuaderet se iniustè in iudicio accusari, nec aliud superesse remedium ad vitam, honorem, aut bona tuenda, quàm si accusatorem occidat. Quare sicut vindicta, propriâ & priuatâ auctoritate ipsius læsi sumpta, est vtroque iure, tum naturali, tum positiuo illicita, propter similia incommoda, quæ ex illa sequerentur: sic & præuentio, de qua loquimur. Ad Instantiam ergo propositam respondeo negando sequelam, propter disparitatem hujus casus, & præcedentis. Nam in vno seruatur debitus ordo; in alio non: vt patet ex dictis.

Sextò Duellum committi potest ad defensionem diuini honoris, & reprimendam audaciam alicuius Deum blasphemantis; vt si Mahometanus exprobraret Christianis, Christum esse impotentiorem Mahomete ad suos tuendos, idque vellet duello probare. Et hic modus illicitus est, nisi speciali Dei instinctu suscipiatur: quia non est medium tali fini accommodatum, & continet Dei tentationem, cùm ab ipso quæritur vt per miraculosam protectionem, & victoriam, ostendat vter veritatem sequatur.

54. Liceatne ad fugiẽdam suspicionem ignauiæ? Septimò denique, committi potest ad tuendum suum honorem, quem quis lædi putat nisi ad duellum vocatus compareat: habebitur enim pro timido & ignauo. Et hoc aliqui licitum esse putant, modò fiat præcisè defendendi honoris gratiâ, quia scilicet maneret infamis nisi prouocatus acceptaret, nec aliâ viâ potest infamiam effugere. Probant præcipuè, quia licet iniustum inuasorem vitæ, vel bonorum occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. At prouocans inuadit honorem prouocati, qui vitâ & diuitijs illi potior est. Ergo si aliter non potest eum tueri, potest duello iniustum honoris ac vitæ inuasorem occidere, si necesse sit: cum moderamine scilicet inculpatæ tutelæ. Nec obest quòd seipsum quoque periculo exponat. Nam qui se, aut sua bona contra latronem armatum tuetur, se quoque exponit mortis periculo. Confirmatur, quia vir nobilis, quem alter aggreditur, non tenetur fugere; sed licitè expectare potest, ac se defendendo, prouocantem occidere; idque solùm propter tuendum honorem statui suo conuenientem. Ergo similiter, &c. Ita nonnulli quorum confusè meminit Suares disput. 13. de Charitate, Sect. vlt. num. 3. quod etiam indicat Nauar. in Summa cap. 15. in fine: licet cap. 11. num. 39. oppositum censear. Rationes partis affirmãtis.

55. Confirmatur ampliùs. Neque satisfaciunt qui dicunt non esse ignominiosum apud sapientes & æquos rerum æstimatores recusare duellum, quia illicitum est: sed tantùm apud homines vanos & insipientes, quorum iudicium sperni debet, & postponi prudentum, licet pauciorum, iudicio. Contrà enim: fama in multorum, & præcipuè nobilium, æstimatione consistit. Atqui consuetudine iam inueterata, & vsu quamvis illicito, communi tamen & constanter seruato inter nobiles, & milites, multis in locis receptum est, vt si quis illorum recuset oblatum sibi duellum, æstimetur ab alijs ignauus, & indignus eo gradu, proscindatur scommatis, contemnatur, neque inter alios sine rubore comparére audeat, ac denique careat omni spe assequendi munia, & honores, ad quos nobiles, & milites generosi ac strenui promoueri solent. Quod certè illis grauissimum est, & permultis ipsa morte acerbius, aut iacturâ bonorum temporalium, pro qua tamen impedienda possunt, omnium Doctorum consensu, occidere iniustum inuasorem, & spoliatorem. Deinde, diuitiæ, & bona temporalia, non sunt vera & solida bona, neque magnifacienda coram Deo, & in æstimatione sapientum: pro quorum tamen conseruatione licitum est iniustum aggressorem interficere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Tertiò, non est ignominiosum apud prudentes, & cordatos, virum nobilem fugiendo euadere periculum, & suæ simul, atque inuasoris saluti temporali, & æternæ consulere. Et tamen, quia id vulgò habetur ignominiosum, potest expectare inuasorem, & occidere cum prædicto moderamine iustæ defensionis: ergo similiter, &c. Non satisfaciunt etiam qui dicunt talem posse sine duelli acceptatione infamiam vitare, dicendo se non recusare duellum metu mortis, aut aduersarij, qui hoc facilè experietur si ipsum inuadat, & propter quem non desistet tali vel tali via, & tali tempore, vt solet sæpius, transire. Etenim hoc remedium sæpe erit inefficax, cùm alij sibi persuadebunt prouocatum solo metu à pugna prohiberi.

prohiberi. Quæ omnia eo plus momenti habent, quòd honor & fama in communi hominum æstimatione consistit, præcipuéque nobilium, vt paulò ante diximus.

56. Concluditur negatiuè. Sed nihilominus concludendum est tales non esse excusandos à peccato mortali. Primò, propter consensum Theologorum, qui in rebus moralibus, & prudenti iudicio discernendis, magni momenti esse debet. Secundò, quia tale duellum damnatur iure positiuo, & grauiter punitur: Nec immeritò, propter grauia Reipublicæ incommoda, & animarum pericula, quæ ex eo sequuntur. Vnde tenetur quisque, etiam cum proprij honoris dispendio, atque etiam vitæ, ob bonum Reipublicæ, his legibus parére, vt paulò ante diximus de litigante iniustè accusato, cui non est permissum occidere occultè accusatorem. Tertiò, quia ille modus infamandi alium, non dat illis ius sufficiens ad duellum, & occisionem. Cùm hic positiuè non adoriatur alium quoad vitam, aut bona: imò nec etiam quoad famam, detrahendo, vel contumelijs afficiendo: sed tantùm aliquid faciendo, ex quo per accidens sequitur eius infamia, propter aliorum malitiam, & iniustam æstimationem. Vt si quis apud Heluetios pateretur infamiam, eò quòd nollet inebriari, bibendo ad pares haustus. Aut si fœmina in aliquo loco, vbi dedecori habetur non vestiri inhonestè, vel non prorumpere liberè in oscula & tactus turpes, minùs æstimaretur, eò quòd honestè viueret, & ad hæc prouocata, propter Dei timorem vel amorem virtutis, abstineret. Idémque est de alijs vitijs quæ quibusdam in locis sunt in honore. Confirmatur, quia etiam quibusdam in locis probro ducitur communiter non prouocare ad duellum ob certas iniurias illatas. Et tamen auctores contrariæ sententiæ non excusant prouocantem à peccato mortali, sed tantùm acceptantem. Argumenta verò in contrarium allata possunt ex dictis facilè solui: & ad summum probarent dumtaxat tale duellum non esse iure naturali illicitum: quo non obstante potuisset tamen iure positiuo prohiberi ob grauia incommoda Reipublicæ, & animarum pericula; sicut reipsa prohibitum fuit.

57. Pœnæ statutæ contra duellum. Quanquam etiam iure naturali illicitum esse non dubito: quia in hoc modo tuendi famam non seruatur debitus ordo: vt patet ex ijsdem incommodis, & periculis, propter quæ seuerè prohibetur & sub pœnis grauissimis, lege 1. C. de gladiatorib. & in Trident. *Sess. 25. cap. 19. Decreti de Reformat.* cuius hæc verba sunt: *Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitùs exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati; ac iurisdictione & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; & vt homicidæ iuxta sacros Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint; perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quàm in facto dederint; aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.* Hucvsque Tridentinum.

Circa quæ nota primò, prædictas excommunicationes in concedentes, duellantes, consulentes, &c. in Bulla quadam Pij IV. reseruari Summo Pontifici, præterquam in persona Imperatoris, & Regis. Secundò, quod ibi dicitur de spectatoribus, intelligendum esse de illis qui spectant ex composito, ita vt videantur in duellum consensisse; vt patet ex Bulla Gregorij XIII. mox citanda. Tertiò, licet iura relata loquantur tantùm de duello solemni, siue publico: tamen à Gregorio XIII. extensa fuisse ad duellum priuatum, in Bulla quæ incipit, *Ad euitandam detestabilem*, promulgata anno 1582. quamuis non reseruet excommunicationem, vt notat Suar. supra num. 2. in fine. Aliam quoque Bullam contra duella priuata edidit Clemens VIII. in qua reseruatur Summo Pontifici nulla excommunicatio. Sed neque Trident. neque etiam hæ Bullæ sunt receptæ in Gallia, inquiunt, aliqui recentiores: addúntque prætereà, quamvis in locis illis vbi Trident. receptum est, Principes, qui solemne duellum concedunt, sint excommunicati ipso facto: tamen probabilius esse, quòd ipsi pugnantes in duello publico, vel eorum patrini, aut suasores, aut spectatores, non incurrant excommunicationem ipso iure, sed tantum sint excommunicandi. Quia, inquiunt, quando Concilium loquitur de concedentibus duellum, dicit, *Eo ipso sint excommunicati.* At verò cùm de omnibus alijs loquitur, nusquam addit, *eo ipso*, vel, *ipso facto*, *aut ipso iure*: sed tantùm dicit, *excommunicationis pœnam incurrant*: vel, *excommunicationis vinculo teneantur.* Quæ phrases, secundùm multos, quando non additur *eo ipso*, vel, *ipso facto*, aut ipso iure, significant pœnam ferendam, non latam: sicut & istæ, *Anathema sit, sit sequestratus, decidat à proprio gradu, sit bonis spoliatus*, & similes. Nam verba ista possunt esse vel præsentis temporis imperatiui, vel futuri optatiui. Et ita loquutiones istæ sunt obscuræ, & ambiguæ. In obscuris autem minimum est sequendum; *de Regulis iuris in 6. Reg. 30.* præsertim cùm agitur de pœnis, quia in pœnis benigna est facienda interpretatio, *ibid. Reg. 49.* Et non est verisimile, quòd in eodem decreto, in priori eius parte Concilium addiderit particulam *eo ipso*: & in posterioribus vbique illam omiserit, sine vlla causa. Neque huic interpretationi aduersatur Bulla Gregorij suprà citata. Nam in illa tantùm dicitur Tridentinum

58.

Extenduntur ad duellum priuatum.

Incurrantne duellantes excommunicationem ipso facto?

decreuisse excommunicationem in pugnantes, assistentes, & spectatores: sed non dicitur quòd decreuerit excommunicationem latæ sententiæ. Neque potest id colligi ex vi verborum. Vtraque enim excommunicatio decerni potest: vel comminatoria, vel latæ sententiæ. Et prætérea, sicut in hac Bulla Gregorij dicitur Concilium Trident. decreuisse excommunicationem contra istos: ita dicitur decreuisse alias pœnas contra eosdem. Et tamen illæ aliæ pœnæ non habent locum nisi post sententiam iudicis, vt communiter docent Theologi: v.g. proscriptio bonorum, perpetua infamia, & pœnæ omnes homicidij.

59. Concluditur affirmatiuè. Verùm, his non obstantibus, existimo publicè duellantes esse ipso facto excommunicatos vi decreti Concilij Trident. vbicumque receptum est. Quia licet verba sint ambigua: de Concilij tamen intentione, & verborum eius sensu, rationabiliter iudicandum est. At non potest rationabiliter præsumi Concilium voluisse excommunicare ipso facto Principes concedentes duellum, non autem ipsosmet in duello pugnantes. Item de sensu legis iudicandum est ex vsu recepto, qui optimus legum interpres est. Atqui duellantes, non modò publicè, sed etiam priuatim, habentur pro excommunicatis ipso facto, vbicumque Bulla Gregorij XIII. recepta est: quæ tamen Bulla solùm extendit pœnas duelli publici ad priuatum. Ergo excommunicatio lata, in Trident. contra publicè duellantes, incurritur ab illis ipso facto. Idémque sentiendum esse de alijs supra recensitis docet Suar. disput. 33. de Censur. Sect. 7. num. 11. de quibus tamen res est magis ambigua, propter rationem in obiectione allatam. De eadem excommunicatione plura diximus tom. 5. disp. 59. Sect. 20. num. 275.

SECTIO VII.

De Scandalo.

60. Scandalū quid sit? Scandalum definitur à D. Thoma, quæst. 43. art. 1. c. Dictum, vel factum minùs rectum, præbens proximo occasionem ruinæ. Vbi primò nomine dicti, vel facti, intellige quodcunque dictum vel factum externum, aut omissum; nam etiam per omissionem dari potest occasio ruinæ. Secundò, per, *minùs rectum*, intellige siue malum de se, siue tantùm ex eo quòd proximo det occasionem ruinæ. Tertiò, notanda est particula, *præbens*. Nam si non præbeatur propriè occasio ruinæ, sed perperam sumatur ab alijs, non est scandalum actiuum & datum, vel scandalum pusillorum, de quo hîc loquimur: sed scandalum purè passiuum, siue acceptum, & Pharisaïcum, vt vocant, quod non est peccatum nisi ex parte accipientis. Aliter tamen sumitur interdum distinctio scandali in actiuum, & passiuum: & actiuum dicitur illud quod suprà descripsimus: passiuum verò dicitur ipsa ruina proximi, siue peccatum ipsum, ad quod committendum aliquis alieno facto inducitur, vt docet S. Thomas artic. 2. quæst. cit.

Non sufficit autem ad rationem scandali vt quis ob ea quæ videt, vel audit de alio, incipiat habere malam de illo opinionem, iudicétque impudicum esse v.g. vel ebriosum, quem antea castum, & temperantem esse putabat: quod sine vllo peccato proximi iudicari potest. Sed omnino requiritur vt vnius factum det alteri occasionem peccandi. Quod dupliciter fieri potest. Primò, directè: quando aliquis alteri persuadet vt peccet; siue directè & expresse intendendo ipsam ruinam proximi, & cupiendo vt hoc aut illud peccatum committat ad hoc vt reatum illius incurrat & moriatur spiritualiter: quod diabolicum est; siue tantùm persuadendo vt peccet, ob aliquam vtilitatem, aut delectationem carnalem, vel ob aliquem alium finem: vt communiter fit cùm quis alium inducit vt secum furetur, aut fornicetur, &c. Secundò, indirectè: quando aliquis, licet non intendat inducere alium ad peccandum: tamen coram illo facit aliquid, ex quo ipse inducatur ad peccandum. Siue inducatur ad simile peccatum committendum; vt in peccatis magnatum contingit, quos alij solent imitari: siue ad aliquod aliud; vt fit quando v.g. Infideles vident Catholicos malè viuentes, ex quo licet non inducantur ad similia peccata, ad quæ satis ipsi propensi sunt: concipiunt tamen malam opinionem de Religione Christiana, & ab ipsa alieni fiunt. Vel cùm laïci videntes grauia quædam peccata Ecclesiasticorum, aut Religiosorum, putant ea esse multis communia; & ita statum Ecclesiasticum, aut Religiosum contemnunt, & minùs erga pietatem afficiuntur. Quartò denique, per particulam *ruinæ*, positam in supradicta definitione scandali, spiritalis ruina intelligenda est.

Quid ad illud requiritur? Scandalū directū. Scandalū indirectum.

61. Quandónam est speciale peccatū? His suppositis, quæritur primò, an quilibet ex modis assignatis sufficiat ad constituendum speciale peccatum scandali, Charitati oppositum? Respondeo affirmatiuè, cum Suare disp. 10. Sect. 2. Ægid. Coninck disp. 32. dub. 5. Valent. quæst. 18. de Charitate p. 2. & alijs quos isti citant. Ac primò, conuenit inter omnes, teste Ægidio, num. 35. inducentem alterum ad peccandum, quocunque ex modis assignatis, peccare, tenerique hoc expresse & distinctè confiteri, si ratio scandali sit grauis, & ad peccatum mortale sufficiens. Secundò, quòd hi omnes modi contineant rationem scandali, patet ex eius definitione suprà posita. Quod item Charitati opponantur, patet quia inferre voluntariè proximo damnum spiritale, est contrarium Charitati. Item, non subuenire proximo in spiritali necessitate, est peccatum speciale contra Charitatem. Ergo & multò magis inclinare illum positiuè ad peccandum. Vlteriùs, Charitas nos obligat quantùm commodè possumus, vt impediamus peccatum proximi, vt patebit ex dicendis inferiùs de correptione fraterna. Ergo multò magis obligat ne sponte illi demus occasionem peccandi. Ergo sicut peccat specialiter contra Charitatem ille qui non impedit, quando potest commodè, peccatum proximi: sic & multò magis qui voluntariè illi dat occasionem peccandi.

62. Tertiò, probatur de singulis modis seorsim.

Scandalũ directum est peccatum speciale.

De primo quidem, quo directè & expressè ruina proximi intenditur, fatentur omnes cum D. Thoma, quæst. 43. art. 3. habere propriè rationem scandali, & quidem grauissimi, maximéque oppositi Charitati. Vnde colligunt, eum, qui alium ad furtum inducit v. g. ex intentione ruinæ ipsius spiritalis, peccare duplici specie peccati: nimirum furti, ad quod inducit; & scandali, contra Charitatem, propter ruinam proximi.

De altero inducente positiuè ad peccandum, propter vtilitatem, oblectationem, aut alium finem, quamvis non intendat expressè ruinam proximi, probatur primò ex definitione scandali, quæ tota illi conuenit. Secundò, quia ad contrahendam malitiam aliquam, non est necesse illam intendere: sed sufficit id efficere voluntarie, cui illa malitia est adiuncta: vt in furto, adulterio, & similibus liquet. Tertiò, qui alium inducit positiuè ad peccandum, hortando, suadendo, imperando, &c. hoc ipso formaliter agit contra rationem, & contra Charitatem proximi, quem ad malum, & ad proprium damnum spiritale impellit. De illo denique qui indirectè solùm ad peccandum inducit per actionem malam, vel habentem speciem mali, quatenus scilicet videns proximum inde accepturum occasionem peccandi, eam nihilominus sine iusta causa facit, siue hæc actio sit alioqui mala, siue non, probatur ex Scriptura, quæ has actiones vt scandalosas, & Charitati oppositas reprehendit. Rom. 14. ver. 15. *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm Charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, propter quem Christus mortuus est.* Et 1. Cor. 8. ver. 12. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, carnem non manducabo in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Probatur deinde ratione: quia in hoc opere reperitur ruina proximi indirectè voluntaria, & interpretatiuè. Hoc autem sufficit ad contrahendam malitiam scandali, vt suprà ostendimus. Neque dubium est quin peccatum intemperantiæ v. g. vel blasphemiæ, coram alijs commissum, ea quoque ratione malum, & deterius sit, quòd coram alijs factum eos ad peccandum alliciat: quam rationem malitiæ non haberet, si fieret occultè. Quare hæc ratio est malitia specialis, distincta à ratione intemperantiæ, vel blasphemiæ simplicis: & non alia, quàm scandali, propter ruinam proximi, cuius est causa. Plura ad id probandum diximus 1. 2. disp. 16. de peccatis Sect. 3.

Probatur etiã quod indirectum.

63. Soluitur obiectio.

Dices hanc malitiam esse communem omnibus peccatis: ideóque non esse specialem malitiam scandali. Respondeo primò, assumptum esse falsum. Nam peccata interna, vel quæ occultè fiunt, non fiunt cum periculo ruinæ proximi. Secundò, nego consequentiam. Nam aliqua ratio peccati, quæ in se ipsa est formaliter specialis, & distincta ab alijs, potest esse communis subiectiuè, aut adiectiuè omnibus aut plurimis peccatis: quo pacto inobedientia contra Deum, & ingratitudo, est communis omnibus peccatis: quippe quæ fiunt contra præceptum diuinum, & contra Deum benefactorem: quamvis ratio ingratitudinis & inobedientiæ sit in se specialis, distincta à ratione intemperantiæ, irreligionis, & similibus.

Instabis, quia D. Thomas quæst. 43. art. 3. & in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. dicit, vt scandalum sit speciale peccatum, debere intendi ruinam proximi. Respondeo D. Thomam loqui de intentione non solum expressa, sed etiam tacita & interpretatiua; quâ ratione censetur velle ruinam proximi, quisquis scienter & liberè facit aliquid aptum ad illum in ruinam inducendum.

64. Quantũ peccatũ sit?

Quæritur secundò, vtrùm omne peccatum scandali sit mortale, & eiusdem speciei? Respondeo primò, peccatum scandali, quo directè intenditur & expressè ac per se ruina proximi, semper esse mortale, nisi excuset indeliberatio: in alijs verò leuitatem materiæ, vel occasionis, excusare plerumque à mortali. Ratio primæ partis est, quia talis intentio necessariò grauem & diabolicam inordinationem continet, licet proximus inducatur solummodo ad peccatum veniale, intendendo expresse ipsius ruinam, siue peccatum quà tale. Velle enim, & expetere propter se, ipsam peccati malitiam, & spiritalem ruinam nostram, vel alienam, turpissimum est, & planè diabolicum. Secunda verò pars probatur, quia inducere, etiam positiuè, alium ad peccandum venialiter, ob nostram vtilitatem, vel quid simile, est tantùm veniale, per se loquendo: quia hoc malum est in se leue, neque grauiter obligamur illud in nobis aut in alijs vitare. Multò magis inducere tantùm indirectè suo exemplo ad peccandum venialiter, est solùm veniale. Potest etiam tam leuis dari occasio mortaliter peccandi, vt ipsa peccatum mortale non sit: cùm quis magis ex mala sua voluntate, quàm ex data occasione, quæ leuis est, ad peccandum inducitur. Vt enim diximus cum Sanche, & Delugo, in tract. de peccatis, ad peccandum mortaliter in hoc genere scandali indirecti, debet occasio esse grauis, & vehementer impellens ad peccandum, cuique difficilè resisti possit.

65. Sitne sæper eiusdem speciei?

Respondeo secundò, non omne peccatum scandali esse vnius & eiusdem speciei, sed specie differre tum ex parte modi, quo exteriùs ad ruinam inducit; tum ex parte ruinæ, cuius per se causa est. Aliter enim peccat qui alium ad peccandum solicitat: & aliter, qui tantùm suo malo exemplo illi nocet. Item, aliter peccat qui est occasio, vel causa per se intemperantiæ: aliter qui est causa furti, vel sacrilegij, vel apostasiæ à fide. Quod vt meliùs explicetur, nota primò ex Ægid. Coninck disp. 32. num. 47. malitiam scandali propriam in eo consistere, quòd aliquod opus nostrum sit idoneum hic & nunc, inducere proximum in ruinam spiritalem, eumque ad peccandum allicere: vt patet ex ipsius definitione initio traditâ, sumptâ ex D. Thoma, & communiter receptâ. Secundò, malitiam scandali propriam consistere in actu externo: quia soli actus externi, possunt alios ad peccandum inducere. Tertiò, actus externos habere ex seipsis propriam &

intrinsecam suam malitiam, quamvis materialem, distinctam à malitia quam accipiunt ab actu interno, ratione finis ad quem ordinantur, quæ ratio illis extrinseca est. Quia nimirum actus illi secundùm se, & citra finem illum extrinsecum, habent propriam indecentiam, & disconuenientiam cùm recta ratione, propter quam vitari debent; vt patet in mendacio, ebrietate, periurio, blasphemia, & similibus.

Quomodo differunt specie?

Cùm igitur propria malitia scandali consistat in actu externo mouente alium ad peccandum; vt aliqua differant in ratione propria scandali, debent differre in actu externo mouente ad peccatum: siue ex parte modi externi quo mouent; siue ex parte obiecti, & ruinæ ad quam mouent. Quia si differant tantùm in actu interno & intentione finis; & alioquin actus externus sit idem, aut planè similis secundùm se, & secundùm omnes circumstantias exteriores, ac proinde sit aptus eodem modo inducere proximum ad peccandum: eodem quoque modo contrahit malitiam scandali. Hinc est quòd ille, qui exteriùs peccat, expressè intendens inducere proximum ad peccandum propter ipsius ruinam, non propterea contrahit nouam malitiam in ratione scandali: quia illa differentia merè interna est, & actui extrinseca: sed addit scandalo malitiam odij Dei, vel proximi, vel placendi diabolo; propter quod expetit ruinam proximi. Secus autem ille, qui positiuè ad peccandum solicitat; & ille qui tantùm indirectè nocet suo exemplo: quia illi longè differunt in modo externo inducendi ad peccandum. Item, qui dat per se & directè occasionem proximo peccandi contra temperantiam actu suo externo, ad hoc solicitando; aliter est causa ruinæ, quàm qui ad furandum directè inducit. Quia licet malitia propria scandali consistat in oppositione ad Charitatem contra proximum, cuius ruinam volumus directè, vel indirectè: actus tamen quibus proximo volumus mala specie diuersa, vt talia, sunt specie diuersi, & omnes opponuntur Charitati, quæ illa mala proximo volita odit & auersatur, attingitque illa secundùm proprias cuiusque differentias. Sicut, ex opposito, actus prosecutionis, quibus proximo diuersa bona volumus, sunt specie diuersi, pertinéntque ad Charitatem erga proximum.

66. Quomodo explicanda in Confessione?

Ex quo sequitur primò, eum qui alium ad peccandum directè induxit, teneri exprimere in confessione ad quod peccatum induxerit: quia aliter confessarius non intelligit speciem peccati. Secundò, sollicitantem ad fornicandum v. g. teneri id explicare, quia præter fornicationem, commisit aliud peccatum mortale scandali: nisi aliunde satis id intelligitur, vt de viris satis intelligatur, nisi aliud exprimant, quia communiter ita facere solent. Tertiò, eum qui ad varia peccata inducit, peccare diuersimodè, & contra Charitatem, & contra alias virtutes, quibus huiusmodi peccata opponuntur: quod dupliciter fieri potest. Nimirum vel ita vt actus ipse externus secundùm se, & præscindendo ab interna intentione, illi virtuti opponatur. Vel secundò, ita vt actus externus secundùm se non spectet ad vitium, ad quod alter inducitur. Priori modo peccat contra iustitiam, qui furtum alteri suadet. Posteriori, qui conuiuando cum alio, est ei causa vt bona sua absumat, quibus absumptis præuidet fore vt alter furaturus sit: & hoc intendit directè, vel interpretatiuè. Prior peccat contra iustitiam actu ipso externo. Posterior tantùm actu interno, ratione intentionis. Eodem enim præcepto, quo prohibetur aliquid fieri, prohibetur etiam voluntas vt id fiat. Atqui hoc ipso quòd aliquis, siue directè, siue interpretatiuè, intendit alterum inducere ad aliquod peccatum, vult hoc ab ipso fieri. Ergo peccat aliquo modo contra idem præceptum, contra quod peccat hoc faciens. Quare non tantùm peccat contra Charitatem, quatenus vult hoc malum à proximo incurri: sed & contra aliam virtutem, contra cuius præceptum, & affectum fieri vult, & cuius amore ac reuerentiâ moueri deberet ad abstinendum à scandalo contra illam præbendo. Quia tamen hæc obligatio non est grauis respectu virtutum contra quas peccatur tantùm scandalo indirecto: quippe quia non tenemur grauiter ex illarum præcepto, sed tantùm ex Charitate, impedire ne alij contra eas peccent, vel procurare vt eas seruent: idcirco moraliter, & in ordine ad Confessionem, censentur scandala indirecta esse eiusdem speciei: ita vt illorum differentia non sit necessariò exprimenda in confessione: quemadmodum diximus tom. 2. disp. 16. de Peccatis Sect. 4. & tom. 5. disp. 46. Sect. 6.

67. Diluitur obiectio.

Dices, hinc sequi, eum qui furatur, & suo exemplo inducit alium indirectè ad furandum, peccare contra iustitiam, tum respectu proprij furti, tum respectu alieni, ad quod inducit: ac proinde obligari ad restituendum quidquid alius exemplo suo furabitur, nisi ille restituat.

Non omnis actio cōtra iustitiam obligat ad restitutionē.

Respondeo illum quidem peccare contra iustitiam indirectè aliquo modo, vt antea probauimus: sed nihilominus non obligari ad restitutionem: quia non quævis actio iniusta, nociua proximo quomodocumque, obligat ad restitutionem: sed ea tantùm quæ externa est, & per seipsam, atque ex propria ratione est iniuriosa alteri, & talis, vt ex ea sequatur damnum vt plurimùm, siue ex ipsa conditione actionis, non autem ex fragilitate, aut mala voluntate alterius; vt contingit in eo qui mouetur exemplo alterius ad furandum. Ita vt duo requirantur in tali actione. Primò, vt sit externa: nam sola intentio nocendi, aut actus merè internus, non obligat ad restitutionem. Secundò, vt sit ex propria, & intrinseca sua ratione, iniuriosa alteri, & causa damni iniusta, per se spectata: & quidem efficaciter: ita vt damnum reipsa vi illius sequatur, & non ex causa aliunde sufficienter illud inferente.

68. Liceatne petere ab alio quod sine peccato non faciet?

Quæritur tertiò, an qui petit aliquid ab alio, quod potest quidem sine peccato præstare, sed tamen reipsa non præstabit, peccet peccato scandali? Respondeo affirmatiuè, si id præuideatur, & non sit causa iusta petendi. Quod responsum sic declaratur. Primò quidem, certum est committi scandalum si aliquid petatur, quod sine peccato fieri nequit: quia illud, moraliter loquendo, est directè ad

malum inducere, mouendo ad actum, à quo non potest malitia separari. Vnde collige non excusari à peccato scandali, eum qui mulierem, licet alioqui paratam, inducit ad peccandum. Contra quod tamen objici potest, licitum esse persuadere homini volenti occidere inimicum, vt potiùs agrum ipsius vastet, aut syluam incendat. Sed respondendum est id non esse petere propriè, & inducere ad malum; sed potiùs permittere; & reuocare à maiori malo, permittendo minus, quando vtrúmque vitari nequit. Sensus enim illius persuasionis est conditionatus: quandoquidem vis malum facere, potiùs fac quod minus est. Quod est petere bonum quodammodo: minus enim malum, est bonum respectu maioris mali.

69. Secundò, quando petitur aliquid, quod sine peccato fieri potest, & non est ratio sufficiens iudicandi malè factum iri: non peccat qui id petit: quia in dubio debet quisque præsumi esse bonus. Sin autem contra: distinguunt aliqui. Vel enim ille, à quo petitur, paratus est ad peccandum: vel non est. Si primum: putant absolutè licitum esse petere. Si secundum: distinguunt iterum. Vel enim qui petit, ius habet id petendi, quia ex iustitia id sibi debetur: vel non habet. Si primum: licet absolutè petere, quia cuilibet licet vti iure suo. Si autem neque qui petit habet ius, neque alter est paratus ad peccandum: non licet petere; quia id esset moraliter inducere ad malum, præbendo occasionem peccandi ei, qui nullam habet peccandi voluntatem. Hæc illi. Sed cum Suare disp. 10. Sect. 3. dicendum potiùs existimo, etiam si quis ad peccandum sit paratus, non licere ab illo petere sine causa rationabili, id quod præuidetur non facturus sine peccato. Alioqui enim sine causa præberetur proximo occasio peccandi. Nec obest quòd ille sit in voluntate habituali peccandi. Nam illa præcisè sumpta non est peccatum: & nisi excitaretur, non committeret hîc & nunc hoc peccatum. Quare contra Charitatem est sine rationabili causa id facere. Atque ita sentit D. Thomas quæst. 78. art. 4. c. & ad 2. quando requirit vt id fiat propter aliquod bonum, quale est subuentio propriæ necessitatis, vel alienæ. Quo pacto in casu necessitatis licet petere mutuum ab vsurario, & iuramentum ab idololatra, qui per falsos Deos iuraturus est.

Vera sententia.

70. Similiter, licet quis habeat ius petendi id quod petit, sicut fidelis habet ius petendi Sacramenta à suo Parocho excommunicato tolerato: peccat tamen contra Charitatem nisi bona aliqua causa intercedat: vt spiritualis vtilitas, vel temporalis, alicuius momenti, ita vt secundùm ordinem Charitatis non teneat me priuare meo iure, vel commodo, ne permittam proximum cadere. Alioquin, si id, quod peto, non est mihi necessarium, vel vtile, aut aliâ viâ facilè illud obtinere possum; ratio & ordo Charitatis postulat vt non petam ab eo, quem peccaturum esse video. Denique licet neque ius ego petendi habeam, neque alter sit paratus ad peccandum, non est intrinsecè malum petere ab illo rem de se licitam, & mihi necessariam, aut ex aliqua valde rationabili causa: licet probabiliter timeam ipsum peccaturum. Quia id non est moraliter ad malum inducere, sed rationabiliter agere.

SECTIO VIII.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones de Scandalo.

Quæritur quartò, an teneamur abstinere à rebus de se licitis, aut alioqui necessarijs, ob periculum scandali? Respondeo affirmatiuè, quando vtilitas, vel necessitas operis non præpondetat, aut æquiualet periculo scandali: de quo prudenter iudicandum est, spectatis omnibus circunstantijs. Ratio est, quia alioquin ordo Charitatis exigit vt consulatur saluti proximi, & caueatur eius ruina, quæ sine ratione sufficienti permitti non potest. Vnde collige primò, neminem teneri abstinere à bonis saluti suæ necessarijs, propter vllum scandalum: quia ex Charitate quisque tenetur plus amare suam salutem, quàm aliorum. Secundò, in rebus ad salutem non necessarijs, bonis licet, & alioqui præceptis, cessare interdum obligationem præcepti: & ab illis potiùs hîc & nunc abstinendum esse, ob periculum scandali. Quod verum est tam de præceptis iuris naturalis, quàm positiui. Prioris exemplum est, quando superior non potest corrigere vel punire subditos peccantes (ad quod tenetur iure naturali) sine graui aliorum turbatione & scandalo. Posterioris verò, quando aliquis non potest integrè confiteri sine scandalo confessarij, qui ad peccandum incitabitur. Dixi, *interdum*: quia si maior vtilitas, vel honestas sit in executione præcepti, quàm in euitatione scandali, non cessat eius obligatio. Quotiescunque enim res occurrunt ad diuersa præcepta spectantes, quæ simul impleri nequeunt: oportet prudenter iudicare quid præponderet. Ab ijs verò rebus quæ sunt tantùm consilij, vel supererogationis, abstinere longè facilius est, quàm à rebus præcepti: vt & à rebus alioquin indifferentibus. Estque abstinendum, si periculum sit scandali actiui; nisi excuset vtilitas aliqua, vel necessitas. Quia malum proximi vitandum est, quantum commodè fieri potest. Non tamen teneor illud vitare cum quovis meo incommodo. 71. Tenerúrne abstinere à licitis, ob scandalum?

Hinc varij casus decidi facilè possunt. Primus est, An quis possit omittere Confessionem, & Communionem in Paschate, ne det Parocho occasionem peccandi, quippe qui malè administrabit? Respondeo non posse, nec debere. Quia bono ipsius spiritali magis expedit implere præceptum confitendi, & communicandi, quod omittere nequit sine notabili suo damno spiritali. Quippe qui non tantùm priuabitur gratiâ, quam recepisset; sed etiam probabiliter, perget hærere in statu peccati mortalis, defectu contritionis, quæ non facilè haberi potest. 72. Resoluũtur varij casus de scandalo: & de abstinendo ab annua confessione & cõmun. propter illud vitandum.

Secundus casus est, an teneatur mulier abstinere à facto, die Festo, si sciat se futuram alteri occasionem peccandi, per malam cogitationem, vel affectum? Respondeo non teneri Vel à facto au-

diendo diebus festis. ob illam apprehensionem confusam & indeterminatam, alioqui fere semper abstinendum esset: quod non fieret sine damno notabili. Neque etiam si determinatè id apprehendat de aliquo lasciuo, qui ex sua malitia lapsurus est: quia talis non est in necessitate præponderante necessitati audiendi sacrum. Secus autem si præuideat aliquem ex infirmitate peccaturum mortaliter; præsertim castum, & bonum, cui magnæ ruinæ occasio esse possit. Quamvis propterea non teneretur sæpius omittere sacrum; quia id nimis graue esset, & cum notabili iactura spiritalis profectus fieret.

Vel à decenti ornatu muliebri. Tertius est, an teneatur mulier non se ornare, ad scandalum vitandum? Respondeo, si ornatus est moderatus, & decens; per se non tenetur ab eo abstinere: quia de se non est malus, neque magis habet rationem scandali actiui, quàm pulchritudo naturalis: & alioqui grauis esset & onerosa hæc obligatio. Secus tamen si ornatus est superfluus, vel de se quasi prouocatiuus ad malum. Et quamvis Nauar. in Summa cap. 23. num. 19. & Caietan. 2. 2. quæst. 169. art. 2. dub. 3. velint tantùm obligari sub veniali; meliùs tamen Syluest. S. Antonin. Suar. & alij affirmant obligari sub mortali, si ornatus est valde lasciuus; putà, si pectora nuda ostententur: quia ex suo genere est occasio grauis ruinæ.

Vel à vitæ, & honorum conseruatione. Quartus est, an quis possit ac debeat pati iacturam vitæ, aut bonorum temporalium, ad vitandum aliorum scandalum: quia nimirum non potest ea conseruare, nisi vtendo cibo scandaloso, vel rixis litigiosis, & medijs scandalosis, licet alioqui non malis? Respondeo posse, ac debere si necessitas honoris fidei id exigat, aut necessitas proximi tanta, vt propter illam, secundùm Regulas Charitatis, vita sit exponenda, vel iactura talium bonorum permittenda. In pari tamen vtilitate, vel necessitate, potest quisque sibi potiùs, quàm alteri consulere.

73. Plura de his videri possunt apud Syluestr. Angel. & alios Summistas, V. *Scandalum*, Valent. quæst. 18. de Charit. p. 4. Suar. disp. 10. Sect. 3. & Ægid. Coninck disp. 32. dub. 6. cum quo addo primò, vt aliquis effectus, ex mea omissione vel actione per accidens & præter meam intentionem secutus, sit mihi voluntarius culpabiliter, necessariò requiri vt tenear eum vitare. Secundò, quò minùs opus meum natum est alios ad peccandum inducere: eò minùs ipsorum peccatum mihi imputandum esse: eòque minùs me teneri illud omittere, ne alij peccent. Tertiò, quò peccatum aliorum futurum leuius est, aut minùs probabiliter futurum, aut cum minori tentatione ex parte mea, maiorique malitia & libertate ex parte ipsorum: eò minùs me obligari ad scandalum vitandum. Quartò, quò magis obligor aliunde ad id, ex quo timetur scandalum, minùs teneor illud vitare: ac si præponderat obligatio, non teneor omnino: imò neque si æquiualeat obligatio, vel vtilitas, aut necessitas: tunc enim liberum erit alterutrum eligere.

Quæ actio vel omissio sit scandalosa, & quatenus?

74. Quæritur quintò, quando sit peccatum scandali vendere, vel dare alteri rem, quà malè est vsurus? vt vestes, quibus abvtetur ad superbiam, aut luxuriam: gladium, quo iniustè alterum occidet: & similia? Respondeo, res quæ dantur, aut venduntur, esse in duplici differentia. Quædam enim sunt ex se, atque ex communi vsu indifferentes ad bonum, vel malum vsum. Aliæ verò solent ad malum vsum peti, & destinari; vt venenum, idola vendita idololatris, & similia. Hoc supposito: Licétne vendere vel dare alteri rem quà malè vtetur?

Licet res indifferentes. Dico primò, non esse illicitum dare, aut vendere res indifferentes, modò dator aut venditor nihil sciat de mala intentione accipientis. Patet, quia neque intendit peccatum alterius, neque moraliter illi cooperatur, quia non facit opus, quod ad illud inducat, aut ex quo per se sequatur? Cúmque ignoret alterum petere ad malum vsum, debet præsumere velle ad bonum: quia non est malè iudicandum de proximo sine causa, & in dubijs debet præsumi esse bonus: neque tenetur quisque inquirere conscientiam accipientis.


Dico secundò, si præsciatur malus vsus, illicitum est vendere, aut dare res, etiam indifferentes, si absque notabili incommodo negari possunt. Ratio est, quia tenetur quisque ex Charitate vitare peccatum proximi, si commodè potest. Hinc illicitè vendo carnes tempore Quadragesimæ, sciens peti ad violandam abstinentiam: aut cœnam suppedito tempore ieiunij illis, quos scio non esse exemptos à lege ieiunij: aut gladium reddo furioso minitanti necem alteri, aut vendo arma proficiscentibus ad bellum iniustum, &c. Quanquam in his non est scrupulosè agendum, si res non liquidò appareat: quia nullus tenetur conscientiam alterius, aut priuilegium examinare. Dixi autem, *si absque notabili incommodo negari possint*: quia alioqui videndum est an malum, quod negando impedirem, tanti momenti sit, vt ad illud vitandum tenear tantum incommodum pati: vel contrà, an sit leuius, quàm vt tenear, illud cum tanto meo incommodo impedire. Nam in secundo casu licitè do, aut vendo, vt incommodum vitem: secus autem in priore. Hinc excusantur famuli, qui diebus ieiunij ministrant Domino cibos prohibitos: vel Dominam deferunt ad locum vbi eam peccare sciunt. Faciunt enim aliquid de se indifferens, quo alius postea malè vtitur, & quod sine damno notabili negare non possunt, vt supponimus: secus enim, peccant grauiter sine dubio. Similique de causa excusantur Christiani remigantes contra Christianos in triremibus Turcarum, adacti verberibus, & metu mortis. Remigatio enim de se indifferens est, quâ possunt alij bene & malè vti: & non tenentur cum tanto incommodo remigandi officium negare, nisi negando possent omnino (quod raro accidit) impedire publicum aliquod graue malum, ne scilicet Christiana classis euertatur, aut vrbs capiatur, vel quid simile. Item, qui dant aut vendunt arma, iniustè vsuris, quia sine periculo vitæ propriæ, vel grauis mali negare non possunt. Nam extrema necessitas videtur eos excusare, & efficere ne illa venditio secundùm moralem æstimationem censeatur hîc & nunc fieri in talem finem, aut esse cooperatio malitiæ

75. Si non præsciatur malus vsus: aut non possint negari sine graui incommodo.

aliorum: sed tantùm esse medium euadendi præsens periculum. Atque in totam hanc doctrinam consentiunt plurimi Theologi, & Casuistæ, quos recensere longum esset.

76. Quid de rebus ad malum vsum peti solitis? Dico tertiò, si res sunt tales vt communiter peti soleant ad malum vsum, ita vt moraliter timeatur semper vsus prauus: non licet eas tradere alteri, nisi hîc & nunc constet cessare periculum praui vsus. Patet, quoniam alioqui cooperamur moraliter peccato alterius. Nisi tamen excuset grauius incommodum, vt diximus in priori conclusione. Nam illa exceptio hîc quoque locum habet. Quare non peccat v. g. qui metu mortis vendit idolum idololatris, quamvis illi petere soleant ad malum vsum: aut agnum Iudæis, tempore sui Paschatis. Nam absolutè possunt his rebus bene & malè vti: putà, idolo, ad ornatum domus, picturæ loco: & agno, ad esum communem: neque tenetur vendens vitare malum illorum vsum cum tanto suo incommodo. Aliquando tamen, quia de fidei honore, & Religione, vel de alia causa, vitæ omnino præferenda, agitur, mors potiùs subeunda est. Quo pacto multi martyres grauissima quæque tormenta subierunt potiùs, quàm vt idola gentilibus sculperent, id omnino illicitum existimantes, non obstante tali periculo.

Cæterùm, in omnibus huiusmodi traditionibus, vt peccatum scandali propriè dictum reperiatur, non sufficit traditionem esse illicitam, & contra Charitatem: sed necessarium est vt actus externus in his circunstantijs, quibus hîc & nunc fit, præbeat de se proximo occasionem ruinæ. Alioqui enim, si actus externus de se indifferens omnino est, & peccatum sequitur tantùm, ex mera alterius malitia: vel operans peccet quidem per intentionem, consentiendo peccato alterius; sed tamen nihil operando exteriùs quod ex se præbeat occasionem peccandi: non est peccatum scandali, quod consistit in actu externo, quo alteri præbetur occasio ruinæ, vt paulò ante diximus; & patet ex eius definitione superiùs traditâ, & expositâ. Et hactenus de vitijs Charitati oppositis. 77.



DISPVTATIO VIGESIMA-PRIMA.

De præceptis Charitatis.

DE præceptis Charitatis in genere disputat S. Thom. q. 44. vbi docet, conuenienter fuisse data præcepta de Charitate: & illa duo esse: vnum de Deo diligendo, alterum de diligendo proximo. Ac Deum quidem ex toto corde diligendum esse, & ex tota anima, totáque fortitudine nostra: quòd perfectè non fit nisi in patria; vbi homo totaliter vnitur Deo: & vbi Deus erit omnia in omnibus. Proximum verò amandum esse sicut nos ipsos, non æqualiter, sed similiter. Neque solùm Charitatem, sed etiam ordinem Charitatis cadere

sub præceptum: quia modus pertinens ad rationem actus virtutis, cadit sub præceptum, quod datur de actu virtutis.

Speciatim verò de præcepto diligendi inimicos agit q. 25. art. 8. & 9. vbi affirmat necessarium esse ex præcepto, vt inimicus, non quà talis, sed vt homo, non excludatur à generali dilectione proximi: simúsque parati ad eum singulariter diligendum si necessitas occurreret: neque secludatur à signis, vel beneficijs dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi: putà cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, vel impendit aliquod beneficium toti communitati. Alia verò, quæ particulariter exhibentur aliquibus personis, non debere ex necessitate præcepti exhiberi inimicis, nisi quantum ad præparationem animi, vt scilicet eis subueniamus in articulo necessitatis.

De præcepto eleemosynæ disserit q. 32. art. 5. & sequentibus, docétque teneri nos dare eleemosynam de superfluis, necessitatem patienti: non autem de necessarijs ad vitam, aut statum personæ: quanquam laudabile est de isto aliquid subtrahere ad subueniendum indigentibus. Esse autem faciendam eleemosynam de suo, non de iniustè acquisito, & alteri restituendo: neque de bonis Domini, nisi fortè in extrema necessitate. Et magis nobis coniunctis prouidendum potiùs esse, quàm alijs, cæteris paribus; nisi vel sanctitas personæ, vel eius conseruandæ vtilitas pro bono publico, maiorque illius necessitas exigat vt isti potiùs succurratur: maximè si altera persona non sit nobis multùm coniuncta, cuius cura specialis nobis non immineat, & si magnam necessitatem non patiatur. Tametsi autem laudabile est abundanter dare, sufficienter indigentiam supplendo: non tamen ita vt indigens abundet ad superfluitatem. Quia melius est pluribus indigentibus moderatè largiri.

Denique de præcepto fraternæ correptionis tractat q. 33. Asseritque 1. duplicem esse correptionem delinquentis. Vnam, quæ adhibet remedium peccato, inquantum est malum quoddam ipsius peccantis: & ista est propriè fraterna correptio, & actus Charitatis: quia eiusdem virtutis est velle bonum amico, & remouere ab eo malum. Altera est, quæ adhibet remedium peccato delinquentis secundùm quod est malum aliorum, & præcipuè in nocumentum communis boni: & talis correctio est actus iustitiæ, cuius est conseruare rectitudinem iustitiæ vnius ad alterum. 2. Correctionem fraternam ordinatam ad fratris emendationem cadere sub præceptum, secundùm quod est necessaria ad istum finem: non autem ita vt quolibet loco, vel tempore, frater delinquens corrigatur. 3. Correctionem, quæ est actus Charitatis, tenditque specialiter ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem, pertinere ad quemlibet habentem Charitatem, siue sit subditus, siue Prælatus. Aliam verò, quæ est actus iustitiæ, per quam intenditur bonum commune, procuraturque non monitione solùm, sed etiam punitione, pertinere ad solos Prælatos. 4. Hanc postremam correctionem non competere subdito respectu Prælati: secus verò alteram, quæ est actus Charitatis: pertinet enim ad vnumquemque respectu cuiuslibet personæ, erga quam debet habere Charitatem, si in ea quippiam corrigibile inueniatur. 5. Cûm peccatum non tollat totum rationis iudi-

cium, potest licitè peccator delinquentem corrigere. Illius tamen peccatum, multiplex affert impedimentum correctioni, inutilémque aut minùs efficacem eam reddit. 6. Correctionem iustitiæ non esse omittendam propter turbationem eius, qui corripitur. Quia si non vult sponte sua corrigi, cogendus est per pœnas, vt peccare desistat: & vnius exemplo alij deterrendi sunt. Secus autem fraternam correptionem, cuius finis est emendatio delinquentis, quæque non habet coactionem, sed simplicem admonitionem. Nam si probabiliter æstimatur peccatorem non vtiliter recepturum admonitionem, sed ad peiora lapsurum, desistendum est ab eiusmodi correptione: quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari secundùm quod exigit ratio finis. 7. Oportere monitionem secretam præcedere publicam delinquentis denuntiationem, quando peccata sunt occulta, & non contra commune bonum. Si autem publica sunt, vel occulta contra bonum commune commissa, non est semper necessarium præcedere secretam monitionem; sed illâ prætermissâ, oportet statim procedere ad denuntiationem: nisi quis firmiter existimaret, quòd statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. 8. Denique affirmat testium inductionem debere præcedere publicam denuntiationem: vt primò paucis indicetur peccatum fratris, qui possint prodesse, & non obesse, & saltem sine multitudinis infamia emendetur; iuxta illud Christi, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.*

SECTIO I.

De præcepto diligendi Deum.

1. *Dilectio Dei est in præcepto naturali.* Quæritur primo an dilectio Dei sit in præcepto? Respondeo esse in præcepto tum naturali, tum positiuo. Prima pars de naturali probatur, quia tale præceptum nihil aliud est, quam voluntas Dei, vt auctoris naturæ, nobis manifestata lumine ipso naturali: siue actus rationis naturalis proponens & denuntians Deum debere amari. Atqui ratio naturalis denunciat & proponit Deum vt summè & infinitè bonum, auctorémque & gubernatorem totius Vniuersi, debere summè, id est, super omnia amari. Ergo, &c. Maior patet ex definitione præcepti naturalis. Minor probatur, quia si ratio naturalis dictat Parentes, Patriam, Magistros, Principes, & Rectores cuiusque communitatis, præsertim verò alioqui de se bonos & amabiles, esse diligendos: quantò magis dictat amandum esse auctorem & Principem totius Vniuersi, summè bonum, & infinitè perfectum? Ideóque Paulus Rom. 1. grauiter arguit, & inexcusabiles vocat Gentiles, qui cùm lumine naturali cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis. Porro hoc præceptum naturale non omnibus fortasse statim innotescit: sed illi qui lumine naturali perueniunt ad notitiam Dei prædictam, facilè intelligunt Deum secundùm illas considerationes esse summè amandum.

Secunda pars de præcepto positiuo, patet ex Deuteron. 6. ver. 5. vbi Deus sic præcipit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod præceptum reperitur Matth. 22. ver. 37. additúrque hoc esse maximum, & primum mandatum. Vnde collige esse præceptum speciale, & distinctum à cæteris, quibus maius & prius esse dicitur: contra nonnullos existimantes nullum esse speciale præceptum diligendi Deum actu interno, qui est verè & propriè dilectio: sed illo similibusque præceptis, solùm nobis præcipi vt impleamus Dei mandata in decalogo contenta. Contra quos adhuc instari potest, quia dilectio Dei habet specialem honestatem, quæ inter omnes virtutes maximè decet naturam rationalem, & maximè ad Dei gloriam spectat. Ergo cùm aliquarum aliarum virtutum actus sint nobis præcepti (vt de actu Fidei, & Religionis omnes fatentur) multò magis nobis erit præceptus actus dilectionis Dei. Confirmatur, quia pater filium valde amans, & summis atque continuis beneficijs afficiens, non tantùm ab ipso exigit vt sua præcepta exteriùs seruet: sed & præcipuè vt ab ipso sincerè ametur interiùs. Et si videret contrarium, id ægrè ferret, meritóque illi vitio verteret. Ergo Deus similiter vult à nobis amari. Ita Ægid. disp. 24. dub. 2. num. 29. 2. *Atque etiam positiuo.*

Porro licet præceptum illud diuinum pro materia & obiecto habeat etiam id quod naturaliter præcipitur, vt ostendemus paulò post: tamen quatenus non per solam rationem naturalem datur, sed aliter extrinsecùs imponitur 3.

per actum Dei pro iure suo supremo id præcipientis, habet rationem præcepti positiui: sine quo præceptum naturale antea fuerat, & esse adhuc posset. Neque objicias, finem præcepti non esse in præcepto, ex communi axiomate. Finis autem præcepti est Charitas, 1. Timoth. 1. Ergo, &c. Respondeo enim axioma illud esse intelligendum de fine extrinseco, qui à materia præcepti distinguitur: secus autem de illo præcepto, cuius materia est actus circa ipsum finem.

Occurritur obiectioni.

4. Quid sit diligere Deum ex toto corde?

Quæritur secundò, quis sit sensus illius præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Deuteron. 6. & Matth. 22. Respondeo particulam, *ex toto corde*, significare non habere cor diuisum ad aliquid, quod dilectioni repugnet; sed verè, & perfectè diligere. Eodem modo, quo Actorum 8. dicebat Philippus Eunucho, *Si credis ex toto corde, licet*. Neque enim id intelligebat de tali actu credendi qui excluderet omnes alios actus credendi alia: sed de actu credendi vero, excludente quidquid repugnat veræ fidei: & de totalitate cordis excludente diuisionem cordis ad aliquid repugnans, qualis est dubietas, aut exceptio alicuius necessarij. Quare similiter ad diligendum ex toto corde non est necessarium diligere summo conamine, quo maius esse non possit: neque ita diligere, vt nihil aliud diligatur nisi propter Deum: sed satis est, si verè diligatur Deus eo modo, quo dictum fuit. Particula verò, *Dominum Deum tuum*, significat Deum esse amandum vt Deum, adeóque super omnia æstimatiuè, id est, secundùm rationem, quà præcellit cæteris omnibus. Reliqua quæ sequuntur, *& ex tota anima tua, &c.* significant voluntatem, quæ nomine cordis antea significata fuit, debere integrè secum trahere rationem, sensum, & vires, ad id quod necessarium est dilectioni. Ita ferè D. Thomas quæst. 44. art. 5. vbi ait nomine cordis intelligendam esse voluntatem, quæ est principium omnium actionum liberarum, sicut cor est principium vitæ. Per mentem significari intellectum: per animam, appetitum inferiorem: per fortitudinem siue virtutem, vim executiuam, siue exteriùs operatiuam. Ita vt sensus præcepti sit, Deum sic amandum esse, vt tota nostra voluntas, siue intentio in Deum feratur & intellectus; & vis appetitiua, vel pars animæ inferior, atque exterior operatio, omni ex parte Deo subjiciantur, & secundùm ipsius voluntatem regulentur, nihilque faciant illi repugnans. Alij tamen aliter exponunt prædictas particulas, vt videre est apud S. Doctorem ibidem. Quin etiam nonnulli idem prædictis omnibus vocibus significari malunt. Quoniam, inquiunt, Scriptura quando fortiter asserere aliquid, aut inculcare vult, solet id varijs verbis idem significantibus repetere: vt 4. Reg. 20. *Morieris tu, & non viues.* Et Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et Psal. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me.* Sic Cornel. à Lapide in locum Deuteron. citatum, Maldonat. in Cap. Matth. 22. ver. 37. Vasq. 1. 2. disp. 194. cap. 3. & Ægid. Coninck suprà num. 33. sed prior expositio textui bene conuenit, & communior est.

Et ex tota anima, & totis viribus.

5. Præcipitur summus amor Dei æstimatiuè, non intensiuè.

Ex quo sequitur primò, præcipi quidem vt Deum summè amemus æstimatiuè, nihil supra ipsum amando, sed ipsum rebus omnibus præferendo, adeo vt parati simus cætera omnia charissima, vitámque ipsam deserere potiùs, quàm ipsius amicitiam violare. Sed non præcipitur vt summè ipsum amemus intensiuè; siue absolutè toto & summo conatu potentiæ, quod difficillimum & moraliter impossibile est, cùm gradus ille summus sit nobis ignotus, & sine summa difficultate attingi nequeat; siue respectiuè, intensiùs scilicet, quàm quidvis aliud; quod perplexum & scrupulosum esset; cùm sæpissime dubitari posset vtrum hoc vel illud intensiùs amemus, quàm Deum amauerimus; vel an Deum amemus intensiùs, quàm quicquam aliud amauerimus: quæ comparatio & reflexio difficilis est, & plena anxietatis. Tantùm ergo præcipitur verus & absolutus amor Dei, excludens quidquid illius amicitiæ repugnat. Qui actus sine certa intensione reperitur in quovis gradu talis dilectionis diuinæ: quippe qui in ipsius natura & specifica ratione consistit.

6. Non præcipitur vt nihil aliud amemus.

Sequitur secundò, non præcipi vt nihil præter Deum amemus; sed tantùm vt nihil amemus eius amori oppositum, quodque cor nostrum diuidat ad aliquid repugnans. Alioqui enim non solùm per alias virtutes, sed etiam per Charitatem possumus aliquid amare præter Deum, quod non propter ipsum ametur. Possumus enim per alias virtutes iustitiæ v.g. & temperantiæ, amare iustum, vt iustum; & temperatum, vt temperatum: quia vt tale, per se honestum & amabile est, etiam sine relatione ad Deum. Charitas quoque præter Deum diligit proximum, & non tantùm propter Deum, sed etiam propter se, vt alibi ostensum fuit, & sequenti Sectione confirmabitur. Denique, si nihil aliud præter Deum ratione sui, amari posset, tollerentur actus aliarum virtutum, quæ non versantur circa Deum, habéntque obiectum diuersum ab obiecto Charitatis. Nec obest quod D. Thomas quæst. 44. art. 4. c. post medium, tradit Deum esse diligendum ex toto corde, quia est diligendus vt finis vltimus ad quem omnia referri debent. Nam hoc non ita intelligendum est, quasi necessarium sit vt in quolibet actu Deus sit finis vltimus, ad quem vnumquodque referatur ex eius dilectione. Id enim falsum est, & aduersatur Tridentino Sess. 14. cap. 4. affirmanti actus attritionis qui non attingunt finem Charitatis, neque sunt ex Charitate, esse bonos. Sed dictum illud D. Thomæ ita intelligendum est, quòd interdum debeamus actu aliquo generali nos & nostra omnia ad Deum referre, velut ad finem vltimum: quódque omnes actus nostri particulares ita subjiciendi sint Deo, vt nihil admittatur eius dilectioni & finis vltimi assequutioni repugnans. Potest quidem actus Charitatis extendi generatim ad omnia, quæ Deo placent, amanda propter Deum: sed non est necesse vt nullo actu ametur quicquam, quod eodem actu non ametur propter Deum. Per hoc enim

Quomodo cætera propter Deum amanda.

tollerentur actus proprij aliarum virtutum, qui certè non debent esse actus Charitatis. Est etiam verum quòd nullus sit actus virtutis qui non possit ad Deum referri per Charitatem, tanquam Deo placens: sed non est necessarium vt in singulis actibus sit relatio ad Deum: exceptâ curâ, quâ semper est prouidendum vt nihil Deo displicens admittatur.

7. Quid cōprehēdat præceptū diligendi Deum? Quæritur tertiò, quænam comprehendantur in præcepto generali dilectionis Dei? Respondeo, & dico primò, comprehendi vt Deus ametur positiuè, & vt non habeatur odio, & vt nihil admittatur, aut omittatur contra ipsius dilectionem. Nam ad dilectionem Dei generatim pertinet non tantùm habere aliquando actum complacentiæ, aut beneuolentiæ erga Deum; aut abstinere ab eius odio, vel maleuolentia: sed etiam, quoties offertur occasio, exhibere Deo id omne, cuius omissio repugnaret dilectioni; & abstinere ab omni eo, cuius commissio dilectioni aduersaretur. Quare hæc omnia in illo præcepto comprehenduntur: quod debet intelligi non solùm de simplici quocumque affectu complacentiæ, aut beneuolentiæ erga Deum vt Deus est; sed etiam de necessario opere cum affectu coniuncto, & de resistentia contra difficultatem, & de perseuerantia sine interruptione per actum repugnantem. Hæc enim ad perfectam obseruationem dilectionis sunt necessaria: sicut per eorum opposita peccatur contra dilectionem.

8. Est quodammodo generale. Hinc sequitur, præceptum diligendi Deum, quamvis in se speciale sit, quatenus habet formaliter propriam suam & peculiarem rationem formalem, esse tamen ex parte materiæ siue obiecti vniuersale, quatenus omnia comprehendit aliquo modo, eiusque ratio formalis & specialis communicatur omnibus. Quidquid enim præcipitur alijs omnibus præceptis, aut prohibetur; præcipitur quoque, aut prohibetur per præceptum diligendi Deum, quatenus eius omissio, aut commissio repugnat dilectioni Dei, estque ipsi mala, id est, displicens & aduersa, atque eo saltem nomine vitanda, si alijs de causis non vitatur. Propter hoc Christus affirmabat Ioannis 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et cap. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Et 1. Ioan. 5. *Hæc est Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Considerandum tamen est, ad vitandum peccatum, & transgressionem aliorum præceptorum, non esse necessarium, vt qui aliquid agit, aut ab aliquo abstinet, id faciat ex motiuo dilectionis Dei. Satis enim est si quomodocumque abstineat ab eo quod prohibitum est: aut faciat id quod præceptum est, ex motiuo Obedientiæ, vel Spei, Religionis, Iustitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Pietatis, vel alio: dummodo nihil aliter necessarium prætermittat, & hic, aut ille affectus non sit præceptus. Quamvis enim ius habeat Deus præcipiendi affectum internum: aliquando tamen solum actum externum exigit; aut eius omissionem. Ideóque vt vitetur transgressio huiusmodi præceptorum, non requiritur determinatè hic aut ille affectus; sed sufficit vt ponatur actus externus qui præcipitur, aut omittatur id quod prohibetur; putà, vt restituatur alienum, subueniatur indigenti, non occidatur, non blasphemetur, non detrahatur famæ alterius. Est tamen necessarium vt si propter aliam rationem nolit quispiam aliquid facere, vel aliquid omittere: saltem propter dilectionem Dei vel omittat quod malum est, vel faciat quod rectum & necessarium est. Dico, *quod rectum & necessarium est*: quia non omne rectum est necessarium & in præcepto, sed quædam sunt consilij tantùm, & supererogationis, quæ possunt licitè omitti.

Dico secundò: cùm Deus possit ac debeat diligi, tum secundùm rationes naturales, tum secundùm supernaturales: itémque actu naturali secundùm entitatem, & actu supernaturali: præceptum quidem naturale diligendi Deum tanquam summè bonum, & tanquam auctorem naturæ, non est de dilectione supernaturali secundùm substantiam suam, neque secundùm rationes supernaturales: etenim huiusmodi dilectio non est naturaliter nota: rationes quoque illæ excedunt limites solius luminis naturalis, in cuius cognitione dictante quid agi debeat, vel omitti, consistit aliquatenus præceptum naturale: positâ tamen reuelatione rationum eiusmodi, & actuum supernaturalium, natura ipsa dictat Deum secundùm illas amandum esse, & quidem actu proportionato quoad fieri potest. Sicut etiam dictat parendum esse superioribus legitimè præcipientibus: quo pacto omnia præcepta positiua, etiam supernaturalia, fundantur in natura, & in radice sunt quodammodo naturalia. At verò positiuum Dei præceptum prædicta omnia comprehendit formaliter & per se. Deus enim vult amari eo amore, quem constituit dare ijs, qui non restiterint ipsius vocationi: & propter quem dat fidem intellectui, & auxilia necessaria, atque habitum ipsum supernaturalem Charitatis voluntati. Neque tantùm rationes supernaturales proponit vt credantur; sed & præcipuè vt amentur, quemadmodum summè amabiles sunt. Deus tamen non obligat nos immediatè & determinatè ad actum supernaturalem in entitate: quippe qui nobis ignotus est distinctè, neque potest à nobis discerni ab actu naturali: & non pendet à nobis immediatè, sed ab eleuatione diuina, & à nobis tantùm mediatè, quatenus possumus facere quod in nobis est ad cooperandum auxilio diuino, quo ad amorem supernaturalem disponimur, & adiuuamur; ita vt per nos non stet quin à Deo eleuemur: & hoc etiam est id quod Deus immediatè præcipit, vt scilicet Deum secundùm rationes nobis notas amemus eo amore, quo possumus cum ipsius auxilio. 9. Quomodo præcipitur Deus amari secundùm rationes naturales, & supernaturales?

SECTIO II.

Quo tempore obliget præceptum diligendi Deum: & vtrum hac in vita possit perfectè impleri?

Qværitur quartò, quo tempore obliget præceptum diligendi Deum? Respondeo, 10.

Negatiuũ pro semper obligat. præceptum illud, quatenus includit aliquid negatiuum de Deo non odiendo, & de nihil admittendo quod ipsius dilectioni repugnet; obligare pro semper, more aliorum omnium præceptorum simpliciter negatiuorum: quia ab actibus simpliciter & absolutè prohibitis semper abstinendum est: quatenus vero positiuum est de eliciendo actu amoris Dei, & faciendo quidquid ipsius dilectioni necessarium est, non obligare pro quovis tempore, sed pro illis tantùm, quibus diligendi aut operandi necessitas incumbit; quæ tempora secundùm prudens iudicium discerni debent, si aliunde non constat eorum determinatio. Hi enim actus positiui non debent continuò & sine interruptione exerceri: neque etiam possunt; cùm propter somnum, & alia multa interrumpi necesse sit. Cúmque tempus illos exercendi non est aliunde præscriptum, & determinatum; secundùm prudens iudicium præscribi & discerni debet: vt de alijs præceptis positiuis dici solet.

Positiuũ quandonã obliget?

11. Dilectio Dei dupliciter est necessaria. Speciatim verò, quod attinet ad præceptum exercendi actum formalem dilectionis Dei, notandum est dupliciter illam necessariam esse posse. Primò per se, ratione suæ honestatis, spectatâ præcisè bonitate illius actus, & obligatione, quam habemus illum eliciendi. Secundò per accidens, aut propter aliud: putà, ob aliquam tentationem vincendam, aut remissionem peccatorum obtinendam, aut aliquod aliud præceptum implendum, cui non possimus satisfacere, nisi eliciamus actum dilectionis. Priori modo nullum est certum tempus dilectioni determinatum; quia Deus non illud præscripsit Deuter. 6. aut Matth. 22. neque aliunde habetur eius determinatio: Sed postquam aliquis adeptus est sufficientem vsum rationis, & notitiam huius præcepti, tenetur ad diligendum Deum sine mora vituperabili; sicut de honore parentibus exhibendo, de visitandis amicis, & de alijs agendis intelligitur ea non debere turpiter & indecenter differri, sed debere agi sine mora vituperabili & reprehensibili, quam homines communiter solent discernere ipso lumine naturali, & cognoscere quando per talem moram peccetur. Neque sufficit semel tantùm diligere non diu post initium vsus rationis, & notitiæ præcepti; sed deinceps totâ vitâ actus dilectionis sine mora vituperabili repetendus est. Quia præcepta, quæ dantur sine determinatione circumstantiæ temporis, sunt humano modo intelligenda. At nullus sibi, vel alij petit amorem alterius, vt semel tantùm ametur, aut rarò: sed vt sæpe & affectu, effectuque ametur. Deus quoque in iustificatione non infundit habitus Fidei, Spei, & Charitatis, vt otiosi maneant, vel ad vnum tantummodo actum: sed potiùs ad vtendum decenter & honestè, secundùm rationem. Posteriori modo nihil aliud est, ad quod simpliciter & absolutè necessarius sit actus dilectionis. Nam tentationes absolutè vinci possunt ex metu gehennæ, & alijs motiuis. Remissio quoque peccatorum haberi potest per attritionem cum Sacramentis, aut per contritionem sine illis, & sine formali dilectione. Alia quoque præcepta omnia impleri possunt ex alio affectu. Fieri

Quando necessaria per se?

Quando per accidens?

tamen potest vt quis existimet se non posse absque dilectione superare fortem aliquam tentationem, aut exequi aliquem actum Heroïcum, vel aliud præceptum implere: aut reipsa non impleat, nisi illam eliciat, & ex Dei saltem amore moueatur ad præcepti executionem. Tuncque ex tali suppositione, actus dilectionis necessarius est, propter huiusmodi necessitates extrinsecas, & hypotheticas. Porro licet ad effectum seruandi alia Dei mandata non sit necessarium simpliciter vt ex affectu dilectionis Dei seruentur; tamen si quis alia seruet ex affectu dilectionis erga Deum, non est aliud tempus necessarium ad diligendum Deum: quia in executione aliorum præceptorum satis frequenter occurrit occasio diligendi: ideóque tunc diligitur sine mora vituperabili.

In eo quod diximus teneri hominem, quando incipit habere sufficientem vsum rationis, & notitiam præcepti, non diu post exercere actum dilectionis erga Deum, ac deinceps eum repetere sine mora vituperabili, consentit Ægid. Coninck disp. 24. dub. 3. num. 50. & 53. alijque plurimi. Addunt verò non pauci à nobis relati loco mox citando, teneri nos etiam per se, elicere actum dilectionis circa articulum mortis: quia tenemur tunc saluti nostræ quàm optimè fieri potest consulere, & contra grauissimum illud certamen nos munire, & omnibus quibus fieri potest modis, Deo nostro perfectissimè nos vnire. Verùm hæc obligatio, si tunc vrget, potiùs est ab extrinseco propter occurrentem extrinsecam necessitatem ex articulo mortis. In quo licet probabile sit teneri quemque exercere actum dilectionis, & contritionis supernaturalis, quamvis non desit copia Confessarij, & Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione adhibitum sit; propter grauissimum negotium, & periculum salutis æternæ, cui meliùs & tutiùs consulitur adhibito vtroque remedio: non est tamen certa hæc obligatio, sed oppositum æquè probabile, aut probabilius est, vt diximus tom. 5. disp. 49. Sect. 9. 12.

Alia quædam tempora determinantur ab alijs. Ac primò, D. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 6. quem Thomistæ communiter sequuntur, affirmat vnumquemque, cùm primùm ad vsum rationis peruenit, teneri hoc præcepto diligendi Deum super omnia, ita vt peccet mortaliter nisi statim id faciat. Quia tenetur tunc primùm ad Deum se conuertere, vt ad vltimum suum finem, ad quem seipsum, suásque omnes actiones dirigat. Hoc autem fit per actum dilectionis Dei super omnia: ergo, &c. Sed hæc opinio satis alibi refutata fuit, communiterque & meritò rejicitur ab alijs Theologis: quia sine fundamento sufficienti grauem inducit obligationem communiter ignoratam ab omnibus, qui ne quidem norunt quando primùm perueniant ad vsum rationis, & priùs ad illum peruenisse debent, quàm sufficienter doceantur hanc obligationem, & modum illi satisfaciendi: neque cùm primùm attingunt vsum rationis, habent satis iudicij ad actum adeo purum & Heroïcum exercendum. 13. Obligétne in primo instãti vsus rationis.

Secundò, Scot. in 3. dist. 27. quæst. vnica, §. *Quantum ad secundum*, Gabriel in 3. dist. 37. quæst.

An singulis diebus Festis? quæst. vnica art. 3. dub. 2. & Almain. ibidem, putant dies Festos esse tempus pro quo obligat præceptum diligendi. Sed falluntur. Quia quæ præcipiuntur seruanda diebus Festis, pertinent ad mandatum Ecclesiæ, quæ non statuit de actibus internis, qualis est dilectio. In Dei autem mandato Deuteron. 6. & Matth. 22. aut alibi vspiam, nulla fit mentio dierum Festorum, nec temporis alicuius determinati.

14. Aliæ obligationes. Tertiò, Dominic. Sotus lib. 1. de natura & gratia, cap. 22. & lib. 2. de iustitia quæst. 3. art. 10. putat præceptum diligendi Deum obligare quando baptismus ab adulto suscipiendus est: & quando martyrium est subeundum, vel aliud opus difficile inchoandum: quando aliquod insigne beneficium à Deo recipimus: quando videmus iniuriam Dei honori fieri, & possumus impedire. Addit Valent. quæst. 19. p. 1. post Nauar. in Summa cap. 11. num. 7. dilectionis actum requiri ex præcepto, quoties contritio est necessaria: quippe quæ debet à dilectione prouenire, & sine illa exerceri nequit. Denique Capreol. in 2. dist. 18. quæst. vnica, art. 3. ad 2. argumentum Scoti contra 4. conclusionem, & Conrad. 1. 2. quæst. 100. art. 10. volunt obligare præceptum Charitatis quandocunque obligat quodvis aliud præceptum: quia nullum aliud potest perfectè impleri sine actu Charitatis.

Fertur de illis iudicium. Sed contra: primò, quamvis hæc ita essent: tamen dilectio non esset necessaria per se in illis casibus, sed ab extrinseca necessitate, & propter aliud. Secundò, ad baptismum adulti sufficit fides, & attritio de peccatis actualibus, cum intentione suscipiendi Sacramentum, & voluntate viuendi Christiano more: sicut militi (quo exemplo vtitur Sotus) sufficit, cùm primùm adscribitur ad militiam, habere propositum pugnandi, & præstandi officium boni militis; quamvis tunc temporis amorem erga Principem non exerceat. Tertiò, ad martyrium probabilius quidem est, sed non certum, requiri actum dilectionis Dei, ita vt vita propter Deum perdatur, vt alibi dicemus. Ad alia verò opera strenua sufficere potest, per se loquendo, oratio feruens, quâ imploretur diuinum auxilium; & actus spei, aliarúmque virtutum. Quartò, post acceptum beneficium sufficit gratias agere: neque etiam statim ad hoc agendum tenemur sub mortali. Quintò, sufficit quoque vt iniuriam Dei impediamus, quantum possumus. Sextò, longè probabilius est contritionem sine formali dilectione exerceri posse, vt ostendemus in tract. de Pœnit. quippe quam non includit essentialiter nec habet necessariam dependentiam, aut connexionem cum illa. Denique actus dilectionis Dei non est ex natura rei necessarius ad seruanda alia præcepta, ne quidem dilectionis proximi, quippe qui potest propter se amari sine actu amoris Dei: aliunde verò nullum est probabile fundamentum huius necessitatis dilectionis Dei in seruandis alijs præceptis, cuius etiam in ipsis nulla mentio fit. Quare temere, & contra rationem id asseritur.

Vide inferiùs Disp. 23. Sect. 3.

15. Possitne hoc præceptum perfectè hac in vita impleri? Quæritur quintò, an præceptum diligendi Deum possit hac in vita perfectè impleri? Ratio dubitandi est, quia præceptum illud latè sumptum, vt suprà diximus, comprehendit alia omnia, quatenus prohibet ne quid fiat, aut omittatur, quod diuinæ voluntati repugnet. Atqui non possumus hac in vita seruare perfectè omnia præcepta, ita vt in nullo peccemus ne quidem venialiter. Deinde, D. Augustinus docet varijs locis hoc præceptum non posse perfectè impleri hac in vita, sed in patria. Quia cum adhuc aliquid est carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus; similia habet S. Bernard. Serm. 50. in Cantica, ad illa verba, *Ordinauit in me Charitatem.*

Ita vt ne quidem peccetur venialiter. Respondeo primò, nunquam peccari verè & propriè contra illud præceptum, quin possit non peccari. Quia, vt patet ex dictis alibi in tract. de Actibus hum. & de Peccatis, culpa non potest reperiri sine libertate, quæ est potestas ad opposita. Secundò, duplicem esse obseruationem mandatorum Dei. Vnam, sine vllo peccato, etiam veniali: Aliam, sine peccato mortali. Ad quarum priorem in hominibus diu viuentibus, sine specialissima Dei ope, est quædam impotentia moralis, propter naturæ corruptæ infirmitatem. Quia licet nunquam propriè peccent venialiter, quin absolutè possint non peccare: tamen non est futurum vt per longum tempus sine illa ope non peccent venialiter, ob frequentes occasiones, & difficultatem resistendi omnibus tentationibus. Ad posteriorem verò maior est potentia: quia plus requiritur deliberationis, & materiæ ad peccandum mortaliter: neque Deus tam facilè patitur vt quis peccet mortaliter, quàm vt peccet venialiter, sed maiorem confert opem ad peccatum mortale vitandum. Vnde quibusdam datur tanta gratia, vt nunquam peccent mortaliter, etiam diu viuendo. At paucissimis datum est, si fortè pluribus datum est, vt diu viuendo nunquam peccarint venialiter in tam frequentibus peccandi occasionibus.

16. Saltem vt non peccetur mortaliter. Dico igitur, mandatum diligendi Deum latè sumptum, posse impleri hac in vita posteriori modo, non tantùm Physicè sed etiam moraliter, quatenus omnia peccata mortalia vitari possunt cum Dei gratia ordinaria, etiam collectiuè: multoque magis singula distributiuè: quo sensu Trident. Sess. 6. can. 18. dicit anathema ijs, qui dixerint præcepta Dei, etiam Iustis, esse obseruatu impossibilia. Et 1. Ioan. 5. ver. 3. *Hæc est Charitas Dei vt mandata eius custodiamus; & mandata eius grauia non sunt.* Et Luc. 10. v. 28. *Hoc fac, & viues:* vbi sermo est de implendo hoc præcepto diligendi Deum ex toto corde, hac in vita, tanquam necessario ad consequendam vitam æternam. Quare Christus apertè supponit hoc præceptum esse possibile, docétque esse necessariò implendum hac in vita, quæ ad vitam æternam via est. Priori autem modo fatendum est exactam illam obseruationem, expertem omnis peccati venialis diuturno, aut toto vitæ tempore, continere moralem quandam impossibilitatem consequentem, & hypotheticam, sine gratia extraordinaria, Beatæ Virgini, & paucissimis fortè alijs concessa. De qua possent Au-

gust. & Bernard. locis citatis intelligi: nisi potiùs loquatur D. August. de concupiscentia etiam inuoluntaria: quæ tamen quia peccatum propriè non est, non est contra vllum mandatum. Referre autem impletionem mandati, quod viatoribus datum est, ad statum futurum in patria, minus congruum est. Nam quod erit in patria, non tam erit executio mandati, quàm merces executionis. Neque opus fuit dare præcepta pro vita patriæ, in qua erunt omnes per beatitudinis essentiam perfecti, sine alio extrinseco regimine: sed solùm pro vita viæ. Per hæc rationibus dubitandi propositis satisfieri facilè potest.

SECTIO III.

De præcepto diligendi proximum.

17. Dilectio proximi est in præcepto nat. & posit. Certum est primò dilectionem proximi esse in præcepto naturali, atque etiam positiuo. De naturali patet, quia ratio naturalis dictat homines eiusdem naturæ communione coniunctos debere inuicem diligere. De positiuo constat ex Matth. 22. ver. 39. vbi recitato priùs mandato diligendi Deum, quod Christus ait esse primum & maximum, subiungit: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Secundò, huius præcepti sensus intelligendus est cum proportione, iuxta ea quæ diximus Sect. 1. de præcepto diligendi Deum: vt nimirum latè sumptum & generaliter tria contineat: Diligere proximum positiuè, Non odisse, &, Nihil facere, aut omittere, quod ipsius dilectioni repugnet, ipsique iure displicere possit. Quæ vltima particula comprehendit omnia officia erga proximum necessaria. Ideóque Christus loco Matth. cit. ait legem vniuersam, & Prophetas, in his duobus mandatis pendere: quia nimirum continent omnia, quæ lex & Prophetæ præscribunt necessaria erga Deum, & proximum.

18. Notandum tamen hæc officia dupliciter posse expeti, aut exhiberi proximo. Nimirum, vel vt spectato aliquo modo in ordine supernaturali: & sic pertinent ad Charitatem supernaturalem, quæ fundatur in coniunctione supernaturali, vt alibi diximus, & continentur sub illius præcepto. Vel vt spectato simpliciter & purè in ordine naturali: & sic pertinent tantùm ad Charitatem siue amicitiam proximi naturalem, & ad illius præceptum naturale, confirmatum à Deo stabiliente totam legem naturalem: siue in eodem loco Matth. supra citato, si de naturali etiam dilectione intelligatur, vt aliqui volunt: siue potiùs alijs locis, in quibus generaliter præcipit vt secundùm rectam rationem viuamus, faciamúsque alijs quidquid nobis fieri rationabiliter volumus. Tobiæ 4. v. 16. Matth. 7. v. 12. & 1. Corinth. 14. v. vlt.

19. Quoad rationes nat. & supernat. amari debet. Sicut autem Deus amandus est non modò secundùm rationes quæ de ipso naturaliter cognoscuntur; sed etiam secundùm supernaturales: Si enim erat glorificandus à Gentilibus vt Dominus gloriæ, & auctor totius Vniuersi, quâ ratione ab ipsis naturaliter cognoscebatur, vt ait Apostolus Rom. 1. erátque amandus secundùm eandem rationem, & alias de Deo naturaliter notas, summo amore dignas: multò magis diligendus est si cognoscatur vt auctor ordinis supernaturalis, & secundùm rationes sublimiores, quæ virtutem luminis naturalis excedunt, & Dei perfectionem multò magis ostendunt. Similiter, si proximus amore dignus est, quia est creatura intellectualis, nobis coniuncta naturæ communione: multò magis quia est particeps diuinæ gratiæ & gloriæ, vel ad illam ordinatur. Et quamvis præceptum naturale rationes istas supernaturales non attingat, sed tantùm naturales: ambæ tamen comprehenduntur præcepto positiuo diuino. Sicut enim Deus non tantùm secundùm ordinem ad finem supernaturalem præcepit vt vnicuique suum tribuatur, & parentes honorentur; sed etiam quia id secundùm rectum ordinem naturalem conueniens & necessarium est: ita præcepit, confirmando stabiliendoque legem naturalem, vt proximus diligeretur secundùm rectam rationem, etiam non considerando supernaturalia. Valdéque mirum esset, si Deus, qui per suam doctrinam confirmauit præcepta naturalia iustitiæ, & modestiæ, aliarúmque virtutum minorum, non pariter stabiliuisset præcepta naturalia Charitatis erga Deum, & proximum, quæ cæteris virtutibus illius ordinis antecellit.

Hinc collige primò, præceptum Charitatis supernaturalis non tam latè patére omnino, quàm præceptum Charitatis simpliciter. Secundò, non modò fidelem, aut cognitorem Dei, & gratiæ eius participem; sed etiam alienum quemcumque, & infidelem, iuuandum esse ab alieno quolibet in necessitate: neque tantùm ad salutem spiritalem, sed etiam ad animalem & corporalem, nulla licet habita ratione capacitatis vel ordinis ad gratiam, & gloriam supernaturalem: id est, non tantùm propter eiusmodi considerationem: verùm etiam propter naturalem, vt se solâ sufficientem. Tertiò, dilectionem supernaturalem, tametsi non debetur ex præcepto merè naturali Charitatis erga proximum, quippe quod non attingit rationes supernaturales: deberi tamen ex præcepto positiuo Dei, qui vult amari proximum ob rationes supernaturales, eo amore, quem ipse dare constituit; vultque etiam vt obicem non ponamus eius auxilijs, sed potiùs cooperemur, & faciamus quod in nobis est, ad amandum amore illo ordinis altioris. 20. Quam latè pateat præceptum charitatis erga proximum?

21. His breuiter præmissis, vt facilioribus, duæ supersunt difficultates hoc loco explicandæ. Vna est, vtrum quando proximus amatur, siue amore naturali, siue supernaturali, debeat necessariò amari propter Deum? Respondeo posse quidem amari propter Deum, sed hunc amorem pertinere ad præceptum diligendi ipsum Deum: posse verò vlteriùs amari propter se, vero amore amicitiæ, & hoc esse quod præcipitur secundo isto præcepto diligendi proximum sicut seipsum. Prima pars responsi probatur, quia diligere aliquid propter Deum, est diligere Deum. Quare dilectio Dei perfecta, & generalis includit illam dilectionem proximi Proximus potest amari propter Deum; & propter se.

quæ propter Deum est, sicut & dilectionem aliorum omnium quæ propter Deum amantur. Secunda verò probatur efficaciter ex ipsis Christi verbis Matth. 22. Nam Christus ibi præcipit vt diligamus proximum sicut nosipsos. Possumus autem nosipsos diligere non tantùm propter Deum, sed etiam aliter, non quidem expresse excludendo Deum, quasi nolimus diligere nos propter ipsum; sed neque includendo. Etenim dum nos amamus per spem, non amamus nos propter Deum: sed Deum potiùs nobis amamus, aliaque bona nostra supernaturalia. Ergo similiter possumus Deum amare proximo, & alia bona ipsius supernaturalia. Confirmatur, quia non est præceptum vt nos tantùm diligamus propter Deum: quasi verò non possimus etiam licitè nos amare vt creaturas intellectuales, & bona nostra, præsertim spiritalia, & supernaturalia; eaque nobis conuenienter procurare. Ergo similiter non est præceptum vt proximum diligamus tantùm propter Deum.

Probatur ex Scriptura.

Confirmatur.

Sed vlteriùs, quòd id secundo illo præcepto non præcipiatur, patet quia Christus loco cit. affirmat duo esse præcepta Charitatis: Vnum, diligendi Deum: alterum diligendi proximum. Quorum illud ait esse primum, & maximum: alterum autem, secundum, & simile huic. Atqui si præceptum esset diligendi proximum tantùm propter Deum, non essent duo præcepta, sed vnum dumtaxat: quia diligere propter Deum, est diligere Deum, vt rectè docet S. Thom. quæst. 27. a. 8. & per se notum est. Neque multiplicantur præcepta Charitatis moraliter iuxta multitudinem eorum quæ materialiter amantur propter Deum: alioqui non duo tantùm, sed innumera forent: tot scilicet, quot ea sunt, quæ velut Deo grata, propter ipsum amari possunt. Adde quòd præceptum diligendi Deum, vt ab altero præcepto distinctum, non esset primum, & maximum, quemadmodum Christus ibidem affirmat. Quia dilectio proximi propter Deum, est perfectior, quàm dilectio Dei tantùm, vt affirmat D. Thomas artic. cit. & nos alibi confirmauimus. Cùm igitur dilectio proximi propter Deum, sit dilectio Dei perfectior: continetur sine dubio sub primo & maximo mandato, tanquam pars illius præcipua. Cúmque præter illud primum & maximum mandatum sit aliud secundum diligendi proximum sicut seipsum; non præcipitur per illud vt diligamus proximum propter Deum: hoc enim iam ad primum pertinet: sed vt eum diligamus alio quoplam modo: nempe ratione suiipsius vt eleuati aut ordinati ad statum supernaturalem; siue, vt amabilis amore amicitiæ in ordine supernaturali: quemadmodum fusiùs probauimus disput. 18. Sect. 1. Atque hæc non indigent efficaciori argumento, quam suprà allato Christi Domini testimonio bene expenso.

22. Tenemur amare proximũ actu interno?

Altera difficultas est, an teneamur aliquando amare proximum actu interno? Respondeo affirmatiuè. Quia diligere proximum est in præcepto. Sed non odisse tantùm, aut non lædere, vel exteriùs tantùm benefacere, non est diligere propriè, quod actum internum voluntatis significat. Ergo, &c. Item tenemur diligere proximum amore simili illi, quo diligimus Deum; iuxta verba Christi, Matth. 22. *Secundum autem simile est huic.* Atqui tenemur diligere Deum aliquando actu interno, quem Deus maximè à nobis exigit, & propter quem infundit habitum Charitatis supernaturalis. Ergo tenemur pariter diligere proximum actu interno, ad quem etiam Charitas supernaturalis extenditur. Tertiò, Christus Ioan. 15. sic præcipit: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ergo sicut nos ipse dilexit non tantùm effectu, sed & affectu Charitatis interno; vult pariter vt nos eodem modo, diligamus inuicem.

Contrarium sentit Ægid Coninck disp. 24. dub. 4. vbi initio supponit nos dupliciter posse ad amorem internum proximi obligari. Primò scilicet præcisè, ex virtute Charitatis: secundò, ex alia particulari virtute, v. g. ex pietate, aut gratitudine. Quo secundo modo concedit obligari nos vt amemus aliquando parentes, & benefactores aliquo actu interno. Quia si illi scirent se à nobis verè interiùs non amari, ægerrimè id ferrent, æstimarentque id cedere in sui contemptum, idque secundùm commune iudicium meritò facerent. Quod verum non esset, si non teneremur eos ita diligere. Paulus quoque Rom. 1. ver. 31. Gentiles reprehendit quòd fuerint sine affectione, id est, sine amore erga parentes, iuxta vim vocis Græcæ ἀστόργους. Quare vitiosum est tali affectu carere. Circa priorem verò modum supponit iterum proximum posse dupliciter amari. Primò, amore distincto ab eo, quo diligimus Deum, & qui habeat veram rationem amicitiæ erga proximum. Secundò, eodem amore, quo diligimus Deum, quique respectu Dei sit amor amicitiæ; respectu verò proximi, amor concupiscentiæ. Idque rursus vel explicitè, vt cùm optamus proximo gratiam & gloriam, quatenus hæc conducunt ad gloriam Dei, & sunt quoddam bonum ipsius Dei. Vel implicitè, vt quando hoc ipso quòd Deum amo super omnia, eique in genere omne bonum opto, & in omnibus placere cupio, implicitè opto proximo salutem æternam, & bona ad ipsam consequendam necessaria, cupióque cùm necesse fuerit, eam illi procurare, quatenus hæc sunt etiam quoddam bonum Dei, eique placent. Et hac ratione omnis vera & efficax dilectio Dei, est etiam vera dilectio proximi. His suppositis concludit teneri nos amare proximum aliquando actu interno, vltimo ex his modis enumeratis, implicito scilicet: Quia nimirum tenemur aliquando diligere Deum actu interno; omnis autem vera dilectio Dei est prædicto modo etiam dilectio proximi: Sed non teneri ipsum diligere alijs modis, spectatâ præcisè virtute Charitatis; sed per accidens tantùm, quatenus id quandoque necessarium est vt aliqua bona ei procuremus, quæ sine explicito ipsius amore interno propter Deum, vel propter ipsum, non procuraremus. Ad quod probandum hæc profert argumenta.

23. Cõtraria sententia.

Primum sumitur ab auctoritate Scripturæ, quæ videtur totam obligationem diligendi proximum ponere in opere externo: Matth. 7.

24. Soluitur primum eius arg. ex Script.

ver. 12. *Omnia ergo quaecumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: haec est enim Lex, & Prophetae:* ac si dicat, Hoc faciendo implebitis totam legem circa dilectionem proximi. Et 1. Ioan. 3. ver. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* Respondeo non bene deduci ex locis citatis, id quod affirmat Ægidius. Nam Matth. 7. per verbum *facitis*, non intelligitur tantùm effectus externus, sed & affectus, & quidquid erga proximum fieri debet, vel omitti, interiùs, & exteriùs. Alioqui non comprehenderet quidquid lex praecipit, aut prohibet circa proximum. Certum enim est legem prohibere odium internum iniustum, & iudicia temeraria, aliaque similia, quamvis interna. Sensus ergo illius praecepti est, vt eo modo nos geramus in omnibus erga proximum, quo modo volumus alios erga nos se gerere, iuxta vulgatum axioma, *Quidquid vis fieri tibi, id tu feceris alteri. Quod non vis fieri tibi, tu ne feceris alteri.* Ioannes verò affirmat solummodo verum amorem non sistere in actu interno, aut in verbo, vel in lingua; sed in opus externum exire quando id necessarium est; iuxta illud Gregorij Magni, *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.*

25. Diluitur secundũ. Secundum Ægidij argumentum est, quia omnia loca Scripturae, & Patrum, quae praecipiunt, aut docent praeceptam esse dilectionem proximi, possunt intelligi de hac implicita dilectione, quatenus mouet efficaciter voluntatem vt proximo, data occasione, externa amoris signa exhibeamus. Respondeo patere ex dictis num. 21. praeceptum dilectionis proximi, de quo loquitur Christus Matth. 22. non posse intelligi de dilectione implicita proximi, propter Deum tantùm dilecti; quia alioqui non esset secundum, nec diuersum à praecepto primo, neque illo inferius & minus. Patet item ex dictis suprà num. 22. diligere, non esse tantummodo externum opus quomodocumque praestare, cùm etiam possit per se loquendo praestari cum odio, & malo affectu interno, & ex mala intentione. Quare cùm praecipitur dilectio proximi, non praecipitur tantùm actus externus, sed & internus, qui est verè ac propriè dilectio.

26. Alia eius argumẽta soluuntur. Argumentatur tertiò Ægid. quia spectando praecisè praeceptum Charitatis, non tenemur aliquem diligere, nisi quatenus id in ipsius bonum aliquo modo cedit: nulla enim videtur ratio, cur alicui teneat amorem, aliudve officium impendere, si id in ipsius bonum nullo modo cedat. Atqui amor merè internus, quamvis cedat in bonum & cultum Dei, qui ipsum nouit; non tamen proximi, qui eum ignorat, nisi ei prodatur ratione actus externi: ergo non aliter teneor amare proximum, nisi quatenus id necessarium est ad exhibendum ei actus externos ipsi debitos. Confirmatur, inquit, quia non teneor amare omnes homines in confuso: quid enim hoc illis prodest? Neque omnes in speciali, quia hoc impossibile est. Neque etiam speciatim aliquos in particulari; quia non est ratio cur hos potiùs, quam illos, nisi fortè ad id obliget ex aliqua alia particulari virtute, vt ex pietate, vel gratitudine, de quibus hîc non agimus. Confirmatur secundò, quia, vt insinuat S. Ioannes suprà citatus, & colligitur ex D. Thoma quaest. 25. art. 8. c. amor proximi nobis solùm praecipitur quatenus est necessarius vt efficiat animum nostrum paratum vt ei in omni necessitate succurramus. At hoc sufficienter fit per amorem ipsius implicitum, quo in Deo amatur; aut per explicitum, quando per accidens, ratione occurrentis necessitatis, exercendus est ad vincendam difficultatem, quae in praestando opere externo occurrit; vt contingit interdum, quando inimicus iuuandus est, aut quid simile; licet id absolutè, imò & communiter, fieri possit ex alio motiuo, sine affectu interno Charitatis erga ipsum, aut erga Deum. Haec Ægidius.

Quibus respondeo primò, amorem internum cedere in bonum proximi, licet ab illo ignoretur, quatenus illi bonum est ab alijs verè amari. Sicut è contrario, odium, & iudicium temerarium, vel sinistra opinio, cedit in ipsius praeiudicium. Adde quòd simili modo probaretur ne quidem parentibus deberi amorem internum ex pietate, aut benefactoribus ex gratitudine, per se loquendo; quod tamen Ægidius affirmat, & probat num. 56. Licet deinde parum cohaerenter loquatur num. 62. si tamen ibi loquitur ex propria sententia. 27. Amor internus cedit in bonum proximi.

Secundò, ad primam confirmationem dico, teneri nos diligere aliquando omnes in confuso, vt naturae communione nobis coniunctos, aut vocationis spe, & adoptione ad gloriam: quemadmodum etiam tenemur pro omnibus orare: specialiùs autem obligamur eos diligere, qui specialiùs nobis coniuncti sunt; & eò magis, quò magis sunt coniuncti; iuxta ea quae alibi diximus de ordine Charitatis. Distinctè verò hunc aut illum amare non tenemur, nisi singulariter nobis deuincti sint, vt sunt Parentes, Superiores, Magistri, & Patres spirituales, vxor, liberi, & similes, qui iudicio ipso naturali discerni facilè possunt, pro quibus etiam tenemur orare specialiter. Alij verò non sunt per se distinctè diligendi ex necessitate, nisi ratione alicuius alterius officij ipsis singulariter exhibendi, & debiti, quod sine dilectione speciali conuenienter praestari non possit: aut nisi sine illo non possit quis ad aliquem (putà quia grauiter ab illo fuit offensus) extendere generalem suam dilectionem. Quos & quomodo amare teneamur?

Ad secundam confirmationem respondeo, Ioannis locum ibi cit. fuisse satis superiùs expositum. D. Thomas autem art. cit. nobiscum potiùs sentit: quia expressè docet dilectionem omnium, ipsorum etiam inimicorum in vniuersali, esse de necessitate Charitatis: Vt scilicet aliquis diligens Deum, & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Addit verò non esse de necessitate Charitatis absolutè vt aliquis in speciali diligat inimicum, quia nec tenetur in speciali & singulariter quoslibet homines diligere, quod 28. D. Thomas nobiscum sentit.

esset impossibile; sed sufficit esse paratum ad hoc, quod ipsum in singulari diligeret si necessitas occurreret. Quod nos etiam fatemur, intellectum, vt debet, de inimicis in communi, vel de illis, circa quos non est necessitas specialis coniunctionis, ad singularem dilectionem obligans, & cui per crimen aliquod præualens derogatum non sit; vt matrimonio per adulterium.

SECTIO IV.

De præcepto diligendi inimicos.

29. Dilectio inimic. est in præcepto naturali. Prima conclusio: Dilectio inimicorum est in præcepto, tum naturali, tum etiam positiuo. Prima pars, de naturali, probatur quia lex naturalis dictat faciendum esse alijs, quod nobis fieri volumus. At nemo est qui non velit, etiam ab ijs quos offendit, amari, & iuuari in necessitatibus: ergo, &c. Confirmatur ex Luc. 6. ver. 31. & sequentibus, vbi Christus ad probandum inimicos esse diligendos, affert illud præceptum naturæ, *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Confirmatur secundò, quia lumen naturale dictat proximos esse diligendos. At inimici sunt etiam proximi, eâdem naturæ communione nobis coniuncti: ergo, &c.

30. Atque etiam positiuo. Secunda pars, de præcepto positiuo, patet ex Luc. 10. ver. 27. & sequentibus, vbi Christus explicans præceptum diligendi proximum sicut seipsum, affert in exemplum, & proximum vocat, Iudæum lapsum in latrones, adiutum à Samaritano: cùm tamen illi essent mutuò inimici, neque coüterentur Iudæi Samaritanis, vt dicitur Ioan. 4. ver. 9. Deinde Christus Matth. 5. ver. 44. sic ait, *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos:* quæ verba non consilium tantùm, sed & præceptum continere, sine cuius obseruatione vita æterna non possit obtineri, probatur ex verbis sequentibus ver. 46. *Si enim diligitis solùm eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt?* Quorum verborum sensus non est, mercede cArituros eos qui diligunt amicos, & fratres; dummodo inimicos quoque diligant provt necessarium est: Nam ille actus bonus est, & dignus mercede vitæ æternæ, modò fiat cum conditionibus ad merendum requisitis: sed sensus est eos qui inimicos non diligunt, non magis vitam æternam adepturos, quàm Ethnicos, & Publicanos: quia nihil obiectiuè plus quàm illi faciunt: iuxta id quod Christus ibidem ait v.20. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum* (& multò magis plusquam Ethnicorum, & Publicanorum) *non intrabitis in regnum cælorum.* Vlteriùs, Exodi 23. Deus per Moisem sic præcipit: *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum, &c.* Ac denique pluribus in locis vtriusque Testamenti Deus stabilit & confirmat totam legem naturalem, quâ dilectionem inimicorum comprehendi paulò antè probauimus, & Tobiæ 4. v. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Matth. 7. v. 12. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* 1. Cor. 14. ver. vltimo, *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.* Rom. 14. ver. 23. *Omne quod non est ex fide* (id est, ex dictamine conscientiæ) *peccatum est:* & alia id genus.

31. Fuit præcepta in omni lege. Ex his patet dilectionem inimicorum fuisse præceptam in omni lege, naturali scilicet, Mosaïca, & Euangelica. In naturali per dictamen naturale, de quo suprà. In Mosaïca, Exod. 23. In Euangelica, Matth. 5. Luc. 10. & alibi. Contra quæ objici potest primò, si illud præceptum esset naturale, posset impleri solis viribus naturalibus. At hoc est falsum. Secundò, natura inclinat ad ea quæ sunt naturaliter præcepta. Sed non inclinat ad inimicos diligendos, quin potiùs ab eo abhorret, vnde motus odij, vel indignationis ad eorum conspectum excitat. Tertiò, in lege Mosaica licebat inimicos odisse; Ergo non erat præceptum eos diligere. Antecedens patet ex Matth. 5. ver. 43. *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quin etiam Deuter. 23. Videtur Deus odium illud præcipere, cùm præcipit populo suo ne permittat in æternum Moabitas, & Ammonitas intrare in Ecclesiam Domini, eò quòd ipsum malè affecissent in egressu ex Ægypto: additque, *Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona omnibus diebus vitæ tuæ:* & Exod. 34. præcipit Iudæis vt nunquam fœdus ineant cum Cananæis, ac Iebusæis, sed illos penitùs exterminent.

Possitne viribus naturæ impleri? Ad primum respondeo, in hoc statu naturæ corruptæ ne præcepta quidem naturalia posse omnia impleri, constanter saltem, & perfectè, sine auxilio gratiæ, sine quo futurum est vt crebrò peccent homines circa illa; tametsi nunquam peccent, quin Physicè possint antecedenter oppositum. Sicut autem reipsa natura potest sine auxilio gratiæ aliqua bona opera exercere, & præcepta aliqua seruare aliquatenus: ita etiam potest inimicos interdum vtcunque diligere. Ad secundum respondeo, naturam secundùm partem rationalem inclinare ad dilectionem inimicorum, propter honestatem illius actus bene intellectam, & conuenientiam cum recta ratione: quæ quia non cognoscitur à parte inferiori, sed tantùm ea quæ sunt ipsi contraria ex parte inimici: hinc est quòd in illos motus naturaliter erumpit. Ad tertium respondeo, dilectionem inimicorum præceptam non repugnare cuicumque eorum odio. Licitè enim, iusta de causa, possumus eos odisse odio inimicitiæ, propter ipsorum peccata; vt ostendimus disp. 20. Sect. 2. Et hoc odium licitum est in lege noua, sicut & in Mosaïca, tametsi nusquam in ea extant expressè verba illa, *Et odio habebis inimicum tuum:* Ideòque multi putant Christum ea retulisse non tanquam ex Scriptura, sed tanquam ex falsa interpretatione Pharisæorum, qui ex eo quod dictum est, Leuit. 19. ver. 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum,* inferebant odio habendum esse inimicum. Videntur tamen quoad sensum aliquò modo contineri in locis Exodi, & Deuteron. Nō repugnat cuicunque odio proximi.

suprà citatis: sicut & alia, quæ Christus eodem capite Matth. commemorat & corrigit, perfectius aliquid addendo, erant sine dubio in veteri lege contenta. Quo supposito, placet inter omnes expositio Salmer. tom. 5. tract. 42. & Maldonati in hunc locum, Deum in lege veteri permisisse, imò etiam præcepisse Iudæis vt populos aliquos, veluti spiritales inimicos, virtutis, & Religionis causâ, perpetuo odio prosequerentur, atque exterminarent penitùs, ob periculum, quod eis imminebat, ne ab illis, si eos secum versari paterentur, inducerentur ad idololatriam, aliáque vitia: quo periculo ab Ecclesia Euangelica per abundantiam gratiæ Christi sublato communiter, Christus tale ac tantum odium sustulit, omnésque diligi, & ad Ecclesiam suam admitti voluit, quippe apud quem non est distinctio Iudæi, & Græci, siue Gentilis; vt dicitur Rom. 10. ver. 12. quique vult ex omnibus gentibus vnum ouile constituere, vt significauit Petro Apostolo, Actorum 10. ver. 11. & sequentibus, iussitque Euangelium omnibus prædicari per vniuersum mundum, Marc. vlt.

32. Quod odium proximi licitum, aut illicitum? Secunda conclusio: Dilectio inimicorum necessaria ex præcepto in his consistit. Primo, vt nullum sine iusta causa, & plus quàm res exigat, odio interno vel externo prosequamur: siue odio abominationis, auersando ipsum: siue inimicitiæ, volendo ei malum ex displicentia personæ. Contra quòd peccant qui leui de causa contra alios concipiunt magnam animi auersionem, aut grauia mala imprecantur & optant. Optare verò mala proportionata, & conuenientia, præsertim ex aliquo fine bono, vt corrigantur, aut ne ampliùs alijs noceant, licitum est, & in Scriptura à sanctis vsitatum: quanquam interdum dicuntur aliqua huiusmodi comminatoriè potiùs, aut Propheticè tantùm, per modum prædictionis: vt ea quæ habentur de Iuda proditore toto fere Psal. 108. Certum est nihilominus posse aliqua optari licitè, etiam ea quæ non possunt à nobis licitè illis inferri; vt mortem temporalem, vel alias pœnas malefactoribus, perniciosis Reipublicæ, vel scandalosis, vt ne ampliùs noceant.

33. Inimici non debent excludi à generali dilectione. Secundò, eadem dilectio necessaria postulat vt inimicus non excludatur à generali affectu interno dilectionis erga omnes homines eiusdem naturæ consortes, & à proposito, seu præparatione animi ad eos iuuandos quando necessarium erit: neque etiam à communibus orationibus, beneficijs, auxilijs, & signis beneuolentiæ, quibus cæteros omnes homines, aut communitatem prosequimur. Ita D. Thomas & interpretes communiter, quæst. 25. art. 9. Probatur, quia Christus Matth. 5. ver. 44. & quatuor sequentibus, docet debere nos, vt simus filij Dei, & æterna mercede non careamus cum Ethnicis & Publicanis, diligere inimicos nostros, quemadmodum Deus amat suos. Deus autem, non excludit eos à communi affectu, quo vult omnes, citra peccatum finale, saluos fieri, & participes esse meritorum Christi: neque etiam à communibus beneficijs, & auxilijs quæ præstat generi humano in ordine gratiæ, vel naturæ: sed Sacramenta, & alia media communia exhibet omnibus vti volentibus: & solem suum oriri facit super bonos, & malos; pluitque super iustos, & iniustos. Vnde collige peccare eum, qui orans pro salute alicuius communitatis, aut dans eleemosynam generatim pauperibus alicuius oppidi, vel vrbis, aut multos in communi cœtu salutans, de industria excipit vel omittit inimicos, sine iusta causa, cuiusmodi esset si hæc omissio vel exceptio prodesset ad corrigendum inimicum, & alioqui non esset periculum scandali; vel si non posset omnibus eleemosyna fieri, vel tale aliud beneficium præstari: Tunc enim, citra scandalum, possent inimici postponi alijs. Nec obest quòd huiusmodi officia possent fortè licitè totaliter omitti: quia licet possent non fieri: debent tamen, si fiant, conuenienter fieri. Sicut, quamvis hæc aut illa oratio posset omitti: si tamen fiat, debet attentè & congruenter fieri.

Tertiò, non tenemur quidem communiter exhibere inimicis actum specialem dilectionis internæ, vel singularia signa externa beneuolentiæ. Tenemur tamen semper ad id esse parati, idque re ipsa facere, quando necessitas & ratio id exigent. Ita Bannes, Caiet. Valent. & alij communiter, cum D. Thoma quæst. 25. art. 9. Ratio primæ partis est, quia non tenemur plus dilectionis internæ, vel externæ exhibere inimicis, quàm alijs. Atqui non tenemur communiter alijs exhibere specialem actum dilectionis internæ, aut singularia signa externa beneuolentiæ: ergo, &c. Maior est clara. Minor verò probatur, quia non tenemur omnibus & singulis hominibus hæc exhibere: hoc enim impossibile est. Non est autem maior ratio cur his potiùs, quàm illis, communiter loquendo, & per se, nisi aliunde intercedat aliqua necessitudo, vel specialis coniunctio, aut obligatio. Hinc collige nos non teneri inimicos alloqui, vel salutare obuios; vel admittere ad familiaritatem, ad conuiuia, ad ludum, & similia; vel ab illis mercari, aut eorum operâ vti: quia hæc omnia sunt signa particularia, quæ non solemus communiter omnibus exhibere. Modò tamen absit periculum mali, aut scandali, offendendo iniustè alium, vel peccandi causam illi præbendo, aut odium iniustum, vel nimis tenax præseferendo. Vt fit cùm aliquis inimicum salutantem eiusdem secum conditionis, aut superioris, non resalutat, vel quando publicè neuter alium salutatione, vel alloquio dignatur, quando occasio id exigit, & inimicitiæ sunt publicæ, indéque alij scandalizantur. 34.

Specialis non illis debetur.

Tenemúrne eos alloqui, salutare, &c.

Secunda pars eiusdem assertionis probatur, quia tenemur inimicos diligere, idque non verbo tantùm, neque linguâ, sed opere & veritate, vt dicitur 1. Ioan. 3. Ergo debemus esse parati ad exercendam specialiter hanc dilectionem, eámque de facto exercere, quando necessitas, vel ratio id exigit, & quando eius omissio cum vera & sincera dilectione stare nequit. Confirmatur ex Luc. 10. ver. 27. & sequentibus, vbi Christus explicans modum diligendi proximum ex præcepto, affert exemplum Samaritani curantis Iudæum vulneratum,

Ad quid debemus erga illos esse parati?

& multa illi signa specialia beneuolentiæ exhibentis in necessitate : additque Christus ver. 37. *Vade, & tu fac similiter.* Erant autem Iudæi, & Samaritani inter se inuicem inimici, vt colligitur ex Ioan. 4. v. 9. & Luc. 9. v. 53.

35. Quibus in casib. debent illis exhiberi signa beneuolentiæ. Hinc sequitur teneri nos exhibere inimicis signa particularia beneuolentiæ in multis casibus. Primus est, quando sine magno suo incommodo potest quis notabile damnum animæ, vel corporis, vel bonorum inimici auertere. Iuxta exemplum, ex Luc. 10. relatum, & illud Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, &c.* Secundus est, quando bonum spiritale proximi per huiusmodi signa promoueri potest, ac debet : vt si eum alloquendo, vel inuitando, & comiter tractando, abstrahere possis à grauibus peccatis, odio, infidelitate, malorum consortio, & similibus, in quibus fortè alioqui morietur. Tunc enim ratione huius necessitatis spiritalis iuuari debet specialiter, æquè, ac multò magis, quam cùm versatur in temporali necessitate, de qua suprà : & vnicuique Deus mandauit de proximo suo in spiritualibus, æquè ac in temporalibus. Tertiò, quando omissio huiusmodi signorum páreret proximo iustam indignationem, aut causam persistendi in odio, vel alijs scandalum præberet, meritóque æstimaretur esse signum odij nimis tenacis, aut iniusti. Peccatum enim alienum, & scandalum, atque iniusta offensio, vitari debent à quolibet, ita vt non sit eorum causa. Hinc peccant communiter illi, qui inimico veniam petenti, & parato satisfacere quoad potest, non remittunt ex animo, idque non aliquo signo externo manifestant; vt colligitur ex Matth. 18. ver. vltimo. Et patet, quia illud est signum odij nimis tenacis, & causa iustæ indignationis ei, cui venia negatur. Dixi, *communiter :* quia interdum aliqui, præcipuè superiores, possunt veniam differre, vt veniam petens magis offensæ suæ grauitatem apprehendat, & hoc illi ad correctionem prosit. Cauendum tamen ne nimis exasperetur, & curandum vt intelligat id non ex puro odio, sed ex fine prædicto fieri. Dixi præterea, *veniam petenti, & parato satisfacere, &c.* Quia alioqui non petit vt debet, neque conuenienter ad obtinendam remissionem. Quare licet magnæ virtutis sit talibus remittere, citra alterius mali periculum, aut præiudicium tertij : non est tamen necessitatis & obligationis præcepti.

36. Quis è duobus se mutuò offendentibus tenetur petere veniam? Quæres, cùm duo se mutuò offenderint, vter primò teneatur veniam petere? Respondeo, si par fuit vtrinque iniuria, teneri eum qui primus intulit. Si impar, & notabiliter grauior, tenetur qui hanc fecit. Quotiescumque autem iniuria grauis est, & læsus omnino exigit satisfactionem : non potest læsor iniustus absolui nisi saltem paratus sit veniam petere, & satisfacere rationabiliter. Censetur tamen læsus remittere ius suum, si amicè salutatus, & familiariter compellatus, vicem reddidit, aut aliâ ratione ostendit se parum aut nihil de satisfactione esse sollicitum. Quare tunc non est cogendus pœnitens ad illam offerendam, aut exhibendam. Item, si satisfactio sit valde dura, vt si venia sit petenda modo infami; non tenetur reus eam offerre, vel exhibere, nisi post sententiam iudicis. Quia nimis durum est tam grauem pœnam sponte exequi in seipsum. Ita post Syluestrum, & alios Summistas, V. *Iniuria*, docet Ægid. Coninck disp. 24. num. 101. & sequentibus.

SECTIO V.

De præcepto Charitatis circa eleemosynam.

37. Eleemosyna est in præcepto. PRima conclusio : Tenemur ex præcepto, tum naturali, tum diuino, succurrere per eleemosynam proximo indigenti. Prima pars de præcepto naturali, patet ex principio legis naturæ, *Quod tibi fieri vis, alteri feceris.* Secunda pars de diuino, constat ex Ecclesiastici 4. ver. 1. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, &c.* & Luc. 11. ver. 41. Christus sic præcipit, *Verumtamen quod superest date eleemosynam.* Et 1. Timoth. 6. v. 17. & 18. *Diuitibus huius sæculi præcipe facilè tribuere, &c.* quod quàm grauiter præceptum sit docet Christus Matth. 25. vbi transgressores damnat morte æterna, *Esuriui enim, & non dedistis, &c.* Vnde collige obligare sub mortali, nisi leuitas materiæ, vel necessitatis excuset. Et 1. Ioan. 3. ver. 17. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo Charitas Dei manet in eo?*

38. Quo tépore obliget. Secunda conclusio : Hoc præceptum non obligat nisi solùm tempore necessitatis proximi. Patet, quia non obligat nisi ratione indigentiæ proximi. Triplex autem distinguitur necessitas. Communis, quæ passim occurrit, & qualis est in pauperibus communibus. Grauis, quando quis ita indiget, vt nisi succurratur, passurus sit graue detrimentum corporis, honoris, aut bonorum fortunæ. Et extrema, quando desunt ea quæ sustentationi vitæ necessaria sunt : adeo vt, nisi succurratur, versetur indigens in euidenti periculo mortis, aut grauissimæ miseriæ, morti ferè æquiualentis: putà ægritudinis valde grauis & perpetuæ, vel horrendi & diuturni carceris. Ad has omnes necessitates extenditur hoc præceptum, sed diuersimodè. Quod vt explicetur, Nota primò, bona ex quibus fieri debet eleemosyna, debere aliquo modo esse superflua tribuenti, hoc est, non necessaria vitæ saltem tuendæ. Nam qui extremè indiget, non tenetur dare alteri : nisi fortè id necessarium esset ad conseruationem Reipublicæ, aut personæ alicuius, à qua pendeat salus publica, quæ propriæ vitæ præferenda est; licet nonnulli, ne tunc quidem teneri putent. Nota secundò, præter superflua vitæ, seu naturæ, sine quibus scilicet potest quis vitam propriam & suorum conseruare; alia esse superflua status, quæ videlicet necessaria non sunt vt quis decenter viuat secundùm suum statum. Et hæc tantùm debent propriè dici superflua. Alia enim quæ sunt status necessaria, non sunt propriè & simpliciter superflua, sed tantùm secundùm quid. In vtris-

Triplex necessitas proximi.

Ex quibus bonis debet fieri?

que verò est quædam latitudo moralis. Neque enim ea quæ naturæ, vel statui necessaria dicuntur, præcisè & in rigore mathematico accipienda sunt. Habenda item est ratio non solùm præsentis necessitatis, sed etiam futuræ probabiliter, omnibus prudenter pensatis, à morbis, à sterilitate, aut bellorum vexatione, à filiorum, aut filiarum collocatione in statu decenti, à spe probabili ascendendi ad altiorem gradum pro meritis, & alijs id genus. Nota tertiò, vt aliquis absolutè teneatur hîc & nunc succurrere pauperi necessitatem patienti, necessarium esse vt probabiliter non sit alius qui possit, & velit. Quia si non deest alius qui possit, & velit: non est necessitas respectu istius, sine quo pauper miseriam euadet ope alterius.

39. Grauiter obligat in extrema necessitate. His præmissis, conueniunt omnes peccare mortaliter eum, qui de superfluis statui non succurrit pauperi existenti in extrema necessitate respectu ipsius, ita vt nisi ipse succurrat, nullus alius probabiliter id facturus sit. Et patet, quia si vnquam hoc præceptum grauiter obligat, maximè in casu prædicto. Non est tamen facilè credendum aliquem esse in extrema necessitate, quamvis id ipse grauiter affirmet, quia testes in propria causa, suspicionis notâ non carent: vel etiam licet Parochus, aut Confessarius id asserat, sed non ex proprio visu & experientia. Nihilominus, si sit ratio sufficiens dubitandi, veritas inquirenda est, ne quis periculo se exponat deserendi proximum in extrema necessitate.

40. Variæ sẽtentiæ de alijs necessitatib. De alijs verò casibus, & necessitatibus, variæ sunt Theologorum sententiæ. Nam Caiet. tomo 2. Opusc. tract. 5. cap. 2. Malderus 2. 2. q. 32. art. 6. dubit. 2. Nauarr. cap. 24. Manual. Suar. disp. 7. Sect. 4. & alij plerique existimant teneri nos succurrere pauperi existenti in extrema necessitate, etiam de necessarijs statui, & quidem cum euersione status, inquit Caiet. quia vita proximi præferenda est nostro statui. Addit Suares, etiam in grauissima necessitate, & non solùm in extrema, teneri nos interdum succurrere de necessarijs aliquo modo ad statum. Contra verò Bannes, Lorca, Turrian. & alij quos citat & sequitur Coninck disp. 27. dub. 8. num. 134. affirmant neminem teneri vnquam personæ priuatæ succurrere ex bonis ita ad conseruationem status necessarijs, vt hic sine illis nullo modo conseruari possit: sed tantùm de illis quæ sine ipsius detrimento possunt ei subtrahi. Deinde Gabriël in 4. dist. 16. quæst. 4. art. 2. conclusione 4. & 5. Ioannes Medina tract. de Eleemos. quæst. 3. Alens. 4. p. quæst. 113. memb. 1. & alij quidam asserunt nos nunquam absolutè obligari dare eleemosynam extra casum extremæ necessitatis proximi, vel probabilis eius periculi. Quia cùm alioqui non sit illi necessaria vt sit absolutè, siue vt viuat, sed tantùm vt meliùs ei sit: Charitas non obligat, saltem grauiter, ad procurandum vt alteri meliùs sit. Alij verò, vt Paludan. in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 2. Dominic. Sot. lib. 5. de Iustitia, quæst. 8. art. 1. Syluest. V. *Eleemosyna*, quæst. 1. & Armilla ibidem num. 3. docent teneri nos, etiam in graui necessitate, succurrere proximo de superfluis statui: non tamen in communibus necessitatibus. Alij denique affirmant succurrendum esse in omnibus. In hac tanta opinionum varietate, quid certum, aut probabilius videatur dicam sequentibus conclusionibus.

Tertia conclusio: Licet valde laudabile sit erogare pauperibus ea quæ statui decenter conseruando sunt omnino necessaria, quando sine aliorum præiudicio id fieri potest: nemo tamen obligatur in necessitate qualibet, etiam extrema, statum suum subuertere vt pauperibus subueniat. Prima pars probatur ex Matth. 19. ver. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Confirmatur exemplo plurimorum Sanctorum, qui consilium illud Christi laudabiliter amplexi sunt. Dixi autem, *quando sine aliorum præiudicio fieri potest:* quia malè faceret Paterfamilias qui sine vxoris & liberorum consensu bona sua omnia pauperibus distribueret. Secunda verò pars probatur, quia valde durum esset obligari cum tanto suo incommodo ad subueniendum corporalibus pauperum necessitatibus. Maximè cùm non teneantur homines ne vitam quidem propriam cum subuersione sui status tueri. Nobilis enim v. g. detentus morbo lethali, non tenetur omnia sua bona profundere in medicos & remedia exquisitissima, vt mortem euadat, & deinde pauperem, miseram, & ignobilem vitam degat. Ratio est, quia licet Physicè vita sit nobilior fortunæ bonis: secundùm moralem tamen æstimationem, vitæ conseruatio ad breue tempus (tandem enim moriendum est) non est præferenda miseriæ quæ incurritur per subuersionem status, & priuationis bonorum, quibus splendor familiæ & posteritatis longiùs prorogatur, & quodammodo æternitas acquiritur. Adde quòd multum Reipublicæ interest vt diuites & nobiles, in quibus eius splendor & robur consistit, statum suum conseruent. Idque melius illi est, quàm vt decidant pro vita pauperum vulgarium conseruanda. Existimo tamen subtrahenda esse quæcumque possunt statui subtrahi sine subuersione, in extrema necessitate proximi. Deinde in hoc etiam locum esse debere exceptionibus, quas sensus communis & prudentia dictabit. Enimvero vltra extremam necessitatem Reipublicæ, vel personæ à qua pendet illius salus (cui communis sententia docet subueniendum esse cum subuersione status proprij, quia bonum commune priuato præferendum est) nemo non existimaret crudelem esse illum, qui parentes v. g. fame mori sineret, vt statum suum conseruaret. Conclusio ergo proposita de pauperibus communibus intelligenda est, citra rationes speciales quæ aliud exigere possunt. 41. Non tenemur facere eleemosynam de necessarijs statui.

Contra quam tamen sic intellectam opponit Suares disp. 7. Sect. 4. num. 3. In ordine Charitatis teneri hominem magis diligere vitam proximi, quàm statum suum. Item, qui extremè indiget habet ius naturale vtendi bonis alterius, etiam necessarijs illi ad statum: & potest illa accipere, neque alter potest prohibere sine iniuria. Ergo tenetur etiam illi dare, & conseruare alteri illud ius, præcipuè habita 42. Cõtraria sententia.

Satisfit eius arg. ratione Charitatis. Respondeo primum antecedens non esse verum. Nam ne vitam quidem propriam diligere magis tenetur, quàm statum suum, vt paulò antè diximus. Is verò qui extremè indiget, habet quidem ius vtendi bonis alterius ad statum non necessarijs: at non illis quæ sine status subuersione non possunt illi subtrahi. Vel etiam habet quidem licentiam iuris vtendi bonis illis, potestque licite ea accipere: sed non propterea est obligatio in Domino ad dandum, vel ad non impediendum ne accipiat. Potest enim impedire, & sibi potiùs consulere, quàm alteri. Licet alter non peccet, sibi etiam consulendo potius, quàm statui proximi. Hinc collige diuites non teneri pro aliquo paupere à morte redimendo magnam pecuniæ summam, vt aliquot aureorum millia, impendere: vel medicos peritissimos è longinquo accersere, & sumptus magnos in exquisitas medicinas facere; sed sufficit vt sine magno suo incommodo, communibus remedijs ei succurrant. Quia quamvis sine status subuersione, aut etiam detrimento vllo, plus præstare possent: melius tamen est ad bonum Reipublicæ vt opes suas conseruent ad illius splendorem, & robur, & ad subueniendum alijs communibus, vel grauibus aliorum necessitatibus, quæ subinde occurrunt. Si enim tantas opes in vnum profunderent; non ita possent plurimos alios iuuare; aut Reipublicæ, cùm opus erit, succurrere. Confirmatur ex vsu communi, quem nemo reprehendit.

43. Grauiter peccat qui de superfluis non dat in graui necessitate. Quarta conclusio: Tenentur homines sub peccato mortali dare eleemosynam ex superfluis statui, non solùm existenti in extrema necessitate, vt fatentur omnes: sed etiam grauem patienti, quando non est omnino probabile, & moraliter certum, alium ei subuenturum. Ita Ricard. Angelus, Bellarm. Vasq. Valentia, & alij quos refert & sequitur Ægid.Con. num.125. & Suar. Sect. 3. num. 5. Probatur quia Matth. 25. damnantur qui non succurrerunt in grauibus necessitatibus. Nuditas enim, vel carentia hospitij, non est extrema necessitas, ex qua mors sequi consueuerit: & tamen damnantur qui in his defuerunt. Quin etiam ibidem de fame & siti, non extremâ tantùm, sed graui etiam, & sæpe occurrente, sine dubio sermo est. Ioannes quoque Epist. 1. cap. 3. negat Charitatem Dei manere in illo, qui viscera sua claudit à fratre necessitatem patiente. At grauis necessitas est vera necessitas, & quidem grauis, id est, de se apta ad grauiter obligandum. Idem etiam docent SS. Patres locis relatis à Bellarm. lib. 3. de bonis operibus, cap.7. & Valent. quæst.9. de Charitate p. 4. Ratio est, quia tenetur quisque ex Charitate subuenire proximo indigenti, quando id potest sine suo incommodo: & eò magis, quò indigentia maior est. Ergo si grauis est necessitas & indigentia, tenetur grauiter. Porro per *superflua statui*, intelligo hîc quæcunque possunt illi subtrahi sine vero ipsius detrimento, licet alioquin includi possint in morali latitudine eorum, quæ vtcunque non superflua censeri possunt. Alioqui enim vix vllus sæcularium teneretur dare eleemosynam grauiter indigenti: quia vix habent omnino superflua familiæ splendori, liberorum, vel hæredum instituendorum conditioni, aut spei altiùs ascendendi ad id, ad quod idonei sunt, aut esse possunt.

Quæ dicantur superflua statui?

44. Respondetur arg. contrarijs. Cæterùm hæc conclusio tam firmis nititur argumentis, vt contraria sententia non videatur in praxi esse probabilis. Pro qua tamen objici potest primò, Apostolum 2. Cor. 8. hortantem fideles vt succurrerent Ierosolymitanis grauiter indigentibus, dicere se non vti præcepto. Ergo signum est eos non fuisse ad id obligatos. Secundò, nemo tenetur se liberare à graui necessitate, sed potest illam pati propter Christum. Ergo multò minùs tenentur alij ipsum liberare. Ad primum respondeo, vel Corinthios Christianos non habuisse superflua; vel habuisse satis pauperum apud se, quibus ea erogarent, vt non tenerentur Ierosolymam mittere. Ad secundum dico, assumptum non esse verum generaliter. Multa enim sunt, quæ quisque debet à se auertere si commodè possit, vt morbum grauem, & perniciosum, membri mutilationem, &c. Deinde nego sequelam: quia plus quisque potestatis habet in seipsum, quàm ego habeam in illum. Vnde licet possit ipse, si velit, non auertere à se miseriam aliquam, quam malit propter Christum pati: non tamen potest à me cogi ad eam subeundam velit nolit, defectu auxilij necessarij.

45. Tenemur dare idem de superfluis necessitatem communem patientibus. Quinta conclusio: Tenentur etiam homines ex huiusmodi superfluis largiri eleemosynam necessitatem communem patientibus, seu pauperibus communibus: non quidem ita vt singulis, & quoties petunt, dare teneantur; quia id esset nimis graue: sed ita vt pro opum magnitudine teneantur subinde aliquas eleemosynas facere, prout Charitas prudens dictabit. Ita Valentia, & Bellarminus locis suprà citatis, Suar. Sect. 3. num. 7. & Ægid. Con. disp. 27. num. 131. Probatur primò ex communi hominum sensu: Diuites enim qui nunquam faciunt eleemosynam in communibus necessitatibus, sunt omnibus exosi, & malè audiunt velut auari, crudeles, & sordidi. Secundò, Scriptura & Patres obligationem faciendi eleemosynam explicantes, loquuntur etiam de communibus & quotidianis necessitatibus: vt videre est locis antea indicatis. Tertiò, si diuites nunquam facerent eleemosynam in communibus necessitatibus, pauperes citò & facilè inciderent in graues & extremas: vnde tum ipsi magnum paterentur incommodum, tùm etiam Respublica, quæ multùm postea grauaretur in illis iuuandis. Adde quòd communis necessitas est vera necessitas. Et quamvis leuis sit, sumpta pro breui tempore; eius tamen tolerantia per longum tempus, est quid graue. Vnde relinquere proximum in tam longa miseria, & nolle vnquam ei succurrere, graue quid est.

46. Quomodo peccat diuites hac in parte? Hinc collige peccare mortaliter diuitem, qui nunquam dat, aut statuit nunquam dare eleemosynam in communibus necessitatibus: nisi fortè graues, aut extremæ satis frequenter occurrerent, aut certus esset alios sufficienter succurrere, quod præsumi non debet. Qui verò habet propositum faciendi eleemosynam, & sæpe facit; quamvis sæpe omittat, & aliqua

etiam in vanos vsus expendat, non est damnandus peccati mortalis, dummodo graues necessitates non prætermittat, licet in communibus interdum deficiat. Quia non est asserendum peccatum mortale, vbi sufficienti ratione non conuincitur. Defectus autem prædictus non conuincit, quia non est tantus. Si enim omnes diuites ita se gerant: neque pauperes, neque Respublica magnum patiuntur incommodum, sed illis fere sufficienter subuenitur. Videntur tamen Sancti Patres grauiter eos damnare, qui omnia superflua non distribuunt pauperibus, vt videre est apud Toletum lib. 8. Instruct. Sacerdot. cap. 35. num. 4. Sed benignè interpretandi sunt iuxta communem Doctorum sententiam.

47. Satisfit obiectioni. In contrarium verò objiciunt Sotus, Palud. & alij suprà relati: Vel tenemur omnibus communibus necessitatibus subuenire; vel aliquibus tantùm. Non primum: quia id impossibile est, cùm innumeræ occurrant: & alioqui peccarent diuites qui superflua retinerent, aut expenderent in ædificandis Ecclesijs, Monasterijs, Collegijs, & alijs publicis operibus, cùm non desint communes pauperum necessitates, in quas expendi possint. Primum etiam dici nequit: quia non est maior ratio cur his potiùs subueniamus, quàm alijs communi necessitate æquè laborantibus. Respondeo non teneri quidem subuenire omnibus: in quo differt necessitas communis à graui, vel extrema, quia cuilibet eam patienti succurrendum est: Et quamvis sæpe non sit maior ratio cur his, potiùs, quàm illis subueniamus in communi necessitate: subueniendum tamen esse his aut illis, pro arbitrio, prout Charitas prudens dictabit. Ita vt sine mora vituperabili eleemosynas faciamus aliquibus, pro facultate opum nostrarum, eo modo, qui si ab alijs seruetur pariter, sufficiet ad subleuandam necessitatem pauperum. Quod tamen non impedit quò minùs possint superflua quædam retineri, vel expendi in opera publica: quia illa quoque sunt communitati necessaria, & interdum communibus pauperum necessitatibus præferenda.

Medici, Aduocati, & Iudices tenentur gratis opē ferre pauperibus. Cæterùm, quæ diximus de eleemosyna, & deinceps dicturi sumus, intelligenda quoque sunt de medicis, respectu pauperum ægrotantium: de Aduocatis, & Iudicibus, respectu pauperum quorum ius opprimitur: & de similibus necessitatibus, respectu eorum qui opem ferre possunt. Item, non tantùm de subuentione per pecunias: sed etiam per vestitum, hospitalitatem, visitationem, & alia opera misericordiæ corporalia.

48. Non sufficit date mutuò pauperi. Sexta conclusio: Quando præceptum eleemosynæ obligat, non sufficit dare mutuò, vel commodatò: interdum tamen licet, & sufficit date mutuò ad subleuandam præsentem necessitatem pauperis. Prima pars est communis, contra Nauar. cap. 17. Manualis num. 61. Couarr. Reg. *Peccatum*, parte 2. §. 1. num. 4. Adrian. Quodlib. 1. art. 2. & Tolet. lib. 8. Summæ qui est de septem peccatis mort. cap. 37. probatur autem, quia eleemosyna non est mutuum, vel commodatum; sed donatio rei. Ergo præceptum dandi eleemosynam, non est præceptum dandi solùm mutuò, vel commodatò; sed donandi. Ergo huic præcepto non satisfacit qui mutuatur tantùm, aut commodat. Confirmatur, quia meritò, communi hominum sensu, auarus haberetur & inhumanus, qui nihil gratis pauperibus daret, etiam in communibus necessitatibus, sed omnes obligaret ad reddendum si possent. Quare sententia prædicta est adeo à ratione aliena, vt in praxi non videatur esse probabilis. Præterquam quòd plus etiam exigunt Scriptura, & Sancti Patres locis antea indicatis, quando præcipiunt, vel affirmant teneri nos dare eleemosynam, & non tantùm succurrere per mutuum, aut commodatum. Frustra verò objiciunt Aduersarij exemplum Tobiæ mutuò dantis Gabelo, Tob. 1. & Ioseph Patriarchæ vendentis frumentum Ægyptijs grauiter aut extremè indigentibus. Etenim Gabelus, & Ægyptij illi non erant simpliciter pauperes, sed diuites aliunde: habebant enim possessiones, licet pecunia vel frumentum deesset tunc temporis. Talibus autem posse dari mutuò, aut vendi, dicemus paulò post. At eorum respectu præceptum eleemosynæ faciendæ non obligat. Frustra quoque objiciunt id sufficere ad tollendam necessitatem, & miseriam proximi, ob quam solam obligat præceptum eleemosynæ: respondeo enim tollendam esse bono & conuenienti (id est, humano) modo: & præceptum ad hoc obligare. At ille modus inhumanus, & barbarus est.

Secunda pars probatur, quia si pauper eget tantùm commodato, vt equo v. g. ad iter faciendum, sufficit commodare. Item, si est quidem pauper hoc loco, vel hoc tempore, sed alibi est diues: vel non est pauper in spe, quia probabiliter sperat absque notabili & extraordinaria difficultate se habiturum vnde soluat: sufficit dare mutuò; præsertim si magna pecuniæ summa danda sit. Si autem non possit absque notabili difficultate, & labore, ac parsimonia maxima: inhumanum est velle ad hoc ipsum obligare. Item, qui labore victum sibi comparare solent, possunt conduci in necessitate, & adigi ad operandum pro necessarijs sibi comparandis, tanquam mercede operis. Nobiles autem, & alios velle ad hoc adigere, contra decentiam status ipsorum, valde inhumanum esset. Item, qui in re, & in spe pauperes sunt; debent gratis accipere in quacunque necessitate, si detur de superfluis: neque licitè possunt obligari ad restituendum, si ditescant; quia id auaritiam, & nimium pecuniæ amorem sapit. Secus autem, si fiat eleemosyna de ijs, quibus valde indiget ad statum is qui eam largitur. Tunc enim ratione indigentiæ, & quantitatis rei (nam si exigua est, non valde eâ indiget) excusaretur ab indecentia in tali conuentione. 49. Nisi pauper egeat tantùm mutuo.

Septima conclusio: Eleemosyna facienda est indigentibus, siue iusti sint, siue peccatores: siue fideles, siue infideles; siue amici, siue inimici. Probatur ex Matth. 5. vbi Christus hortatur vt benefaciendo Deum imitemur, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos: ibidémque 50. Eleemosyna quibus facienda?

præcipit inimicos ipsos diligi, & beneficijs affici. Et ad Galat. 6. iubet Apostolus operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Ratio est, quia illi omnes comprehenduntur nomine proximi, quem vt nos ipsos diligere debemus. Excipiendi tamen sunt primò validi mendicantes, vt vocant; id est, pauperes illi, qui propter fugam laboris & segnitiem, pauperes sunt, nolentes pro ratione conditionis suæ laborare vt sibi prouideant: iuxta illud Thessalonic. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Ratio est, quia illi non sunt in vera necessitate: & eleemosyna verteret in eorum perniciem, fouendo pigritiam, cùm magis expediat fame ad laborem excitari. Cauendum tamen ne pauperes obuij facilè tales credantur, meliúsque est falli in fauorem innocentium. Dixi, nolentes pro ratione suæ conditionis laborare: quia Nobiles ad id non tenentur: & verè sunt in necessitate, quamuis nolint laborare mechanicè, ne de gradu nobilitatis decidant. Similiter Religiosi paupertatem amplexi voluntariè, vt Deo liberiùs seruiant, eiusque laudibus, aut proximorum saluti se impendant, habent iustam causam necessitatis, & cur eis velut indigentibus necessaria subministrari debeant, vt Christi, & Apostolorum & aliorum plurium sanctorum exempla confirmant.

Excipiendi validi mendicantes.

51. Secundò, excipiendi sunt infideles, & peccatores, quorum peccatum, vel infidelitas per eleemosynam foueretur, indéque peccandi occasionem sumerent. Itémque inimici, siue nostri, siue Reipublicæ, qui acceptâ eleemosynâ vtentur vt nobis aut Reipublicæ noceant: quod nocumentum auertere possumus, si eos sine auxilio deseramus: iuxta illud Ecclesiast. 12. ver. 5. & 6. *Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit: nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quæcumque feceris illi.* Excipiendi etiam sunt illi, qui ad moriendum fame damnati essent: quibus licet cibus suppeditari possit licitè ab ijs, qui non sunt ministri & executores iustitiæ: non debent tamen ex necessitate: sed possunt, si velint, negare ex zelo iustitiæ, conformando seipsos iustæ sententiæ iudicis.

Et qui abuterentur eleemosyna ad peccandum.

Quid dãnati ad moriendum fame?

52. In facienda verò eleemosyna quibusdam, cùm omnibus fieri non potest, hic ordo seruandus est, vt qui grauiorem necessitatem patiuntur, præferantur alijs: nempe qui patiuntur extremam, ijs qui grauem: & isti alijs qui communem tantùm: nisi specialis ratio prudenter dictet oppositum, ratione coniunctionis, vel dignitatis personæ valde necessariæ ad commune bonum, aut quid simile. Cæteris verò paribus, coniunctiores præferantur minùs coniunctis, & meliores minùs bonis, iuxta ea quæ diximus alibi de ordine Charitatis. Hinc collige non peccare magistratus, qui pauperes extraneos arcent ab ingressu ciuitatis, quando suis tantùm pauperibus succurrere possunt; aut etiam propter periculum morbi contagiosi: quia non tenentur eos admittere cum præiudicio, aut periculo boni communis. Notandum verò est neminem priuatum teneri inquirere quibus eleemosynam faciat; sed sufficere si præsentibus, aut illis qui ad eius notitiam peruenerint succurrat: vt rectè docet Suares disp. 7. de Charitate Sect. 1. num. 6. post D. Thomam, & plures alios. Nulla enim est ratio tantum onus imponendi diuitibus: & pauperibus potiùs incumbit necessitatem suam manifestare. Videant tamen diuites ne malâ fide ignorantiam affectent, aut occasiones fugiant subueniendi. Dixi præterea, neminem priuatum ad id teneri: quia secus dicendum est de Prælatis, & alijs quibus incumbit cura Reipublicæ: quippe qui debent omnibus inuigilare, & cauere ne aliqui, vt solet, præ nimio pudore necessitatem patiantur sine auxilio. Porrò inter pauperes potest quilibet seipsum computare, si verè pauper est: & si habet ab aliquo bona pauperibus distribuenda, potest sibi ipsi applicare, nisi constet aliam esse intentionem Domini. Qui tamen haberet iniunctam pœnitentiam dandi aliquid pauperibus, non posset dare sibi ipsi: quia hoc in pœnam iniunctum fuit; nullam autem patitur pœnam in dando sibiipsi, seu potiùs retinendo: quare non satisfacit intentioni Confessarij.

Quis ordo seruandus in facienda eleemos.

SECTIO VI.

Plura de modo faciendi eleemosynam.

Octaua conclusio: Eleemosyna facienda est de bonis proprijs: aut de alienis, consentiente Domino tacitè, vel expressè, aut saltem non rationabiliter inuito. Ratio est, quia per eleemosynam transfertur dominium. Ergo vel à Domino, vel ex Domini potestate. Neque sufficit habere dominium; verùm etiam debet esse non impeditum quoad vsum, & liberam administrationem. Quia personæ alijs subditæ, quæ vel dominium non habent, vel non habent administrationem rerum, quarum sunt Domini, non possunt facere eleemosynas sine tacito vel expresso consensu eius qui habet dominium, & administrationem prædictam. Excepta extrema, vel graui necessitate, in qua licet accipere alienum ad dandam eleemosynam, vt dicam paulò post: neque id est propriè furtum; quia non fit Domino rationabiliter inuito, quippe qui deberet ipse dare, & necessitati succurrere. 53.

Eleemosyna facienda est de proprijs.

Hinc sequitur nec seruos, aut mancipia, de bonis Dominorum; nec liberos, de bonis parentum; nec vxores, de bonis communibus, quorum administratio pendet à marito, nec pupillos & minores, de bonis quæ sunt sub potestate tutorum, vel curatorum (idémque dico de prodigis, quibus curator datus fuit) nec Religiosos priuatos, de bonis Religionis, posse facere eleemosynas, exceptis duobus casibus supra dictis: videlicet consensus expressi vel taciti, & grauis aut extremæ necessitatis.

Possunt tamen serui, si habent proprium peculium; & mancipia, quæ similiter proprium peculium habere possunt, saltem cum Domini consensu, licet ius ciuile statuat vt quidquid 54.

Quid possint serui?

acquirunt, Domino acquirant, lege *Id vestimentum, ff. de peculio*; possunt, inquam, hi omnes facere ex illo eleemosynas: atque etiam ex ijs, quæ ad victum illis dantur, si non exigitur ratio de superfluis: & de reliquijs ciborum, & similium rerum, quarum dispensatio est absolutè eorum curæ commissa: nisi constet de contraria Domini voluntate: vt rectè docent S. Thomas, Azorius, Turrian. & alij cum Ægid. Con. disp. 27. dub. 5. num. 46.

Quid filij-familias? Possunt etiam filij-familias facere eleemosynas de bonis, quorum dominium & vsum habent, cuiusmodi est peculium Castrense, id est, in militia, vel intuitu militiæ comparatum: vel quasi Castrense, id est, comparatum ex beneficijs; aut ratione publici officij non Mechanici, v. g. Senatoris, Iudicis, Aduocati; vel professione & exercitio alicuius artis liberalis; vel regia donatione. Secùs autem de peculio Profectitio, vt vocant, id est, de rebus ei à parente, vel parentis intuitu prouenientibus; quarum filius solùm habet vsum ea ratione, quâ ipsi à parente conceditur: & de Aduentitio, id est, de rebus, quæ licet illi aliunde proueniant, quàm ex causis supradictis, eatùmque dominium habeat; vsus tamen fructus pertinet ad parentem. Possunt etiam largiri eleemosynam ex ijs quæ habent à parentibus ad honestam recreationem, vel vt pro libito expendant, vel ad victum, &c. eo modo quo dixi antea de Seruis, & mox dicam de Religiosis.

55. Quid vxores? Vxores similiter possunt facere eleemosynam ex ijs quæ maritus eis concedit vt expendant ad libitum: & ex bonis paraphernalibus, id est, quæ supra dotem attulerunt: & ex his quæ lucrantur suâ industriâ, & suo labore non necessario, modò ius regni non statuat esse communia. Item ex redditibus suæ dotis, atque ex bonis communibus, honestæ sustentationi familiæ non necessarijs, possunt facere eleemosynas mediocres, quales aliæ honestæ fœminæ eiusdem conditionis facere solent. Idque non modò consentiente, verùm etiam repugnante marito. Quia communis consuetudo tribuit illis hoc ius, quo maritus vxorem inuitam priuare nequit. Adde quòd tenetur maritus habere coniugem vt sociam, & non vt seruam: illique dare quæ sufficiant ad honestam sustentationem, in quibus est id, quod debet largiri iuxta morem fœminarum suæ conditionis, quodque si non faceret, malè audiret apud æquales, & notam aliquam honori suo contrariam incurreret. Præterea, quando vir amens est, potest vxor eleemosynas facere prout prudentia dictabit: quia tunc habet familiæ administrationem: & similiter, quando vir diu abest: nisi expresè prohibuerit ne det maiores eleemosynas, quàm ipse dare solear. Addit Nauar. cap. 17. Manual. num. 153. post S. Antonin. posse etiam ob vrgentem necessitatem corporis, vel animæ propriæ, vel mariti, vel familiæ, aliquam eleemosynam facere vt obtineat remedium à Deo, vel aliter malum auertat, exemplo Abigail. 1. Reg. 25. Quod etiam docet Malder. 2. 2. quæst. 32. art. 8. & probabile esse fatetur Ægid. Coninck, disp. citat. nu. 56. licet oppositum probabilius esse velit, ac tutius; cùm libertas vxorum nimis laxari videatur ab auctoribus alterius sententiæ.

De pupillis, minoribus, & prodigis sub curatore constitutis idem censendum est, ac de filijs-familias, de quibus suprà. Possunt verò tutores, & curatores de eorum bonis moderatè largiri, sine notabili ipsorum incommodo; quod fieri expedit cum eorum consensu, si rationis capaces sunt. Possunt quoque ipsi dare moderatas, quales alij probi suæ conditionis facere solent: quia tutores & curatores censentur, imò & tenentur consentire, ob rationem allatam antea pro vxoribus in simili casu. 56. Quid pupilli, & alij habẽtes curatorem? Illi quoque, quorum bona propter aliquod crimen sunt de iure fisco addicta, possunt tamen facere eleemosynas quandiu bona per sententiæ executionem illis non auferuntur; quia eousque retinent eorum dominium & administrationem, quamvis sententia possit retrotrahi vsque ad diem criminis, & irritare donationes omnes factas ab eo tempore: vt diximus in tractatu de legibus. Et illi quorum bona sũt fisco addicta.

De Religiosis denique, certum est Superiores posse facere aliquas eleemosynas, quarum quantitas & modus, nisi ex Constitutionibus, aut consuetudine, vel aliunde præscribatur, eorum prudentiæ committitur. 57. Quid Religiosi? Subditi verò seu priuati, non possunt nisi in casu grauis, vel extremæ necessitatis, vel ex superioris concessione expressa, vel tacita, & præsumpta probabiliter. Quæ præsumptio quando sit sufficiens, ex circunstantijs & consuetudine iudicari debet. Communiter autem censentur posse iter facientes, aut extra monasterium commorantes, propter studia, vel quid aliud, facere aliquas eleemosynas conuenientes suo statui, de viatico, vel rebus alijs dispensationi suæ commissis; quia talis debet præsumi voluntas Superiorum. Possunt etiam eo fine aliquid sibi subtrahere, inquit Nauar. in cap. *Non dicatis, 12. quæst. 1. num.* 40. Ex illis verò quæ in monasterio accipiunt ad victum, & vestitum, &c. non possunt dare sine speciali consensu, quem dare non expedit, ad vitandam speciem proprietatis, & propter bonam Religionis administrationem. Ideóque non debet hic consensus præsumi à Religiosis, sicut potest præsumi à seruis, & mancipijs, aut filijs-familias, vt paulò ante diximus.

58. Possitne fieri eleemosyna de iniustè acquisitis? Nona conclusio: Ex bonis iniustè acquisitis, & obnoxijs restitutioni non potest fieri eleemosyna, nisi in graui, aut extrema necessitate, vel nisi restitutio hoc modo facienda sit, aut sit facultas & voluntas reddendi æquiualens. Ratio primæ partis est, quia huiusmodi bona, sicut iniustè retinentur, ita iniustè alienantur, nisi necessitas excuset, aut aliæ causæ supradictæ. Secunda verò pars probatur, quia necessitas grauis, aut extrema, facit omnia communia, quantum ad vsum. Ideóque non tantùm licet dare iam accepta, verùm etiam accipere aliena, quando desunt propria, vt succurratur pauperi tantam necessitatem patienti. Neque est obnoxius restitutioni qui alienum ita surripuit, aut distribuit, vt succurreret, cùm aliter non posset: quia Dominus ipse tenebatur id dare, & expendere in pauperis necessitatem: vel

vel pauper ipſe poterat accipere. Et quamvis bonum ſit petere potiùs conſenſum Domini, ſi fieri poſſit, vt ait S. Thomas quæſt. 32. art. 7. non peccat tamen contra iuſtitiam, neque tenetur ad reſtitutionem, qui petere omittit. Pauper quoque non tenetur reſtituere quæ ſic illi dantur, ſi propter talem neceſſitatem ea conſumpſit. Secus autem ſi poſt tranſactam neceſſitatem extarent, & qui dedit, nollet, aut non poſſet tantundem vero Domino reſtituere. Quanquam ſi dentur res quæ ſufficienter in eadem ſpecie reſtitui ſolent, vt pecunia; ſufficit quòd dans poſſit, tametſi non velit, reſtituere. Quia non cenſetur dare aliena, ſed propria; cùm habeat aliàs vnde reſtituat. Ita Suar. diſp. 7. de Charitate Sect. 2. num. 9. affirmans eſſe communem ſententiam. Quin etiam, licet impotens ſit vel fiat ad reſtituendum; ſi tamen accipiens bona fide accepit, & conſumpſit, etiam poſt tranſactam neceſſitatem, ignorans ſcilicet eius impotentiam, non tenetur reſtituere, modò non ſit factus ditior ex rei conſumptione: vt contra nonnullos rectè docet Suares loco cit. num. 10. Tertia pars concluſionis poſita eſt propter eos qui cenſent bona, quæ conſtat eſſe aliena, quæque idcirco reſtituenda ſunt, ſed incertum eſt cui debeat fieri reſtitutio, debere in eleemoſynam dari. Quod probant partim ex cap. *Cum tu, de vſuris*; partim etiam quia talis præſumitur eſſe voluntas Domini: & lex Eccleſiaſtica dat pauperibus aliquod ius in eiuſmodi bona. Atque hæc ſententia probabilis quidem eſt: ſed non ſatis efficaciter probata, vt oſtendemus infrà, diſput. 28. Sect. 6. agendo de reſtitutione.

59. Teneatúrne ad reſtitutionem qui non dat eleemoſynã? Decima concluſio: Qui omittit dare eleemoſynam, quando dare tenetur, non obligatur ad reſarcienda damna quæ inde eueniunt indigenti. Ratio eſt, quia obligatio reſtitutionis oritur ex violatione iuſtitiæ, non autem ex violatione Charitatis. Atqui ille qui omittit eleemoſynam facere quando tenetur, non violat Iuſtitiam, ſed Charitatem tantùm, ex qua ſola tenetur dare, vt docet communis ſententia contra Aragon. Petr. Nauar. & alios nonnullos. Quod verum etiam eſt de perſonis Eccleſiaſticis reſpectu bonorum, quorum ſunt Domini: licet enim maius habeant debitum Charitatis, quàm alij; quippe qui debent eſſe Patres pauperum, præcipuè verò Epiſcopi, & alijs exemplo præeſſe, & non habent filios, quibus theſaurizent, debentque eſſe moderatiores in victu, veſtitu, & ornatu familiæ, vt monet Trident. Seſſ. 25. cap. 1. Decreti de Reformat. nihilominus non tenentur ex iuſtitia diſtribuere bona Eccleſiaſtica, quorum ſunt Domini. Secus autem ſi aliqua ſint tantùm illis deſignata vt pauperibus ea diſtribuant: tunc enim tenentur ex iuſtitia, & ſub obligatione reſtituendi. Sunt autem Domini non tantùm bonorum patrimonialium, aut quaſi patrimonialium; ſed etiam eorum quæ ex redditibus ſui Beneficij percipiunt, vt ſignificat Boniſac. VIII. cap. vnico, de Clericis non reſidentibus, & Trident. Seſſ. 22. cap. 5. de Reformat. & Seſſ. 23. cap. 1. de Reformat. Niſi tamen ſint Religioſi voto paupertatis obſtricti. Hi enim, quia ſunt incapaces dominij, non acquirunt dominium fructuum ex Beneficio perceptorum; ſolúmque habent ius conſumendi fructus illos, quantum opus eſt ad ſuam honeſtam ſuſtentationem, & diſpenſandi in pios vſus quæcunque ſuperſunt: adeóque peccant contra iuſtitiam, ſi in vſus profanos expendant: vt docent Theologi communi conſenſu de omnibus Beneficiarijs id genus, Epiſcopo inferioribus: & de Epiſcopis ipſis probabilius eſt; quippe qui non abſoluuntur à voto paupertatis, vt neque à voto caſtitatis.

Dices, ex D. Thoma, 2. 2. quæſt. 118. art. 4. ad 2. Diuitem teneri facere eleemoſynam ex debito legali. Ergo peccat contra iuſtitiam, ſi non facit, & tenetur ad reſtitutionem. Secundò, impediens pauperem ne in extrema neceſſitate capiat bona quibus indiget, peccat mortaliter contra iuſtitiam. Ergo etiam qui non facit eleemoſynam in tali neceſſitate, peccat contra iuſtitiam. Confirmatur, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Qui autem impedit ne bona communia capiantur, peccat contra iuſtitiam: ergo, &c. 60. Soluitur obiectio.

Ad primum reſpondeo, per debitum legale, intelligendum eſſe debitum morale, non iuſtitiæ, ſed honeſtatis & Charitatis. Vel ſi intelligatur debitum iuſtitiæ legalis, dicendum eſt obligationem reſtituendi non oriri ex debito iuſtitiæ legalis, ſed iuſtitiæ commutatiuæ, vt docet communis ſententia: qua de re inferius agetur diſput. 26. & 29. Ad ſecundum reſpondeo, dupliciter poſſe impediri ne capiantur bona. Primò, occultando tantùm, aut ſeruando ſine vi. Et hoc eſt ſolùm contra Charitatem. Secundò, vim faciendo contra conantem accipere. Et hoc cenſetur quidem eſſe contra iuſtitiam: vnde alter poteſt vim vi repellere; ſed plus eſt quàm ſimpliciter negare eleemoſynam, de quo nunc diſputamus. Ad confirmationem dico, omnia in extrema neceſſitate eſſe tantùm communia quoad vſum, ſed proprietatem & dominium manere penes eum, à quo poſſidentur: non peccat autem contra iuſtitiam qui impedit, ſaltem ſine vi, ne capiantur bona quorum habet dominium peculiare. Ita Bonacina tom. 2. tract. 1. qui eſt de legibus, &c. diſp. 3. quæſt. 4. p. 6. num. 29. Vide etiam Leſſium de iuſtitia cap. 12. dub. 12. num. 69.

Vndecima concluſio: Pauper, cui non ſuccurritur, non poteſt alterius bona ipſo inuito ſurripere; quando poteſt illa obtinere cum ipſius conſenſu, petendo ſuppliciter, aut alia ſimili ratione: ſecus verò poteſt in extrema, & in graui neceſſitate: non autem in communi. 61. Poſſitne pauper ſurripere, ſi non datur? Prima pars certa eſt: & patet, quia in eo caſu nulla eſt neceſſitas, vel iuſta ratio ſurripiendi. Neque enim ſufficit pudor aperiendi ſuam neceſſitatem, & petendi eleemoſynam. Nam debet illum pudorem vincere, & ab aliquot ſaltem diuitibus petere, ſi auxilij ſpes probabilis ſit, neque periculum ſit infamiæ, vel maioris mali: nam alioqui iam incidit in grauem neceſſitatem. Secunda pars de extrema neceſſitate, certa etiam eſt & communis Doctorum, vt teſtantur Malder. 2. 2. quæſt. 32. art. 6. dubit. 6. & Ægid. Coninck diſp. 27. dub. 10. num. 159.

Ratio eiusdem est, quia extrema necessitas dat vnicuique licentiam iuris vtendi bonis necessarijs ad sustentationem vitæ, facitque illa esse communia: non quidem ita vt eorum Dominus perdat ius proprietatis; sed quia vnusquisque, non obstante illo iure, habet à Deo naturæ auctore facultatem illis vtendi, quantum sibi ad vitam sustentandam necessarium est, propter quem finem bona illa fuerunt per se primò à Deo data, & cum illo onere ad dominos, siue proprietarios translata iure gentium, & voluntaria hominum institutione, quæ iuri illi naturali derogare non potuit.

62. Tertia pars conclusionis de graui necessitate, est Nauarri cap. 17. Manual. num. 5. Sylvestri & Angeli V. *Furtum*, Malderi. 2. 2. quæst. 32. a. 6. dubit. 6. Lessij, Vasques, & aliorum, quos refert & sequitur Ægid. supra, num. 162. contra Sotum lib. 5. de Iustitia quæst. 3. art. 4. Caiet. 2. 2. quæst. 66. art. 7. Couarr. in Reg. *Peccatum*, parte 2. §. 1. num. 3. & nonnullos alios. Ratio est eadem, quæ suprà: quia scilicet grauis quoque necessitas dat licentiam iuris vtendi bonis necessarijs ad vitæ sustentationem: cùm Deus naturæ auctor res illas per se primò dederit, & omnibus expositas esse voluerit, non solùm ad extremam, sed etiam ad valde grauem necessitatem pellendam. Ex quo etiam fit vt diues in tali necessitate teneatur gratis dare cuicumque in particulari eam patienti, & illius ope grauiter indigenti, vt suprà ostendimus. Eadémque de causa pauper, si postea ditescat, non tenetur ea restituere, quæ consumpsit in tali necessitate, si tunc re & spe pauper fuit. Quia sicut tunc diues obligatur tali pauperi gratis dare: ita si nolit, pauper potest gratis accipere.

Quarta denique pars eiusdem conclusionis de communi necessitate, certa omnino est. Quia cum innumeræ sint huiusmodi necessitates, si liceret propter illas aliena surripere, innumera furta & rapinæ committerentur: & hæc licentia magnam Reipublicæ perturbationem afferret, omniaque latrocinijs impleret. Confirmatur, quia in tali necessitate diuites non tenentur determinatè dare huic aut illi pauperi, sed indifferenter, vt antea explicauimus. Ergo nec illi ius habent accipiendi.

63. *Inualidè accipit qui pauperem se esse simulat.* Duodecima conclusio: Qui paupertatem ementitus, eleemosynam accipit, inualidè accipit, teneturque restituere decepto; nisi sit ratio præsumendi ipsum non curare; vt quando res data exigua est. Prima pars est Nauarri in Summa cap. 17. num. 107. Medinæ Cod. de restitut. quæst. 24. Scoti in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. Basilij Pontij lib. 4. de Matrim. cap. 20. & aliorum; contra nonnullos contrarium affirmantes, eò quòd, inquiunt, dolus qui non versatur circa substantiam actus, sed est tantùm circa motiuum, non irritat actum. Ex. gr. qui consentit in matrimonium cum aliqua, quam putat esse diuitem, cùm non sit; validè tamen consentit. Ergo similiter, qui dat alicui eleemosynam, quia pauperem esse putat; validè dat, licet pauper non sit. Nec obest quòd ille tantùm intendit eleemosynam facere. Quia verè facit eleemosynam dum ei dat, quem prudenter iudicat esse pauperem & misericordiâ dignum.

Sed contra: quia error circa substantiam contractus, donationis, aut venditionis, aut cuiusvis alterius, reddit illum irritum ex natura rei, vt fatentur omnes. Quando autem quispiam titulo eleemosynæ donat aliquid illi, quem putat esse pauperem, ad subleuandam illius miseriam, error circa talem personæ qualitatem pertinet ad substantiam donationis: quia pertinet ad substantiale obiectum eleemosynæ, quæ est subleuatio miseri & indigentis. Quare hæc donatio est irrita, nisi donans intentione superiori deroget errori suo, velitque absolutè donare. Secus autem, si putaret esse Catholicum, cùm sit Hæreticus: vel esse bonum, & amicum, cùm sit malus, aut inimicus. Nam substantia donationis eleemosynæ eò solùm tendit vt subleuetur miseria pauperis; cui accidentarium est quòd sit Catholicus, vel Hæreticus; bonus, aut malus; amicus, aut inimicus.

Secunda pars responsi sequitur ex priori, talem scilicet obligari ad restitutionem eius quod accepit: nisi sit iusta ratio præsumendi donatorem id non curare. Quod addo, quia si donator meritò præsumitur dedisse liberaliter, & non curare, aut nolle vt restituatur, siue ob rei paruitatem, siue ob beneuolentiam, aut liberalitatem, siue etiam propter difficultatem restituendi: debitor non est obligandus ad restitutionem. Et in casu quo obligatur, multi putant restitutionem esse faciendam non ipsi Domino, qui iam hæc bona à se alienauit, & Christo dedit; sed verè pauperibus. At hoc verum non est quando deceptio fuit causa sine qua non dedisset. Quia tunc non intendit alienare, nisi vt istius necessitati succurreret; & alioqui non dedisset, neque isti, neque alteri pauperi. Videri potest Lessius cap. 18. de Iustitia dub. 17. *Teneturne restituere?*

SECTIO VII.

De præcepto Charitatis circa correptionem fraternam.

Correptio triplex est. Prima est iudicialis, quæ fit vt puniatur peccatum, & est actus iustitiæ, atque solius superioris auctoritate fieri potest. Secunda est fraterna, quæ fit præcisè fratris emendandi causâ, siue fiat à pari in parem, siue ab inferiori in superiorem, siue à superiore in inferiorem, quæ specialiùs paterna appellatur, & habet aliquid iudicialis, quatenus cum quadam verborum seueritate fit; quæ aliqua pœna peccati est, inflicta ab habente auctoritatem. Tertia est, quæ fit contra blasphemantes, aut detractores, vt honor Dei, vel proximi læsus, quantum in nobis est reparetur, reprehendendo, & falsa esse ostendendo quæ dicuntur. Hæ duæ postremæ species correptionis ad Charitatem propriè pertinent erga Deum, & proximum, quorum malum auertere conantur, eóque per se, & ex proprio fine intrinseco referuntur. De secunda tamen quæstio tantùm est in præsenti. Sed ex dicendis facilè intelligetur quid de tertia sentiendum sit. De prima verò dicemus inferiùs disp. 33. 64. *Correptio triplex.*

65. Est in præcepto nat. & positiuo.

Quæritur autem primò, vtrum correptio fraterna sit in præcepto? Respondeo esse in præcepto tum naturali, tum positiuo. De naturali patet ex naturali principio, *Quod tibi fieri vis, &c.* Item ex eo, quòd naturali præcepto tenemur subuenire proximo per eleemosynam in necessitate corporali: ergo & in spiritali, quæ momenti maioris est. De positiuo autem patet ex Matth. 18. ver. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, &c.* Et Luc. 17. ver. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Quæ verba imperatiuè prolata præceptum de se significare apta sunt, & eo sensu à Patribus Scripturæque interpretibus, & à Theologis, ac Iuris peritis communiter accipiuntur. Ratio demum est, quia sicut Charitas obligat ad bonum Dei & proximi procurandum: ita quoque ad malum auertendum. Atqui peccatum, præsertim mortale, malum est non solum proximi qui peccauit, verùm etiam Dei, tanquam illi displicens. Ergo, &c.

Quantū obliget?

Hinc collige primò, præceptum hoc esse per se graue, quando agitur de mortali peccato impediendo, quod grauissimum malum est, licet ratione circunstantiarum, eius omissio sit sæpe venialis, vt ex dicendis constabit. De venialibus verò est tantùm leuis obligatio, per se loquendo: quia non magis teneor vitare peccatum leue alienum, quàm meum proprium: & minus est non corripere, quàm consulere. Atqui non est mortale consulere peccatum veniale. Ergo, &c. Per accidens tamen potest esse grauis; vt si quis sæpe peccando venialiter, incurrat periculum peccandi mortaliter, nisi corripiatur: aut si ex crebris venialibus in aliquo genere, laxetur valde disciplina Religiosa; quod graue malum Religionis est, debétque à Superiore, aut à priuatis qui aduertunt, impediri, si possunt.

66. Occurritur obiectioni.

Dices, eos qui peccant, liberè & voluntariè peccare, & non esse propriè in necessitate correptionis nostræ, velut auxilij ad non peccandum. Ergo non est in nobis obligatio, saltem grauis, ad correptionem: quemadmodum non tenemur grauiter subuenire per eleemosynam corporalem ijs, qui sibi prouidere possunt. Respondeo, eos qui peccant ex fragilitate, habere sufficientem necessitatem, ob quam iuuari debeant. Qui verò peccant ex malitia, licet minùs ope nostra indigeant ne peccent, iuuandi tamen sunt, tum vt ab illo pessimo animi morbo, & veluti phrenesi spiritali liberentur, quamvis in illam voluntariè incidant; sicut qui seipsum voluntariè & liberè occidere vult, impediendus est: tum etiam auertatur grauis Dei iniuria, quæ maior est in peccatis ex pura malitia.

67. Materia huius præcepti.

Collige secundò, materiam huius præcepti esse peccatum commissum, vt proximus in illo diutius non hæreat, aut in similia non relabatur: quemadmodum liquet ex his Christi verbis, *Si te audierit lucratus eris fratrem tuum.* Ratio est, quia proximus vtroque modo censetur esse in necessitate, & miseria spirituali laborat. Deinde, eâdem Charitate tenemur subleuare proximum iam lapsum, quâ tenemur cauere ne cadat. Sicut ergo tenemur cauere ne cadat: ita tenemur lapsum subleuare, eúmque à statu peccati per correptionem eruere. Ita Bonacina tom. 2. tract. 1. qui est de legibus, &c. disput. 3. Punct. 7. num. 4. & Bannes 2. 2. q. 33. art. 2. dub. 2. ad 4. contra Reginaldum, Abul. & alios, quorum opinio vniuersaliter sumpta, & sine exceptione, est planè improbabilis: quis enim neget me teneri monere vt resipiscat & pœniteat, eum quem video, licet sine noua culpa, propter inaduertentiam, moriturum in peccato mortali, nisi corripiatur?

Collige tertiò, non tantùm Christianos, sed & Infideles, & quoscumque homines idoneos, obligari hoc præcepto. Nimirum quia est præceptum naturale: præcepta autem naturalia omnes obligant. Item, *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, Ecclesiast. 17. ver. 11. Denique omnes tenentur amare Deum, & proximum; & consequenter impedire, quantùm possunt, malum Dei, & proximi, cuiusmodi est peccatum, præsertim mortale. Grauiùs tamen obligantur Prælati, & Superiores, qui non solùm ex Charitate, verùm etiam ex iustitia, ratione officij, tenentur subditos corripere. Debéntque non solùm corrigere peccata, quæ casu aliquo vident à subditis fieri, aut ab ijs facta cognoscunt: sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant si quæ in illis fortè corrigenda sunt: in quo differunt ab alijs, qui non tenentur inquirere in vitam proximi. 68. Quinam obligantur hoc præcepto?

Collige quartò, non tantùm esse corrigendos subditos, vel æquales, sed etiam Superiores, quando id conuenienter, & cum fructu fieri potest: vt patet exemplo Pauli Petrum corripientis, ad Galat. 2. ver. 14. Ratio est, quia sicut tenemur subuenire Prælatis in necessitate corporali constitutis: ita & multò magis in spiritali. Ad actum enim correptionis non requiritur iurisdictio, alioqui neque in æqualem exerceri posset: sed fundatur dumtaxat in coniunctione Charitatis, quæ cæteris paribus debet esse maior erga Superiores. Adde quòd peccata Prælatorum sunt Dei offensæ, quas tenemur impedire, si possumus: & sæpe ipsi magis indigent correptione, quia in maioribus periculis versantur, & pauciores habent, à quibus, sincerè admoneantur. Habenda tamen est ratio modestiæ, & reuerentiæ ipsis debitæ, admonendo potiùs humiliter, quàm reprehendendo: idque solùm intendunt Sancti Patres, quando huiusmodi correptionem subditorum erga Prælatos videntur reprehendere. Porro non tantùm corripiendi sunt qui peccant ex malitia, vel ex infirmitate: sed & illi qui peccant ex ignorantia, etiam inuincibili, si speretur fructus: quia illa est quædam proximi miseria, quæ per misericordiam subleuari potest, & debet. Nec obest quòd proximus excusetur à peccato propter ignorantiam inuincibilem. Nam ipsa ignorantia in rebus necessarijs ad honestè viuendum, est per se magnum malum; maximéque si sit de medijs necessarijs, aut multùm vtilibus ad salutem. Adde quòd ex tali ignorantia interdum incurritur notabile damnum in bonis animæ, vel corporis, aut in vita, vel honore. Præcipue verò incumbit hæc obligatio Superioribus, & ijs qui habent munus alios do- 69. Quinam corripiēdi? Corripiēdi etiam illi qui peccant ex ignorantia.

cendi. Fructus autem correptionis non respectu priuati tantùm qui corripitur, spectandus est: sed & respectu aliorum. Vnde licet non speretur emendatio eius qui corripitur: si tamen bonum commune id postulet, corripiendus est. Iudicium verò de spe fructus priuati, vel publici, pensaris omnibus est prudenter ferendum. Sine illo tamen non obligamur ad correptionem: quia non obligamur ad opus inutile: multóque minùs ad perniciosum, si correptio non profutura, sed nocitura est.

70. Præceptū hoc non obligat, nisi sit certa notitia peccati.

Quæritur secundò, quando, & cum quibus circunstantijs obliget hoc præceptum? Respondeo quinque conditiones requiri. Prima est, cognitio saltem moraliter certa peccati. Ratio est, quia alioquin exponimus proximum periculo iracundiam concipiendi, & existimandi nos esse calumniatores, aut nimis suspicaces, vel leuiter credulos. Aliquando tamen sine tanta notitia correptio fieri debet ad vitandum maius malum: vt si immineat periculum ruinæ proximi, quod aliter vitari non possit, meritóque sit præferendum indignationi, aut suspicioni fratris, quæ non intenditur, sed permittitur ex bono fine.

Et necessitas correptionis nostræ.

Secunda conditio est, necessitas meæ correptionis, ita vt proximus illâ omnino egeat, & sine illa credatur nunquam emendandus; aut nimis diu in peccato hæsurus; aut in idem, aliâ eius oblatâ occasione lapsurus. Si enim probabile sit ipsum per se, vel per alios, qui ex officio vel aliter correpturi sunt, emendatum iri: non obligor: quia non est in necessitate respectu mei. Sicut non teneor dare eleemosynam pauperi, cui alium subuenturum esse prudenter existimo. Si tamen alius, quamvis magis idoneus, aut debens ex officio, nolit: ego teneor corripere: quia proximus meâ indiget operâ, estque in miseria & necessitate spiritali.

71. Et opportunitas.

Tertia conditio est, opportunitas loci, & temporis, quæ prudenter captanda est, vt cum fructu, & sine incommodo correptio fiat. Vnde non expedit communiter corripere peccantem, dum adhuc passio feruet, aut publicè & coram alijs: sed priuatim, cùm dispositus erit. Meliúsque est differre; quamvis etiam tunc emendatio, & fructus speraretur.

Et non immineat graue periculum corripienti.

Quarta conditio est, vt possim corripere sine meo graui periculo vitæ, honoris, aut fortunarum: nisi peccans sit in extrema necessitate. Ratio est, quia non teneor cum tanto meo incommodo salutem proximi procurare extra casum extremæ necessitatis, vt si proximus sit moriturus in peccato mortali, nisi admoneatur. Hoc tamen intellige de ijs, qui tantùm obligantur ex Charitate, cuius præceptum non obligat cum tanto incommodo. Secus autem qui ex officio, & ex iustitia tenentur admonere. Hi enim strictiùs obligantur: & non solùm quando proximus in extrema, verùm etiam quando in graui necessitate existit, tenentur corripere, non obstante tali periculo: vt bene docent Aragon. quæst. 33. art. 2. Bannes ibidem art. 3. dub. 4. Valent. quæst. 10. Puncto 3. Ægid. Coninck disp. 28. dub. 6. num. 125. qui rectè addit interdum quoque obligare Charitatem ad postponenda pericula grauis mali, in graui proximi necessitate: vt si quis videat fore vt nisi se opponat, grassetur hæresis, aut magnum aliquod malum publicum incurratur, quod malo priuato præualere debet. Loquimur præterea de malo, quod non sit culpa. Certum enim est neminem non modo teneri, sed neque posse consulere proximo cum proprio damno spiritali culpabili, licet de bono totius communitatis agatur: iuxta illud Matth. 16. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, &c.* & iuxta vulgatum axioma, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona,* sumptum ex Apostolo Rom. 3. ver. 8.

Quinta conditio est, vt sit probabilis spes fructus, siue emendationis proximi. Ratio est, quia alioqui correptio est inutilis; & corripiens similis est medico danti amaram medicinam, quam scit non profuturam. Vnde patet à fortiori, multò minùs faciendam esse, quando præuidetur fore perniciosa: sicut medicus debet abstinere à medicina, quam propter ægroti dispositionem videt mortem allaturam esse. Sed quid si res dubia sit, & vtrinque æquè fere probabilis? Respondeo cum distinctione. Vel enim solùm dubitatur an correptio sit profutura: vel etiam an sit nocitura, & allatura damnum spiritale. Si primum: adhibenda est: sicut medicus debet vti medicina quæ non potest nocere, & dubium est an possit prodesse. Si secundum: non est adhibenda: sicut medicus non potest prudenter vti amara medicina, de qua æquè dubium est an proderit, vel oberit. 72. Et sit probabilis spes fructus. Quid si est dubia?

73. Exceptiones à data regula generali.

Excipe tamen primò casum extremæ necessitatis, mortis instantis, & damnationis imminentis: quia tunc extrema omnia tentanda sunt: sicut medicus, ægroto desperato, potest vti medicina periculosa, si spes aliqua est fore vt prosit. Ita docet Ægid. supra, num. 94. post Adrianum, Bannem & plures alios. Excipe secundò casum, in quo magis est profutura, quàm nocitura: vt si initio iram quidem, & commotionem, aut blasphemiam excitatura est, sed postea grauioris peccati emendationem consequetur. Ratio est, quia minus malum permittendum est, vt maius vitetur, quando aliter fieri nequit. Modò tamen inde non immineat periculum graue innocenti: vt si correptio mea esset occasio occidendi tertium. Tunc enim non teneor corripere cum periculo vitæ proximi: sicut non teneor cum vitæ propriæ periculo, vt paulò ante dixi. Excipe tertiò correptionem peccati vergentis in damnum commune, vel in detrimentum innocentis. Quando nimirum correptio necessaria est vt vitetur malum publicum, aut priuatum, maioris considerationis, quàm ruina voluntaria proximi corripiendi. Tunc enim ruina delinquentis ipsius malitiæ adscribenda est: neque debet præferri damno innocentis, qui propter illius culpam periturus, aut passurus est. Quare publicè blasphemans, aut hæresim seminans, aut falsò detrahens proximo, aut alios scandalizans, debet reprehendi, licet credatur peior inde futurus. Et si malum molitur Reipublicæ, vel priuatis innocentibus; debent illi moneri, si fieri potest sine notabili incommodo. Multóque magis correptio paterna, & iudicialis fieri potest ac debet ob bonum publicum: quamvis nulla speretur emendatio delinquentis. Doctores quoque, &

Concionatores, qui bonum publicum spectare debent, possunt & debent vitia carpere, ac veritatem docere; quamvis id aliquibus nociturum præuideatur.

74. Sexta conditio addi posset, vt qui corripit, sit prudens & idoneus ad hoc munus: sed hæc conditio in secunda, & in quinta comprehenditur.

Tenetúrne qui non est idoneus se talem reddere? Tenetur, si est Superior.

Dubitatur verò, an qui non est idoneus, teneatur se idoneum reddere. Respondeo, & dico primò, Superiorem, cui ex officio id incumbit, teneri vel officium deponere, vel se idoneum reddere. Ratio est, quia tenetur quisque se aptum reddere ad ea, ad quæ ex officio obligatur, nisi illud deponat. Dico secundò, priuatos satisfacere suo muneri communiter, si concurrentibus conditionibus suprà positis proximum corripiant: neque vt ad id magis idonei, sint tenentur studere, vel rationem viuendi mutare, ac ne quidem vitam suam emendare, nisi malo suo exemplo alios ad peccandum pertrahant, aut causa sint vt in peccatis hæreant. Probatur, quia alioqui tenerentur omnes studere, aut fieri Ecclesiastici, vt essent magis idonei ad corripiendum. Neque desunt communiter qui suppleant aliorum defectum, siue in aptitudine, & capacitate, siue in vitæ probitate: quorum exemplo, & admonitionibus, ac præsertim Concionatorum, si non corripiatur proximus, vix probabilis spes est vt aliorum correptione, vel emendatione vitæ proficiat. Vnde collige priuatos non ita peccare, præsertim mortaliter, omissione correptionis fraternæ, quando ex aliquo timore humano eam omittunt: quia facilè sibi persuadent, & quidem sæpe cum aliqua probabilitate, se parum esse idoneos, vel se nihil profecturos, aut proximum sine sua opera emendandum: vt rectè ait Ægid. Coninck disp.28. num.127. post D.Thom. quæst. 33. art.2. ad 3. & Nauar. cap.24. Manual. num.12. Speciatim autem scrupulosi in hac materia debent à correptione abstinere: quia verè idonei non sunt, & importunissimi essent, ac sæpissime causa maioris mali, si suum iudiciũ sequerentur.

75. *Quo in casu teneatur etiam priuatus?*

Dixi, *communiter, & nisi malo suo exemplo, &c.* quia si quando contingeret ob extremam inopiam, alicuius laici v.g. studium, aut mutationem status necessariam esse, ad alios ab hæresi, vel à vitijs auocandos, quippe qui carent pastore, & omni auxilio, & ipse poterit illis prodesse si curam illam suscipiat; teneretur suscipere, si posset; & statum mutare, si alius modus succurrendi non suppeteret. Sed hoc rarissimum est. Item, si quis malo suo exemplo alios ad peccandum pertrahit, aut in peccatis retinet, vt in regibus & magnatibus contingit, ad quorum exemplum alij se componere solent, tenetur scandalum tollere, & propter hoc vitam suam saltem exteriùs emendare, ne alijs noceat.

SECTIO VIII.

De ordine seruando in correptione fraterna.

76. *Ordo præscriptus à Christo est seruãdus.*

Quæritur tertiò, vtrum ordo à Christo Matth. 18. præscriptus in fraterna correptione sit necessariò seruandus: ita vt peccans primò quidem priuatim & secretò corripiendus sit. Deinde si non resipiscat, adhibendi sint vnus, aut duo testes. Tertiò, si neque eos audierit, dicatur Ecclesiæ, id est, Superiori, seu Prælato Ecclesiastico. Quartò, si neque Ecclesiam audierit, habeatur tanquam Ethnicus & publicanus. Respondeo affirmatiuè, per se loquendo, ac nisi occurrant circumstantiæ, in quibus recta ratio dictet licere, vel expedire mutare hunc ordinem. Ita Theologi communiter cum D.Thom. quæst. 33. art. 7. & 8. contra Bernardum de Areualo in libello de fraterna correptione. Idem quoque affirmant Sancti Patres prædicta Christi verba exponentes, speciatimque D.Augustinus Serm. 16. de Verbis Domini. Et denique idem apertè supponit, aut docet Ius Canonicum cap. *Nouit, de Iudicijs, cap. Licet Heli, de simonia; & cap. Cùm ex iniuncto, de Hæreticis, §. Nec quisquam:* Vbi dicitur teneri quemque id efficere secundùm Regulam Euangelicam.

Probatur primò ex verbis Christi, quæ sicut præceptum sonant quoad substantiam correptionis: ita & quoad ordinem. Et licet Christus ibi loquatur speciatim de peccatis in nos commissis, nobisque iniuriosis, vt patet ex verbis quæ à Matthæo subjiciuntur ver.21. & sequentibus, & clariùs ex Luc.17. ver.3. vbi Christi verba sic referuntur, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi:* offensam scilicet, vel iniuriam tibi factam, & à tua remissione pendentem: par tamen est ratio de omnibus alijs, vt mox patebit. Ideóque videtur Christus generalius quid intendisse, & exempli tantùm causâ mentionem specialem iniuriarum fecisse, quia in illis difficilius est hunc ordinem seruare, ob iracundiam & appetitum vindictæ, aliud suadentem: sed ex illis idem de alijs peccatis à fortiori colligi debet. 77. *Probatur ex Script.*

Probatur secundò, quia quando correptio procedit ad testium inductionem & denuntiationem, incipit lædere proximum in fama, si eius peccatum est occultum. Lex autem Charitatis, imò & iustitiæ; postulat, vt, si fieri potest, subueniamus proximo sine læsione famæ. Quod bene obseruatur in ordine illo à Christo præscripto. *Confirmatur ratione.*

Vnde collige præceptum istud esse quoque iuris naturæ: & oriri partim ex Charitate proximi, quæ præcipit vt proximo succurramus, cum minimo, quantum fieri potest, eius incommodo aut periculo: partim ex iustitia, quæ iubet proximi famam non lædi sine iusta & sufficiente causa: cuiusmodi est eius emendatio, quando scilicet emendari nequit, aut non vult, nisi peccatum eius vni aut alteri testi, vel etiam Ecclesiæ aperiatur: aut quando peccatum vergit in damnum publicum, aut priuatum maioris momenti, quod sine delinquentis manifestatione vitari nequit. *Præcipitur etiam iure naturali.*

Dixi, per se loquendo, ac nisi propter circunstantias occurrentes, liceat vel expediat hunc ordinem mutare. Vt fit primò, quando peccatum proximi est publicum: tunc enim publicè potest corripi sine secreta admonitione præmissa: vt docent S.Thomas, & Scholastici communiter, in 4. dist. 19. Potest etiam denuntiari immediatè Superiori: quia per talem denuntiationem non infamatur, cùm iam sit infamis. Secundò, quamvis peccatum non sit publicum: si tamen non soli corripienti, sed vni quoque aut al- 78. *Potest mutari in certis casibus.* *D.Thom. in 4. dist. 19. q. 2. a. 3. ad 1.*

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ;
Quæ in hoc Volumine continentur.

Litera P. designat Paginam. N. Numerum.

Genesis.

Exodus.

Leuiticus.

Numeri.

Deuteronomium.

Libri Regum.

Iudith.

Iob.

Psalmi.

Prouerbia.

Ecclesiastes.

Cantica.

Sapientia.

Ecclesiasticus.

Isaias.

Ieremias.

Ezechiel.

Ioel.

Ionas.

Malachias.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Acta.

Paulus ad Romanos.

Paulus prima ad Corinthios.

Secunda ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Thessalonicenses prima.

Ad Thessalonicenses secunda.

Ad Timotheum prima.

Ad Timotheum secunda.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Iacobi Epistola Catholica.

Epistola B. Petri prima.

Epistola B. Petri secunda.

Epistola B. Ioannis prima.

Apocalypsis.



INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM,

QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

De Fide, Spe & Charitate.

TRACTATVS I.

De Fide. *pag. 1.*

DISPVTATIO I.

De obiecto Fidei. pag. 3.

DISPVTATIO II.

Quale sit obiectum Fidei? Et primò, sit-ne complexum, vel incomplexum? pag. 39.

DISPVTATIO III.

Vtrum obiectum Fidei sit necessariò verum, ita vt Fidei falsum subesse non possit? pag. 50.

DISPVTATIO IV.

Vtrum obiectum Fidei possit esse aliquid scitum, aut visum? pag. 66.

DISPVTATIO V.

An & quomodo obiectum Fidei Christianæ sit euidenter credibile? pag. 84.

Index Disputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO VI.

An obiectum Fidei successu temporis creuerit? pag. 102.

DISPVTATIO VII.

De Regulis, quibus obiectum Fidei proponitur infallibiliter; & primò de Scriptura. pag. 117.

DISPVTATIO VIII.

De Traditionibus, & consensu Patrum. pag. 135.

DISPVTATIO IX.

De Summo Pontifice, Concilijs & Ecclesia. pag. 144.

DISPVTATIO X.

De actu Fidei interno. pag. 190.

DISPVTATIO XI.

De actu Fidei externo. pag. 230.

DISPVTATIO XII.

De habitu Fidei. pag. 239.

DISPVTATIO XIII.

De effectibus Fidei, & Donis cum ea connexis. pag. 259.

DISPVTATIO XIV.

De Infidelitate, & varijs eius speciebus. pag. 274.

TRACTATVS II.

De Spe, & Charitate. *pag. 307.*

DISPVTATIO XV.

De obiecto Spei. pag. 308.

DISPVTATIO XVI.

De Actibus virtutis Spei, & alijs ad eam pertinentibus. pag. 328.

DISPVTATIO XVII.

De habitu Charitatis. pag. 351.

DISPVTATIO XVIII.

De obiecto Charitatis. pag.380.

DISPVTATIO XIX.

De Actibus, & effectibus Charitatis. pag.395.

DISPVTATIO XX.

De Vitijs oppositis Charitati, & eius effectibus. pag.404.

DISPVTATIO XXI.

De præceptis Charitatis. pag.427.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Litera D. designat disputationem. N. numerum.

FINIS.



PRODIT tandem in lucem expectatum ab tot annis postremum istud opus R. P. IOANNIS MARTINON Doctoris Theologi, *De Fide, Spe, & Charitate*: Partim eo adhuc viuente excusum, partim posthumum; prælo subiici cæptum 21. Augusti 1661. & perfectum anno insequente 1662. mense Aprili. Auctoris celebrata per Europam vniuersam fama ea est, vt alia commendatione opus non sit. Is enim est, qui doctissimos in vniuersam D. Th. Summam Commentarios quinque voluminibus comprehendit: nec non Antijansenium sub nomine Antonini Moraines Anno 1652. edidit. Eum vero tertia parte auctiorem cùm recognosceret, religiosissimè, vt vixerat semper, mortuus est, (eo ipso tempore, quo hæ Disputationes typis mandatæ maximam partem erant,) 5. Februarij Anno 1662. In Collegio Burdigalensi Societ. IESV, in quo per 20. totos annos Theologiam summo applausu docuerat. Vixit annos 77.

CLAVDIVS HERBODEAV præpositus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aquitaniæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Ioanne Paulo Oliua Vicario Generali eiusdem Societatis IESV, Facultatem concedo *vt Patris* IOANNIS MARTINON *ex eadem Societate Doctoris Theologi Disputationes de Fide, Spe, & Charitate*, multorum eiusdem Societatis Theologorum iudicio Approbatæ typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas & officij nostri sigillo munitas dedimus. Datum Burdigalæ tertia die Nouembris Anni 1661.

CLAVDIVS HERBODEAV.

EGO CLAVDIVS HERBODEAV Prouincialis Societ. IESV in Prouincia Aquitaniæ, iuxta Priuilegium concessum ab Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1605. Ludouico XIII. 14. Febr. 1612. & Ludouico XIV. 23. Decembr. 1650. quo prohibetur omnibus Librarijs & Typographis ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissu imprimant, Ioanni Fleuriau Regis & Academiæ Pictauiensis Typographo, vt has Disputationes Theologicas *De Fide, Spe, & Charitate*, à P. IOANNE MARTINON *ex eadem Societate* IESV *Doctore Theologo*, conscriptas ad decem annos proximos imprimere & distrahere libere possit. Datum Burdigalæ die tertia Nouembris Anni 1661.

CLAVDIVS HERBODEAV.